BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XLIX
II
25

Digitized by Google

XLIX
H
25

ANNALES MINORUM

AUCTROE

A.R.P.F. LUCA WADDINGO

HIBERNO

Ejuſdem Ordinis Chronologo.

ANNALES MINORUM

SEU

TRIUM ORDINUM

A S. FRANCISCO INSTITUTORUM

AUCTORE

A. R. P. LUCA WADDINGO HIBERNO

S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo.

TOMUS XVI.

Editio ſecunda, locupletior, & accuratior

OPERA, ET STUDIO

R.mi P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA

Ord. Minor. Scriptoris & Ex-Generalis, S. & Univerſ. Inquiſitionis Conſultoris, Sac. Congreg. Conſiſtor. Votantis, Epiſcoporum Examinatoris, & apud S. Sedem tractandis Luſitanis Rebus Præfecti &c.

ROMÆ Typis Rochi Bernabò MDCCXXXVI. ✕ *Superiorum permiſſu.*

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.

SANCTISSIMO

D. N. D.

CLEMENTI XII.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FR. JOSEPHUS MARIA FONSECA EBORENSIS
Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia
FELICITATEM

ACTUM *eſt*, PATER BEATISSIME, *Tuis auſpiciis, ut Waddingus noſter, hoc eſt Tuus, & meus; Tuus, quia Te auctore, atque adjutore in hanc voluntatem, curamque incubui; meus, quia ſtu-*

ſtudio, aſſiduitate, diligentia ſuſceptum opus ad exitum perduxi: Waddingus, inquam, a mendis innumerabilibus vindicatus, perpolitus, & auctus in hominum manus perveniret. Hunc ego Tibi, & cum eo vigilias, ſudores, labores, quos in hoc opere abſolvendo pertuli, & animi oblectationes, lætitias, voluptates, quas indidem percipiebam, cum utilitatis ad omnes Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſtudioſos ex vigiliis meis perventuræ magnitudinem animo præſagiebam, ac prævidebam: hoc igitur totum, quantum quantum eſt, qualecumque eſt, Pater Sancte, *ex animo Tibi, ut debeo, dono: quod abs Te profectum eſt, quodque Tuo beneficio hic renovatus, & veluti poſitis novus exuviis conſecutus eſt Franciſcanæ hiſtoriæ diligentiſſimus auctor; id Tibi bona fide reddo. In quo munere dando equidem magnam abs Te gratiam inibo, qui egregiam Tuam bene merendi de litteris voluntatem aliqua ex parte fuiſſe videor imitatus. Cujus voluntatis,*

tis, ut alia indicia prætermittam, argumentum illuſtre eſt nobiliſſima illa bibliotheca, quam in ædibus Tuis exquiſitiſſimorum librorum ingenti copia refertam aperuiſti. Unde cum poſſint Romani Tui, exterarumque nationum homines utilitates comparare ſibi, non ad corpus, aut ad rem familiarem, ſed ad animum pertinentes, hoc eſt ad animorum divitias alte exſtruendas, atque exaggerandas, eoſdemque bonis litteris, ingenuiſque artibus excolendos, atque inſtruendos; Te longe melius de ſe mereri omnes fatentur, quam ut Tibi parem gratiam referre queant: nihilque omnino a quoquam poſſe excogitari, quod Tuis in homines litteris deditos beneficiis æqualiter reſpondere poſſit. Sed quemadmodum illi, quamvis Tuorum erga ſe meritorum admiratione obſtupeſcant, nihilominus gratam Tibi voluntatem, qualemcumque poſſint, remetiri debent; ita Tu, naturam in hoc Tuam, quæ Dei gloriam, & reipublicæ bonum, non propriæ

priæ gloriæ falſam imaginem, ſemper expetivit; ducem ſecutum, Tuorum benefactorum conſcientia fretum, nullam præterea aliam mercedem, quam ſinceriſſimam voluptatem, ex communi, quam præſtas, utilitate natam flagitare, ipſaque honeſtate (quod facis) contentum eſſe decet. Neque enim beneficia Tua fæneraris; ſed ad bene merendum de hominibus natura factus, honeſtatem, ac pulchritudinem virtutis unicum, & verum Tuæ beneficientiæ, omniſque virtutis fructum eſſe putas. Quod quid eſt aliud, quam ad juvandos, & ornandos mortales ſponte incitari, vel Divinæ mentis imitandæ cupiditate penitus inſita, vel animi Tui natura excelſa, & erecta, atque, ut poſteris etiam conſulere poſſit, ſempiterna omnia cogitante, ac moliente? Nunc, ut ad illud, quod ante propoſui, redeam, primum oro Te, obteſtorque, Beatissime Pater, *ut hos Annales* Waddingi, *Tuæ quaſi legitimæ tutelæ commendatos, & traditos tueare: dein-*

de

de ut hunc Ordinem Tuum ea in posterum benevolentia comprehendas, eaque fide complectare, qua his annis prope viginti eundem complexus, magnum ipsi ornamentum, atque præsidium contulisti.

ERU-

ERUDITO LECTORI.

AMUS tibi, optime Lector, Annales Waddingi ad umbilicum perductos, &, quantum humana induſtria fieri potuit, ab erroribus expurgatos. Charta uſi ſumus optimæ notæ, characteribus nitidis; foliorum numerum, quem polliciti ſumus, non modo in ſingulis Tomis repræſentavimus, ſed etiam in pleriſque omnibus auximus: ut proinde nihil poſſis habere, quod de nobis, noſtraque fide conquerare.

REIM-

REIMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſsimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanenſis Vicesgerens.

REIMPRIMATUR

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

ANNALES MINORUM.

Anno Christi	Leonis X.	Maximiliani Imp.	Religionis Minoaum anno
1516.	an. 4. & 5.	an. 23. & 24.	309.

ARGUMENTUM.

In Concilio Lateranenſi diſcutiuntur privilegia Ordinum Mendicantium. Leo Pontifex mittit Nuncios Minoritas ad Maronitas, qui illorum Oratores ducunt ad Concilium. Indicitur cultus Eliſabethæ Reginæ Luſitaniæ, & Martyrum, qui apud Septam occiſi ſunt. Moritur Ferdinandus Rex Catholicus: regni gubernium committitur Ximenio, cujus mira in hoc genere refertur virtus & conſtantia. Curat diligenter res Indicas, iiſque procurandis multos mittit viros religioſos. Illic quidam trucidantur Franciſcani: alii fidem magnificant. In Catalonia unus occiditur, alius pie moritur Minorita. Comitia celebrant Generalia Obſervantes ultramontani, in quibus ſecundum Vicarius eligitur Gilbertus Nicolai. Pontifex indicit Capitulum Generaliſſimum totius Ordinis. Reſtringitur Inquiſitorum poteſtas in Minoritas. Eliguntur Epiſcopi, conſtruuntur Cœnobia.

I. SUB hujus anni finem reverſo ex urbe Bononienſi Leone Pontifice, habita eſt ſeſſio XI. Concilii Lateranenſis a Julio inchoati, & a Leone continuati. Ei interfuit Bernardinus a Prato Miniſter Generalis, ubi plurimum juvit ſui Ordinis, aliorumque Mendicantium cauſam contra eos, qui revocata, aut immi nuta volebant omnium Religionum privilegia. Re mature diſcuſſa, poſt longam acremque concertationem, & plurimam Epiſcoporum oppoſitionem, tamdem in eam itum eſt concordiam, ut quædam demerentur, aliæ ſtrictius explicarentur Mendicantium facultates, prout in hac conſtitutione per Joannem Epiſcopum Sibinicenſem ex ambone perlecta continentur. Non defuerunt tamen ex Epiſcopis, qui poſt lectam ſchedam quædam objicerent, quorum ſuffragia in ipſis actis Concilii licebit inſpicere.

Privilegia Mendican. in Concil. Lateranen. defenduntur.

LEO EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Sacro approbante Concilio.

Ex Conc. Latr. ſeſſ. 11.

II. *DUm intra mentis arcana revolvimus, & diligenti conſideratione penſamus operoſa ſollicitudinis ſtudia, cantinuoſque labores pro Divini nominis gloria, exaltatione Catholicæ fidei, Eccleſiæ unitate ſervanda, & inſtitutione ac ſalute fidelium animarum per Coepiſcopos, eorumque ſuperiores in diverſis orbis partibus ad regimen ſuarum Eccleſiarum a Sede Apoſtolica conſtitutos, necnon Fratres diverſorum Ordinum, præſertim Mendicantium, indefeſſe & indefinenter impenſos, tanta ex eorum in vinea Domini fructuoſis operibus, & apportune ac laudabiliter geſtis cordi noſtro provenit ſatisfactio, ut iis, quæ ad pacem & quietem inter eos conſervandam condu-*

Excellentia Epiſcoporum.

ceere cognoſcimus, omni ſtudio intendamus. Novimus enim, Epiſcopos ipſos in partem ſollicitudinis noſtræ aſſumptos fuiſſe; quorum honor & ſublimitas,

Amb. de dign. Sacerd cap. 3.

teſte Ambroſio, nullis poteſt comparationibus adæquari; Religioſos, etiam in

Utilitas Religioſorum.

agro Domini pro Chriſtianæ religionis defenſione & ampliatione compiura feciſſe, ac uberes fructus protuliſſe, & in dies ſingulos proferre, ita ut eorumdem Epiſcoporum ac Religioſorum bonis operibus orthodoxam fidem incrementa ſumpſiſſe, & per orbem terrarum undique dilatatam fuiſſe, fidelium nullus ignoret: & ſicut ipſi ſæpenumero vigiliantiſſima & ſolerti cura ſebiſmata in Dei Eccleſia extinguere, & Eccleſiæ unitatem reddere, & ut eidem Eccleſiæ pacis tranquillitas daretur, innumeros labores ſubire non dubitarunt; ita quoque par eſt eos inter ſe noſtris proviſionibus pacis vinculo, ac

Quanti intereſt Epiſcoporum & Religioſorũ concordia.

fraterna caritate & unitate conjugi, ut eorum concordi doctrina, & mutuis operibus uberiores in Eccleſia Dei fructus proveniant. Sane cupientes, ut jura ſpiritualia, quæ ad Dei laudem, & Chriſtifidelium animarum ſalutem pertinent, & quorum exercitium præfatis Epiſcopis, & eorum Superioribus in ſuis diœceſibus cum ipſis in partem ſollicitudinis, ut præfertur, aſſumptis, ac diœceſes diſtincte, & cuilibet eorumdem Epiſcoporum aſſignatæ fuerunt, commiſſum extitit, per ipſos Epiſcopos exerceantur, & jus illere illa exercendi, quantum fieri poteſt, eis illeſum præſervetur, & ſi aliqua dictis Fratribus Mendicantibus in eorumdem Epiſcoporum læſionem per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam conceſſa fuerint, conceſſiones hujuſmodi, eiſdem Religioſis factas, in ſubſequentibus duximus moderandas; ut ipſi Fratres potius ab eiſdem Epiſcopis omni cum caritate foveantur, quam aliquo modo moleſtentur & inquietentur. Una enim eſt Regularium & ſecularium prælatorum, & ſubditorum exemptorum & non exemptorum univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides, & propterea decet eos, qui ejuſdem ſunt corporis, unius etiam eſſe voluntatis; & ſicut Fratres nexu invicem caritatis aſtricti ſunt, ſic non convenit alterum in alterius injuriam ſeu jacturam proſilire,

Joan. 15. 12.

dicente Salvatore: Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. *Ad conſervandam igitur inter Epiſcopos, & eorum Superiores ac Prælatos & Fratres hujuſmodi mutuam caritatem & benevolentiam, Divini quoque cultus augmentum, pacemque & tranquillitatem univerſalis Eccleſiæ ſtatus (quod ita demum fieri poſſe cognoſcimus, ſi unicuique, quantum*

De parochiis earũ Religioſorũ commiſſis.

fieri poteſt, ſua juriſdictio conſervetur) ſacro approbante Concilio, ſtatuimus & ordinamus, quod Epiſcopi & eorum Superiores, & alii Prælati præfati

pa-

parochiales Eccleſias ad eoſdem Fratres ratione locorum ſuorum legitime ſpectantes, quoad ea, quæ parochianorum curam, & Sacramentorum conſervationem adminiſtrationemque pertinent, ſine tamen viſitatorum inſolito gravamine vel impenſa viſitare, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes, ſi Religioſi fuerint, juxta ipſius Ordinis regularia inſtitata, intra ſepta regularis loci, ſeculares vero presbyteros, & Fratres hujuſmodi beneficia obtinentes, libere tamquam ſuæ jariſdictiani ſubjectos punire: ac tam Prælati, quam presbyteri ſeculares, qui vinculo excommunicationis ligati non fuerint, Miſſas in Eccleſiis domorum eorumdem, devotionis cauſa celebrare volentes, celebrare poſſint, ipſique Fratres tales celebrare volentes, libenter recipere debeant, ac ab eiſdem Prælatis ad proceſſiones ſolemnes pro tempore faciendas requiſiti, dummodo eorum loca ſuburbana ultra unum miliare a Civitatibus reſpective non ſint remota, accedere, necnon ſuperiores eorumdem Fratrum, Fratres, quos ad audiendas confeſſiones ſubditorum eorumdem Prælatorum pro tempore elegerint, eiſdem Prælatis perſonaliter exhibere ac præſentare, ſi eos ſibi exhiberi & præſentari petierint, alioquin eorum Vicarii, dummodo ad Prælatos altra duas dietas accedere non cogantur, omnino teneantur, poſſintque illi per eoſdem Epiſcopos & Prælatos ſuper ſufficienti litteratura, & aliqua ſaltem hujuſmodi ſacramenti peritia dumtaxat examinari, talibaſque præſentatis admiſſis, vel etiam indebite recuſatis confitentes, Conſtitutioni, quæ incipit: Omnis utriuſque ſexus, *quoad confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſeantur, ipſique Fratres etiam forenſium confeſſiones audire valeant, Laicos tamen & Clericos ſecalares a ſententiis ab homine latis, nullatenus abſolvere poſſint. Euchariſtiæ vero & Extremæ Unctionis, aliaque Eccleſiaſtica Sacramenta illis, quorum etiam infirmorum ac decedentium Confeſſiones audierint, dicentibus proprium Sacerdotem illa ſibi dare denegaſſe, dare nequeant, niſi denegatio ſine legitima cauſa facta, vicinorum teſtimonio probata, aut requiſitio coram notario publico facta, doceretur. Eorumdem vera Fratrum obſequio inſiſtentibus, Sacramenta hujuſmodi nullatenus miniſtrare valeant, niſi illorum durante obſequio. Pacta autem & conventiones inter eoſdem Fratres & Prælatos atque Curatos pro tempore inita, valeant, niſi per ſubſequutum Capitulum proximum Generale vel Provinciale refutata, ac per eos refutatio hujuſmodi intimata debito tempore faerit. Parochias autem cum Cruce ad levanda funera eorum, qui apud Eccleſios domorum & locorum eorumdem ſuam elegerint ſepulturam, intrare non poſſint, niſi prius præmonito & requiſito, ac recuſante Parochiano presbytero, & tunc ſine ejus ac Ordinarii præjudicio, niſi eiſdem Fratribus ſuper hoc antiqua conſuetudo, quæ ſit in viridi obſervantia, & cum pacifica poſſeſſione, ſuffragetur. Valentes quoque ſepeliri in habitu eorumdem Fratrum in clauſtro non degentes, ſed in propriis domibus habitantes, in eorum ultima voluntate ſepulturam ſibi libere eligere poſſint: quodque Fratres ipſi ad Ordines promovendi per Ordinarios de Grammatica & ſufficientia examinari, & dummodo competenter reſpondeant, per eoſdem Ordinarios libere admitti, ac nullatenus in eorum Eccleſiis ſeu domibus, aut aliis eorum locis ab alio quam a diœceſano Epiſcopo, vel ejus Vicaria ſuper hoc cum debita reverentia requiſita, & abſque rationabili cauſa contradicente, vel ea a diœceſi abſente, ad dictos Ordines promoveri debeant. Nec ab alio Epiſcopo conſecrationem Eccleſiæ vel Altaris, aut Cœmeterii benedictionem petere, ſeu in Eccleſiis, per eos pro tempore ædificandis, primum lapidem per alienum Epiſcopum poni facere poſſint, niſi ubi Ordinarius bis aut ter cum debitis reverentia & inſtantia requiſitus, ſine legitima cauſa id recuſaverit. Et abſque Cura-*

De volentibus in iis celebrare.

Religioſi debent accedere ad proceſſiones.

Et pro Confeſſionibus audiendis ſe præſentare.

Circa Confeſſiones audiendas qualiter ſe gerere debeant? Et circa adminiſtrationem aliorum Sacramentorum.

An poſſint reſcindi pacta inita inter Religioſos & Eccleſiarum Prælatos.

Circa Crucem ferendam in diſtrictu parochiarum.

De habitu mortuorum & electione ſepulturæ. De examine ordinandorum.

De conſecratione Eccleſiis.

De Sacramento Matrimonii.
De pulſu campanarum in Sabbato Sancto.
De publicandis cenſuris.

ratorum conſenſu ſponſum & ſponſam benedicere nequeant. Et ut debitus honor matrici Eccleſiæ reddatur, tam ipſi Fratres, quam alii Clerici ſeculares, etiam ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris hebdomadæ, untequam campana Cathedralis vel matricis Eccleſiæ pulſaverit, campanas in Eccleſiis ſuis pulſare minime poſſint: contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant. Cenſuras autem per eoſdem Ordinarios latas & promulgatas, ac in matrici Eccleſia Civitatum, necnon in collegiatis & parochialibus Eccleſiis Caſtrorum & oppidorum reſpective ſolemniter publicatas, quando ſuper hoc ab eiſdem Ordinariis requiſiti fuerint, in Eccleſiis domorum ſuarum publicare ac ſervare; & ut animarum utriuſque ſexus Chriſti fidelium ſalati uberius conſulatur, illos, quorum Confeſſiones pro tempore audierint, cujuſcumque ſtatus & conditionis fuerint, ad ſolvendum decimas, ſive aliam bonorum ſeu fructuum quotam in locis, in quibus decimæ ipſæ, aut ſimilia ſolvi conſueverunt, etiam ſub onere conſcientiarum ſuarum monere & hortari, ipſiſque etiam illas ſolvere recuſantibus abſolutionem denegare, & ſuper hoc requiſiti, id populo etiam publice prædicare & perſuadere teneantur. Conſervatores autem eiſdem Fratribus pro tempore a Sede Apoſtolica deputandi, doctrina & probitate præſtantes, & in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti eſſe debeant, & coram eis per eoſdem Fratres, quibus dati fuerint, ultra duas dietas a loco ſuæ ſolitæ habitationis nullus trahi poſſit, privilegiis ſuper hoc alias eis conceſſis, nullatenus ſuffragantibus. Excommunicati quoque, ordinem Mendicantium profiteri volentes, ubi de intereſſe tertii agetur, abſolvi non poſſint, niſi prævia ſatisfactione. Procuratores quoque & negotiorum geſtores, ac operarii eorumdem Fratrum ſervitiis inſiſtentes, ſententiis excommunicationis promulgatis illaqueati ſint, & eſſe cenſeantur, ſi illis cauſam dederint, aut dantibus conſilium, auxilium vel favorem præſtiterint; Fratres autem & Sorores Tertii Ordinis, necnon Mantellati, Corrigiati, Pizochatæ, Cordellati, & alii quocumque nomine nuncupati, in propriis domibus habituntes, ſepulturam ubi voluerint, eligere valeant, ſed die Paſchatis tantum Euchariſtiam, necnon Extremam Unctionem, ceteraque Eccleſiaſtica Sacramenta, Pœnitentiæ Sacramento dumtaxat excepto, a proprio Sacerdote recipere, & ad opera, quæ laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in foro ſeculari coram judicibus ſecularibus convenire poſſint. Et ne cenſura vileſcat Eccleſiaſtica, & minoris auctoritatis interdicti ſententia reputetur, iidem dicti Tertii Ordinis ad Divina audienda in Eccleſiis ſuorum Ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, ſi cauſam dederint interdicto, vel cauſam ipſam nutriant ſeu foveant, aut dantibus auxilium, conſilium vel favorem quoquo modo præſtiterint. Collegialiter autem viventes, ſeu cum clauſtralibus habitantes, ac mulieres virginalem ſeu cælibem aut caſtam vidualem, expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis quibus Fratres Ordinis, cujus tertiæ Regulæ habitum geſtant, gaudere debeant. Omnia etiam ſingula ſupradicta ad reliquos Religioſos Ordinum quorumcumque extendi, & per eos etiam ſervari debere volumus atque decernimus: ſalvis tamen in reliquis deſuper non expreſſis tam Epiſcoporum, quam Fratrum, & aliorum Religioſorum prædictorum juribus, quibus per præmiſſa in aliquo præjudicare, ſeu quidquam innovare non intendimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Statutis & conſuetudinibus dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque & indultis, & litteris Apoſtolicis contra præmiſſa, ſeu aliquod præmiſſorum eiſdem Ordinibus conceſſis, etiam in Mari magno contentis: quibus, etiamſi ad illorum derogationem, de

De ſolvendis decimis.

De Conſervatoribus.

Cenſurle ſubjacere ſervos & miniſtros Regularium.
Tertiariis quædam indulgetur.

eis

eis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ſervanda eſſet, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, ſpecioliter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque: decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Eoſdem inſuper Fratres in virtute ſanctæ Obedientiæ monemus, ut eoſdem Epiſcopos, loco ſanctorum Apoſtolorum ſubrogatos, pro debita, & noſtra ac Apoſtolicæ Sedis reverentia, honore, & convenienti obſervantia venerentur: ipſos quoque Epiſcopos hortamur, ac per viſcera miſericordiæ Dei noſtri requirimus, ut Fratres ipſos affectu benevolo proſequentes, coritative tractent, ac benigne foveant, ſeque illis minime difficiles aut duros vel moroſos, ſed potius facileſ, mites, propitios, piaque munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis, tamquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum particeps, prompta benignitate recipiant, eorumque jura omni cum caritate cuſtodiant atque defendant: ut tam Epiſcopi, quam Fratres præfati, quorum opera, velati lucernæ ardentes ſupra montem poſitæ, omnibus Chriſtifidelibus lumen præbere debent, ad Dei laudem, fidei Catholicæ exaltationem, populorum ſalutem, de virtute in virtutem proficiant, ac exinde a largiſſimo bonorum omnium retributore Domino perennis vitæ præmium conſequi mereantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinationis, voluntatis, derogationis, decreti, monitionis, exhortationis & requiſitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ in publica ſeſſione, in Lateranenſi ſacroſancta Synodo ſolemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicæ MDXVI. XIX. *Decembris, Pontificatus noſtri anno* IV.

Fratres venerentur Epiſcopos.

Epiſcopi diligant Fratres.

III. Ante biennium miſerat Leo Pontifex fratrem Joannem Franciſcum Potentinum, virum doctum, claris muneribus in ſua Religione functum, adhibito interprete & ſocio fratre Franciſco Reatino, etiam Minorita, Chaldæi idiomatis perito, ad Maronitas inſtruendos, & a quibuſdam erroribus revocandos. Ille qua pollebat virtute, & Nuncii Apoſtolici auctoritate ita dextere ſuas partes obivit, ut pro Pontificis voto, & commiſſa ſibi peragendorum inſtructione, malam doctrinam eliminaverit, & ſanam ex parte Patriarchæ Montis Libani, & univerſæ nationis profitentes, ad Concilium tres duxerit Oratores. Illi vero in prædicta ſeſſione XI. die XIX. Decembris obedientiam præſtiterunt Pontifici, & præſentarunt quoddam mandatum, lingua Chaldæa ſive Arabica exaratum; præſtitaque obedientia, unus dictorum Oratorum aſcendit ambonem, & legit dictum mandatum a prædicto Nuncio Minorita lingua interpretatum Latina, quod hic ex ipſis actis Concilii exſcribimus.

Fr. Joannes Franciſcus Potentinus ducit Maronitas ad Conc. Lateranen.

Mandatum Patriarchæ Maronitarum.

IV. *Gratias Deo reverenter agimus ſub mundiſſimis pedibus Patris noſtri, ſanctiſſimi Chriſti Vicarii, & Domini noſtri Papæ Leonis X. qui vices beati Petri, veritatis petræ, gerit in terris, ſedetque ſuper Apoſtolicam Sedem ipſius ſanctiſſimæ benedictionis ſuper nos: Amen. Cogimur in Divinas laudes erumpere, Deoque, a quo omne bonum, gratiarum actiones in de-*

Vide Conc. Lateranen. ſeſſ. 11.

indefinenter agere, qui puriſſimæ S. V. menti illabi dignatus eſt, eamque per inſpirationem pulſare, ut nos per ſanctum Nuncium ſuum fratrem Joannem Franciſcum de Potentia viſitaret; ille enim fratre Franciſco Reatino interprete, & viam nobis ſalutis oſtendit, & ſancta documenta reliquit: unam quo-

Quænam docuerit Maronitas.

modo ſanctum confici atur Chryſma, ex puro videlicet oleo & balſamo, nihilque præter hæc immiſcendum; quo etiam tempore aquis ſalutaribus infantes ablui debeant, & ſacro baptiſmatis fonte renaſci, non ſit que quadrageſimus præſtolandus dies, ſicuti antea erroris tenebris involuti præſtolari conſuevimus, ſed in octavo, vel etiam ante, eum neceſſitas poſtulaverit: qua vero ratione juxta Patrum, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ inſtituta, matrimonia contrahantur, quæ eadem impediant; ac ſacri quonam pacto conferantur ordines; quibus item verbis in conſecratione Dominici Corporis ac Sanguinis uti debeamus; & quod Spiritus ſanctus a Patre procedat & Filio, ſicuti ab unico principio & unica ſpiratione; & quod Chriſtianus, qui in hac vita ſuffecientem de ſuis delictis pœnitentiam non egit, ea functus, ad quemdam (divina permittente juſtitia) ducatur locum, qui Purgatorium *dicitur, ut ibidem (quouſque dignus ſit cœlum aſcendere) maneat; & quod ſemel ſaltem in anno noſtra proprio ſacerdoti confiteamur peccata, ſanctiſſimumque Euchariſtiæ Sacramentum in Paſchate ſuſcipiamus Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui in ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli natali hoc conſueverimus adimplere; & ut ſemper & in omnibus Apoſtolicæ Sedis, ac S. V. ejuſque ſucceſſorum ſubmittamur mandatis, præſentibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, necnon Doctoribus noſtri Cleri, & populi majoribus, & claro nos docuit eloquio, & dulciter inſtruxit. Hæc enim, Pater ſancte, & nonnulla alia ab eo inſtituta noſtrarum ſalutem conſervantia animarum, & in Arabico conſcripta ſermone nobis relicta, quibus evitantur peccata, moreſque reformantur in melius, prompta obedientia acceptamus & confitemur, a limpidoque ſperamus: & propterea apprime in Domino exultavimus, & animi noſtri immodicam ſpiritalem conceperunt lætitiam, Deoque optimo Maximo, ac S. V. gratias egimus, Fratres hos ſanctos ad nos dirigenti, qui ſalutis iter nobis oſtenderunt, & animas noſtras Domino reſtcarunt. Nos vero cum præfato fratre Joanne Franciſco quoſdam ex noſtris ad S. V. deſtinamus, ea ducti opinione, ut Patrum inſtituta, ac S. R. E. dogmata addiſcant, & eum edocti fuerint, ad nos docturi alios, poſtmodum redeant. Interea non parvo afficimur tædio, quoniam ad deoſculandum adorandumque ſanctiſſimos S. V. pedes accedere prohibemur, & quæ mente gerimus fixis in terram poplitibus, proprio ore exprimere ipſi nequimus. Ut autem affectui noſtro ac voto uteumque ſatisfaciamus, eum præfato S. V. Nuncio fratre Joanne Franciſco Oratorem noſtrum Acuri Joſeph cum Helia, ac Helia monacho ad S. V. deſtinandum decrevimus, ut noſtro, ac totius cleri Maronitarumque populi nomine, terram fronte tangens, flexiſque genibus ſanctiſſimos pedes S. V. & adoret & deoſculetur, ac ſanctæ Apoſtolicæ Sedi coram Fratribus veſtris S. R. E. Cardinalibus S. V. obedientiam præſtet, & fidelitatem juret, & quod veraciter ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & S. V. ſervi fideles ſumus, demiſſo capite firmiter proteſtetur, Amen, Amen. Quædam vero alia ſupradicto fratri noſtro Joanni Franciſco reſervavimus, quem ut S. V. enarret, ſub Dei atteſtatione aſtrinximus; erit enim veluti noſter amabilis frater benedicti Monaſterii ſanctæ Mariæ de Canubin in monte Libano ſancto, ac totius Cleri, Maronitarum populi ad pedes S. V. ſollicitus procurator; omnia quidem noſtra, & quo modo ſub Infidelium deteſtanda ſervitute, tamquam omni auxilio orbati, infelicissimam vitam ducimus, propriis oculis ipſe conſpexit. Hoc eſt reſponſum puritatis noſtræ Santiſſimo & Puriſſimo*

Patri

Patri noſtro, cujus ſanctas benedictiones miſericors Deus ad nos tranſmittat, Amen, Amen, Amen. Scripta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MDXV. *menſis Februarii die* XVI.

A tergo.

Præſentabuntur cum Dei gratia in manus Sanctiſſimi D. N. Leonis, qui ſuper ſanctam Sedem Petri Apoſtoli reſidet, pro parte pauperis diſcipuli ſui Petri Patriarchæ Maronitarum, ex Monaſterio Camibin in Monte Libano, ſervi ſervorum Dei.

V. Quo perlecto, dicti Oratores acceſſerunt ad Pontificem, & deoſculati ſunt pedes ejus, præſtantes debitam obedientiam & reverentiam. Qua præſtita, D. Marius de Peruſchis, Procurator Concilii petiit ab eis mandatum & inſtrumentum dictæ obedientiæ.

VI. Hoc anno Pontifex, rogante Emanuele, piiſſimo Luſitaniæ Rege, per ſuum Oratorem Michalem Sylvium, conceſſit ut beata Eliſabetha, olim Luſitaniæ Regina, fœmina ſanctiſſima, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, cujus vitam late ſuis locis enarravimus, in tota Conimbricenſi diœceſi ſolemni ritu cum *Beatæ* titulo coleretur, ejuſque imagines publice ac privatim dedicare liceret. Primus hic fuit gradus ad hujus lectiſſimæ Heroinæ cultum, qui poſtea variis auctus incrementis, eo tandem pervenit, ut illam inter Sanctas Eccleſiæ fœminas Urbanus VIII. ſolemni pompa, uti ſuo loco dictum eſt, retulerit.

Conceditur cultus Eliſabethæ Reginæ Portugalliæ. *Tom. 6. An. 1111. n. 6. & ſeqq.*

Tom. 7. An. 1336. n. 31.

VII. Ut etiam ſancti Martyres ſeptem, qui ſub Religionis exordia Septæ in Africa pro fide Chriſti glorioſum ſubiere martyrium, Eccleſiaſtico colerentur officio, hoc, quod exhibeo, diplomate conceſſit.

Necnon Martyribus Septanis.

Dilectis filiis univerſis Ordinis Minorum profeſſoribus, præſertim de Obſervantia, ubilibet conſtitutis.

Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ut frugifer Ordo veſter fructibus pretioſis, quos produxit, lætetur, veſque veſtrorum exemplo, in vocatione, qua vocati eſtis, robuſtiores effecti, ſolum Chriſtum, quem aſſumpſiſtis, ſequamini, nullaque graviora formidetis pro ipſo tolerare; auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium vobis & veſtrum cuilibet, ut in Eccleſiis domorum veſtrarum publice & ſolemniter officium Martyrum de beatis Daniele, Angelo, Samuele, Donulo, Leone, Nicolao, & Hugolino veſtri Ordinis Fratribus, qui pro Chriſti nomine mortem ſubire libenter, & martyrii palmam in Saracenorum partibus conſequi meruerunt, in officio duplici majori in die in veſtro Generali Capitulo determinanda, annis ſingulis, etiam in Miſſis & Litaniis, & aliis Divinis officiis, prout de aliis Sanctis per Sedem Apoſtolicam canonizatis, ſolemniter celebrare & dicere, ac propriam legendam in choro cantare in Eccleſiis domorum tam Fratrum, quam Monialium curæ veſtræ ſubjectorum dumtaxat, donec per Nos ſeu ſucceſſores noſtros ad ſolemnem canonizationem deventum fuerit, libere & licite valeatis, concedimus; ac omnibus & ſingulis locorum Ordinariis, aliiſque perſonis, ne deſuper vos moleſtare aut impedire præſumant, diſtrictius inhibemus. Præterea, quia difficile eſſet præſentes litteras ad ſingula quæque loca deferre, volumus, ut earum tranſumptis, manu alicujus publici notarii ſubſcriptis, & ſigillo Vicarii Generalis veſtri munitis, ea prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi exhibitæ forent vel oſtenſæ. Non obſtantibus con-

Reg. Vitr. fol. 19.

conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Florentiæ ſub anulo Piſcatoris, die XXII. *Januarii* MDXVI. *Pontificatus noſtri anno* III.

Moritur Ferdinandus Rex Catholicus.

VIII. Ineunte hoc anno, ad XIV. Kal. Februarii Ferdinandus Rex Catholicus vitæ curſum abſolvit, Princeps quidem præſtantiſſimo conſilio, & ſingulari virtute, dignus qui inter optimos Reges adnumeretur, quique juſtitiæ cultu, prudentiæ laude, animique præſtantia regnandi rationem poſſet inſtituere, & de recta Principum gubernatione præcepta tradere non vulgaria. Poſtquam cum Thoma Matienzo, quem Gomeſius Franciſcanum, alii verius Dominicanum dicunt, per aliquot horas ſemotis arbitris collocutus, & conſcientia more Chriſtiano expiata, teſtamenti tabulas, quas non ita pridem Burgis condiderat, reſciderat, Carolum adoleſcentem in Belgiis hærentem, Regina Joanna, Ferdinandi filia, & Caroli genitrice adhuc ſuperſtite, ſed mentis impote, & imperio inepta, gubernationi Reipublicæ præfecit. Habita deinde cum intimis amicis, & Regiis, qui tunc aderant Senatoribus, conſultatione de viro magnanimo ac prudente, cui cura regnorum, abſente Carolo, committeretur, cum ex Regulis unum conſtituere tutum non eſſet, ob antiquas inter ipſos ſimultates, neque ex hominibus mediocris fortunæ alterum, ob ingenia Hiſpanorum, qui minorum imperia pati neſciunt: tamdem itum eſt in Ximenium Cardinalem Hiſpaniæ, Archiepiſcopum Toletanum, cujus licet ſeverum ingenium in eo rerum Regnique ſtatu, Ferdinandus timeret non adeo omnibus placiturum, tamen acquievit Senatorum votis Ximenium poſtulantium, dicens: *Si hominem pro votis affingere liceret, adrem, de qua agimus, tractabiliorem Ximenium voluiſſem: mores enim hominum quotidie degenerantes, ad priſcum illum honeſtatis rigorem, quem Ximenius profitetur, exigere, magnas in Rep. difficultates excitare ſolet. Sed ut veſtram ſententiam probem, facit in primis hominis integritas, animuſque ſemper recti & juſti appetens: poſt hæc, quod nulla propinquitate Regulorum cuiquam conjunctus, nihil privatis amicitiis eſt daturus. Porro beneficia, quæ ego & Iſabella Regina in illum contulimus, noſtrarum rerum ſtudioſiſſimum fecerunt, atque in noſtro (ut ſic dicam) ære eſt, quod quotidianis exemplis haud obſcure declaravit.* Ad hos Regis ſermones plauſus adſtantium eſt ſecutus, qui Regi pro Ximenii deſignatione gratias agentes, ejus ſententiam vehementer collaudarunt.

Gomeſ. lib. 5. de reb. Ximen. ante fin.

Hiſpaniæ Gubernatorem inſtituit Ximenium.

Idem lib. 6.

IX. Extincto itaque Ferdinando, ex Regiis Senatoribus primarii Matricaliolo, obſcuro viculo, ubi Rex deceſſerat, Guadalupum ad Adrianum Trajectenſem, Lovanii Decanum, a Carolo Principe ad Ferdinandum jam pridem legatum, profecti, Compluto Ximenium accerſunt, ſimulque certiorem faciunt Regis teſtamento ad Rempub. gubernandam, donec Carolus in Hiſpaniam veniat, declaratum. Ad tam ardua vocatus Ximenius, totque Regnorum amplitudine ſe ipſo excelſior effectus, miſit manum ad fortia, ingentique animo Hiſpaniæ ſceptra, abſente Carolo, biennium ferme moderatus, mirum quanta auctoritate & imperio motus, qui eo tempore in Repub. exorti ſunt, aut ſuſtulit aut repreſſit. Nam cum Regulorum vires formidabiles perſæpe Regibus extiterunt, magnopere Ximenio laborandum fuit, ut ejus perſonam indueret, & majeſtatem referret, cujus vicarias vices habebat, & animos Heroum excelſos & elatos deprimeret. Hoc autem ab homine nullis natalibus, aut præclaræ familiæ gente numeroſa & illuſtri ſuffulto, fieri non potuit ſine maxima prudentia, ſumma fortitudine & magnanimitate. Sic ergo procerum ſpiritus fregit, ut tunc primum Reſpub. viderit plebem cum nobilibus ex æquo agere, & regia mandata

Anno Christi 1516.	Leonis X. an. 4. & 5.	Maximiliani Imp. an. 23. & 24.	Religionis Minorum anno 309.

data ſacroſancta haberi. Nam homo privatus regio nomine in viros ſummos animadvertit, lites & controverſias, in quibus ingentia emolumenta vertebantur, & ob cavillationes, tergiverſationes & ſtrophas advocatorum Remp. perpetuis ſimultatibus erant læſuræ, diremit. Magnorum patrimoniorum & cenſuum poſſeſſionem, velut Herculis clavam, e potentiſſimis manibus ablatam, ad veros dominos tranſtulit. Omnibus Reip. ordinibus, magna religione & potentia ſuum jus æqualiter diſtribuit; neque unquam pacatiora tempora multis ante annis in Hiſpania ſunt viſa, & idcirco multo plus difficultatis & laboris duobus hia annis, quam viginti prioribus, qui ab ejus in Archiepiſcopum creatione computantur, illi fuit ſubeundum.

X. Ante omnia miſſo ad Carolum, ejuſque nutritium Chebrium, penes quem ſumma erat in aula poteſtas, Didaco Lupo, fideli, reique bene agendæ perito miniſtro, ut rerum ſtatum exponeret, ibique hæreret Ximenii mandata Principi & Chebrio opportune porrecturus, ne Ferdinandi pueri (qui Caroli frater erat in Hiſpania natus & educatus, & obinde Hiſpanis gratiſſimus) cuſtodes eum aliquo abducerent, & motus tempore maxime incommodo excitarent, quamprimum adduci curavit, nec deinceps a ſe divelli, quamdiu vixit, permiſit. Germanam Reginam, Ferdinandi Regis ſecundam conjugem, ejuſque fœmineum comitatum omni obſervantia & cultu proſecutus, ut omnia ei quam largiſſime ſuppeterent, donec negotia componerentur, pecunia ſua ſtatim curavit.

Legatum ad Carolū Regem mittit.

Ferdinandū Caroli fratrem, penes ſe retinet.

Germanam Reginam digno cultu proſequitur.

XI. Cum vero ex teſtamento rerum ſummam vellet Ximenius capeſſere, Adrianus ſupradictus Caroli mandata protulit, quibus ſi quid humanitus Ferdinando avo accidiſſet, Adrianum gubernatorem declarabat, & ejus nomine, ut poſſeſſionem Regnorum caperet, jubebat. Ximenius ſe id permiſſurum negabat: unde nonnihil controverſiæ inter eos ortum eſt. Sed cum uterque Reipub. cauſa id agitaret, & pari conſenſu ad Caroli obſequia eſſent animati, facile omnis contentio fuit ſublata. Nam cum ex Regis Ferdinandi teſtamento Ximenius eſſet rebus præfectus, Caroli mandata expectanda eſſe videbantur, ut quid faciendum eſſet poſt eam Ferdinandi Regis voluntatem, conſtaret. Porro cum ex Iſabellæ Reginæ teſtamento, Ferdinando marito, Reip. moderatio relicta eſſet, donec Carolus nepos ad xx. annum perveniret, iſque e vita diſcedens Ximenium ſuo loco inſtituiſſet, quidquid Ferdinando vivente ſuper hac re Carolus feciſſet, irritum ex jure eſſe a nonnullis affirmabatur, præſertim cum ex Hiſpaniæ legibus, atque antiqua morum conſuetudine, nullus poſſet externus legi, qualis Belga Adrianus erat. Placuit Adriano Caroli ſententiam ea de re expectare, & interea partitis curis Regni, molem ambo ſubierunt, publicis tabulis & quibuſvis libellis, utriuſque chirographo ſignatis.

Adrianus Trajecten. ſe opponit Ximenii regimini.

XII. Ferdinandi Regis morte, & Caroli Principis abſentia, procerum Hiſpanorum animi ad res novas concitandas parabantur. Primus omnium Petrus Portocarrerius, cognomento *Surdaſter*, Aſcalonii Ducis frater, cujus ſucceſſores Marchiones ſunt Villænovæ, potentia & opibus fretus, ad Magiſterium ſancti Jacobi, Regis morte vacans, vi occupandum aſpiravit; ſed cum tria illa Magiſteria militaria ſancti Jacobi, Oretanum, & Alcantarenſe, Carolo Principi eo modo, quo Ferdinandus avus poſſederat, Leo Pontifex per ſpecialia diplomata conceſſiſſet, Ximenius ex Adriani & Senatus ſententia, Villafañam Quatuor-virum ad eum comprimendum regiis tabulis, & militari manu munitum mittit: cujus adventu, ut erat Villafaña vir induſtrius & ſagax, Arenatum Provincia, in qua Portocarrerius milites

Portocarrerii audaciam comprimit Ximenius.

coadunaverat, a novis rebus tentandis quievit: & Portocarrerius ſanior effectus, ſibi conſuluit.

Aulam conſtituit Madriti.

XIII. Cum vero Regii Senatores de loco deligendo, in quo domus Palatina, & Comitatus regius conſiſteret, variis ſententiis egiſſent, vicit Ximenii auctoritas, ut Madritum ſuæ diœceſis oppidum reliquis locis præferretur, unde ille & Regnum regebat, & ſuo Archiepiſcopatui proſpiciebat. Inde miſſus Regius veredarius, qui litteras ad Carolum ferret, omnia quæ poſt Ferdinandi mortem accidiſſent, & quo in ſtatu eſſent res univerſæ, quidquid ille moriens mandaſſet, continentes. Quas ubi ille perlegit, multa doloris indicia oſtendit, Rectore optimo poſt homines natos ſe privatum eſſe dicens, ſuique amantiſſimo, & qui rudi ejus ætati erat perneceſſarius. Jacturam tamen hanc quamvis incomparabilem, non mediocriter ſarciri avi ſui conſilio, qui Ximenium Cardinalem præfeciſſet, cujus ſapientiam multo uſu limatam, & mores graviſſimos ex multorum relatione cognoviſſet: quamquam poſtremum avi ſui de eo judicium, ſummæ commendationis inſtar apud ſe erat. Hæc ergo litteris ad Senatum Regium datis, verbis ampliſſimis declaravit.

Carolus probat Ximenii delegationem.

Carolus Regis nomen affectat.

XIV. Litteræ conſolatoriæ, intermiſtis ob ampliſſimam Regnorum hæreditatem gratulationibus, undique ad Carolum quotidie mittebantur, quibus *Rex* ſalutabatur: ſed præcipue Leonis X. Pont. Max. & Maximiliani Cæſaris, qui illi avus paternus erat, epiſtolis: ipſeque jam eo ſe nomine appellari, ex Belgarum familiarium conſilio, quorum auctoritati permultum tribuebat, deſtinaverat; cupiebat autem ſcire quid Ximenius & Senatus hac de re ſentirent, aut æquum judicarent, ut vivente matre, ad quam Regnorum poſſeſſio pertinebat, Regium nomen a ſummis Principibus per publicas litteras & Legatos jam ante tributum, aſſumeret. Etſi vero ea conſultatio inſolens viſa ſit, & Conventus pro hac re indictus judicaverit expedire, ut Carolus, matre ſuperſtite, a *Regis* nomine abſtineret, & tamen ille reſcriberet, poſthabitis difficultatibus, quæ proponebantur, Regium ſibi nomen vendicaſſe, nec tam conſilium eo in negotio ſibi dari cuperet, quam Senatus ſuffragationem habere; Ximenius indignabundo & ſevero vultu, ac voce vehementius & acrius intenta, Proceribus in ſecundo Conventu refragantibus oſtendit, non eſſe amplius diſputandum in re minime dubia, quod Carolus maximorum Orbis Principum Pontificis Summi, Maximiliani Cæſaris, Purpuratorum Patrum, magnorumque Regum ſuffragiis apud ſe publice conſtituit. Dimiſſo proinde Concilio, confeſtim præcepit Carolum de Hiſpaniæ more in prætorio primum, deinde per oppidi vicos, decurionibus præeuntibus, & vexillis ſublatis, *Regem* proclamari. Tubarum & præconum ſtrepitu cuncti proceres oppidi Præfectum hæc enarrantem certatim comitati ſunt, & cunctis mortalibus acclamantibus, Carolus *Rex Caſtellæ* vocitatur. Horum exemplum ſecuti ſunt Conventus Pintianus & Granatenſis, & reliquæ Caſtellæ Civitates; neque Reguli, qui Madrito aberant, & in adverſam ibant ſententiam, Ximenii & Senatus auctoritatem veriti, quidpiam ſunt auſi moliri.

Ei deberi ſuſtinet Ximenius.

XV. Dum hæc Madriti fierent, aliquot Regulorum tumultus, primo Bæticam, deinde veluti peſtifero contagio Tarraconenſem Provinciam pervadebant. Petrus Gironius Ureñarum Comitis major natu filius, militum manu non ignobili coacta, io Aſſidonenſem Ducatum, quem ſibi deberi contendebat, irruens, Luzerum maritimum oppidum occupare conatus eſt; quod cum ex voto non ſucceſſiſſet, obſidionem adhibuit. Ximenius miſſo protinus exercitu, obſidionem diſſolvit. Ita repreſſus Gironius, multa in

Gironium turbas excitantem repreſſit.

Xi-

Anno Christi 1516.	Leonis X. an. 4. & 5.	Maximiliani Imp. an. 23. & 24.	Religionis Minorum anno 309.

Ximenium moliri, multosque suos necessarios proceres, & ex Regulis aliquot in ejus perniciem convocare non destitit. Ximenius, qui consilia eorum & vires abunde noverat, terrores panicos illos vocabat, nihilque idcirco magis movebatur, quam si homines aliquot privati convenissent, quorum nulla ditio, nullaque auctoritas aut facultas esset. Sed cum publicam quietem nonnihil turbari privatis Regulorum consiliis animadverteret, dedit operam, ut monerentur, in rem illorum esse ab incepto desistere: atque ita sensim ille conspirationum Cooventus evanuit, & paulo post se io Ximenii amicitiam singuli insinuarunt.

XVI. Sed cum Ximenius, si Carolus adventum suum io Hispaniam differret, in eumdem sæpe lapidem offendendum esse provideret, cœpit secum attente inquirere, quonam pacto Regulorum motus & tumultus posset cohibere. Recordatus Ferdinando Regi in animo fuisse militarem exercitum, quem semper ad manum haberet, ex cujusque Civitatis incolis comparare & instruere, effecit, ut per singulas urbes certi quidam Cives nomina sua ad militiam sacramento darent, qui quotiescumque vocarentur, bellica suppellectile instructi, ad omnes casus prompti haberentur, nullo Regis aut Reip. impendio. Dici non potest quantum hæc novi exercitus institutio, seditiosos homines, & novarum rerum cupidos male habuerit; qui omnem aditum ad tumultus excitandos sibi intercluſum videbant, atque illam, quam ex Regis absentia vivendi licentiam præsumpserant, hac potissimum ratione evanuisse. Idcirco omnibus machinis & consiliis, si quo modo eam labefactare possent, aut calumniis, & crimioationibus invidiosam & iogratam facere laborarunt. Sed irrito prorsus consilio. Conscribit exercitus factionibus.

XVII. Sed quoniam frustra exercitum terra parat, qui mari etiam, ut sit potens non laborat, triremibus, quas eo tempore Respublica obtinebat, viginti adjungendas curat: atque ita classem instruxit, maritimis regionibus benigne, quæ ad eam armandam necessaria erant suppeditantibus: qua a littoribus illis hostium arma & incursus depulit piratarum. Nam statim sub mensem Julium, cùm prope Alicantum, ad insulam non longe in eo littore sitam, quinque longas Turcarum naves classis illa obviam habuisset, acri prælio cum illis commisso, sexcentis hostibus fortiter occisis, fusæ captæque sunt, & ad Alicantum captivæ remulco ductæ. Qua de re Leonis X. Pontificis Maximi gratulationes ad Ximenium sunt missæ, animi præstantiam, & singularem prudentiam, qua in his rebus utebatur, commendantis. Ad hæc anno insequenti antiquum apud Hispalim navale (Hispanis *Atarazana*) incuria temporum deformatum & neglectum, a Ximenio instauratum, armamentisque iterum refectum fuisse, ne fortasse navium apparatarum inopia, Hispani ad littora conservanda imparati essent, sed potius omnium animi ad navalia munera alacriores, ut solebant, efficerentur. Sed hanc solertis & providi hominis curam, posteri studio incredibili adauxerunt, tam late patentibus terris trans Atlanticum Oceanum continenter adinventis, in quarum regionum semotas gentes, ne quid ad Ximenii magnitudinem deesset, ejus quoque imperium penetravit; atque ipsius prudentia & industria, rei necessariæ & pietatis plenæ, de iosulanis in libertatem asserendis datum est principium. Classe auget triremibus. Pyratarum cohibet Turcarum. Navale instaurat.

XVIII. Aliud præsidium rebus Hispanis statim in regiminis exordio tulit Ximenius. Cum enim Joannes Alebritensis ante aliquot annos a Ferdinando Rege Navarra pulsus, aviti Regni cupiditate teneretur, simul atque Ferdinandum obiisse cognovit, occasionem peropportunam ad Navarram recuperandam (ut arbitrabatur) nactus, Gallicis præsidiis & militibus fretus, Navarræ regnū invadentes repellit.

per valles Pyreneorum, Roncalem & Iſaunam inſtructo exercitu Navarram ingreditur. Id non mediocriter Ximenii animum, quamvis intrepidum & conſtantem perculit. Nam rebus propter recentem Ferdinandi mortem, nondum plane, ut oportebat, conſtitutis, in magnum diſcrimen adductam illam Provinciam conſiderabat. Dum vero tuendæ Antonium Manricum Najarenſium Ducem præficere parat, ſed objectæ difficultates iturum retardant, Ximenii auſpiciis & conſilio Ferdinandus Villalva Placentinus, Tribunus militaris, qui tunc cum aliquot pedeſtribus manipulis in Navarra erat, incredibili vigore & præſtantia irrueotes hoſtes profligavit, captis ex Navarris omnibus viris primariis, qui auxiliares copias Gallorum ducebant. Alebritenſis autem, qui cum alio exercitu per ſaltus Pyreneos in Navarram ingredi curabat, & ſancti Joannis oppidi, quod in citeriori Pyreneorum radice eſt, per vim capti arcem obſidebat, cum ſtragem ſuorum reſcivit, ſpe omni abjecta de Navarra recuperanda, obſidione ſoluta, in Galliam reverſus eſt. Villalvæ Ximenius per litteras rei fortiter geſtæ gratias egit, eumque deinceps benevolentia non vulgari complexus eſt, translatis etiam in filium poſt patris obitum, brevi poſtea ſecutum, præfecturis & honoribus, quæ Ximenii beneficio poſſederat. Ejus conſilio aliquot Navarræ præſidia, & oonnullorum oppidorum muros diruit, ne tot militaria præſidia alere oporteret, & indigenæ facilius cohiberi poſſent, ſi res novas molirentur, nec Galli haberent ubi tuto manere poſſent contra Hiſpanorum vim & impetum, quem quotidie a munitis oppidis erant facturi. Tunc Navarri cum præſidia & arces validas a fundamentis omnino excindi ægerrime viderent, ſe vere debellatos, & omnem rebellandi occaſionem amiſiſſe intellexeruot.

Illius regimini conſulit prudenter.

XIX. Superatis difficultatibus, quæ Manricum ſupradictum a Navarrorum præfectura ſuſcipienda retardabant, Pampelonem, regni urbem præcipuam præclaris conditionibus profectus, ea generoſe & fortiter geſſit, quæ quantum interſit viros magnanimos, nec avaritiæ morbo laborantes Provinciis præficere, demonſtrent. Inter alia illud memorabile, quod cum Lethenſis Regulus, qui in Aquitanica Gallia principatum tenebat, Manricum ingenti vi pecuniæ, aliiſque non contemnendis muneribus corrumpere per internuncium Hiſpanum tentaret, ut Alebritenſi Navarræ recuperandæ propitiaretur, ingenita generis virtute in nonoullorum conſpectu, ita ut poſſet ad Lethenſem dimanare, dixit ſe ſceleratæ legationis internuocium, aut infami ſuſpendio puniturum, aut catenis conſtrictum ad Ximenium miſſurum. Supremum etiam Senatum Navarræ ita Ximenius compoſuit, ut Præſidem, ſive, ut illi vocant, Regentem, in quo maximum momentum ad res gerendas ineſt, acciperent externum, qui neutri factioni ſive Agramonteoſi, ſive Viamontenſi, in quas totum Regnum mira animorum contentione diviſum erat, adhæreret. Demum reſtitit viriliter, ne Alebritenſis Cardinalis e Pampelonenſi Pontificatu pulſus, reſtitueretur; quamvis id cuperet Leo Pontifex, & plerique Cardinales, dicens non expedire, hominem adverſi animi, dejecti Regis conſanguineum, Provinciæ amplis proventibus in Hiſpanorum caput armare, unde proculdubio motus pernicioſi erant emerſuri. Sed & Nuvardanenſem arcem, quæ ad Epiſcopi Pampelonenſis curam ſpectabat, diruendam cenſuit, ita ut conſtitutis optime Navarrorum negotiis, Ximenii animum ab aliis rebus tractandis poſt hæc non avocaverint.

XX. At poſtquam externi motus conquievere, inteſtini continuo ſunt exorti. Malacitaoi cum Anrico Almiranto de judiciis maritimis exercendis ita contenderunt, ut in ejus tribunal & judices invecti tuorultuoſiſſime

omnem

Anno Christi 5516.	Leonis X. an. 4. & 5.	Maximiliani Imp. an. 33. & 34.	Religionis Minorum anno 309.

omnem quam longa annorum ſerie retinebant, illis ademerint poteſtatem: Almirantus graviter apud Ximenium vim & contumelias conqueſtus, obtinuit ut Ximenius Malacitanos per litteras objurgarit, atque ut a violentia abſtineant, præceperit, atque ad jus & judicia, ſi quid adverſus Almirantum haberent, revocarent. At illi juſſa contemnentes, ſtatim univerſam multitudinem ad defectionem incitarunt. Augebant animos epiſtolæ quædam a Belgarum proceribus miſſæ, quibus ut in libertate ſua tuenda perſiſterent, monebantur. At Ximenius, quem inter ceteras occupationes tranquillitatis publicæ cura in primis ſollicitabat, Antonium Cuevam Atratæ oppidi Dominum, virum bellicis ſtudiis clarum, delectu ex publicis militibus momento temporis facto (hic enim primus militiæ inſtitutæ fructus gratiſſimus Ximenio fuit) cum ſex millibus peditum, & quadringentis equitibus adverſus Malacitanos mittit. Illos primum ut Regiis mandatis obediant per fecialem moneret, mandatque ſi rebelles imperata facere noluiſſent, tunc ut in Reipublicæ hoſtes ſæviendum eſſe, & urbe capta, factioſos puniendos, & Civitatem ad ſolitam quietem reducendam. Procedebat magnis itineribus Cueva, & cum prope eſſet, Malacitani, quos omnium rerum egeſtas premebat, conſilium mutantes, ſe Ximenii clementiæ commiſerunt. Quinque tantummodo punitis, qui ſeditionis auctores fuerunt, ceteris publice veniam conceſſit.

Malacitan. tumultuantes pacificat.

XXI. Inſuper Velaſquidem Cuellar, rationum Regiarum Præfectum, & Quæſtorem maximum, Arevalum Vacceorum municipium, Germanæ Reginæ per Carolum adjudicatum, per vim occupantem, & arcis præfecturam ſibi & poſteris in perpetuum acquirere meditantem, necnon auxiliares Regulos pleroſque & conſanguineos, qui magnas ſuppetias offerebant, miſſo Cornelio Quatuor-viro cum cohortibus ad deditionem coegit; manifeſto probans documento, quantum momenti habeat in re militari celer expeditio, magnanimitas Principis & prudentia.

Aliorum fregit contumaciam.

XXII. Joannæ Reginæ, Caroli genitricis, morbo duriſſimo conflictatæ, vicem dolens Ximenius, Ludovicum Ferrerium Valentinum, ejus cuſtodiæ & curæ præfectum, ex cujus negligentia tantum incrementum ſumpſerat morbus, ætate gravi, huic muneri minus idoneum, removit, aliumque virum prudentem ſubſtituit, qui placidis verbis efferatum fœminæ animum demulſit, ut quietem caperet, ut foras prodiret, ut vitam, quam degebat gravem & inhumanam relinqueret, effecit, eoque ſtatu conſtituit, ut Carolus pro tam diligenti & officioſo erga parentem ſtudio gratias per litteras egerit Ximenio. Ferrerii prædicti filium Ferrerium juniorem Toletanæ urbis præfectura amovit, cujus inepto regimine omnia confuſe jactabantur, & aliquot ejus publicos miniſtros, quod juſtitiæ exequendæ prætextu nihil non iniquum geſſiſſent, per vicos Civitatis, præcone præeunte, & peccata illorum proclamante, flagellis cædi de more curavit; atque urbis Magiſtratum in Portoccarrerum, Palmæ Comitem, virum præclarum, juſſit transferri. In Arroium, Calatravæ cruciferum, Zoritanæ Commendatariæ Præfectum, omnia turpi libidine fœdantem, gravi ſupplicio animadvertiſſet, niſi ille tempeſtive ſibi fuga conſuluiſſet. Honore itaque & proventu ſpoliatum, abſentem mulctavit, eique Sanctium Cabrerum virum probum extemplo ſuffecit. Calcenam ſanctæ Inquiſitionis Secretarium, & Aquirium e Judicibus unum, aliquot ex cauſis graviſſimi ordinis conſortio ejecit. His atque aliis exemplis fortitudinis & conſtantiæ ſuæ per Ximenium editis, tantam ſibi auctoritatem apud omnes comparavit, ut nemo eſſet, qui non impenſe cuperet, in ejus ſe benevolentiam & amicitiam inſinuare. Univerſi pene

Joannæ Reginæ proſpicit ſaluti.

Vicos improbos ſevere caſtigat.

Hiſpa-

Hiſpaniæ Reguli, ſimultatibus & diſſidiis poſthabitis, ultro illi obſequentes fuerunt, pactis etiam conventis de ejus dignitate tuenda, non ſecus ac ſua & propinquorum.

XXIII. Igitur cum omnes motus compreſſi eſſent, atque nihil ſibi negotii ab ullo ex Regulis faceſſeretur, multa partim ad Reipublicæ utilitatem, partim ad regii cenſus incrementum neceſſaria facere eſt aggreſſus. Nam primum, ne tumultus denuo exorirentur, ipſeque ſecurus & liber, rebus, quas propoſuerat, animum intenderet, tormenta bellica, & æneas illas ac operoſas machinas, quæ propter ponderis immanitatem nequeunt loco facile moveri, tribus potiſſimum Caſtellæ regionibus, cum privatis magiſtris & præfectis, collocare inſtructiſſima decrevit: in Ultramontanis ad Metimnam Campenſem: in Carpentania ad Complutenſes: in Bætica ad Malacitanos: deinde ad regia vectigalia cognoſcenda converſus, totamque aulæ privatam rationem, quæ Regis Catholici diutino morbo multipliciter offenſa, atque perplexis ambagibus confuſa erat: edictum a Carolo ejus nomine promulgandum poſtulavit, ad tabulas omnes, ſive publicas ſive privatas, quæ de rebus regiis tractarent, a quibuſvis hominibus extorquendas, ſive ii in ſupremo Senatu judices, ſive apud Principes aut Reſpublicas legati, ſive domi cubiculo præfecti, aut denique muneri cuilibet per Ferdinandum Regem olim delecti aut propoſiti fuiſſent: ut eæ in publica ſcrinia reconditæ, quoties uſus poſceret, depromerentur. Ex his tabulis & libellis rationum in Ordinum militarium Senatum inquiſivit; hoc eſt, de militarium magiſterioram cenſibus, de ſportulis, & menſæ magiſtralis (quam vocant) ſalariis, de commendatariis præfecturis, quæ rectorum cuſtodia carebant, in eorum Senatum aſciſcendis, deque aliis multis ad eam rem attinentibus providendis. Nam cum eorum magiſterioram recens eſſet ſub Regibus poſſeſſio, nullibi minus notitiæ, aut plus fraudis & jacturæ erat. At ita diligenter in eo ſe geſſit, ut in primo cognitionis triduo omnes trium Ordinum leges, omnes ſanctiones, conſuetudines & decreta, quibus obtemperare militares Commendatarii tenerentur, perviderit: ſimul etiam quæ ad cenſum pertinebant, typo quopiam in genere perceperit. Præfecti maximi Commendatariorum, qui Ximenio in res eorum inquirenti, contradicturi proculdubio erant, aliqua interea oppoſuerunt, quibus ſe non modo a Ximenii poteſtate, ſed a Regia quoque, ſi poſſent, vindicarent. Verum ea omnia tanta prudentia & dignitate a Ximenio ſedata ſunt, ut univerſis Commendatariis parentibus, omnia ex illius voluntate ſint confecta.

Arces bellicis inſtruit tormentis.

Regia vectigalia recenſet.

In ordines Militares inquirit.

XXIV. Neque in hunc tantummodo militarium Ordinum Senatum, ſed in alios quoque, qui Comitatum regium ſequuntur, & poſt in Granatenſem & Pintianum conventum eſſe accurate inquirendum propoſuerat. Sed ne totam rei invidioſæ moleſtiam, in ſe unum dumtaxat derivaret, privatas litteras ſuper ea re a Carolo petit, quibus de aliis Senatoribus loco amotorum eligendis, aut nominandis a Rege ipſo demandaretur. Porro non milites tantummodo Commendatarios, ſed aulicos nobiles, qui comitatum regium ſequuntur, quorum ingens numerus eſt, ſalariis jam olim depuratis, & multa, quæ Regum beneficentia ex eorum cenſu proceribus quibuſdam, privatiſque aliis collata fuerant, abſtulit. Ubi ne affectibus ſuis indulgere crederetur, ex æquo amicos & alienos mulctavit. Magnum incrementum regiis facultatibus, ea ſalariorum & militarium antiquatio intulit: ceterum Ximenio ingens odium & invidiam conflavit. Nam ſi paria facere volumus: haud tanti apud Carolum ejus diligentia & induſtria habita

Salaria regia reformat.

ſunt,

ſunt, quantum apud eos conceptum eſt odii, quibus vivendi auxilia inſperato demebantur. Itaque immanes illæ regii ſplendoris, & vetuſtæ aulæ impenſæ, atque largiſſimi & munifici ſumptus, ſub frugi homine prorſus ſunt aeciſi, & intra certos carceres coerciti, illique tantummodo relicti, qui neceſſarii omnino erant. Qua in re, ne quis Ximenium omnino culpet, ſi modo hæc culpa, & non potius laus cenſenda eſt, ſciat Alexandrum Severum Romanorum Imperatorem, qui inter optimos Principes ab omnibus connumeratur, palatii majeſtatem & diſciplinam reſtituere ſtudentem, neminem in Palatinis haberi paſſum, niſi neceſſarium hominem; malum pupillum Imperatorem eſſe dicens, qui ex provincialium viſceribus, homines non neceſſarios, neque Reipublicæ utiles paſceret. *Ælius Lamprid. in ejus vita c. 15.*

XXV. Erat illi cum primis perſuaſum, neminem Principum, neque bello neque domi res magnas, & Reipublicæ ſalutares efficere poſſe, niſi cenſus regii curam haberet: parumque illam opinionem probabat, quæ Regem quantumvis inſumeret, prodigum futurum negat: ſiquidem opes quantumlibet immenſas, aſſiduis largitionibus diſſipari exhauriri que. Ideoque ut in donando caute & conſiderate ſe gereret, Carolo conſuluit. Porro ſibi accurate diſquirenti, quod patrimonio regio eſſet perutile, tamdem viſum eſſe ad res Principis amplificandas maxime convenire, ut ſublatis quibuſvis pecuniarum regiarum coactoribus, unus tantum vir nobilis & induſtrius, quæſtor maximus crearetur, ad quem res nummaria univerſa perveniret, unde ad publicas aut ſubitas quaſque neceſſitates parata pecunia continuo numeraretur: quæ vero ſupereſſent, ad liberalitates & largitiones, alioſve uſus, prout Regi liberet, apud eum aſſervarentur. Regiis largitionibus modū imponit.

XXVI. Regulorum nonnullis, aliiſque item aulicis hominibus nnn contemnendis nummorum ſummas liberaliter a Carolo donatas, parum ſe probare declaravit: multumque conſiderandum monet, ne id paſſim & temere fiat: ſemperque hoc unum ſollicite diſpiciat, quorumnam fidei & conſilio ſe committat: multos enim ſe illi inſinuatnros, non tam regiæ obſervantiæ cauſa, quam privatorum commodorum ratione. Quorum nonnullis hoc dumtaxat propoſitum eſſe, Regem in egeſtatem & anguſtias redigere, ut eorum operæ neceſſario implorentur, quas quanti libeat, locent. Quemadmodum jam olim eveniſſe, ex priſcis hiſtoriis rerumque recentium monumentis facile cognoſci poterat. Ergo ſecum parumper cogitaret, quanti ſumptus impenderentur, in Reipublicæ neceſſitates primo quoque tempore faciendi. Illud etiam inſolens & intolerabile, intra quadrimeſtre tempus, quo regnare cœperat, ex ſtatis vectigalibus, centies & vicies centena millia, ex aliis vero Regiis proventibus, pluſquam ſexagies data eſſe: cum Reges Catholici, totis quibus regnaverant quadraginta annis, quantumvis benefici fuiſſent, eam ſummam non exæquaſſent. Quare ea omnia abſcindenda eſſe cenſebat.

XXVII. Tabulas vero, quas a Rege Ferdinando datas Henricus Fortuna, Auricus Almirantus, & Paciecus Aſcalonius oſtendebant, in quibus decies centies, ex novi Orbis reditibus ſingulis donabantur, irritas & inanes eſſe judicandas. Nam quæ tempore diuturnæ & acerbiſſimæ ægritudinis parum conſiderate promiſſa fuerant, præſtari non debere jus eſt. Porro Henricum Fortunam, qui cognationis vinculo Ferdinando Regi perquam conjunctus, id mereri magis videri poterat, hominem eſſe præcipiti natura, & qui Gallorum quæſitis auxiliis, adverſus Carolum multa tentaſſet. Quod ſi liberalitatem, quæ Reges in primis amabiles facit, exercere vellet, habere apud ſe notabiliſſimos Miniſtros, qui prompte & fideliter ſuis juſſis aſſidue

due obediviſſent, quos beneficiis, quoties facultas daretur, exornare poſſet: juſtitiam vero erga reliquos omnes ex æquo coleret. Nam juſtitiæ munera ſine diſcrimine omnibus eſſe tribuenda: liberalitatis vero miniſtris, pro cujuſque fideli ſodalitate & dignitate. Tria enim ſibi magnopere neceſſaria ſemper fuiſſe viſa, quæ Regis imperium ante omnia ſtabilirent: primum, ut ſuum jus unicuique tribuat, ſive id æqualis conditionis homines a Rege poſtulent, ſive multum diſſimiles. Deinde, ut virorum militarium præſertim, qui animi fortis & ſtrenui præclara dediſſent ducumenta, rationem in primis habeat. Ultimum vero, quod magni momenti exiſtimabat, ut cenſum regium diſſipari non permittat: ſed opes potius ex reditibus ampliſſimis continuo ſeponat, quibus res maximas & glorioſas adoriatur & efficiat.

Tria Carolo commendat.

XXVIII. Venit hoc anno Tuneſius Princeps ex Africa auxilium petiturus a Ximenio contra Horuſcium Mitylinæum piratam, cognomento Barbaroſſa, qui poſtquam ab obſidione Bugiæ, quam Hiſpani poſſidebant, alterius brachii jactura repulſus eſſet, Algerium occupavit, & Hiſpaniam maritimam nun ſolum infeſtabat, ſed & ipſos Regulos Africanos avitis imperiis deturbare conabatur. Ut magis faveret Ximenius, dicebat Tuneſius ſe continuis incurſionibus Horuſcii affligi ob Hiſpanorum amicitiam; malle tamen ſe majorum ſuorum exempla ſequi, qui Hiſpanos Reges coluiſſent, quam Barbaroſſæ Piratæ adhærere. Reſpondit perhumane Ximenius curaturum ſe, ne amicitiæ cum Hiſpanis initæ ullo unquam tempore pœniteret. Miſit ergo optime inſtructam claſſem cum octo millium armatorum exercitu, Imperatore Didaco Vera in Oranica olim expeditione tormentorum Præfecto, cujus induſtriam & fortitudinem tunc fuerat expertus. Etſi vero proſpero curſu claſſis ad Algerii littus pridie Divi Hieronymi appulerit, præventi Hiſpani finitimorum Numidarum auxiliis a Mauris, qui venturam claſſem multo ante reſciverant, undique evocatis, & Ducis imprudentia, qui tribunis bene conſulentibus non auſcultavit, infeliciter pugnatum eſt. Etſi vero huic expeditioni proſper ſucceſſus defuerit, ſua tamen Ximenio manet laus ob invicti & conſtantis animi ſigna, qui & celeriter tantam claſſem in hoſtem immiſit, & accepto cladis nuncio, admirantibus cunctis, egregium pectoris robur nullum commotæ mentis ſignum in re ſubita & adverſa monſtravit.

Fert auxilium contra Barbaroſſam.

XXIX. Leo Pontifex, audito claſſis infelici ſucceſſu, per Petrum Bembum ſcribi curavit ad Ximenium, ſe magna moleſtia affectum, quod exercitus, quem in Africam tranſmiſiſſet, cladem illam apud Algerium accepiſſet: una tamen re dolorem ſuum leviorem fieri, quod ipſe animo fractus non eſſet, neque quidquam de ipſius ardore & diligentia eam ob cauſam eſſe detractum: atque verbis ampliſſimis eum ad alterum exercitum comparandum, & ad Rempublicam Chriſtianam juvandam adhortatur: animumque illum dignum ejus virtute, dignum etiam auctoritate quam ſupremam ei Carolus dabat, diutius retinendum eſſe, atque adeo ſæpius adverſus communes hoſtes incitandum: cum præſertim ex recenti & mirifica Turcarum Regis contra Sultanum Ægypti victoria, non dubium erat, quin inſolens & exultans Turca, vere ineunte mare noſtrum inſeſtaturus eſſet, atque claſſe inimica repleturus. Quod commune malum ceteris quoque Principibus Chriſtianis ſe indeſinenter denunciaturum, ut communibus votis & præſidiis, hoſti potentiſſimo univerſi reſiſtant, bellumque cum eo adverſus Turcas unanimes capeſſant. Ex quibus ſane litteris plane conſtat Ximenii amplitudinem & auctoritatem, non modo apud Hiſpanos clariſſimam, ſed etiam

Bemb. ep. 17. Ejus animi robur Leo Pontifex extollit.

etiam apud exteras gentes illuſtrem fuiſſe. Has autem cohortationes Leo ad Ximenium exaravit, ſciens probe bonam negotii conficiendi partem ex ejus induſtria & robore pendere.

XXX. Sub hoc ipſum tempus grave ex Regii Senatus auctoritate promulgavit edictum adverſus mercatores Genuenſes, qui Hiſpanorum urbes frequentes incolunt, quo jubebantur, ut intra certum dierum numerum ex Hiſpania diſcederent, alioqui bonis privandi, & capite plectendi. Edicti cauſa inde accepta, quod aliquot Genuenſium naves onerariæ & præſidiariæ, oborta inter Hiſpanos & Genuenſes in portu novæ Carthaginis repentina rixa, claſſem & triremes Hiſpanas male affecerint, atque utrimque magna edita ſtrage, urbs ipſa vehementer concuſſa, nihil potuerit hoſtilius ab immanibus Turcis expectare. Additæ etiam ſuſpiciones, multaque indicia, quod Gallis Regnum Neapolitanum adorituris modo clam, modo palam auxilia ſubminiſtrarint, univerſamque rem initi cum Gallis fœderis deprehenſam eſſe in litteris per arcanas notas ſcriptis, a Caucoliberenſi arcis præfecto interceptis. Cum vero Genuenſes miſſis in Belgium legatis, Caroli fidem implorarent, ut in priſtinam conditionem reſtituerentur, aliquantiſper ſuperſedendum monebat Ximenius, quoad de eorum erga Hiſpanos fidem rei eventus teſtimonium daret; præſertim cum Genuenſium negotiationem non adeo Hiſpanis regionibus neceſſariam eſſe multi prudentes viri perſuaderent, ut non potius pernicioſam, quam fructuoſam eſſe demonſtrarent. Tamdem cum legati benigne a Carolo ſuſcepti, omnem ſuſpicionem, quam de bello Neapolitano ſuſceperat Ximenius, abunde ademerint, eodem etiam approbante, priſtino commercio reſtituti ſunt. Genuenſes Hiſpania pellit.

XXXI. Ad Italiæ motus ſedandos Carolum monere non deſtitit, ut omni ſtudio Pontificis maximi animum captaret, & proinde etiam atque etiam videret, quem ſuo nomine Legatum Romam mitteret; nam permultum in eo deligendo intereſſe, cujus ob Hiſpanorum in Urbe frequentiam magna eſſet auctoritas & potentia. Pari etiam cura conſiderandum eſſe dicebat, quales Legati in Hiſpaniam a Pontifice mitterentur: nam totius Reipublicæ tranquillitatem ex eorum ad Principes ſuos relationibus pendere, ſæpeque numero accidiſſe, ut illorum ſtultitia aut inſolentia motus graviſſimi coorti fuerint. Magna ratio habenda circa delectum Legatorum.

XXXII. Erat in Hiſpania numerus eorum frequens, qui Judæorum ſuperſtitione relicta, ad verum Dei cultum tranſierant: ſed multi quotidie ob violatam religionem accuſabantur. Et cum judicia exercerentur, nulla teſtium publicatione facta, apud Regem omni ſtudio & arte contendebant, ut apertis teſtimoniis univerſa negotia tractarentur, oblata interim ingenti quadam nummorum ſumma, quam ad octingenta aureorum millia perveniſſe quidam recenſent. Cum id per Belgas confectum eſſe Ximenius audiret, rurſuſque Catalanos apud Pontificem hoc ipſum petiiſſe, & pene impetraſſe, ad Caroluni ſcripſit ſe maximopere mirari, quod ex ſacroſancti Tribunalis legibus, quæ per Reges Catholicos tam accurato conſilio examinatæ & exploratæ fuiſſent, quidquam mutari (ut ajebant) permiſiſſet. Privatim quoque doluiſſe, quod ſe adjutore & hortatore id eſſe factum a quibuſdam jactaretur; cum apud Pontificem maximum Cataloniis, ne id conſequerentur, ipſe potiſſimum impedimento fuiſſet, & multo ante apud avum Ferdinandum rei nummariæ inopia laborantem, quando bellum Navarrenſe gerebatur, interceſſiſſet, ne ſexcenta aureorum millia acciperet, quæ modo annuiſſet, continuo numerabantur: qui Chriſtianæ religionis cultum & obſervantiam, atque in Deum immortalem inſignem pietatem pluris quam Sacras vult Ximenius leges ſacræ Inquiſitionis.

divitias, & auri acervos faciens, illius Tribunalis leges ſtabiles rataſque manere voluit. Haberet itaque in oculis tam præclarum & recens avi ſui exemplum, ne quid mutandum in cognitione cauſarum, quæ ad religionem pertinent, cenſeret. Nam quidquid ab adverſariis objicebatur, ſub Regibus Catholicis in utramque partem ſatis diſputatum fuit, & hanc unicam viam fuiſſe repertam, qua religioni labanti conſuleretur. Quare ſi a Deo optimo maximo incrementa etiam ſuſcipere, & exornari cuperet, eamdem quoque viam iniret, qua ejus avi perpetuam ſibi gloriam pepererant. Carolus autem religioſiſſime ſe gerens, qua virtute ab illis adeo initiis ad ultimam uſque ætatem ſemper enituit, Ximenii conſilium ſecutus, ſacroſancti Tribunalis auctoritatem conſervavit.

Favet petitioni Card. Carvajalii.

XXXIII. Agebatur per ea tempora de Bernardino Carvajalio Cardinali in Seguntinum Epiſcopatum reſtituendo: nam conjurationis in Julium II. Pontificem maximum cauſa, cujus ipſe princeps eſt habitus, Sacerdotiis omnibus privatus, inſuper Senatu motus, vitam ignobilem & extorrem traduxerat. Ceterum Leonis X. benignitate, & Caroli Regis favore in Senatum iterum receptus, omnia ablata reſtitui poſtulabat, ſedulo id Ximenio contendente. Succeſſerat ei in Seguntina Eccleſia Fridericus Portugallius, Regio Aragonum ſanguine, & Familiæ nobilitate perquam illuſtris. Magni nominis adverſarius Carvajalii negotium dubium reddebat: nam quamvis, & Regis voluntas, & Ximenii conatus, Carvajalii cauſam tuebantur, aderant ex univerſa nobilitate Friderico patroni, quirem per tumultum acturi credebantur. Igitur dum de Carvajalio reducendo agitur, diœceſis Seguntina in diverſas factiones diviſa, nonnulli Carvajalio, alii Friderico ſtudebant. Hæc cum in dies pertinacius agitarentur, ſimultatibus in odium gliſcentibus, ad arma & rixas deventum eſt. Et in ea diœceſi Almazanum oppidum ditioſis Comitis Montacutani, in quo tumultum hac de re exortum, non aliter ſedari poſſe viſum fuit, niſi Quæſtore per Regium Senatum miſſo, qui in ejus auctores ſeveriſſime de more animadverteret. Tandem controverſia, Gutterii a Toleto Placentini Præſulis morte dirempta eſt; nam ea Eccleſia Carvajalio per Carolum data, Fridericus Seguntinam retinuit.

Urbibus & oppidis viros benemeritos præficit.

XXXIV. Sub Ferdinando Rege urbium & oppidorum præfecturæ obſcuris hominibus plerumque committebantur, unde ex nobilitate, qui eas ambirent, pauci inveniebantur. Quocirca Ximenius in hac quoque parte Reipublicæ conſulens, priſca Hiſpanorum Regum conſuetudine revocata, viros ex omni nobilitate ſelectos, moderandis Provinciis præfecit, quorum catalogum ſcriptores intexunt. Aliquæ quidem præfecturæ aliis quam vellet Ximenius, a Carolo, Belgarum favore collatæ ſunt, aliæ etiam per Ximenium benemerentibus diſtributæ, ad quoſdam tranſlatæ ſunt, quorum auctoritas & doctrina dignitate videbantur inferiores. Si quis Ximenii naturam æſtimaverit, generoſumque illud & contumeliæ impatiens ingenium in re præſertim tam manifeſte injuſta, durum id aceidiſſe arbitrabitur; ſed in hoc quoque prudentiæ ſuæ documenta dedit. Sentiebat enim aliter fieri non poſſe, quin in tanta rerum & negotiorum mole, ubi ipſe vicario nomine regnabat, permulta interdum per Regem abſentem irritanda forent, quæ ille graviter & juſte procuraviſſet.

XXXV. Præter hos, quos ad præfecturas urbium & Provinciarum, aliaque Reipublicæ munia evexit, multos etiam ad magnos honores exaltavit, quos recenſere non eſt operæ pretium. Unus tamen aut alter, propter eorum celeberrima & clariſſima nomina, ac blandiſſimam fortunæ indulgentiam,

Anno Christi 1516.	Leonis X. an. 4. & 5.	Maximiliani Imp. an 23. & 24.	Religionis Minorum anno 309.

tiam, quibus ad excelsas dignitates obtinendas gradus certe per Ximenium factus est, videntur annumerandi. Cum Dertusensis Episcopus, qui in Aragonia Inquisitoris maximi officio fungebatur, diem suum obiisset, ad Carolum accurata oratione Ximenius scripsit, idque suo procuratori studiose curandum summopere commendavit, ut Adrianus Florentius imperii socius, Dertusensis Ecclesiæ, & sanctæ Inquisitionis officio sufficiatur: hominem enim esse sincerum & probum, ab omnique prorsus avaritia alienum: externorum insuper natalium causa, ad Provinciam factiosam illis in rebus moderandam perquam accommodum. Nam se Inquisitionem Castellæ, & illo Aragoniæ tenentibus, omnia rite & religiose procuratum iri. Dertusensem Ecclesiam Adrianum obtinuisse certum est, quæ aditum illi ad purpureum galerum, & deinde ad summum Pontificatum aperuit: de Inquisitionis officio dissimulatum est. Cordubensem itidem Ecclesiam Episcopo carentem, Alphonso Manrico Paxaugustano, Reguli Najarensis filio, tradendam curavit: Paxaugustana vero, quam nunc Pacensem vocant, ut Motæ Burgensi, Regio secretario, homini Theologo mandaretur, effecit. Manricus postea ad Hispalensem conscendit, & Ximenio mortuo Inquisitor maximus fuit. Motæ vero Palentina Ecclesia cohonestato, cum jam prope eulmen constitutus esset, morte præocupatus, purpureo galero & Toletano Pontificatu frui non licuit. Morte instante, orationem gravitatis & sanctimoniæ plenam ad suos familiares habuisse fertur: in qua, postquam de fallaci hominum spe, de rerum mortalium inconstantia disseruisset, binas litteras ex scriniolo, quod ad manum habebat, deprompsit, alteras summi Pontificis galerum offerentis, alteras Caroli jam tum Cæsaris nomen adepti, quibus ut ejus salutem divæ Virgini Deiparæ, quæ Toleti pietate maxima colitur, commendaret, hortabatur: & ut ipse etiam vicissim firmus & incolumis, illius Ecclesiæ moderandæ curam susciperet: *Quæ omnia* (inquit) *morte impediri videtis. Sed necessitati, aut Divinæ potius voluntati parendum est, quæ hominibus Christianis quod utilius ad salutem æternam est, proculdubio tribuit.* Talis Ximenius in exornandis nobilibus fuit, talis in viris præclaris adaugendis, quos non solum magistratibus, beneficiis, Sacerdotiis, aliisque multiplicibus emolumentis prosecutus est, sed etiam honorificos titulos, aut ipse per se dedit, aut per Carolum dandos curavit. Tot tantisque rebus aliqnanto diffusius a nobis enarratis, prudentissime per Ximenium componendis moderandisque hic annus effluxit: reliqua ejus gesta usque ad mortem sequens annus comprebendet.

Curæ dati Adriano Belgæ Ecclesiam Dertusensem.

Et aliis dignissimis viri majores Ecclesias.

XXXVI. Supereſt adhuc insignis hujus anni partus, qui vastissimum Ximenii ingenium intra Europæ limites contineri non potuisse, sed ad Americæ regiones trans Oceanum longissime diffitas penetrasse demonstret. Didacus Columbus Oceani maris Almirantus, magni Christophori, qui novum Orbem patefecit, filius, & Bartholomæus de Casis, de quo anno præcedenti, ex India Occidentali regressi, multa quæ rem Indicam, Regis proventus, imperii propagationem, fidei Christianæ profectum, Indorum civile justumque regimen concernebant, Ferdinando Regi exponebant, multisque erroribus corrigendis modum requirebant. Mortuo Ferdinando, & gubernatione ad Ximenium devoluta, ab illo malorum remedia expectabant. Cum itaque crebris petitionibus compelleretur, videretque vir prudentissimus turbis sedandis, malisque eradicandis homines requiri integerrimos, qui non tam auri & argenti cupiditate, quam religionis & Reipublicæ studio ad eum laborem capessendum invitarentur, nullibi vero eos commodius posse reperiri, quam in Monachorum Cœnobiis, sed potissimum

Num. 2.

Herr. dec. 2. *l.* 2. *c.* 2 *& seqq. Gomes. lib.* 6.

Mittit viros integerrimos ad Indias Occid.

Hieronymianorum, quos rei privatæ tractandæ induſtria, & negotiorum agendorum prudentia pollere judicavit. Ex his mittendos viros graves & pios, adhibito conſilio precipuorum ex Regio Senatu, & fratris Franciſci Ruizii ex Minorita, uti diximus, Epiſcopi Abulenſis. Neque vero ex ejus Minoritis, neque ex Prædicatoribus in hanc rem curatores mitti voluit, quos diverſimode ſentire circa Indorum regimen, & converſorum diſciplinam cognoſcebat.

Tom. 15. anno 1509. nu. 38. & 1515. n. 29.

Ex Ordine ſancti Hieronymi.

XXXVII. Ergo Ludovicum Figueroam, & Alphonſum ſancti Joannis, illum Melioratæ apud Olmedum, hunc Ortege apud Burgos adminiſtrationi præfectos, & tertium cum his Bernardinum Manzanedum, qui olim magnis muneribus perfunctus, tunc emeritus erat, viros probitate & prudentia inſignes, prædicti Inſtituti ſancti Hieronymi, poſt multos cum illis habitos ſermones de magnitudine rerum ad quas deſtinabantur, utilitate Reipublicæ Chriſtianæ e ſua opera emanatura, ſi, ut ſperabat, ſe gererent, cum ſumma poteſtate ad Lucajorum inſulas mittit, ſed potiſſimum ad Haytinam, quam alii Hiſpanicam, alii ſancti Dominici promiſcue appellant, ad Almiranti & Hiſpanorum controverſias cognoſcendas, ceteraque omnia, quæ ad indigenarum quietem & utilitatem neceſſaria forent, perſpicienda. Poſt diligentem vero cognitionem habitam, cuncta ex bono & æquo componenda, omni vi militum & miniſtrorum tyrannide imprimis ſublata. Sed ante omnia, ut rudibus illis populis doctrinam Chriſtianam ſincere exponerent, maximopere commendavit. Datus eſt illis comes ad ſontes puniendos, & reliqua munia obeunda, Alphonſus Suazus, ob vitæ ſanctimoniam, & Juris peritiam Ximenio notus, tamquam huic muneri apprime idoneus.

XXXVIII. Igitur Hiſpali ſolventes, ad ſancti Dominici urbem ſub extremum Decembrem Monachi pervenerunt; Suazus vero ſub menſem Aprilem inſequentis anni. Hieronymianis apud Franciſcanos diverſari placuit, qui dum pridie Natalis Domini horis matutinis cum hoſpitibus Franciſcanis interſunt, eo calore ex regionis ſitu, quæ non longe a circulo Æquatore diſtat, correpti ſunt, ut ſudare & æſtuare cogerentur. Quo die uvæ e vitibus recens demeſſæ, atque itidem maturæ ficus primis menſis fuerunt appoſitæ. Horum imperio cum multa ſint providenter facta, illud potiſſimum memorabile eſt. Inſulani quos Rex Ferdinandus quibuſdam, qui in Hiſpania degebant, veluti patronis protegendos commendaverat, unde & *commendatarii* vocantur, Ferdinandi actis reſciſſis, prorſus ſunt abſentibus ablati. Erat enim omnino iniquum, ut homines abſentes, otio & deliciis in Hiſpania dediti, potiores haberentur, quam fortiſſimi viri, qui poſt vaſtum mare emenſum, magnos labores in armis tolerarunt, ob religionis, & Hiſpani imperii prorogationem. Itaque Inſulani veterauis militibus pro cujuſcumque labore, & meritis ſunt attributi. Tunc vulgo pro certo habebatur, Inſulanos jure belli ſervos eſſe, quare non ſolum illis imperabant ut mancipiis, ſed ad onera vehenda, tamquam jumentis utebantur.

Qui egregie & pie multa præſtiterunt.

XXXIX. Hieronymiani, Chriſtiani pietate id indignum, & alienum eſſe intelligentes, quamvis non omnino in prima illa cenſura opinionem inveteratam abſtulerint, tamen ut Inſulani in vicos redigerentur, atque ut oppida incolerent, effecerunt. Nam prius nullum illis municipii jus, nullum coloniæ, aut privatarum legum concedebatur, ſed dominorum tantum voluntate, aut ſtabant, aut cadebant. Curatum eſt ergo, ut Divinis myſteriis, & Chriſtianæ religionis documentis per ſacros miniſtros probe imbuerentur, & tyrannica militum ſervitute, qua oppreſſi tenebantur, nonnihil liberati, quoquo modo tamdem reſpirarent. Actum id fuit magnis contentio-

Anno Christi	Leonis X.	Maximiliani Imp.	Religionis Minorum anno 309.
1516.	an. 4. & 5.	an. 23. & 24.	

tionibus; & ut in rebus novis & incertis contingit, non adeo claro & evidenti operæ pretio. Nam cum aliæ Insulanorum divisiones, partim per Columbum Almirantum, partim per Regios ministros jam olim factæ essent, atque nunc idem per Hieronymianos novam hanc tentari milites Hispani conspicerent, conjectantes quod postea fuit, alias atque alias superventuras, donec Insulani solida libertate donarentur, multi malis animis & mentibus præditi, immodicis laboribus Insulanos divexantes, e vita tamdem migrare coegerunt. Horum Patrum potissimum industria artem arundinum mellitarum, totamque illam sacchari conficiendi rationem mirum in modum creviſſe ajunt. Quare in Hispaniam reversi, magno in pretio & honore sunt habiti, ut multarum rerum utilium auctores.

Mittit Ximenius fidei operarios ad Indos. *Herr. cit. c.5.*

XL. Totus intentus Ximenius Indorum conversioni, inter reliqua statuit, ut nulla navis, vel in Indiam ad novas explorandas terras, vel ex una insularum Indicarum ad aliam subjungandam, vel ad liberandos captivos mitteretur, quæ viros religiosos non veheret, quorum industria & zelo gens illa idololatriæ summopere dedita ad Christi fidem converteretur: & quidem ipse sub hoc tempus misit quatuordecim Minoritas, qui ex Picardia in hoc opus venerunt, duce fratre Remigio, qui postquam per aliquot annos in India strenue laboraverat, venit vocatum auxiliares operarios. Inter hos præ aliis effulsit frater germanus Regis Scotiæ ejusdem Instituti, qui zelo propagandæ fidei cum illis transfretavit. Omnibus his, & quibusdam Patribus Ordinis Prædicatorum Ximenius commeatum, & cuncta necessaria abunde ministrari curavit.

Idem cap.8. Præsertim Minoritas.

Et fratrem Regis Scotiæ.

Ab Hispaniola ad alias insulas transfretant Minoritæ. *Torrecrem. l.1. monarc. ind. c.8.* Ex quibus tres occiduntur.

XLI. Rebus ita melius constitutis, & sacri Evangelii multiplicatis ministris, Minores & Prædicatores non solum in Hispaniolæ insula uberiores quam antea produxerunt fructus, Indos per interpretes docendo & convertendo, sed etiam propinquas, aliasque longinquas navigabant terras, miſellis gentibus, quæ in tenebris jacebant, Dei veri lucem invecturi. Periere isto anno in hujusmodi missione tres Minoritæ, Ferdinandus Salzedus, Didacus Botellius, eorumque socius anonymus ab Indiis Caribibus feris & crudelibus, qui summas reputant delicias vesci carnibus humanis, sagittis transfixi, dilaniati & devorati, vestibus in vexilla mutatis.

Ad continentem navigant. Cumanos instruunt.

XLII. Alii Minoritæ ab eadem Hispaniolæ insula ad illam continentis partem, quæ ora Patriæ (vulgo *Costa de Paria*) appellatur, & Cubaguæ insulam prospicit vicinam, unionibus locupletem, transfretarunt, & in urbe Cumana ab Indis humaniter excepti, eos instruxerunt in fide Christiana, quamplurimos aquis intinxerunt baptismatis, pueros docuerunt legere & scribere; & qui in urbe erant præcipui, suos filios eorum tradiderunt disciplinæ, ac Fratribus, quorum vita & conversatio summopere placuit, Cœnobium construxerunt, opus promovente Joanne Garces Fratrum Vicario. Ita demum religiosis moribus, parcimonia vitæ, humili obsequio, filiorumque doctrina, tam Cumanos, quam circum vicinos populos ad sui attraxerunt amorem, ut propter illos universi Hispani bene habuerint, & ubique per illas partes eis tam liber pateret accessus, ut in Hispania nihil amplius possent expetere. At redeuntibus, sive dolo malo quorumdam revocatis in Hispaniam Patribus Hieronymianis, redierunt etiam avari ministri, & inhumani milites ad suas pristinas rapinas, & dominandi libidines, ita ut omnia confuderint, turbarint, & verbo Dei seminando grave posuerint offendiculum.

Conv. Cumanus. Fr. Joan. Garces Cœnobium ædificat.

Herr. cit. c.11. & seqq. Fr. Joan. de Quevedo Episc. Darieni Ministros Regios pacificat.

XLIII. In componendis multorum controversiis, præsertim inter Petrum Ariam socerum Provinciæ Præsidem, ejusque generum Blasium Nunium

nium virum Antelati dignitate, militari gloria, multisque subactis insulis, ac continentis oris maritimis insignem, valde enituit virtus, & auctoritas fratris Joannis de Quevedo Episcopi Darieni Minoritæ. Etenim Nunii famam quotidie excrescentem, populi applausum, regios in eum profusos honores Arias sufferre non poterat, sibi detrahi existimans, quod genero conferebatur; neque filiæ amor, aut vehementes Episcopi persuasiones omnino eradicare poterant ex ejus præcordiis æmulationis aut inimicitiæ fomenta, licet sæpe dissidentes composuerit Episcopus, & aliquoties amicitiam redintegrarit.

Martyres duo Minoritæ in Catalonia. *Diagus lib. 2. c. 38.*

XLIV. Franciscus Diagus in suis chronicis Provinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicatorum refert duos Minoritas hoc anno simul cum altero Ordinis Prædicatorum martyrio fuisse affectos, eorumque memoriam ita haberi in Kalendario sive Martyrologio Conventus Castilionis Empuriarum in Catalonia suæ Religionis, ad diem x. Octobris: *Martyrizatus fuit ab Agarenis frater Jacobus Sampere simul cum duobus Patribus Minoribus, & erat filius Conventus Cæsaraugustæ, anno* MDXVI. Quinam fuerint hi nostri Consodales, aut a quibus vel qua de causa passi, neque apud nostros auctores, neque apud alios reperire potuimus.

Marc. l. 8. c. 41. Mariana de SS. Hisp. lib. 17. c. 25. Fr. Estuniga vir pius Confessarius Ferdinandi Regis Catholici.

XLV. In eodem Principatu Cataloniæ, in religiosissimo Conventu sanctæ Mariæ de Jesu extra urbem Barcinonensem, Principatus præcipuam, decessit circa hunc annum, vel fortassis hoc ipso, frater Estuniga vir pius & sanctus; dicitur enim obiisse dum ad Capitulum Generale proficisceretur. Atqui hoc anno Generalia Comitia Observantum habita sunt Rothomagi, ut jam dicemus, ad quæ fortassis pergebat. Oratinni, & operibus pietatis totus addictus, adeo contentus erat suo pauperculo statu, ut ab eo divelli non potuerit. Ferdinandus Rex Catholicus Hispaniarum, cujus arcanas excipiebat confessiones, unum & alterum ei obtulit Episcopatum, sed constanter renuit accipere. Regressus aliquando ex alio Capitulo Generali, dum iter faceret per loca deserta & incognita, absque ullo commeatu, socius sub vesperam dixit: *Roga pater, ut Deus nobis propitietur, etenim si nox supervenerit, actum fere est de nobis in solitudine, & loco inaquoso. Ne timeas*, inquit Estuniga, *Deus nobis subveniet*; flexisque genibus ad Dominum oravit. Vidit socius e cœlo lucem descendere super locum, in quo a se longiuscule orabat. Prece finita, alacriter pergunt, & nocte concubia brevi pervenerunt ad domum quamdam, in quam peramice recepti sunt. Dum mane surgunt, & itineri se accingunt, monet socius, ut Estuniga gratias hospiti referat propter hospitii caritatem; & ille respondit non esse necessum, atque abeuntes dum retro aspicinnt, neque domum neque ullum prorsus sui hospitii vident vestigium; unde socius intellexit, Estunigæ precibus in illo deserto cœlitus sibi fuisse provisum.

Episcopatus respuit.

Ei miraculose in defecto provisū.

Socio sitienti aquam e terra arida eduxit.

XLVI. Alias eidem socio valde sitienti, fontem non longe abesse dixit, ex quo dum biberet, & paululum progressus regrederetur, ut cucurbitam impleret, terram aridam, ubi prius Estuniga fontem scaturire fecit, invenit. Ad Monasterium Clarissarum de Petris albis ægrotans, translatus est ad prædictum Jesus Cœnobium, transiensque per aulam capitularem dixit: *Hæc regulæ mea in seculum seculi*: prædicens ibi brevi fore sepelien-

Sancte moritur.

dum. Præmissis multis, piisque ad Fratres exhortationibus, sancto fine quievit, & post triennium inventus est in sepulcro integro corpore, facie vivida, barba & capillamentis firmiter hærentibus, per quam similis viventi.

Moritur Vicarius General. Martialis Boulier.

XLVII. Obierat anno præterito magna sodalitii jactura, Martialis Boulier Vicarius Generalis Ultramontanus, cujus vices subiit frater Petrus de

Mon-

Montibus Occæ, Hiſpanus Provinciæ Bæthicæ ſive Granatenſis, qui hoc anno indixit Comitia Generalia in Conventu Rothomagenſi: in quibus ſecundo electus eſt Vicarius Generalis Gilbertus Nicolai, qui tunc erat Vicarius Provinciæ Franciæ. In hoc Capitulo confirmatum eſt ſtatutum de conſtituendo uno dumtaxat Commiſſario Generali in Urbe pro tribus nationibus ultramontanis, & de concedendis ei duobus ſociis ſive ſecretariis ex aliis duabus nationibus a ſua diſtinctis. Amplius etiam declaratum eſt, ex ſua natione adjungendos eſſe alios duos ſocios, qui ei inſervirent, clericum unum, laicum alterum ad arbitrium Vicarii Generalis. Atqui ut hi omnes commorari poſſent in domo quadam, ſancti Antonii nuncupata, in Urbe, cum bona venia Patrum Ciſmontanorum, ne Conventui Aracœli moleſtias ullas aut gravamen afferrent, obtinendam eſſe Pontificis facultatem. Tres Conventus reformati Provinciæ Daciæ Kilonenſis, Flexinſenſis, Huſnanſenſis erecti ſunt in cuſtodiam Kilonenſem Vicario Generali immediate ſubjectam. Commiſſario inſularum Canariæ data eſt poteſtas convocandi Fratres ſibi ſubditos ad Congregationem bis in triennio, in eaque inſtituendi Prædicatores & Confeſſores auctoritate Vicarii Generalis. In hoc triennio defuncti ſunt plurimi Religioſi, quorum numerus exciderat. Inter eos deceſſerunt Joannes Tinctoris, qui bis Provinciæ Scotiæ fuit Miniſter: Ferdinandus de Toleto, qui in eadem Provincia fuit ſemel Vicarius provincialis: & Martialis Boulier, qui ter Vicarii Generalis, ſemel Provinciæ Aquitaniæ Vicarii officiis perquam laudabiliter perſunctus eſt, & viriliter Obſervantiam Regularem contra impugnatores defendit.

Regeſt. Ordin. Vide infra ad finem hujus anni.

Comitia Gener. Obſerv. Rothomagi.

Gilbertus Nicolai eligitur ſecundo Vic. Generalis.

Conſtituitur Cómiſſarius Curiæ in Urbe & qualiter?

Cuſtodia Kilonenſis in Dacia. Commiſſar. Canarienſis.

XLVIII. Hoc etiam anno die XI. Maii Conventualium Capitulum Generale indixit Bernardinus a Prato Miniſter Generalis in nobili & affluentiſſimo Lombardiæ Ciſpadanæ oppido Cherii. Quid in illo actum ſit, nemo recenſet. Cum vero multæ eſſent & interminatæ lites inter Conventuales & Obſervantes, quæ Principibus valde erant moleſtæ, & populis ſcandaloſæ, Leo Pontifex, ut tot turbis finem imponeret, ſtatuit univerſos Ordinis Superiores ad Comitia Generalia in Urbem convocare. Has itaque litteras ad univerſas miſit Provincias.

Capitulum Generale Conventual. Cherii. *Reg. fol. 244.*

Leo Pontif. convocat omnes Superiores ad Comitia Genet.

Dilectis filiis Generali, ac omnibus & ſingulis Provincialibus Miniſtris: necnon Generalibus & Provincialibus Vicariis Fratrum Ordinis Minorum Conventualium, & de Familia, ſeu de Obſervantia nuncupatorum, ultra & citra Montes.

Ex Reg. Ultramont. fol. 21.

XLIX. *Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Romanum Pontificem, Domini noſtri Jeſu Chriſti principis pacis & auctoris Vicarium, ea in primis proſequi condecet, per quæ, extirpatis diſcordiarum radicibus, Divinum honorem, ac Chriſtianæ Religionis tranquillum & pacificum ſtatum non parum promoveri conſtat. Hactenus ſiquidem cum acclamantibus Chriſtianis Principibus, præſertim cariſſimis in Chriſto filiis noſtris Chriſtianiſſimo Francorum, ac Catholico Hiſpaniarum, necnon Angliæ, Portugalliæ, Daciæ Norvegiæque, ac Sclavorum Gottorumque Regibus, multis præterea Fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac etiam dilectis filiis Vicariis, Ducibus, Duciſſis, Principibus, & Electoribus Romani Imperii, Comitibus, gravibus Viris, Locumtenentibus, Præſidibus Provinciarum, & diverſarum Communitatum, & Populorum Communitatibus, Magiſtris civium, Burgi Magiſtris, Conſulibus, Rectoribus & Scabinis, lites, jur-*

Anno Christi 1516.	Leonis X. an. 4. & 5.	Maximiliani Imp. anno 23. & 24.	Religionis Minorum anno 309.

jurgia ac commotiones in veſtro Ordine non ſine gravi ſanctæ Matris Eccleſiæ incommodo, ac tam Cleri, quam populi pernicioſo ſcandalo ortas, cum magna cordis amaritudine accepiſſemus, attendentes hujuſmodi turbationes, quas e medio talli præfati Principes humiliter ſupplicabant, graviora in futuram Catholicæ Eccleſiæ inflicturas vulnera, niſi de remedio provideretur oportuno; Nos Ordinis veſtri, quem a puero tenerrimis amplexati ſumus affectibus, præfatorum Principum piis annuendo votis, cauſas & ſeminaria hujuſmodi jurgiorum ac litium nonnullis ex Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, a nobis in Conſiſtorio noſtro ſecreto ad hoc ſpecialiter deputatis, examinandas commiſimus, quibus per ipſos longo maturæ diſcuſſionis examine diligentiſſime ac fideliſſime digeſtis, relatione ſuper præmiſſis nobis per ipſos facta, Capitulum Generaliſſimum totius Ordinis veſtri indicendum fore, verbo in dicto conſiſtorio facto, decrevimus. Quod quidem exinde auctoritate Apoſtolica, in proximo feſto Pentecoſtes, in ſacra Conventu de Aracœli de Urbe celebrandum, juxta morem veſtri Ordinis aſſignamus. Quodque vos Generalis Miniſter, ac Vicarii Generales omnibus & ſingulis Provincialibus Miniſtris, Vicariis, Cuſtodibus, ſeu quibuſcumque aliis nominibus nuncupatis, Superioribus vobis reſpective ſubjectis, poſt harum receptionem fideliter ſine fraude & dolo, citius ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ intimare debeatis. Quare vobis, & veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ac ſub pœna ejuſdem excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, firmiter præcipimus, quatenus ad dictum Generaliſſimum Capitulum, electis Cuſtodibus vel Diſcretis, ſecundum morem veſtrum reſpective, qui vobiſcum ad dictum Capitulum accedere debeant, legitimo ceſſante impedimento, conveniatis. Mandamus etiam ſub eiſdem pœnis, omnibus & ſingulis Fratribus dicti Ordinis Congregationum fratris Amadei, de Clarenis, de ſancto Evangelio ſive Capucio, ac quocumque alio nomine nuncupatis, reformatam vitam ſub Miniſtris non reformatis ducentibus, quatenus in ſingulis Provinciis, quas nunc inhabitant, duos probos diſcretos, & reformatos Fratres ex ſeipſis, in Congregatione per ipſos in hujuſmodi Provinciis reſpective facienda eligant, qui ad dictum Generaliſſimum Capitulum, ſicut & ceteri Prælati Ordinis habeant convenire. Et quoniam noſtræ mentis exiſtit, omnes diſſidii inter vos arti occaſiones & fomenta, quantum cum Dea poſſumus, ſubtrahere, vos quoque unanimi & pacifica converſatione interea Domino famulari; omnes cauſas, proceſſus, lites, & querelas occaſione domorum ſive locorum, ac Fratrum hinc inde reſpective ablatorum & receptorum, coram quibuſcumque Judicibus, quacumque dignitate etiam Cardinalatus honore fungentibus, tam in Curia Romana, quam extra, ſeu quavis alia occaſione vel cauſa motas, & etiam movendas, in qualicumque ſtatu exiſtant, ſuſpendimus, ſilentium uſque ad dictum Capitulum partibus imponentes: Inhibentes nihilominus Judicibus ac partibus hujuſmodi ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & officiorum ac beneficiorum ſuorum privationis pœnis, ipſo facto, quo contra fecerint, per ipſos incurrendis, ne de dictis cauſis ullatenus cognoſcant, aut cauſas præfatas per ſe vel alios quovis modo proſequantur. Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis factis aut faciendis, ſtatutis quoque & conſuetudinibus dicti Ordinis quacumque auctoritate etiam Apoſtolica confirmatis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Et quia difficile foret, præſentes noſtras litteras ad ſingulas Provincias deferri, volumus, ut earum exemplaribus in Romana Curia auctoritate noſtra impreſſis, per Notarium publicum auſcultatis & ſignatis, eadem fides adhibeatur tam in judicio, quam extra,

quæ

quæ ipſis originalibus, ſi exhiberentur & aliena fuerint, foret adhibenda. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XI. *Julii* MDXVI. *Pontificatus noſtri anno* IV.

Jubet Pontifex ne Inquiſitores procedant contra Minoritas.

L. Conqueſti ſunt Miniſter & Vicarii Generales, Fratres ſibi ſubditos multipliciter gravari ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in Regnis Hiſpaniarum, contra facultates & exemptiones ſibi a pleriſque Summis Pontificibus conceſſas. Duplici Bulla Pontifex confirmata voluit, quæ ſui conceſſerunt Prædeceſſores. Sed hæc omnia nunc irrita ſunt, revocatis omnibus hujuſmodi conceſſionibus per Pontifices poſteriores.

Ad perpetuam rei memoriam.

Reg. Vitremont. fol. 24.

LI. *Solet Romanus Pontifex, Regis pacifici gerens in terris vices, ea quæ per Prædeceſſores ſuos ad obviandum diſcordiis, & pacem fovendam inter quoslibet fideles, præſertim ſub Religionis jugo Domino famulantes, provida ſunt ordinatione ſancita, ut eo firmius inviolata perſiſtant, quo fuerint ſæpius Apoſtolico ſtabilita præſidio, cum ab eo petitur, ſuæ approbationis munimine robarare, & alias deſuper providere, prout fidelium eorumdem paci & quieti conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem a fel. record. Innocentio Papa VIII. prædeceſſore noſtro emanarunt litteræ tenoris ſequentis.* Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ex debito ſollicitudinis paſtoralis officii, cui, meritis licet inſufficientibus, præſidemus, ea quæ pacem & concordiam nutriunt, pura, ac debemus, intentione perquirimus, & quæ ſeditiones excutiunt, & ſcandala introducunt, ab Eccleſiaſticis, Regularis Obſervantiæ præſertim deditis perſonis ſtudioſius extirpare curamus, & his, quæ propterea proinde emanaſſe dicuntur, ut cum tempore firma & illibata perſiſtant, libenter, cum petitur, noſtri adjicimus roboris firmitatem, ac alias deſuper providemus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem felicis recordationis Clemens Papa IV. prædeceſſor noſter ex certis rationabilibus cauſis, prohibuit omnino, ne Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſor contra Ordinis Fratrum Minorum profeſſores, vel e contra, Ordinis Minorum profeſſor contra Ordinis Fratrum Prædicatorum, ex commiſſo vel committendo ſibi in poſterum Inquiſitionis hæreticæ pravitatis officio, quantumcumque ſciret aut exiſtimaret eos reos, aliqua ratione procederet, vel ejuſdem Superiori denunciaret, quod crederet corrigendum, vel ad Sedem Apoſtolicam referret, ſi mallet & videret expedire, & ſi ſecus attentarent, decrevit proceſſum non tenere: Et deinde recolendæ memoriæ Sixtus Papa IV. etiam Prædeceſſor noſter ſtatuit & ordinavit, quod Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſor, dictæ pravitatis Inquiſitor in Ordinis Fratrum Minorum profeſſores, & e contra Fratrum Minorum Ordinis profeſſor ejuſdem pravitatis Inquiſitor in Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſores quoſcumque, officio Inquiſitionis hujuſmodi fungi, illudque exercere nullatenus poſſent abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, de ipſius Sixti predeceſſoris ſtatuto & ordinatione ſpecialem & expreſſam faciente mentionem, prout in eorumdem prædeceſſorum litteris deſuper confectis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Generalis Miniſtri & Vicariorum tam citra quam ultra montes dicti Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, petitio continebat, nonnulli dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſores in Hiſpaniarum Regnis, & aliis dominiis cariſſimi in

Chriſto filii noſtri Ferdinandi Regnorum eorumdem Regis Inquiſitores hæreticæ pravitatis per Sedem Apoſtolicam, ſeu aliter deputati, contra nonnullos dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſores, etiam de Obſervantia nuncupatorum, eorum officium hujuſmodi exercere, inhibitioni prædictæ contraveniendo, quamquam id eis nominatim conceſſum non exiſtat, tentaſſe dicuntur: pro parte Miniſtri & Vicariorum Generalium prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi prohibitioni, ſtatuto & ordinationi prædeceſſorum prædictorum pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur noſtræ approbationis adjicere, & ſuper eorum obſervationem pro quiete perſonarum dictorum Ordinum alias oportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui profeſſorum prædictorum Ordinum quietem, & proſperitatis eorum ſucceſſus paternis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Clementis prohibitionem, & Sixti prædictorum Prædeceſſorum ſtatutum & ordinationem hujuſmodi, & prout illa concernunt omnia & ſingula in dictis litteris contenta, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere, & obſervari debere decernimus: proque potiori cautela ea, quæ per eoſdem Prædeceſſores ſic, ut præfertur, proinde prohibita, ſtatuta & ordinata fuerunt, de novo eadem auctoritate ſtatuimus & ordinamus: ac univerſis & ſingulis Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis prædictis Prædicatorum, & aliorum quorumcumque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium profeſſoribus, & Clericis ſecularibus, tam juxta privilegia ipſorum Ordinum, & illorum Capitula, vel per illorum Prælatos, quam per Sedem Apoſtolicam, ſeu ejus Legatos, vel alias deputatos hactenus, & quos in poſterum quandocumque perpetuis futuris temporibus deputari continget in Regnis & dominiis prædictis, ac alibi ubilibet per univerſum Orbem, ne prætextu cujuſcumque poteſtatis & facultatis eis attributæ ſeu attribuendæ ſuper Inquiſitione hujuſmodi, quantumcumque ampliſſimæ, contra quempiam dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem procedere & inquirere, aut officium ſuum exercere quoquomodo præſumant, præfata auctoritate prohibemus: & ut ſi quos ex ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum profeſſoribus capere, ſeu carceribus mancipare forſan hucuſque præſumpſerint, vel in futurum præſumant, Fratres ipſos ſic captos, intra triduum poſtquam de præſentibus notitiam qualitercumque habuerint, aut requiſiti fuerint, ad ipſorum ſic captorum & detentorum Fratrum Superiores per omnia illæſos & ſine mora, per eos juxta Juris formam, & Regularia inſtituta debitis pœnis puniendos remittant: & quibuſcumque Communitatibus, Univerſitatibus, Collegiis, Capitulis, Conventibus, & perſonis Eccleſiaſticis tam religioſis, quam ſecularibus cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſtant, & quacumque Eccleſiaſtica etiam Archiepiſcopali, Epiſcopali, Patriarchali, Primatiali, vel mundana etiam Comitali, Ducali, Marchionali, vel alia quomodolibet dignitate & auctoritate præfulgeant, ne ut contra dictos Ordinis Fratrum Minorum profeſſores contra prædeceſſorum prædictorum & noſtrarum litterarum hujuſmodi tenorem procedant, inſiſtant, aut ad id auxilium, conſilium vel favorem præſtent, neve illorum ex eis, qui contra earumdem litterarum tenorem detenti nunc & pro tempore forent, relaxationem & remiſſionem hujuſmodi impedire aut malitioſe differre ſeu retardari procurare, & ne fiant perſuadere per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte attentent, prælibata auctoritate mandamus: & illos ex eis, qui Prædeceſſorum prædictorum, ac noſtris prohibitioni, ſtatuto & ordinationi contra-

ve-

venerunt, excommunicationis ſententiam, & privationis officii Inquiſitionis, & aliorum officiorum & beneficiorum, quæ obtinent ſeu poſſident, ſeu pro tempore obtinebunt ſeu poſſidebunt, ac inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda irremiſſibiliter eadem auctoritate incurrere volumus. Et nihilominus locorum Ordinariis & perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ac Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, & eorumdem Ordinariorum Vicariis, & perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, quî deſuper pro parte alicujus profeſſoris dicti Ordinis Fratrum Minorum pro tempore fuerint requiſiti, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel plures aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios, præmiſſa ubi, quando & quoties expedire cognoverint, ſolemniter publicantes, & eiſdem requirentibus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant Inquiſitores præfatos prætextu cujuſcumque facultatis & poteſtatis eis attributæ, ſeu attribuendæ, ſuper inquiſitione hujuſmodi quantumcumque ampliſſima contra quempiam dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem procedere & inquirere, aut Inquiſitionis hujuſmodi officium alias quomodolibet exercere: & ſi quos ex eiſdem Fratribus Minoribus capere, ſeu carceribus mancipare forſan hucuſque præſumpſerint, vel pro tempore præſumerent, Fratres ipſos ſic captos ad ipſorum Fratrum Minorum Superiores per omnia illæſos ſine mora remitti faciant puniendos: & illos, quos hujuſmodi excommunicationis & privationis pœnas, non parendo Prædeceſſorum & noſtris prohibitionibus, ſtatuto & ordinationibus prædictis incurriſſe conſtiterit, eos excommunicatos & privatos publice nuncient, faciantque ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras hujuſmodi iteratis vicibus aggravare, & loca quæcumque, ad quæ cenſuris hujuſmodi ligatos declinare contigerit, Eccleſiaſtico interdicto ſubjicere procurent; contradictores quoslibet & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, quacumque appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem & diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & illis ultra unam dietam a fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur; ſeu ne Judices a Sede Apoſtolica deputati extra ſuam Civitatem & diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque: Seu ſi Inquiſitoribus prædictis, vel quibuſvis aliis, aut eorum Ordinibus a Sede prædicta indultum exiſtat, quod ipſi & eorumdem Ordinum perſonæ ſuſpendi vel excommunicari, aut eorum loca interdici non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem: Decernentes præſentibus litteris numquam intelligi derogatum per quaſcumque clauſulas, etiam derogatoriarum derogatorias, fortiores ac efficaciores, niſi dum & quoties eorum vero & expreſſo tenore de verbo ad verbum, non autem per clauſulas hujuſmodi expreſſionem importantes, contigerit derogari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, conſtitutionis, ſtatuti, ordinationis, prohibitionis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Domini-

CC MCCCCLXXXVI. VI. Idus Martii, Pontificatus noſtri anno III. *Quare pro parte dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia hujuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prohibitionibus, ſtatuto & ordinationi, & novæ conceſſioni, ac ſuper illis confectis litteris prædictis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, noſtræ approbationis robur adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Fratres, & eorum quemlibet a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, ceteriſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate præfata prohibitiones, ſtatutum, ordinationes & novam conceſſionem, ac deſuper confectas litteras prædictas approbamus & innovamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Decernentes illa debere ab omnibus inviolabiliter obſervari, poticrique pro cautela, ea omnia, prout per eoſdem Prædeceſſores prohibita, ſtatuta, ordinata & conceſſa fuerunt, probibemus, ſtatuimus & ordinamus & de novo concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ dictus Innocentius prædeceſſor in ſuis litteris voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat banc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, innovationis, communitionis, decreti, prohibitionis, ſtatuti, ordinationis & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem boc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MDXVI. IV. *Nonas Junii, Pontificatus noſtri anno* IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ibid. fol. 13. LII. *Exponi nobis fecerunt dilecti filii Miniſter & Vicarii Generales totius Ordinis Fratrum Minorum, quod licet juxta Pontificum decreta & ordinationes, præſertim fel. rec. Clementis IV. & Sixti IV. ac Innocentii VIII. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, Inquiſitores hæreticæ pravitatis tam Apoſtolica, quam ordinaria auctoritatibus deputati in quibuſvis mundi partibus, præſertim in Hiſpaniarum Regnis & dominiis conſiſtentes, ſuper crimine dicto hæreſis, & apoſtaſiam hujuſmodi concernentibus, etiam prætextu quarumcumque facultatum & litterarum Apoſtolicarum ipſis Inquiſitoribus, & officio eorum, cum quibuſvis clauſulis quantumcumque fortiſſimis, efficaciſſimis & inſolitis conceſſarum, contra Fratres dicti Ordinis cognoſcere, vel alias de illis directe vel indirecte quovis quæſito colore ſe intromittere non poſſint, cum adjectione cenſurarum Eccleſiaſticarum, & pœnarum aliarum tunc expreſſarum, ſi ſecus a quoquam attentatum foret, prout in litteris deſuper confectis plenius continetur. Nihilominus tamen nonnulli ex ipſis Inquiſitoribus, litteris & mandatis Apoſtolicis contemptis, ultra quam decet, eorum facultates extendentes, & ſatagentes mittere falcem in meſſem alienam, prætendentes aliquos ex dictis Fratribus in ſuis ſermonibus & prædicationibus vel alias aliqua dixiſſe vel feciſſe propter quæ contra eos inquirere deberent, probationes adverſus dictos Fratres ſuper cauſis prædictis recipere, teſtes examinare, & alios proceſſus agitare non verentur, in mandatorum Apoſtolicorum contemptum, ac ſuum & Religionis prædictorum grave præjudicium, perniciоſum quoque exemplum ac ſcan-*

ſcandalum plurimorum. Quare pro parte Miniſtri & Vicariorum Generalium prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſtatuique ſuo de opportuno remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui ad Ordinem *ipſum, illiuſque perſonas in viſceribus cordis noſtri ſingularem gerimus affectum, in præmiſſis providere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Inquiſitoribus præfatis Apoſtolica vel alia quavis auctoritate, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & plenitudine poteſtatis, etiam conſiſtorialiter, in quibuſvis mundi partibus, ſub excommunicationis ſententia, privationis omnium & ſingulorum beneficiorum & officiorum Eccleſiaſticorum quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda, & aliis pœnis in litteris Clementis, Sixti, & Innocentii prædictorum contentis, quas pro expreſſis haberi, & contra facientes eo ipſo incurrere volumus, præcipimus & mandamus, ne de cetero Prædicatores, & quicumque prædicti* Ordinis *Fratres ſuper cauſis prædictis, nec ſuper quibuſvis aliis ſuum Inquiſitorum officium pertingentibus, ſe intromittere, teſtes examinare & alios proceſſus agitare in poſterum præſumant; ſed ſi forte ad aliqua de prædictis hucuſque ſe intromiſerunt, aliquos Fratres capiendo, teſtes examinando, aut ſcripturas recipiendo, Fratres ipſos perſonaliter ad dicta teſtium, ſive principaliter ſive acceſſorie vel incidenter examinatorum, ac quoſcumque proceſſus habitos, & ſcripturas productas ſuper cauſis hujuſmodi quomodolibet concernentes, Miniſtris & Vicariis Provincialibus, aliiſque prædictorum Fratrum Minorum Prælatis ſen Superioribus in locis illis, in quibus præfatos Inquiſitores reſidere contigerit, nullis apud ſe retentis copiis aut tranſumptis vel notis, infra ſex dierum ſpatium, poſtquam præſentium notitiam quomodolibet habuerint, realiter & cum effectu reſtituant, ut Fratres delinquentes, ſi qui forte fuerint, juxta exceſſuum & delictorum exigentiam per Prælatos & alios Superiores dicti Ordinis, ſecundum formam litterarum prædeceſſorum prædictorum caſtigari debeant. Et nihilominus univerſis & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, Cathedraliumque Eccleſiarum Canonicis, necnon Vicariis & Officialibus generalibus, ac eorum cuilibet præcipimus & mandamus, quatenus Miniſtris, Vicariis & aliis Fratribus & perſonis præfatis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant per ſe vel alium ſeu alios, præcepto & mandato noſtris hujuſmodi pacifice frui & gaudere, non permittentes eos, & eorum quemlibet per dictos Inquiſitores aut quoſcumque alios quomodolibet moleſtari; ac cenſuras & pœnas prædictas, dum & quoties opus fuerit, pro parte dictorum Miniſtrorum ſeu Vicariorum prædictorum, vel cujuslibet eorum fuerint requiſiti, aggravare & reaggravare procurent, invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & ordinationibus ac privilegiis, Indultis & litteris Apoſtolicis, Inquiſitoribus & officio hujuſmodi conceſſis, confirmatis & approbatis: quibus, tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus. Ceterum, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula, in quibus fides de eis forſan facienda foret, loca deferre, volumus & dicta auctoritate concedimus, quod ipſarum tranſumptis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, in Judicio & alibi, ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Corneti ſub anulo Piſcatoris, die* XV. *Octobris* MDXVI. *Pontificatus noſtri anno* IV.

LIII.

Frater Quintinus Epiſc. Cluanen.

LIII. Aſſumptus eſt hoc anno frater Quintinus ad Epiſcopatum Cluanen. in Hibernia, ſub Archiep. Armacano, die x. Novembris. Mortuus eſt hoc anno XXV. Novembris Mantuæ frater Nicolaus Graſſottus Patavinus, Epiſcopus Lampſacen. in Helleſponto, ſub Archiep. Parienſi, ſuffraganeus ſeu coadjutor Mantuani Epiſcopi. Sepultus eſt in Eccleſia antiqua Cathedrali ſancti Leonardi, ad lævam Altaris majoris.

Fr. Nicol. Epiſc. Lampſacen.

Conv. S. Alviti. *Rod. fol. 276.*

LIV. Sub hoc tempus conſtructum eſt Cœnobium ſancti Nicolai in oppido ſancti Alviti in Provincia Terræ laboris, & cuſtodia ſancti Benedicti, pro Patribus Conventualibus. Hoc anno conceſſit Leo Pontifex facultatem, ut ei applicaretur beneficium rurale ſanctæ Mariæ del campo cum aſſenſu Dom. Raymundi de Cardona Comitis Alviti, ad quem ſpectabat jus patronatus. Hoc eodem anno Beatrix Comitiſſa Aquini, in loco Roccæ ſiccæ ſuum palatium convertit in eorumdem Patrum Conventum ſub eadem cuſtodia. Sub hunc annum incolæ Cupertini oppidi in Apulia communibus ſumptibus domum ædificarunt Fratribus Obſervantibus, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Caſulis, aliquantulum ab oppido diſtantem.

Conven. Roccæ Siccæ. Conv. Cupertini. *Gonz. in Provin. S. Nicol. Conv. 15.*

Conv. Antip. *Idem in Provin. S. Ludovici Con. 28.*

LV. Non longe a Varo flumine, in littore maris Mediterranei, prope inſulam Lyrinenſem, illuſtris erat urbs Antipolis, Sede prætoria Romanorum, theatro, fontibus magniſque columnis olim inſignis, ſed nunc a tanto ſplendore longe recedens. In ea curavit iſthoc anno Conventum Obſervantum fabricari ſub titulo Dominæ noſtræ de Angelis, frater Petrus Saxi, Commiſſarius Provinciæ ſancti Ludovici. Fundum ſuppeditavit Anthea Hugolina relicta Honorati Hugolini. Primum lapidem fundamentalem jecit Petrus Lambertus, Epiſcopus Venuſinus, nepos Antheæ præfatæ, aſſiſtentibus Joanne de Seva, & Gaſpare de Grimaldis Dominis Antipolitanis. Anno Domini MDXX. die XII. Maii inchoata eſt Eccleſia expenſis Renati, patris Claudii Comitis de Tenda, magni Magiſtri Franciæ, & anno MDXXXII. Kal. Octobr. conſecrata per Petrum Ranelli Epiſcopum Ebroniſſenſem Minoritam, Provinciæ Franciæ alumnum.

Fr. Petrus Epiſc. Ebroniſſen.

Conv. Bellimontis. *Idem in Provin. Aquit. antiq. Conven. 13.*

LVI. In Aquitania extra oppidum Bellimontis, vir pius Joannes Cedraillus, ex voto, aſſentientibus Leone Pontifice, & Franciſco I. Gallorum Rege, hoc anno Conventum Obſervantum erexit. Sæpe tamen ab anno MDLXI. incendia, rapinas, magnaſque moleſtias hæreticorum perpeſſi Fratres, anno MDLXXXVII. ſe receperunt ad xenodochium, oppidi vallo recinctum, ab oppidanis ultro collatum. At eodem oppido proditorie ab hæreticis capto, xenodochium, Fratribus in vincula conjectis, conflagravit: Illis liberatis, & profectionem parantibus, Catholici viri, quibus illic licuit remanere, domum quamdam contulere, donec Conventum aut xenodochium præfata poſſent recuperare.

Mon. Cremonæ. *Rub. pagin. 72. Gonz. in Provin. Bonon. Mon. 9.*

LVII. Dyptica tabula Epiſcoporum Cremonenſium a Blaſio Rubeo edita, hoc ipſo anno conſtructum ait intra mœnia urbis Cremonenſis Monaſterium Clariſſarum, *a Pace* nuncupatum: Ædificando Monaſterio aſſenſum præbuiſſe hoc anno Leonem Pontificem, ſed circa illa tempora erectum ſcribit Gonzaga, & a Patribus Amadeis gubernatum. Etſi nobile ſit Monaſterium, quinquaginta ferme Sororum domicilium, nihil amplius circa illud nobis occurrit narrandum.

Mon. Ulmeti. *Gonz. in Provin. Concept. Monaſt. 22. Mon. MSS. hujus Prov.*

LVIII. Ulmeti (quod Abulenſis diœceſis oppidum eſt inſigne, ab Abula tredecim, a Valliſoleto ſeptem diſtans leucis) ſub hunc annum Alphonſus Paternus Jacobianæ militiæ eques & commendatarius, atque Eliſabetha Velaſquez conjux, in honorem Conceptionis Deiparæ Virginis Monaſterium conſtruxerunt intra mœnia prope Cœnobium Franciſcanorum.

Con-

Anno Christi	Leonis X.	Maximiliani Imp.	Religionis Minorum anno 309.
1516.	an. 4. & 5.	an. 23. & 24.	

Conſtitutis amplis reditibus voluerunt ut tredecim virgines gratis & abſque ulla dote perpetuo illic reciperentur. Floruerunt hic magna pietate multæ Sorores, præſertim Gratia Botellia, io orationis ſervore ſæpe mentis exceſſum experta, & quæ paulo ante mortem ex valetudinario in odæum ſuis pedibus deſcendit, Chriſti corpus pro viatico ſumptura, eoque accepto, in cellam regreſſa, paulo poſt expiravit anno MDLXXXIV. vultu dum viveret, deformi, poſt mortem ſpecioſo. Catarina de Ergote, paupertate, humilitate, orationis ſtudio, mira in ægrotas caritate, erga ſanctam Annam Chriſti Domini aviam ſingulari cultu egregie commmendabilis, anno MDXCIV. defuncta. Antonia de Bracamonte, inſigni pollens ingenii acumine, ingenua etiam ſinceritate, nullius verbum aut factum ſiniſtre judicavit. Multis modis corpus affligebat, aſſidua io choro, aliquando in oratione perſiſtens, integras noctes ducebat inſomnes. Per totum Adventus & Quadrageſimæ curſum ſuper nudas tabulas dormiebat. Præſciens ſe morituram, Confeſſionem trium dierum præmiſit, opportunis intervallis curavit ſibi dari Euchariſtiæ Extremæque Unctionis Sacramenta, neque medicum mortis ſecura voluit admittere. Morti proxima, Antiphonam illam, quæ in feſto beatæ Agnetis recitatur: *Ecce quod concupivi jam video*, ſibi legi popoſcit: qua audita, in abyſſum contemplationis abſorpta, per tres dies ſopitis ſenſibus elinguis permanſit, demum in ſe reverſa, faſſa eſt Chriſti matrem in conſpectum veniſſe. Ludovica de Olmedilla, aſſidua oratione, lacrymarum frequentia, & perpetuo erga infirmas obſequio inſignis, ſtatutis anni temporibus, pro Sororibus Fratribuſque vicinis bellaria, varia ex ſaccaro condimenta languentis ſtomachi irritamenta præparabat, & ſecreto mittebat, nullas exinde gratias aucupatura. In his & comparandis rebus cultui Divino neceſſariis, quidquid habebat, impendebat. Divo Joanni Evangeliſtæ addictiſſima, in ejus feſtivitate poſt auditum ſacrum, ægrotare cœpit, & tertio poſt die anno MDCIV. pie deceſſit.

Gratia Botellia.

Catarina de Ergote.

Antonia de Bracamonte.

Ludovica de Olmedilla.

LIX. Hoc anno erectum Lovanii in Belgio Monaſterium Clariſſarum per generoſam Dominam de Beloys, non expreſſo illius nomine, ſcribit Gonzaga. Alii hoc factum dicunt anno MDXIII. per nobilem matronam viduam Joannis Poloiſii Equitis, Catarinam Oppendorpiam, quæ etiam locum ſeu ſitum conceſſit. Conſtructa eſt domus pro triginta Sororibus: ſed cum earum pietas & fama ſanctitatis excrevit, numerus etiam increvit. Primæ Sorores e Monaſterio in Hoocſtrato, quod ex laudatiſſimo illo ſanctæ Claræ Trevirenſi originem duxit, prodierunt, Urbaniſtæ reformatæ nuncupatæ, ſecundam Regulam Clariſſarum profitentes. Claruerunt hic plures rara pietate Virgines, de quibus ſoror Anna Bogartzia nata Turohonti, Brabantiæ municipio, cui frater Martinus a Turohont, Lovanienſis Cœnobii vir optimus, erat a confeſſionibus, qui ſalutaribus monitis in ſanctitate confirmatam eo adduxit, ut Chriſti amore vehementer accenſa, ſæpius in extaſim raperetur, nihil ſentiens rerum ſenſibilium. Humilitate & obedientia, abnegatione ſui, paupertatis amore, ceteriſque virtutibus ad ſublimem ſanctimoniam pervenit. Scivit ipſo momento, fragrantiſſimo afflata odore, mortem Patris prædicti.

Mon. Lovanii. *Gonz. in Prov. Germ. infer. in fine. Sedul. in Mon. MSS. ejuſdem Prov.*

Anna Bogartzia.

LX. Nicolaus Comen & Margarita a Lotharingia conjuges in ſuburbiis urbis Lavalenſis, Monaſterium conſtruxerunt præclara ædificii ſtructura ornatiſſimum, pro triginta Sororibus Tertiariis, quæ *Leoniſtæ* appellantur, propter facultatem & privilegia a Leone X. illis conceſſa. Libere egrediebantur, donec perſuaſione Minorum, qui in illa urbe commorantur, clauſuræ perpetuæ ſe obſtrinxerunt.

Domus Sororum Tertii Ordinis Lavalenſis. *Gonz. in Prov. Turon. Pitſæus. Mon. a.*

LXI. In

Anno Christi	Leonis X.	Maximiliani Imp.	Religionis Minorum anno 309.
1516.	an. 4. & 5.	an. 23. & 24.	

Domus Sororum Villæ longæ. *Idem in Provin. Portug. Mon. 17.*

LXI. In Luſitania & Archiepiſcopatu Ulyſſiponenſi, inſigne eſt oppidum Villæ longæ, atque intra illius ſepta domus Sororum Tertii Ordinis, ſub titulo Dominæ noſtræ de *Poteſtatibus*. Ortum habuit a pia fœmina Beatrice a ſancto Franciſco, quæ a viri lege ſoluta, ex facultatibus ſibi relictis a patre Hectore Mendio, ſitum conferente, Monaſterium conſtruxit ſub regimine Henrici Cardinalis, tunc Archiepiſcopi Ulyſſiponenſis, demum Regis Luſitaniæ. Ipſa viſione præmonita, habitum a Marco Ulyſſiponenſi, Epiſcopo Portuenſi, benedictum ſuſcepit, & anno MDLXVI. cum aliis ſeptem nigro velo aſſumpto, jubente Cardinale, ſe commiſit curæ & regimini Miniſtri Provinciæ Portugalliæ. Illuc tranſiens Franciſcus Gonzaga totius Ordinis Miniſter, viginti ſex, quæ tunc domum illam inhabitabant, ad ſolemnem votorum profeſſionem, quam Tertiariæ Franciſcanæ emittunt, admiſit: quod & ipſe in hujus Cœnobii recenſu commemorat.

Privilegia Pontificia.

LXII. Omnes hujus Inſtituti Sorores ſub Regula & in Congregatione viventes, ſubjecit Pontifex regimini Obſervantum: *Nuper per alias noſtras*. die XII. Martii. His Sororibus Clariſſis primæ & ſecundæ Regulæ, Monialibus Ordinum Conceptionis & Annunciatæ indulſit, ut ingreſſum in ſua Monaſteria denegent quibuſcumque perſonis, etiam auctoritate Apoſtolica ſuffultis, quas judicaverint ab ingreſſu repellendas: *Exponi nobis fecerunt*. die XXII. Decembris. Licentias omnes & facultates quaſcumque, quarum prætextu Fratres extra Conventus divagabantur, revocavit, omneſque ad ſua clauſtra redire præcepit: *In ſupremæ dignitatis*. die VIII. Januarii. Criminoſos vel ſcandaloſos, doloſe aut fraudolenter profeſſionem emittentes, & ſua crimina reticentes, e Religione jubet expelli: *Cum ſicut nobis*. die XV. Martii. Cum dubitaretur an ex vi ordinationis factæ in ultimo Capitulo Generali, tenerentur Provinciales ad celebrandum infra ſuum triennium unum vel binum Capitulum, Pontifex decrevit unum tantum cogi debere, ſecundum arbitrium Vicariorum, & Capitulorum Generalium: *Pro parte tua fuit nobis*. die VII. Aprilis. Litteræ directæ ſunt Vicario Provinciæ Bæticæ ſive Granatenſis, Petro de Montibus Occæ, tunc munus exercenti Vicarii Generalis defuncti.

ARGUMENTUM.

Moritur Cardinalis Franciſcus Ximenius, in vita & poſt mortem celeberrimus. Coactis Comitiis Generalibus ad Aramcœli in Urbe, eligitur ex cœtu Obſervantum Miniſter Generalis totius Ordinis Chriſtophorus a Forolivio, in quem etiam Ordinis ſigilla transferuntur. Patres Conventuales Magiſtrum Generalem ſibi cooptant Antonium Marcellum Cherium Dalmatam. Articuli pacis & concordiæ inter utramque familiam ſtabiliendæ, a Pontifice confirmantur. Forolivienſis poſt paucos menſes creatur Cardinalis, ſed Ordinis retinet gubernium uſque ad Comitia Generalia anni ſequentis. Pie decedunt Jacobus Ungarellus Patavinus, Thomas & Antonius Corſici, Laurentius a Ripariegos Hiſpanus. Martinus Valentinus, inſignis fidei Catholicæ propagator, incipit in Hiſpania clarere, quando Martinus Lutherus apoſtata in Germania incipit inſanire. Initiantur Epiſcopi, multiplicantur Cœnobia.

Gomeſ. lib. 7. de reb. Ximen.

I. FRANCISCO Cardinali Ximenio annus hic & fatalis fuit, nam & ſub ejus finem ſatis conceſſit, & curarum ferax. Varios Regulorum motus, difficiles exitus, populares denique tumultus habuit, quibus to-

Anno Christi	Leonis X.	Maximiliani Imp.	Religionis Minorum anno 310.
1517.	an. 5. & 6.	an. 24. & 25.	

tota Ximenii prudentia occurrendum fuit. Malorum ſeminarium procrearunt nimia Caroli Regis inter ſuos Belgas mora, ingens pecuniæ ex Hiſpania in Belgium tranſportatio, aulicorum miniſtrorumque Caroli inſatiabilis auri Hiſpanici ſitis, ſacerdotia & officia tum publica, tum privata externis hominibus, & Hiſpanis nonnullis parum idoneis collata; quæ in ſuum damnum, & Reipublicæ fraudem fieri populi paſſim clamitabant. Cuncta hæc prævidebat Ximenius futura, dum Carolus tenero patriæ amore ægre patiebatur ex Belgio in Hiſpaniam evocari, dum Regni moderamen illius gentis hominibus, a quibus erat enutritus & inſtructus, Hiſpanicarum rerum imperitis committebat; quare admonere Carolum non deſtitit, ſuum adventum in Hiſpaniam maturare, atque interim ſua virtute, & potentia, malis inceſſanter occurrere. Ut ergo cauſas omnes morarum tolleret, claſſem apparatiſſime inſtructam ad Regem, omnium votis, ſed ſuis præſertim exoptatiſſimum, in Hiſpaniam deducendum mittit. Ipſe vero quo Regi advenienti maturius occurrere, & rebus diſponendis præſto eſſe poſſet, quamvis corpore imbecillo, Regium comitatum, & Ferdinandum Principem Caroli fratrem, Madrito movet, & Arandam, ad Durium flumen ſitam, contendit. Placuit illud oppidum ob multa, ſed ob vicinum Cœnobium Franciſcanum, præcipue amœniſſimo in loco ædificatum ad Aquileram vicum, quod ejus valetudini aptiſſimum putabat.

Caroli Regis inter Belgas mora Hiſpaniæ perniciola.

Ut inde diſcedat ſuadet Ximenius.

II. Arandæ ineunte Septembri, de Ferdinandi Principis Magiſtro, Pædagogo, & pleriſque aliis Miniſtris amovendis ſollicite cogitavit. Nihil enim tam curavit Ximenius, quam Carolo Regnum conſervare, & pacificum tradere. At qui Ferdinando aderant Miniſtri, & præſertim frater Alvarus Oſorius Aſturicenſis Epiſcopus, qui juvenculum primis litteris inſtituerat, ægerrime ferebant Ximenii ſedulitate omnem ſpem Ferdinando adimi res novas in Hiſpania moliendi; mirum enim in modum concupiſcebant occaſionem aliquam offerri, qua ille rerum ſumma potiretur. Erant quoque qui affirmabant, eos puerum in Aragoniam transferre velle, & ibi Regem conſtituere. Nam Aragonios, Ferdinandi Catholici memoria, cui puerum unice carum fuiſſe cognoverunt, facile in eam ſententiam pertrahendos eſſe exiſtimabant. Audiebat inſuper Caroli adventum in Hiſpaniam Ferdinandi familiaribus non placere, & Belgarum mores ab illis palam culpari, Ferdinandi vero indolem & ingenium illos exoſculari & prædicare, & Hiſpaniæ delicias appellare: per quæ dubitabat, mobile vulgus ea ſpe foveri excitarique poſſe, ut aliquando ſuum Regem acclamarent. Operæ pretium itaque duxit eos honeſta miſſione a Ferdinando quam longiſſime amandare. Conſilium hoc ſibi a Ximenio ſcriptum Carolus probavit, ſcriptiſque litteris, ut præcipuos Ferdinandi Miniſtros dimitteret, & circa reliquos auctoritate regia diſponeret, præcepit. Etſi vero Caroli præceptum veredarii culpa prius innotuerit aliis, ipſique Ferdinando, quam Ximenio, omnemque moverit juvenis lapidem, ne ſolatio ſibi cariſſimorum privaretur, impetrare non potuit, quin tres de triginta veteres miniſtri ab ejus latere amoverentur, & ipſe Marchioni Aquilario inſtituendus traderetur. Ob rem tam celeriter confectam, omnes admiratio invaſit, & religioſe curabant, qui dimiſſis ſubſtituti ſunt, officia ſibi præſcripta peragere, ut a Ximenio probarentur. Erant qui rigide nimis cum Ferdinando actum ſubmurmurarent, ſed ſeniores, & ex Senatu Regio præcipui, quos uſus ac rerum prudentia edocuerat, rerumque eventus attentius contemplabantur, Ximenii factum, ut Reipublicæ neceſſarium, maxime laudabant.

Ferdinandi Principis mutat miniſtros.

III. Poſt hæc, cum varia valetudine apud Aquileram Ximenius afflicta-

Apud Franciſcanos Aquileræ graviter ægrotat.

ſtaretur, viſceribus gravius affectis, quorum in ſenibus difficilis ſemper fuit curatio, magis de ejus ſalute timere familiares & amici cœperunt. Fama igitur crebra jactaverat, Ximenium morbo lethali laborantem, in Cœnobio Franciſcano abditum, Reipublicæ curam prorſus abjeciſſe. Quod ut in Bætica vulgatum fuit, indeque in Africam delatum, Petrus Gironius Luzerum Aſſidonenſis Ducatus oppidum continuo invadit. Mauri cuncta, eo ægrotante, negligentius curari exiſtimantes, oram maritimam Granatæ proximam infeſtare audacter tentaverunt. Turcæ, qui nuper Algerium occuparant, Horuſcio Barbaroſſa Duce, Oranum Ximenii decus & trophæum, magna vi militum adoriri deſtinantes, ipſum propediem invaſuri nunciabantur. At Ximenius, qui animi vigore, quantumvis corpore debilitato eſſet, numquam deſtituebatur, ad Gironii motum comprimendum, qui mille & quingentis peditibus ex agro Urſaconenſi congregatis, apud Moronum alias copias convocabat, Quignonio Lunæ Comiti, Hiſpaliſ præfecto, Reipublicæ præſidiis accerſitis, juſtum exercitum cogat, jubet, eoque in Gironium feratur, donec aut captum ad ſe vivum perducat, aut interimat. Id a Quignonio ita præclare actum eſt, ut Gironius Pater ſuppliciter filii errorem & peccatum deprecaretur, & Gironius filius ſtatim ab armis receſſerit. Ex Mauris vero, qui ad tercentum in terram deſcendentes, ex maritimis oppidulis prædas agebant, quinquaginta dumtaxat elapſi, ceteri capti aut occiſi ſunt. Ceterum, de Orano tanquam de propria ſollicitus Provincia, omnia neceſſaria urbi propugnandæ providit; eaque Didaco Fernando Comario Marchioni, Orani Præfecto præcepit, per quæ urbem fortiter contra ingentem Turcarum numerum defendit, donec Numidarum ſubſidio Turcæ profligati ſunt, & obſidio ſoluta.

Inde exorta pernicioſa molimina.

Univerſa diſſipat Ximenius.

IV. Carolus ſub hoc tempus v. Kalendas Octobris e Belgio ad Tazones, Aſturiæ oppidum appulit: quo exoptato nuncio exhilaratus Ximenius, quem morbus ingraveſcens per eos dies immodice afflixerat, longe valentius habere cœpit: atque ita priſtinæ ſaluti nonnihil reſtitutus, qui paulo ante lecto decumbebat, tv. Nonas Octobris, qui dies Divo Franciſco dicatus eſt, ſacra ad aram aſtans celebravit, & communi menſæ, quam refectorium vocant, cum Sodalibus Franciſcanis accubuit. Sed hæc ut Carolo perquam grata erant, qui animo vere regio, Ximenio de ſe tam multipliciter benemerito multum deferebat, & crebris nunciis Abulenſem Epiſcopum, fidelem Ximenii ſocium & amicum hortabatur, ut in eo recreando & reſtituendo accurate, ut faciebat, occuparetur; ita aliquot ex Belgis moleſtiſſima fuerunt, qui illum omnino ſublatum e medio cupiebant, priuſquam in colloquium cum Carolo veniret. Videbant hominem maximæ auctoritatis, & ob res geſtas ſummo apud Regem in pretio habitum, omnia ex ſua voluntate confecturum: ipſoſque ſtatim, quod palam Ximenius parum conſiderate ſæpiuſcule inter familiares dixerat, & in notis arcanis ad Carolum ſcribens, ſubindicaverat, a regiis conſiliis eſſe deturbandos. Non ceſſabat ille interea per crebras litteras Regem admonere, quid in ſingulis rebus facere, quo pacto in obviis excipiendis pro dignitate ſe gerere deberet.

Carolus Rex in Hiſpaniâ appellit.

Ximenium diligit.

Non item Belgæ.

V. Hyeme demum apud Aquiſeram paulatim rigente, Ximenius Roam, Comitis Sirvelani oppidum, a Pintia non adeo diſtans, xvi. Kalendas Novembris profectus eſt, & Carolus Pintiam ſuæ Curiæ ſtabiliendæ, & Conventibus habendis delegit, ubi etiam Ximenio hoſpitium præparatum fuit. Scripſerat autem Carolus Ximenio, ut ad Morados, Antiſtitis Segovienſis oppidum, occurreret, de Reipublicæ ſtatu locuturus, conſilium-

Anno Christi 1517.	Leonis X. an. 5. & 6.	Maximiliani Imp. an. 24. & 25.	Religionis Minorum anno 310.

liumque de rebus privatis componendis, totaque familia conſtituenda daturus. Pridie quam Regis litteræ pervenirent, Ximenius ſub veſperam febri laborabat, atque idcirco Caroli litteræ ei datæ non ſunt, ſed ad regium Senatum remiſſæ. Eo ipſo die magnum ſuſcepit febris incrementum, unde judicarunt medici paucos vitæ dies ſupereſſe. Ubi ille ſe mori ſenſit, vitæ ſanctiſſime actæ præclara documenta dedit. Nam quamvis corpore nimis afflicto & debili, animo tamen & judicio firmo, de rerum humanarum inſtabilitate & vanitate, de immenſa Dei miſericordia, apud ſuos brevi quodam ſermone pie & docte diſſeruit. Deinde Chriſti crucifixi ſignum, quod ſemper ſub veſte brachio alligatum geſtabat, complexus, veniam a Deo multis lacrymis efflagitavit, vocans interim in ſuum patrocinium Divos omnes; ſed ante alios Deiparam virginem Mariam, Michaelem Archangelum, Petrum & Paulum Apoſtolorum Principes, & Jacobum Hiſpaniarum patronum, Divum etiam Franciſcum, ſub cujus Inſtituto vixerat, & Toletanæ Eccleſiæ præſides Eugenium & Ildephonſum. Quæ tanta ab illo pietate atque animi Chriſtiani affectu dicebantur, ut circumſtantes amici lacrymas tenere non potuerint. Ergo poſtquam religionis ſacra omnia a ſe poſtulata juſtis intervallis piiſque precibus abſolvit, ſubinde verſus illos Davidis repetens: *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum*; &, *conſerva me Domine, quoniam ſperavi in te*. Prolatiſque ex imo pectore illis verbis: *Sancta Maria: quanta apparet rerum Hiſpanicarum turbatio*! prænuncians ingentem funeſtamque illam, quæ paulo poſt ſequuta eſt, Urbium & Communitatum commotionem, Antiſtes digniſſimus & clariſſimus, qualem futura ſecula iſtis temporibus invidebunt, animam efflavit VI. Idus Novembris, die Dominico, anno ætatis circiter octogeſimo, Pontificatus vigeſimo ſecundo: cunctis qui aderant, mœſtiſſimis, fletus ingens obortus eſt, qualem patronum, qualemque dominum amitterent, inclamantibus.

Febricitat Ximenius.

Morti ſe præparat.

Chriſtiane moritur.

VI. Cadaver unguentis & aromatibus conditum, undique catervatim confluentibus populis, ſumma pietate *Beatum* inclamantibus, lacrymis, pedum oſculis, & veſtium contactu funus proſequentibus, Complutum, ubi ſe humari juſſit, deportatum eſt. Academia temporarium ſacellum, undique gradibus funebri veſte ſtratis cinctum, & in eo cœnotaphium ad portam Burgenſem conſtituerat. Ut autem proxime adventare cognitum eſt, juventus ſtudioſa, Cœnobitarum Fratrum Collegia, Ordines litterarii, omnes mœſtiſſimi, poſtremo Michael Carraſcus, iterum Rector, Patribus Theologis collegiſque ſuis comitatus, obviam ad ſacellum proceſſerunt. Altera ex parte Abbas & Capitulum ſanctorum Juſti & Paſtoris advenere; funeſta etiam & atrata Ximenii familia paulo poſt aceeſſit. Tantiſper eo in loco conſtiterunt, dum preces aliquot funebres, & carmina expiandis manibus accommoda, tam Capituli, quam Collegii Sacerdotes mœſtis rythmis incinuerunt. Contentio illico inter Canonicos & Collegas exoritur, dum utrique Ximenii cadaver ad ſuum fanum deducere cupiunt. Eam ægre Abulenſis Epiſcopus compoſuit, qui prolatis teſtamenti tabulis, D. Ildephonſi, ad Collegium Complutenſe, ædem ſuæ ſepulturæ Ximenium deligere recitans, tamdem Capitulo, ut deſiſteret, perſuaſit.

Complutum defertur.

Ad ædem S. Ildephonſi ſepelitur.

VII. Multum a Ximenii voluntate Abulenſis, teſtamenti executor in parentalibus celebrandis deflexit: nam cum Antiſtes religioſiſſimus palam in teſtamenti principio prohibuiſſet, ne quid ſuperbæ vanitatis, aut vulgaris ambitionis & arrogantiæ in ejus funere fieret, ampliſſimum ut eſſet curavit. Sirvelus Theologus de ejus laudibus, & inſequentium temporum deploratione concionem habuit. Dies quo humandus Complutum infertur

Nobili ei parentatum funere.

D. Eugenio primo Archiepiſcopo Toletano, longa olim majorum religione, non modo in Toletana diœceſi, ſed per univerſam tam Hiſpaniam, quam Galliam ſacer eſt. Quam ob cauſam Rector & Theologi patres, qua pietate in Divum ſanctiſſimum Ximenius ſuiſſet non obliti, in cujus, & Divi Ildephonſi tutela ſuam Academiam eſſe voluit, lege caverunt, ut eo die ſacris anniverſariis conditori Ximenio parentaretur, fierentque exequiæ ampla & illuſtri pompa, concione etiam habita in ejus laudem, quemadmodum quotannis celebrari videmus. Sepulcri vero monumentum, quo eſt conditus, e Lunenſi marmore candidiſſimo factum eſt, in quo ejus ſimulacrum indumentis Pontificiis, & paſtorali pedo ornatum viſitur, multaque alia ſigna rerum variarum in ſepulcri lateribus, tam molliter omnia ſculpta, ut Praxitelis; aut Phidiæ manibus ducta videri poſſint. In ſepulcri fronte hoc inſculptum eſt Epigramma.

Ejus Monumentum.

Condideram Muſis Franciſcus grande Lycæum,
Condor in exiguo nunc ego ſarcophago.
Prætextam junxi ſacco, galeamque galero,
Frater, Dux, Præſul, Cardineuſque Pater.
Quin virtute mea junctum eſt diadema cucullo,
Cum mihi regnanti paruit Heſperia.

VIII. Anno ab Academia Complutenſi condita quinquageſimo octavo, Alphonſus Mendozius Rector (ſub cujus auſpiciis Alvarus Gomeſius octo libris ſatis copioſis Ximenii vitam & geſta complexus eſt, ab eo honeſtiſſimo præmio affectus) ferreis cancellis miro opere elaboratis, monumentum cingendum curavit, ſedecim, quibus licuit, ſpatiis totam Ximenii vitam cælaturis præclaris oſtentantibus. Procero fuit Cardinalis corpore, firmo tamen & compacto, inceſſu compoſito innatam gravitatem præ ſe ferente, voce virili & ſtabili; qualis in heroibus a Poeta laudatur, facie oblonga & macra, fronte ampla ſine ullis rugis, oculis mediocribus, conditis potius quam eminentibus, acutis tamen & acribus, ſed uvidis, quales eſſe lacrymantium ſolent; naſo oblongo & adunco, quem Græci *grypum* vocant, narium foraminibus latis, ampliſque, dentibus pene junctis, ſed caninis prominentibus, unde a ridiculis paraſitis elephantus vocabatur, labris craſſioribus, & aliquantulum diductis, nam ſuperius nonnihil attollebantur, ſed citra deformatitatem; infimis auriculis non pendulis, ſed perpetua ſerie ad maxillarum junctiuras hærentibus; ſuperiore totius corporis parte longior erat, quam inferiore, ſeſquitertia ferme proportione. Anno MDXLV. Andrea Abbate Rectore, cum fornix ſubterraneus, in quo Ximenii cadaver conditum fuerat, reficeretur; ejus calva foras ad lucem deducta fuit, quæ nullis futuris compacta erat, ſed oſſe continuo conſtabat, qualem aliquando in homine reperiri Ariſtoteles notat. Animi ſententiam brevi explicabat; reſpondebat diſerte, nec unquam extra rem vagabatur; erat enim verborum parciſſimus, etiam cum iratus minabatur. Nam cum beneficii loco aliquid promittebat, multo liberalius rem ipſam præſtabat, & cumulatiorem quam verbis: neque unquam temere, præſertim de rebus ſeriis, ſermonem faciebat: ſæpeque illud Ciceronis uſurpabat, nequaquam ita nos a natura generatos eſſe, ut ad ludum & jocum facti exiſtimaremur, ſed ad ſeveritatem potius, & ad quædam ſtudia graviora.

Corporis deſcriptio. *Hom. Iliad. 5.*

Illius cranium.

Hiſt. animal. l. 1. cap. 7.

Ser.mo.

De officiis cap. 29.

IX. Illius mors ut fuit bonis, & Reipublicam amantibus gravis & acerba, ſic malis hominibus & ſeditioſis jucunda. Nam, cum quoſdam Senatores Regios Senatu ejeciſſet, & alios, ut merebantur, ignominia notaſ-

Ejus mors perversis jucunda.

taſſet: & inferioris nobilitatis hominibus ſalaria Regia, quibus ut inutiles fuci fruebantur, abſtuliſſet; potentiores vero antiquis ſtemmatibus, & ditionis amplitudine ſuperbientes, ex æquo cum ceteris vivere primus omnium edocuiſſet, fieri non potuit, quin illo ſublato, gaviſi fuerint. Mors enim utcumque accidat, quibus ob damna aut injurias illatas male volumus, in vindictæ locum libenter accipitur: quamquam generoſos homines, in æmulorum aut inimicorum morte & doluiſſe, & præclaras illorum virtutes laudaſſe, accepimus; carent enim odio & invidia. Certe Fridericus Albanus Regulus, quo cum Ximenius non ſemel acriter contenderat, miris laudibus poſt mortem efferebat, unumque fuiſſe Ximenium affirmabat, in quo priſcum illud robur eluceret, quo Hiſpani olim excellebant.

X. Litteris mire videbatur recreari, quarum ſemper fuit ſtudioſus. Solemne hoc illi fuit, ut a prandio & cœna, doctæ quæſtiones, de rebus præſertim ſacris, proponerentur, de quibus Viri eruditi, qui ſemper illi aderant, diſputarent. Audiebat etiam dialecticas juvenum dimicationes: bonum enim agricolam non minus delectari novis dicebat virgultis, quam arboribus jam fructuoſis. Atra bile nonnumquam vexabatur, quo tempore negotiis ſe ſubtrahebat, neque temere ab aliis, quam ab intimis conveniebatur. Nihil unquam gravioris conſilii aut operæ aggreſſus eſt, quin prius ad Canonicos Toletanos referret: quibus cum re communicata, Deum precari jubebat, ut negotium fortunaret. Nam Africanam expeditionem facturus, & Arandam cum Regio Senatu profecturus, Toletum ad Patres venit, quibus conatus & conſilii ſui rationem edidit. Quod ſemel faciendum propoſuerat, dicto citius confectum volebat, illud Saluſtii uſurpans; *Ubi conſuleris mature, facto opus eſt*. Si quis parum caute aliquid egiſſet, etiam in rebus magni momenti, modo animi voluntas ad nocendum abeſſet, per omnes ætatis gradus, nulla indignantis ſignificatione data, ſive ea humanitas, ſive potius prudentia erat, diſſimulavit. Malleo ex alto decidente in capite læſus, patienter tulit, nulla voce emiſſa, vitæ humanæ caliginem & pericula conſiderans. Verborum libertatem in nonnullis magna animi moderatione toleravit. Quamvis purpuræ ſplendore, & ſupellectilis lautæ copia dignitatem quamdam & reverentiam ſibi conciliabat, tamen interiores veſtes, & lecti, quo indormiebat, ſtragula ſemper ex præſcripto Franciſcani Inſtituti habuit. Vitæ arctioris perpetuæ cultor: *Et ruſticitati quam deliciis propior ſemper fuit*, quod de M. Agrippa memoratur. Profecto certum hujus rei documentum habemus ex litteris Leonis Pontificis, hoc anno ad illum ſcriptis, quorum exemplar ex tabulario Collegii Complutenſis accepimus, & hic exhibemus.

Litteræ illi gratiſſimæ.

Atræ bili ſubjectus.

Conſilium audit ſuorum Canonicorum.

Saluſt. in proœm. conjurat. Catilinæ.

Magna æquitas.

Paupertatis affectus.

Plin. in Hiſtor. l. 3. cap. 4.

Eum jubetur mitigare.

Dilecto filio Franciſco tituli ſanctæ Balbinæ Presbytero Cardinali Toletano.

XI. *Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Accepimus, quod tu, qui ſeptuageſimum & ultra ætatis tuæ annum agis, & in Eccleſia Toletana necnon Regnorum Caſtellæ & Legionis, pro cariſſimis in Chriſto filiis noſtris Joanna Regina & Carolo Rege Catholicis, gubernatione & regimine, ac in officio Inquiſitionis hæreticæ pravitatis, quod de commiſſione Sedis Apoſtolicæ laudabiliter exerces, plurimum ſollicitudinis atque laboris jugiter impendis, proindeque (ultra quas tanta ætas ſecum affert) in varias corporis indiſpoſitiones atque infirmitates ſæpe incidis, ac ætatis tuæ quaſi immemor, medicorum conſilia ſpernens, a jejuniis & abſti-*

N. N-

nentiis per Eccleſiam iudictis, & per Fratres Ordinis Minorum ſancti Francisci de Obſeruantia, cujus tu profeſſor existis, adhuc deſistere non curas; ſed ea conſtantissime obſeruando, habitu ac cingulo per dictos Fratres geſtari ſolitis, nocte indutus in lectum te recipis, & eum illis ibi manei, ac lauea tunica ulterius & aliis auſterrime vivis. Et licet, dilecte fili, modus iſte vivendi ſit exemplaris, & laudari potius, quam reprehendi debeat, ac clare conſpiciamus te ad bravium æt eruæ vitæ nou leutis gradibus properare: tamen quia (ut accepimus) complexio & ætas tua iſtis vitæ auſteritatibus adeo rigoroſis atque arctis non eſt apta, ac deceat te, qui multis annis jejunia ipſa, & dictorum Fratrum viveudi modum integerrime obſeruaſti, velut emeritum militem ad majora ſeruatum, tanta ætatis mole gravatum, a tanta vivendi auſteritate jam deſiſtero, ſperans quod tu, qui regimen & officium prædictum integerrime exercendo, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Religioni ac Regnis prædictis maxime utilis fuiſti hactenus, de cetero etiam illis, uecnon generali expeditioni contra infideles per Nos fieri propoſitæ ac deliberatæ, quibus tu nouuumquam magno terrori ac formidini fuiſti, quorum vires cum nou parva illorum ſtrage contriviſti, futurus ſis utilis ac neceſſarius; animoque repetamus converſionem Regni Grauatæ ad Chriſti fidem, & expuguationem Civitatis Oraui, & alia jam fere omnibus uota, per te, cum Dei auxilio præclara geſta; motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis ſuper hæc oblatione petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione ac certa ſcientia, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in virtute ſanctæ Obedientiæ (cujus quanta ſit virtus, & efficacia non ignoras) ac pro tua erga hanc ſanctam Sedem ſolita atque in multis cognita revereutia, ac ſub noſtræ indignationis eo ipſo, quod hujuſmodi noſtri maudati fuerit transgreſſor, pœnis præcipimus & maudamus, ut de cetero quamdiu in humanis vixeris, diebus jejuniorum prædictorum, ſextis feriis, & majoris hebdomadæ ſanctæ dumtaxat diebus exceptis, carnibus & aliis ſementinam originem ab eis trahentibus, veſci ac uti debeas; quibus diebus tres Chriſti pauperes reficiendo, omne jejuniorum meritum conſequaris, periude ac ſi ad litteram jejunia ipſa plene ſervares & udimpleres: & ipſis quoque diebus ſuperius exceptis, dum medicorum conſilio tui corporis ſaluti expedire decernatur, carnibus & ab eis originem ducentibus tibi ſimiliter veſci ac uti liceat: uecuou habitu ſive tunica lanea & cingulo prædictis per te dimiſſis, linea dumtaxat tunica in lecto, ſudonibus ſive lineis linteis Firato, cubare atque dormire, ac aliis iu præmiſſis, & eorum aliquo medicorum, qui tui corporis valetudini curabuut, libero conſilio & ſuaſioni parere ac obedire poſſis & debeas. Nou obſtantibus Apoſtolicis, ac in Proviucialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & ordinatiouibus, ac ſtatutis & conſuetudiuibus Eccleſiæ & Ordinis prædictorum, juramento, voto, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque & iudultis ac litteris Apoſtolicis, etiamſi per eas ſit cautum, ue quis dicti Ordinis Frater aliquid etiam ab Apoſtolica Sede abſque licentia ſui Superioris impetrare aut illo uti audeat, etiamſi de illis plena & expreſſa de verbo ad verbum ficuda eſſet mentio: quibus omnibus, ad effectum præſentium harum ſerie pro hac vice derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod ſi te comeſtibilium appetitum amittere contingat, & propter hoc vel aliter medicis prædictis expedire videntur, piſcibus juxta ipſorum medicorum ordinatiouem quibuſvis anni temporibus veſci ac uti poſſis & debeas, ita ut tuæ corporis bonæ valetudiui iutegre conſulatur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die ultimo Maii MDXVII. *Pontificatus noſtri anno* V. XII.

Anno Christi 5517.	Leonis X. an. 5. & 6.	Maximiliani Imp. an 24. & 25.	Religionis Minorum anno 310.

XII. Quoties ſodales Franciſcani panem & vinum oſtiatim mendicabant, panem ſine quo vivere commode non poſſent, jure ſuo expoſcere ajebat; vinum vero delicias meras eſſe, eum tot perennes fontes ubique ſcaturirent. Nocturno tempore plerumque tondebatur, ne ullam diei particulam Reipub. ſubtraheret: quanquam nec illud tempus perire patiebatur, audiebat enim, qui gravem aliquem auctorem recitabat. Preces horarias, adjutore raro accerſito, ſolus & plerumque obſerata janua, abſolvebat, ut interpellandi occaſionem adimeret. Sacram ſynaxim celebraturus, publico item loco non gaudebat, frequentius in privata ædicula operabatur, duobus Franciſcanis viris bonis & eruditis præſentibus, quos in id munus apud ſe habuit. Simplicem in Eccleſiis cantum (quem *Gregorianum* appellant) amabat, theatrali offendebatur. Templis nec admodum ſpatioſis, nec plurimam lucem admittentibus capiebatur: nam alterutra res mentis intentionem diſturbat, quæ in locis ſubobſcuris colligi ſolet.

Temporis avarus.

Precibus & myſteriis Divinis totus intentus.

XIII. Extremis vitæ ſuæ temporibus, negotiorum & morborum agmine irruente, publicis ſacris intereſſe deſiit, & aliquanto ſerius, quam ſolebat, in publicum prodibat. Utrumque æmuli culpabant; & apud Regem per litteras ſæpe conqueſti, multum detrimenti ex ea re lites capere ajebant. Qui reſponſum Rege dignum acceperunt, plus momenti in unius Ximenii ſalute ad Reipub. incolumitatem verti, quam in omnium privatorum negotiis. Quoties digna aliqua aut opima ſacerdotia Toleti in templo maximo vacua eſſe acciderat, ea in filios Regulorum, aut in viros aliquos doctrina pariter & moribus præſtantes, juxta Summorum Pontificum decreta, quæ in hac parte mira quadam conſideratione Eccleſiarum commodis conſuluerant, propoſiti tenax, ad mortem uſque contulit: nam ex claris & nobilibus viris favorem; ex doctis vero auctoritatem rebus ſacris conciliari ajebat. Qua in re nullo in diſcrimine nothus an legitimus eſſet, apud eum habebatur; modo is virtute commendaretur.

Æquitas in ſacerdotiis conferendis.

XIV. In Beneficiis Eccleſiaſticis conferendis, præſertim quæ animarum curam annexam habent, haud vulgarem conſiderationem adhibuit. Nam proximis quibuſque ex familia prætermiſſis, ſæpenumero ignotos advocabat homines probos, & in aliorum commodis curandis pie ſollicitos: quos vel mediocri litteratura præditos, aliis quamvis doctioribus, minus tamen ſtrenuis præferebat. Dum hæc ſecum ponderabat, & de ſingulorum virtutibus certior fiebat, multa nonnumquam ſacerdotia penes ſe retinebat, donec dignus miniſter occurreret. Quod tamen æmuli quoque, ut cetera, culpabant; ipſe vero conſilii ſui conſcius, quidquid illi calumniarentur, contemnebat. Sacris potiſſimum Paſchatum ſolemniis, ejuſmodi ſacerdotia benemeritis diſtribuebat. Amabat homo beneficus habere quod donaret, ne homines indigne egentes expectare, donec vacua eſſent ſacerdotia, cogendi eſſent. Quæ ut libenti animo in ignaros ſponte conferebat, ita ſi quis aliquid hujuſmodi ab eo peteret, moleſte & graviter ferebat, & veluti procacem, & parum ſui reverentem averſabatur.

XV. Miniſtris & familiaribus viris optimis & efficacibus eſt uſus, eoſque ſemper in majus provehere, noviſque incrementis adaugere, ut ſolent patres cariſſimos liberos, curavit. Si quis a familia diſcedere vellet, nihil aliud rogans aut inquirens, illico abeundi commeatum dabat, neque unquam rurſus admittebat. Rerum occultarum, quarum ſibi notitia a Rege non daretur, adeo ſe parum curioſum eſſe oſtendebat, ut ſuo apud Regem Ferdinandum negotiorum actori, ne quid rogaret, per epiſtolam interdixerit, nihilque operæ in illis rebus inquirendis ſumeret. Eſſe enim vanum & mo-

Erga familiã paternus affectus.

Arcanis perferutandis nihil intentus.

& moleſtum ſtudium, in negotio præſertim non admodum neceſſario: cum alioqui ita omnia priuſquam evulgarentur, cognita habuerit, ut nihil ſibi repentinum acciderit, aut occultum diutius fefellerit. Æqui ſemper obſervantiſſimus, juſtitiam per ſe & per miniſtros coluit. Quod ſi quando munera ſua, aut parum integre aut negligenter obire intellexerat, illico magiſtratibus amovebat, quantumvis vinculo arctiſſimo conjunctos.

Juſtitiæ cultor.

XVI. Benigna fuiſſe natura ſatis conſtabit, qui qua fuerit in domeſticos caritate conſideraverit, & ejus epiſtolas legerit, quibus Catholicis Regibus, & deinde Carolo nepoti, viduarum & pupillorum cauſas piiſſimis verbis commendat. Fuit in Ximenii familia Ferdinandus Valdeſius Archiepiſcopus Hiſpalenſis, vir ampliſſimus, qui duos viros, alterum Theologum, alterum Juriſperitum Ximenium habuiſſe referebat, diœceſis Toletanæ luſtrandæ cauſa, ut pudicas puellas dote caſſas, aut parentum auxilio deſtitutas, honeſtis viris in matrimonio locarent. Supremo ſuæ diœceſis tribunali judices viros doctiſſimos, & maximi ponderis ſemper delegit: ex quibus multi ad Pontificatum deinceps aſſumpti, magiſtri diſciplinam probe retulerunt. Joannes Velaſcus, Petri Comeſtabilis filius, Bernardini, & Inachi frater, aliquot annos huic tribunali præpoſitus, Calaguritanus Antiſtes demum conſtituitur, & deinde Palentinus. Verumtamen poſtquam Calagurri præficitur, præpoſiti munus triennio apud tribunal Ximenii exercuit; nec recuſavit homo generoſus, Pontificatu haud contemnendo auctus, in familia Ximenii recenſeri. Sed fuit hæc olim Toletanorum Antiſtitum ſive auctoritas ſive majeſtas, ut aliarum Eccleſiarum Antiſtites publicis muneribus præfectos, & officiis privatis adminiſtros habuerint.

Valde benignus.

Illuſtres habuit in ſua familia viros.

XVII. Etſi vero Ximenius nobiliſſimæ hujus Eccleſiæ liberam plenamque habuerit adminiſtrationem, abſque ulla diminutione redituum, magnique acceſſerint proventus bis gubernatæ rectæque Hiſpaniæ, nullas diſtraxit opes ad vanitates & inſanias ſalſas, ſed omnem, quam congregaverat pecuniam, in tres fines deſtinavit; videlicet, ad exaltationem fidei per armorum potentiam inter infideles: per ſacrarum litterarum ſcientiam inter fideles: & ad continendum in pace, & erga ſuos Reges fideli obſequio, commiſſum ſibi regnum Hiſpaniæ. Cum ergo omnia hæc conſequutus fuerit, theſaurum, quem in hos uſus repoſitum habebat, centum ſcilicet quinquaginta millium aureorum in arce Uzedana, hoc ipſo anno, die XIV. Julii, addito ad teſtamentum quod condiderat anno MDXII. gravi codicillo, totum diſtribuit in uſus pios, dotemque magiſtralis Eccleſiæ ſanctorum Juſti & Paſtoris, quam a fundamentis reædificaverat, ſacerdotiis miniſtriſque auxerat, necnon in fulcimentum annuoſque proventus multorum Collegiorum & Monaſteriorum, quæ fundaverat.

In quos fines pecunias congregabat.

XVIII. His aliiſque naturæ & gratiæ dotibus apud omnes, & per omnem ætatem egregie audire meruit Ximenius, & famam, quam primis acquiſivit functus muneribus, per ſingulos annos fecit clariorem; neque enim a ſuſcepto Seguntino ſub Petro Gonzalvo Mendozio Vicariatu, ullum præterire permiſit annum abſque rebus præclariſſime patratis. Fuerunt multi, qui præclare a principio audierunt, ſed nullo poſtea nominis incremento abierunt; alii, qui nominis celebritatem obſcurarunt, altumque honoris culmen adepti, in imum decidernnt: at Ximenius continuo famæ acceſſu, ad eam dignitatem & majeſtatem pervenit, ut communem hominum opinionem ſuperarit, Eccleſiaſticis omnibus virtute præluxerit, Regulos auctoritate præceſſerit, Principes æquarit, Regum loca, plenaſque vices ſubierit. Omnia unus complexus eſt Ximenius, doctrinam, ſapientiam, pectoris robur,

Se ſemper illuſtrius.

Anno Christi	Leonis X.	Maximiliani Imp.	Religionis Minorum anno 310.
1517.	an. 5. & 6.	an. 24. & 25.	

bur, gloriæ apicem, honoris majeſtatem, & quod ſummum eſt, haud vulgarem vitæ ſanctimoniam, prophetiæ dono & miraculis confirmatam. Eum denique reputant Complutenſes & Toletani, inter quos vixit & obiit, ut Beatum proclament, ſuoſque miſerint & retineant in hac Curia Oratores apud Summum Pontificem, qui interpoſitis Philippi IV. Regis Catholici precibus & litteris pro connumerando inter Sanctos, non impigre laborant. Talem demum fuiſſe omnes admittunt, qualem vix alium inter purpuratos Patres nunc conſpicias, aut antiquitas viderit, vel poſteritas forſan ſit viſura. Et quidem apud omnes ferme nationes antonomaſtice *Magni Cardinalis* nomine veluti proprio compellatur. Scripſerunt ejus vitam Alvarus, quem diximus, Gomeſius copioſe, docte & eleganter idiomate Latino, ex quo nos potiora quæque tranſcripſimus; Hiſpano Eugenius de Robles, Marcus Ulyſſiponenſis, Antonius Daza; Italica Bartholomæus Cimarelli.

Quinam ejus vitam ſcripſerunt?

XIX. Ex Indiis Occidentalibus venit hoc anno frater Franciſcus a ſancto Romano, fidei propagandæ potiorem rationem expoſiturus, & cauſam dicturus miſellorum Indorum, ſub gravi gementium ſervitute; eaque dixit efficacia ſermonis, fideique zelo, ut Petrus Arias, ſumma præfectus poteſtate terræ continenti & mari Auſtrali, commiſſa abutens auctoritate, in ordinem ſit redactus, & res Indicæ deinceps exactiori indagine in conſeſſu graviſſimorum hominum ſint diſcuſſæ.

Franciſcus a ſancto Romano cauſam agit fidei & Indorum. *Herrer. dec. 2. l. 2. c. 20.*

XX. Diximus anno præcedenti, Leonem Pontificem ad Comitia Generalia Superiores omnes univerſæ Religionis, quocumque nomine, ſive Conventualium, ſive Obſervantum, ſive etiam Reformatorum, aut alio cenſerentur, miſſis litteris pro feſto Pentecoſtes hujus anni convocaſſe, ut tamdem ſublatis diſcordiis amotiſque ſcandalis, pax fraterna ſtabiliretur, & totus Ordo in varias diſſectus partes, in unum corpus coaleſceret. Cum itaque utriuſque familiæ Ciſmontanæ & Ultramontanæ Obſervantes ad Aræmcœli congregati, rei momentum expenderent, rogarunt Summum Pontificem, & Dominos Cardinales, ne ad ſocietatem & unionem cum illis ineundam cogerentur, qui palam a Regulæ obſervantia receſſerunt: ſed cum objiceretur, ex Regulæ præſcripto teneri eos cum Fratribus ſuis ſub uno capite convenire: reſponderunt id ſe libenter facturos, dummodo omnes ad ejuſdem Regulæ normam vitam componerent, & caput cum membris reformarentur, unaque deinceps eſſet in omnibus ratio vivendi. Vocati Patres Conventuales, ut quid circa rem hanc vellent, explicarent, accepto deliberandi tempore, tamdem dixerunt, ſe unionem hanc non approbare, dummodo a viis ſuis recedere, & ad reformationem acceptandam cogerentur; iiſque ſe gaudere privilegiis, a Summis Pontificibus conceſſis, per quæ & tuti poſſent eſſe in conſcientia, & ſtatus ipſorum manere potuiſſet indemnis. His auditis Pontifex, eos excludi juſſit ab electione Miniſtri Generalis, & totius Ordinis Capitis, eamque devolvit ad Obſervantes, & Fratres Reformatos cujuſcumque ſorent Congregationis aut appellationis: cui rite faciendæ Præſides inſtituit Cardinales tres, Dominicum Grimanum Epiſcopum Portuenſem, Patriarcham Aquilejenſem, Ordinis Protectorem, Petrum de Accoltis Epiſcopum Anconitanum, tit. ſancti Euſebii, & Laurentium Puccium ſanctorum Quatuor Coronatorum presbyteros. Illi, convocatis Fratribus & capitulariter congregatis in capaciſſima aula Refectorii domus Aracœlitanæ, Pontificis mentem circa peragenda ſignificarunt. Prodiit in medium coram Cardinalibus in capite aulæ ſedentibus, Chriſtophorus de Forolivio Vicarius Generalis Obſervantum familiæ Ciſmontanæ, & genu-

Totius Ordinis Patres in Urbe vocantur.

Uniri nolunt Obſervantes Conventualibus.

Committitur Obſervantibus electio Miniſtri Generalis.

flexus humiliter, ſuo ſuorumque Fratrum nomine his verbis, quæ ex regeſto Ordinis verbatim excripſimus, affatus eſt.

Reverendiſſimi Domini.

Sermo Vicarii Generalis Ciſmontan. Præſidis Capituli.

XXI. *Placuit clementiſſimo Deo per tempora retroacta, & uſque in præſens noſtram hanc familiam inſtituere pro reformatione & conſervatione Ordinis Seraphici Patris noſtri Franciſci, ipſo cooperante ad eam dilatandam in toto orbe cum profectu ſanctitatis & virtutum, in ædificationem totius Chriſtiani populi, ac ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in qua nobis & univerſis Fratribus Obſervantiam Regularem Minorum zelantibus, optime conſultum fuit, ac tutum proficere & conſervari, tamquam in ſtatu ſecuro ſalutis animarum ſuarum. Quapropter non quæſivimus nec quærimus ab eo ſtatu amoveri ſeu immutari. Verumtamen, ſi ſanctiſſimo Domino Noſtro placuerit ad majus bonum & profectum tam noſtrum, quam aliorum hujus ſacræ profeſſionis zelatorum, aliquid diſponere & ordinare; parati ſumus ſincere & ſimpliciter obedire, gratias agentes ſuæ Sanctitati immortales, ſimiliter & veſtris Reverendiſſimis Dominationibus ad id cooperantibus.*

Et Vicarii Ultramontani.

XXII. Ubi ille dicere deſtitit, ejus loco ſucceſſit Vicarius alter Generalis familiæ Ultramontanæ Gilbertus Nicolai, & genuflexus pauca hæc verba ſubjunxit. *Reverendiſſimi Domini. Pater Vicarius Generalis Ciſmontanus & ego, meo meorumque Fratrum nomine, veluti uno ore loquuti ſumus, neque quod illius verbis adjungam quidquam habeo; ſinceram eum ipſo profiteor obedientiam & reverentiam cum gratiarum actione.* His auditis, juſſerunt Cardinales per quemdam ex ſuis ſacellanum in eminenti loco, ex quo commode videri & audiri poſſit, ex ſchedula hæc pauca verba pronunciari. *Nos auctoritate Apoſtolica declaramus, omnes Vicarios veros eſſe Miniſtros, omneſque Diſcretos veros eſſe Cuſtodes, & in poſterum ita nominari decernimus & jubemus, juxta tenorem Regulæ Fratrum Minorum.* Deinde Cardinales ſtatuerunt, ut ſingillatim accederent omnes Fratres de reliquis Congregationibus Amadeorum, Clarenorum, Reformatorum, de ſancto Evangelio & ſimilium, convocati ſua nomina daturi. Quibus peractis præceperunt, ut nullus ad electionem ſeu ad ſuffragium ferendum accederet, niſi per Secretarium conclavis ex deputatorum electorum catalogo lectus, & ſuo nomine vocatus. Impoſito demum omnibus ſilentio, ex ambone lectum fuit ſequens diploma, quod *Bullam* vocant *unianit*, propter unitas corpori Familiæ Obſervantum reliquas omnes Congregationes minores recens exortas.

Præludia electionis.

LEO EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

Matth. 20. 4. Ex autographo. Bulla Unionis.

XXIII. *Ite vos in vineam meam, ait homo ille Paterfamilias, qui plantaverat vineam, mundi Salvator, atque Redemptor noſter Jeſus Chriſtus: qui etſi curam gerat de omnibus, cunctaque dirigat, quæ ipſe fecit; attamen inter ceteras plantationes, quas per ipſum Pater cæleſtis in ſolo plantavit militantis Eccleſiæ, vineam quamdam tam ardenti proſequutus eſt amore, ut ſuam velut propriam ubivis appellet. Hanc ſiquidem vineam ſic aſſiduis, ſolertibus ac fidelibus excoluit agricolis, ut alias primo mane, alios hora tertia, ſexta, nona; decima vero & undecima quaſi inceſſanter cultores*

Vinea Domini Religio Minorū.

res tranſmiſerit. Hæc eſt illa ſacra Minorum Fratrum Religio, quæ virentibus cæremoniarum foliis per viros Apoſtolicos, tamquam per palmites extenſos a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum, vino ſapientiæ & ſcientiæ irrigavit montes, & implevit terram. Hæc eſt Religio ſancta & immaculata, in qua per ſpeculum ſine macula Redemptorit contemplatur præſentia, vitæ Chriſti & Apoſtolorum inſpicitur forma, per quam primorum Eccleſiæ fundamentorum ante oculos Chriſtianæ plebis reducitur norma, quæ demum nihil niſi Divinum, Angelicum, omni perfectione refertum, Chriſtoque nihil niſi conforme, ut non immerito ſua dicatur, repræſentat. Ad hanc vineam excolendam primo mane, oriente jam ſole, miſit ipſe Paterfamilias Angelum *illum* aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi, *beatum Franciſcum, qui comitantibus miræ ſanctitatis viris, prima vineæ hujus jecit fundamenta. Iis ſucceſſerunt viri religioſi, qui duce beato Bonaventura, muros hujus vineæ jam utrimque ruinam minantes, hora tertia, Trinitatis ſanctæ virtute & adjutorio reparaverunt. Poſt hos veluti hora ſexta prodierunt ſpiritu ferventes Fratres nonnulli, qui a ſacro Viennenſi Concilio tamquam a Deo miſſi & confortati, enervatam pene diſciplinæ cenſuram, ad ſua principia revocaverunt. Hora vero nona, moriente Domino, ſurgentibus in dies malis & ſcandaloſis hujus vineæ agricolis, ſuſcitavit Dominus ſpiritum adoleſcentis, paucorum videlicet Fratrum, qui ſignifero nominis Jeſu beato Bernardino ductore & præſide, ſacri Concilii Conſtantienſis freti præſidiis, languentem, imo pene mortuum per orbem univerſum Ordinem vivificarunt. Noviſſime vero diebus iſtis, quaſi hora ultima apparuerunt viri alii, qui zelantes pro domo Iſrael, ſuccíderunt lucos, & demoliti ſunt delubra: ac* ubi abundabat delictum, *adjavante Domino, curaverunt per intraductam reformationis normam,* ut ſuperabundaret & gratia. *Sed velut inter parabolicos & evangelicos illos viticolas, quia noviſſimi æquabantur prioribus, murmur ſurrexit non parvum, ſic acclamantibus Regibus, Principibus, Communitatibus & Populis, graves lites & jurgia ac diſſenſiones occaſione ſuperioratuum, & præfectionis graduum inter aliquos hujus Religionis profeſſores per totum mundum magis ac magis augeri dietim accepimus. Quare Nos, cujus animus ab ætate tenera ardenti devotione efferbuit ad hujus Ordinis profeſſores, & Ordinem ipſum totum, nunc vero ex communi cura procurationis, & paſtoralis regiminis, quam immeriti ſuſtinemus, ad comprimendas hujuſmodi agricolarum lites, & ſedandas murmurationes, illius evangelici procuratoris more, tanto provocamur ardentius, quanto frequentius intenta mente recolimus fructus uberes, quos ex eorum exemplari vita, & ſalubri doctrina univerſali Eccleſiæ continue cernimus provenire. Nec minus continuis Principum Chriſtianorum, præſertim cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Maximiliani in Imperatorem electi, & Franciſci Chriſtianiſſimi Francorum, ac Caroli Catholici Hiſpaniarum, Henrici Octavi Angliæ, & Emanuelis Portugalliæ & Algarbiorum, & Ludovici Ungariæ & Boemiæ, ac Sigiſmundi Poloniæ, necnon Chriſtierni Daciæ Regum illuſtrium; necnon nonnullorum Principum aliarum, Ducum, Comitum, Populorum, Communitatum pliis provocamur ſupplicationibus & precibus, quibus pro pacandis hujuſmodi diviſionibus in Ordine D. Franciſci exortis, non ceſſant uſque hodie apud Nos poſtulare. Deputatis igitur a nobis in ſecreto noſtro conſiſtorio aliquibus ex venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, cauſas & ſeminaria hujuſmodi jurgiorum & diviſionum diligenter perquirere, ac de remediis opportunis proſedandis præfatis litibus pertractare commiſimus & injunximus: qui longo maturæ diſcuſſionis examine, diligen-*

Infignes ejus laudes.

Apoc. 7. 2.

Reformatus.

Dan. 13. 45.

Deut. 7. 5.

Rom. 5. 20.

Pontifex erga Religionem affectus.

Quanta maturitate actum de Ordinis reformatione.

tiſſime ac fideliſſime juſſa complentes, relatione per ipſos nobis facta, necnon penſatis per Nos acutius, quæ per ipſos pro hujuſmodi concordia tractata & examinata fuerunt, habita etiam ſuper his in dicto Conſiſtorio noſtro cum eiſdem ac reliquis ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus matura deliberatione, & de eorum unanimi conſilio, præfato Ordini, modo infraſcripto judicavimus

Unus præficiendus Gener. Miniſt.

providendum. Quia in primis compertum habemus, Prælatorum diverſitatem, quorumdam perpetuitatem, ceterorum vero Fratrum vitam non reformatam, hujuſmodi litibus & diviſionibus plurimum cauſæ præbuiſſe: Eapropter volumus & ordinamus, prout in dicta Regula beati Franciſci continetur, unum Miniſtrum Generalem totius Ordinis de cetero omnibus & ſingulis Fratribus ejuſdem Ordinis cum plenaria poteſtate, quæ ex Regula ſibi competit, præfici, cui omnes & ſinguli prædicti Fratres in omnibus quæ non ſunt contra Deum,

Quanto tempore recturus.

animam ſuam & Regulam, firmiter teneantur obedire. Qui quidem Miniſter Generalis per ſex annos ad plus, Generalatus officio fungetur, infra quem terminum, ſi aliquo tempore appareret univerſitati Miniſtrorum provincialium & Cuſtodum prædictum Miniſtrum Generalem non eſſe ſufficientem ad ſervitium & communem utilitatem Fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio dicti Miniſtri Generalis data eſt, in nomine Domini alium ſibi eligere. Quibus quidem ſex annis, ut præfertur, expletis, ipſo facto ſit abſolutus a Generalatus officio, & pro tali ab omnibus habeatur. Electio vero

Succeſſor qualiter eligendus.

ſucceſſoris fieri debeat a ſolis Miniſtris provincialibus & Cuſtodibus reformatis tam Ciſmontanis, quam Ultramontanis, in Capitulo Generali dicti Ordinis in feſto Pentecoſtes, in loco, quem Miniſter Generalis in Capitulo Generali proxime præcedente, duxerit aſſignandum: ad quod Capitulum omnes miniſtri & cuſtodes, ſive vocales tam Ciſmontani, quam Ultramontani accedere teneantur. Et ne caput ſuis membris diſforme appareat, volumus & etiam ordinamus, quod nullus frater poſſit eligi in Miniſtrum Generalem, niſi vitam ducat reformatam, & pro reformato a communitate reformatorum habeatur. In præfata vero electione Miniſtri Generalis nullus penitus vocem

Deber eſſe ex Reformatis.

habeat, niſi reformatus, & pro reformato a Congregatione reformatorum habeatur. Quod ſi in futuram quidquam in contrarium attentatum fuerit, irritum penitus & inane habeatur. Quo vero ad electionem futuri Miniſtri Generalis proximo feſto Pentecoſtes in Conventu de Araceli de Urbe, juxta

An. præced. n. 49.

aliam noſtram ordinationem in litteris in forma Brevis contentam, celebrandam: Statuimus, omnes Miniſtros & Cuſtodes reformatos, ac Vicarios & diſcretos Fratrum de Obſervantia ſeu familia, dictam electionem debere celebrare. Et ut præfata electio Miniſtri Generalis, quæ ſecundum prædictam Regulam a Miniſtris Provincialibus & Cuſtodibus fieri debet, libere ſecundum intentionem ejuſdem Regulæ, & abſque quovis ſcrupulo celebretur, de-

Vicarii in Miniſtros, diſcreti in Cuſtodes cómutantur.

claramus omnes Provinciales Vicarios Fratrum de Obſervantia ſeu familia, veros Miniſtros eſſe, ipſoſque ad effectum electionis hujuſmodi in Miniſtros ordinamus & inſtituimus; diſcretos etiam ipſorum declaramus eſſe Cuſtodes. Quo vero ad alios Fratres reformatos, volumus quod in Provinciis, in quibus Miniſtri pro nunc non ſunt reformati, nec pro reformatis habiti, ſub quibus ſunt aliqui Conventus reformati, duo Fratres electi a præfatis Conventibus reformatis ſecundum aliarum litterarum noſtrarum tenorem ſub forma Brevis, voces Miniſtrorum non reformatorum quantum ad præfatas Provincias, pro hac vice dumtaxat ſuppleant: Fratribus vero de Congregatione fratris Amadei, de Clarenis, de ſancto Evangelio ſeu Capucio, pro ſingulis Provinciis, in quibus habent Conventus, ultra ſuorum Vicariorum voces, duas voces pro hac ſolum vice concedimus; quam quidem electionem a præfatis Fratribus de hujuſmodi

Ge-

Generali Miniſtro faciendam, canonicam ſecundum Minorum Fratrum Regulam, ac formam a beato Franciſco in Regula traditam, eſſe definimus, & etiam declaramus. Et ut in Ordine ipſo, quantum cum Deo fieri poteſt, pax conſervetur, & caritas per amplius inter Ciſmontanos & Ultramontanos Fratres ejuſdem Ordinis nutriatur, ordinamus, quod ſi Miniſter Generalis, ut præfertur, per ſex annos de Ciſmontanis Fratribus electus fuerit, ſequentibus ſex annis de Ultramontanis Fratribus eligi debeat, quem modum alternatis vicibus in perpetuum volumus ab ipſis Fratribus obſervari. Verum, quia conſpicimus ipſum Ordinem per univerſam Chriſtianitatem mirum in modum dilatatum eſſe, ne ob hujuſmodi amplitudinem debito paſtoralis regiminis careat beneficio, decernimus, quod ſi Miniſter Generalis de Ciſmontanis electus fuerit, inſtituat in partibus Ultramontanis unum Generalem Commiſſarium ab eiſdem Fratribus Ultramontanis eligendum; cui Miniſter Generalis ſuper præfatos Fratres Ultramontanos vices ſuas committat, prout Capitulo Generali expedire videbitur: Ita tamen, quod Commiſſarius præfato Miniſtro Generali omnimode ſubjiciatur, ut ceteri dicti Ordinis Prælati ſubjiciuntur, ac illi per omnia obedire teneatur ſecundum Regulam. Dum vero Miniſter Generalis fuerit ex Ultramontanis Fratribus electus, tunc pariter Commiſſarium Generalem Ciſmontanum inſtituere debeat pari modo, quo de Ultramontano Commiſſario ſuperius dictum & ſtatutum eſt. Qui quidem Generalis Commiſſarius per triennium ſolum Generalis Commiſſionis fungetur officio, quo triennio elapſo, novus Commiſſarius per Miniſtrum, in Capitulo Generali, ut ſupra eligendus, ſecundum quod Ultramontanis vel Ciſmontanis de Commiſſario fuerit providendum, inſtitui debeat: Miniſter vero Generalis in partibus, in quibus ſuis ſex annis fuerit, & ad alias partes ſe conferre voluerit, pro eo tempore, quo abſens fuerit, Commiſſarium loco ſuo de conſilio & aſſenſu Definitorum Capituli Generalis hujuſmodi dumtaxat relinquere poſſit. Et in partibus, quibus dictis ſex annis non erit Commiſſarius Generalis, tenebitur Miniſter Generalis primo triennio dictorum ſex annorum celebrare unum Capitulum Generale, ad quod convenient Vocales illarum partium, a quibus aſſumptus fuerit; & ſimiliter aliud Capitulum in partibus a quibus aſſumptus non fuerit, per ſe vel ſuum Commiſſarium, ad quod omnes Vocales dictarum partium accedere teneantur, celebrare habebit; aut ſuper hoc fiat, quod Generalis Miniſter cum Capitulo Generali judicaverit faciendum. Porro, quantum ad Miniſtros Provinciales, in Provinciis in quibus Miniſtri pro nunc non ſunt reformati, ſeu pro vere reformatis non habentur, declaramus, decernimus & ordinamus, Vicarios Fratrum de Obſervantia ſeu familia illarum Provinciarum reſpective, ex nunc & in perpetuum veros & indubitatos earundem Provinciarum eſſe Miniſtros, illoſque de cetero nomine Miniſtrorum debere appellari, quibus omnes & ſingulos Fratres, necnon domos & loca eorundem in dictis Provinciis, ut præfertur, conſiſtentes, plenarie ſubmittimus; ac Generali & aliis Provincialibus Miniſtris auctoritatem & poteſtatem autea Generali & aliis Provincialibus Vicariis, de familia nuncupatis attributam & conceſſam perpetuo concedimus, ac conceſſam & attributam eſſe decernimus: mandantes præfatis Fratribus etiam Regulam beati Franciſci pure & ſimpliciter obſervantibus, ut dictis Miniſtris, ſic per Nos declaratis & ordinatis, ut veris illarum Provinciarum Miniſtris ſecundum Regulam per omnia obediant. Denique ne ex Miniſtrorum Provincialium perpetuitate Ordinem ipſum in ruinam iterum collabi contingat; volumus & ordinamus, præfatos Provinciales Miniſtros ultra triennium in ſuis non poſſe continuare officiis, quo trieunio elapſo, pro abſolutis ab ipſo officio a cun-

Alternantus electiones.

Inſtituendus Commiſſarius Generalis.

Celebranda Congregat. Gener.

Perpetuitas officiorum perniciosa.

cuuctis Fratribus teneautur. Poterunt tamen infra dictum triennium, a ſuis Capitulis Provincialibus, quæ ſecundum Regulam & conſuetudinem celebrabuntur, ſi minus utiles inventi fuerint, ab officiis Provincialibus abſolvi, & idem judicium de Cuſtodibus per omnia habeatur. Nullus vero in Miniſtrum Provincialem aut Cuſtodem eligi, aut in ipſorum electione vocem habere poterit, niſi ducat vitam reformatam, & a communitate reformatorum illius Provinciæ, cui præficiendus eſt, pro tali habeatur: Quidquid autem in contrarium attentatum fuerit, ipſo facto irritum ſit & inane. Præterea quia de reformatis, ac pure & ſimpliciter Regulam beati Franciſci hujuſmodi obſervantibus, ſæpe ſæpius in præcedentibus & ſequentibus mentio habetur: volumus & declaramus ſub nomine Reformatorum, *ac pure & ſimpliciter Regulam ſancti Franciſci hujuſmodi obſervantium, comprehendi omnes & ſingulos infraſcriptos, videlicet Obſervantes tam de familia, quam reformatos ſub Miniſtris, ac Fratris Amadei, de Coletanis, Clarenis, de ſancto Evangelio ſeu de Capucio, ac Diſcalceatos nuncupatos, aut alios ſimiles, quocumque alio nomine uuucupentur, & Regulam ipſam beati Franciſci pure & ſimpliciter obſervant: ex quibus omnibus ſupradictis unum corpus inſimul facientes, eoſdem ad invicem perpetuo unimus. Ita quod de cetero, omiſſa diverſitate nominum prædictorum, Fratres Minores ſancti Franciſci Regularis Obſervantiæ, vel ſimul vel disjunctive nuncupentur, & nuncupari poſſint & debeant. Omneſque & ſingulos, ut præfertur, unitos Generali Miniſtro prædicto, ac Provincialibus Miniſtris & Cuſtodibus, in quorum Provinciis & Cuſtodiis reſpective morantur, in omnibus & per omnia ſecundum Regulam ſubjici debeant. Conventuales vero ſecundum privilegia viventes, quomodo eiſdem Miniſtris Generali & Provincialibus ſubjici debeant, per alias noſtras deſuper edendas litteras declarabimus. Ceterum, ut diſſenſionum, ſcandalorum & partialitatum fomes penitus ab Ordine ipſo tollatur, præcipimus firmiter & mandamus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ipſo facto incurrendæ, a qua nullis præterquam in mortis articulo, niſi a nobis, aut a Sede Apoſtolica poſſit abſolvi, ne aliquis frater Ordinis ſancti Franciſci appellet alium fratrem ejuſdem* Ordinis *malitioſe, irriſorie ſeu improperioſe* Privilegiatum, Coletanum, Bulliſtam, Amadeitam, Clarenum, de Evangelio ſeu de Capucio, Bigotum, *aut alio quovis nomine etiam de novo reperto, ſeu forte in futurum occaſione priorum diviſionum ipſius* Ordinis, *vel hujus noſtræ ſanctæ inſtitutionis & unionis, Spiritus ſancti gratia compoſitæ, a quocumque imponendo, ſeu alio quovis irriſorio, injurioſo ſeu improperioſo nomine, aut quod pro improperioſo a patientibus habetur: Necnon omnibus tam clericis, quam laicis, ne Fratres hujuſmodi, aut eorum fautores, præfatis nominibus irriſorie ſeu malitioſe appellent: ſed omnes Fratres ipſius* Ordinis Fratres Minores, *at præfertur, ſeu ſancti Franciſci a ſeipſis & omnibus aliis nominentur. Item ſtatuimus, quod de cetero nullus frater reformatus poſſit per quemcumque Prælatum* Ordinis *etiam Miniſtrum Generalem, mitti ad morandum ad aliquem Conventum non reformatum, aut pro reformato non habitum. Excepto quod ſi Capitulis Provincialibus videretur minus malum aliquem fratrem licentiare ad vocandum reformatos, quam ipſum cum reformatis retinere, tali caſu poſſint Prælati mittere fratrem ſeu Fratres reformatos ad nondum reformatos. Inhibentes ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna omnibus & ſingulis Conventualium ſecundum privilegia viventium, Prælatis ac Fratribus, ne aliquem ex præfatis reformatis, niſi modo prædicto recipere audeant; ſimiliter & dictis reformatis Fratribus ſub eadem pœna, ne ab obedientia ſuorum Miniſtrorum ullatenus quam modo prædicta re-*

Abſtinendum a nominibus irriſoriis.

Obſervātes non miſceantur Conventualibus.

recedant. Et ne ex novarum ſectarum in dicto Ordine forſan introductione fienda, Ordinem iterum in rixas devenire oporteat: volumus, & in virtute ſanctæ obedientiæ firmiter præcipimus & mandamus, quod de cetero nullæ novæ ſectæ vel reformationes in dicto Ordine introducantur aut fiant abſque Miniſtri Generalis, aut Provincialium Miniſtrorum reformatorum in ſuis Provinciis reſpective expreſſo aſſenſu: ita tamen quod dictæ reformationes ipſi Miniſtro Generali & Provincialibus reformatis per omnia juxta Regulam ſubjiciantur, ut ſupra expreſſam eſt de aliis reformatis: quapropter omnes domos, loca & Eremitoria, quæ Fratres de Obſervantia ſeu familia, ſeu alii reformati ſub Miniſtris, quocumque nomine appellati fuerint, hactenus tenuerunt & poſſederunt, ipſi Miniſtro Generali ac Provincialibus Miniſtris reformatis, & per Nos ſic inſtitutis & declaratis, in ſuis Provinciis reſpective perpetuo ſubjicimus & incorporamus. Volentes loca ipſa per ipſos Miniſtros, ac eorum ſucceſſores reformatos perpetuo teneri & poſſideri, regi & gubernari: quaſcumque lites deſuper exortas, coram quibuſcumque judicibus ordinariis vel delegatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, & dicti Ordinis Protectore, aut ſacri Palatii noſtri Auditoribus, ſive Commiſſariis Apoſtolicis tam in Romana Curia, quam extra eamdem, & tam inter Prælatos, quam etiam ſubditos, in quibuſcumque ſtatu vel inſtantia, tam ſuper poſſeſſorio, quam petitorio ſeu etiam ſpolio, ſi quomodolibet prætendi poſſit, deſuper pendentes, etiamſi hujuſmodi loca de obedientia & de Capitulis Fratrum Conventualium dicti Ordinis prius fuiſſent, ad Nos advocamus penitus & extinguimus, ſilentium perpetuum partibus imponentes. Sententias quoque & proceſſus, per quoſcumque Judices in eis habitas & latas, ac inde ſecuta quæcumque, etiamſi lites ipſæ ratione locorum Fratrum, & bonorum hinc inde receptorum, aut cujuſcumque alterius rei occaſione vel cauſa motæ fuiſſent, caſſamus & annullamus; & nihilominus dictis Fratribus Conventualibus, necnon quibuſvis judicibus, ac aliis quibuſcumque, ne quidquam contra hujuſmodi noſtram declarationem, inſtitutionem, innovationem, unionem & incorporationem in judicio vel extra attentare, procurare, judicare vel pronunciare, etiamſi eis per Nos commiſſum exiſtat, ſeu in futurum committatur, præſumant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ac privationis beneficiorum, quæ obtinent, ac etiam inhabilitationis ad alia in poſterum obtinenda, eo ipſo incurrenda, inhibemus, præcipimus & mandamus. Demum, ut ſecundum exigentiam locorum, perſonarum & morum cuncta, quæ conducere videbuntur pro manuteuentia reformationis per totam Chriſtianitatem in dicto Ordine, jam Divina gratia introductæ, juſte providere & diſcrete valeant, ſtatui & ordinari volumus Capitulum Generaliſſimum proxime celebrandum teneri deputare ex probatioribus, doctioribus, ac magis expertis Fratribus nonnullos ex diverſis regionibus aſſumptos, qui omnia & ſingula, quæ pro manutenentia reformationis, & vera Regulæ obſervantia, ac hujus noſtræ conſtitutionis debita executione, accommoda judicaverint, in unum recolligant, approbanda per totum Capitulum vel majorem partem ejuſdem, ac tamdem per Nos Apoſtolicæ confirmationis patrocinio munienda: & nihilominus moderno & pro tempore exiſtenti Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, necnon univerſis Archiepiſcopis, & Eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcumque in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis perſonis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi & eorum ſinguli præſentes noſtras litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Generalis, ac Provincialium Miniſtrorum Reformatorum, ſeu alicujus eorum ſuper hoc requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis effi-

Ne fiant novæ Reformationes abſque aſſenſu Generalis.

efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos omnibus & ſingulis prædictis paeifice frui & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque, quaecumque auctoritate fungentes, quomodolibet indebite moleſtari; contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris remedia, invocato ad hoc etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus quibuſcumque litteris Apoſtolicis & indultis etiam ſacri Concilii Conſtantien. dictæ Religionis Fratribus, familiis, Congregationibus, denominationibus, aut alicui eorum, ſive earum auctoribus & inſtitutoribus, Conventualibus ſive Reformatis, aut de Familia Fratribus, ſub quibuſvis verborum formis, ſolemnitatibus & clauſulis fortioribus & inſolitis conceſſis, ſeu forſan in futurum concedendis, etiam ſi tales forent, quod de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum mentio eſſet habenda, quibus quoad præmiſſa expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Ceterum, quia difficile foret has noſtras præſentes litteras ad quælibet loca, ubi opus faerit, deferre; volumus & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod tranſumptis earumdem, manu Notarii publici ſignatis, & alicujus Prælati Eccleſiaſtici ſigillo munitis, ea prorſus fides in judicio & extra habeatur, quæ adhiberetur, ſi præſentes originales litteræ exhibitæ vel oſtenſæ forent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inſtitutionis, definitionis, ſubmiſſionis, conceſſionis, ordinationis, declarationis, unionis, ſtatuti, ſubjectionis, incorporationis, advocationis, impoſitionis, caſſationis, extinctionis, inhibitionis, præcepti, mandati, derogationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctam Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXVII. IV. *Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno* V.

Bembus. Thomas de Binis.

XXIV. Lectis his litteris Apoſtolicis, deputati fuerunt pro utraque familia ſcrutatores ſuffragiorum ſeu compromiſſarii, qui collatis in conſpectu Cardinalium ſuffragiis, compererunt, præter paucula vota in quoſdam benemeritos Patres diſperſa, viginti ſeptem abiiſſe in Vicarium Generalem Ultramontanum, & ſeptuaginta tria in Ciſmontanum, Chriſtophorum videlicet Numajum Forolivienſem, per quæ rite cooptatus eſt in totius Ordinis Miniſtrum Generalem. Electionem itaque ſic canonice peractam, his verbis promulgavit Franciſcus Meſſanenſis, unus ex compromiſſariis ſupradictis.

Chriſtophorus Numajus fit Miniſter Generalis.

In nomine Domini. Amen.

Hæc eſt electio Reverend. P. Miniſtri Generalis totius Ordinis Minorum beati Franciſci, canonice celebrata per dicti Ordinis venerandos Patres Miniſtros & Cuſtodes, auctoritate Apoſtolica tunc inſtitutos & declaratos, juxta formam & puritatem Regulæ, per reverendiſſimos DD. Cardinales D. Grimanum Epiſcopum Portuenſem, & dicti Ordinis Protectorem, Petrum de Aecoltis, tituli ſancti Euſebii, & Laurentium Puceium, tituli ſanctorum Quatuor Coronatorum, presbyteros Cardinales, ad Capituli totius Generaliſſimi dicti Ordinis celebrationem præſidentes, per S. D. N. Leonem Papam X. *ſpecialiter deputatos, in ſacro Conventu ſanctæ Mariæ Aracœli de Urbe, ac in loco ad hoc ſpecialiter ordinato, anno Domini* MDXVII. *die vero prima Junii canonice celebrata a dicti ordinis præfatis Miniſtris & Cuſtodibus tam de ultra, & citramontana familia, quam de reformate ven-*

Anno Christi	Leonis X.	Maximiliani Imp.	Religionis Minorum anno 310.
1517.	an. 5. & 6.	an. 24. & 25.	

ventibus quibuſcumque aliis Congregationibus: videlicet Amadeorum, Clarenorum, Coletaneorum, & de ſancto Evangelio, & hujuſmodi Regulam beati Franciſci pure & ſimpliciter obſervantibus, ad ſonum campanellæ, ut moris eſt, capitulariter congregatis. Et prædictis reverendiſſimis Dominis Cardinalibus præſentibus, & dicta auctoritate Apoſtolica præſidentibus: in qua in primo ſcrutinio, Venerandus Pater Cuſtos Provinciæ Tuſciæ, habuit vocem unam: Venerandus P. Miniſter Provinciæ Britanniæ, unam: Venerandus P. Miniſter Provinciæ Portugalliæ, unam: Ven. P. Miniſter Provinciæ ſancti Antonii, unam: Ven. P. Miniſter Provinciæ Januæ, unam: Ven. P. Fr. Joannes de Silveſtris, unam: Ven. P. Fr. Hilarion de Florentia, unam: Ven. P. Cuſtos Provinciæ Mediolani, unam: Ven. P. Commiſſarius Ultramontanus, unam: Ven. P. Miniſter Provinciæ Aquitaniæ, tres: Ven. P. Cuſtos ſancti Antonii, tres: Ven. P. Commiſſarius Ciſmontanus, tres: Ven. P. Miniſter Provinciæ Aragoniæ, quinque: Ven. P. Miniſter Provinciæ Brixiæ novem: Ven. P. Cuſtos Provinciæ Caſtellæ, decem: R. P. Vicarius Ultramontanus habuit vota viginti ſeptem: Reverend. P. Vicarius Ciſmontanus ſeptuaginta tria. Et ego Fr. Franciſcus de Meſſana ejuſdem Ordinis profeſſor, ac Provinciæ Siciliæ Miniſter, & unus ex Diſquiſitoribus & Compromiſſariis ſcriptor, virtute compromiſſi in me & ſocios meos facti, nomine meo & nomine aliorum omnium, qui in dictam electionem convenerunt & conſenſerunt, eligo & nomino in ejuſdem totius Ordinis Miniſtrum Generalem, juxta formam & puritatem Regulæ electum, præfatum Reverendum P. fratrem Chriſtophorum de Forolivio Provinciæ Bononiæ, & nunc Vicarium Generalem Ciſmontanum, in quem major pars vocalium conſenſit.

XXV. Abſolverat prius ſummus Pontifex ab officio Miniſtri Generalis Bernardinum de Prato Cherienſem, Conventualem, quem ad hoc munus electum fuiſſe alias enarravimus, ſucceſſitque in Miniſteriatu Generali totius Ordinis, & vera ſerie Miniſtrorum Generalium ſancti Franciſci ſucceſſorum prædictus Chriſtophorus, cui proinde Pontifex tradi voluit ſigillum Ordinis, quo a ſancti Franciſci tempore utebantur Miniſtri Generales; eumque ac ſolos ſucceſſores ejus appellari voluit Miniſtros Generales: Superiores vero PP. Conventualium Magiſtros Generales, & Provinciales, uti ex infra dicendis amplius apparebit. *Tom. 15. anno 1513. n. 9.* Transfertur Miniſteriatus & ſigillum Ordinis ad Obſervantes.

XXVI. Proceſſum deinde eſt ad electionem Commiſſarii Generalis familiæ Ultramontanæ, juxta ſtatutum in Bulla præcedenti, & Definitorum duodecim Generalium, ſenis pro utraque familia deſignandis: omniumque ſuffragiis cooptatus eſt in Commiſſarium ſupradictus Gilbertus Nicolai Vicarius Generalis Ultramontanus, & Definitores connumerati ſunt, Gilbertus Nicolai Cõmiſſarius Generalis Ultramontanus.

Franciſcus Georgius, Provinciæ ſancti Antonii Cuſtos.	Arnoldus de ſancto Felice, Miniſter Aquitaniæ.
Jacobus de Alcala, Miniſter Provinciæ Aragoniæ.	Joannes Franciſcus de Potentia, Miniſter Provinciæ Baſilicatæ.
Bartholomæus de Plebe, Miniſter Tuſciæ.	Gaſpar de Sahagier, Miniſter Argentinæ.
Franciſcus de Angelis, Cuſtos Caſtellæ.	Cherubinus de Interamnis, Miniſter Provinciæ ſancti Franciſci.
Paulus de Sonzino, Cuſtos Mediolani.	Paulus de Parma, Cuſtos Provinciæ Bononiæ.
Philippus Lulier, Miniſter Provinciæ ſancti Bonaventuræ.	Joannes Macheyſen, Cuſtos Argentinæ.

XXVII. Delecti ſunt etiam Procurator Ordinis pro familia Ciſmontana, Officiales Curiæ.

na', Paulus Parmenſis Provinciæ Bononienſis, & Commiſſarius pro Ultramontana, Joannes Glapoin Miniſter Provinciæ Burgundiæ. Erectæ ſunt in Provincias, Cuſtodia Angelorum, & Majoricenſis, dummodo tamen Provincia Aragoniæ erectioni hujus poſterioris conſenſum præberet. Provinciam Britanniæ in his Comitiis honore & dignitate Provinciæ donatam fuiſſe ſcribit Gonzaga, ſed alias diximus erectam ſub Vicario Provinciali in Capitulo Brugenſi: in hoc vero nihil circa eam peculiariter decretum eſt, præter quam quod reliquis commune fuit, ut omnes ſcilicet Vicarii Provinciales, deinceps appellarentur Miniſtri, juxta Regulæ tenorem, uti paulo antea dictum eſt. Provinciam Boſniæ Argentinæ ſeparatam ait idem auctor a Croatiæ Cuſtodia anno MCCCCXCVI. per Bernardinum a Caymis, ex commiſſione Franciſci Samſonis Miniſtri Generalis; deinde ex ſententia Chriſtophori a Forolivio, & Patrum Capituli Aquilani habiti anno MDXIV. (ſed eo anno non Aquilæ, ſed Aſſiſii celebratum fuit Capitulum) & mox per Leonem X. confirmata anno iſto erectam fuiſſe. De Capitulo Aquilano ſuo diximus loco; in actis porro iſtius Capituli nihil hujuſmodi recenſetur, neque in Regeſto Vaticano quidquam potui reperire. Circa Provinciam Caſtellæ determinatum eſt, ut ſuppreſſis trium Cuſtodiarum nominibus, ſolum remaneret nomen Provinciæ Caſtellæ. Inſuper ſtatutum eſt, ut Cuſtodia Holſatiæ remaneret ſubjecta Miniſtro Provinciæ Daciæ, quoad confirmationem Cuſtodis dumtaxat, in reliquis tamen ſoli Miniſtro Generali vel Commiſſario Generali reſpective, inſtitutuſque fuit tunc auctoritate Capituli Generaliſſimi Cuſtos Holſatiæ Franciſcus Meroth.

Fretio Provinciæ Angelorum Majoricenſis.

Gonz. in proæmio Provinc. Britanniæ.

Tom. 14. anno 1484. n. 48.

Provincia Britanniæ quando erecta?

Provincia Boſniæ Argentinæ quando ſeparata a Croatia.

Gonz. in proæm. Provinciæ Boſnæ Argentinæ.

Tom. 15. anno 1496. n. 1.

Provinciæ Caſtellæ Cuſtodiæ ſupprimuntur.

Cuſtodis Holſatiæ ſubjicitur Provin. Daciæ.

XXVIII. Cuſtodia ſancti Evangelii (de cujus altercationibus variaque viciſſitudine locuti ſumus) quatuor tantum humillbus conſtans locellis, additis aliis ſeptem, quæ Provinciæ ſancti Jacobi Miniſter ſponte obtulit, confirmata eſt ſub nomine Cuſtodiæ ſancti Gabrielis, & auctoritate prædicti Miniſtri; ea tamen addita cautione, ne Miniſtro liceret removere quemquam ex illa Cuſtodia, nec in Conventibus collocare abſque ſcitu & aſſenſu Cuſtodis. Nomen hoc *ſancti Gabrielis* poſterius, anno ſcilicet MDXIX. inditum ait Gonzaga in gratiam Commiſſarii Generalis Gabrielis Mariæ; & prius Cuſtodiam hanc audiviſſe ſub nomine Provinciæ Extremaduræ, impoſito a Bernardino Pratenſi Miniſtro, ſub Leone X. relicto nomine *S. Evangelii*. At omnia hæc meræ ſunt conjecturæ: ex actis enim hujus Capituli conſtat, adhuc ſub iſtum annum retinuiſſe nomen ſeu appellationem *ſancti Evangelii*, & mutatam ſuiſſe in *ſancti Gabrielis*; neque aliud tunc habuiſſe nomen Commiſſarium Generalem, quam *Gilberti Nicolai*. Poſterior fuit ea nominis ipſius mutatio in *Gabrielis Mariæ*, uti paulo infra recenſebitur. Decretum demum eſt, ut Cuſtodia beatæ Mariæ Pietatis, cui impenſe favebant Rex Luſitanus, & Dux Brigantinus, immediate ſubeſſet Miniſtro dumtaxat Generali, ejuſque Commiſſario; quam tamen in hoc Capitulo in Provinciam erectam fuiſſe, Gonzaga perperam affirmat. Reliquas hujus Capituli conſtitutiones in ſuum locum reſervamus.

Cuſtodia ſancti Evang.lii appellatur S. Gabrielis.

Gonz. in proæm. Prov. S. Gabrielis.

Inf. n. 36.

Cuſtodia Pietatis ſubjicitur immediate Miniſtr. Generali.

Gonz. in proæm. Prov. Pietatis.

XXIX. Peracta fuit electio, uti dictum eſt, in vigilia Pentecoſtes ad Aramcœli; quo etiam die Conventuales ad ſanctos Apoſtolos elegerunt in ſuum Primicerium ſeu Superiorem, Antonium Marcellum Cherinum, Dalmatam. Sed cum eum ſub titulo *Miniſtri*, & non *Magiſtri* Generalis contra ordinationem Leonis Pontificis procreaſſent, id ubi reſcivit Pontifex, ægre tulit, caſſamque & irritam voluit electionem: quam tamen poſtea ſub *Magiſtri* nomine ratificavit, confirmatamque voluit; nec ulteriorem confirmationem expectandam eſſe declaravit a Miniſtro Generali a ſe decretam

Magiſter Gener. Antonius Marcellus.

in

Anno Christi	Leonis X.	Maximiliani Imp.	Religionis Minorum anno 310.
1517.	an. 5. & 6.	an. 24. & 25.	

in *Bulla*, communiter nuncupata *Concordiæ*, quam hic ſubjungo: ex qua melius percipientur, quæ in altero diplomate, & conventionis inſtrumento inter Miniſtrum & Magiſtrum Generales, eorumque Procuratores tranſacto, continentur.

Ad perpetuam rei memoriam.

XXX. *Omnipotens Deus, cujus perfecta ſunt opera, qui cuncta ſapientiſſime condidit in numero, pondere & menſura, & cujus nutu omnia reguntur, Romanum Pontificem ſic Catholicæ præfecit Eccleſiæ, ut quæ Divino honori, ſalutique fidelium cognoverit accommoda, non ſolum faciat, ſed, quantum in ipſo fuerit, aſpirante cæleſti gratia, ad debitæ perfectionis perducat effectum. Sane diebus noviſſimis, cum Generaliſſimum Capitulum totius Ordinis beati Franciſci convocari feciſſemus, illudque in domo de Aracœli de Urbe dicti Ordinis celebrari debere ordinaviſſemus, pro unione univerſali Fratrum prædictorum ſub uno capite reformato, inter alia facienda pro votiva hujuſmodi unione, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio & aſſenſu, necnon ad Regum & Principum Chriſtianorum humiles & inſtantiſſimas preces, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus & ordinavimus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus Miniſter Generalis totius Ordinis ſancti Franciſci a ſolis & de ſolis reformatis Fratribus dicti Ordinis, viventibus abſque privilegiis bona temporalia concernentibus, eligi deberet, cui omnes & ſinguli Fratres ſecundum Regulam ejuſdem B. Franciſci ſubjici & obedire tenerentur. Et deinde Fratres Conventuales, cum privilegiis eis a Sede Apoſtolica conceſſis viventes, ac reditus & poſſeſſiones, aliave bona temporalia ſecundum hujuſmodi privilegia retinere volentes, per alias noſtras litteras etiam ſtatuimus & ordinavimus, quod unum ex eiſdem Fratribus Conventualibus vita & moribus idoneum ſibi eligere poſſent, qui eorum* Magiſter Generalis *appellaretur, & eorumdem Fratrum Conventualium ſub dictis privilegiis viventium curam gerere, & electionis de ſe factæ confirmationem a dicto Miniſtro Generali totius* Ordinis *petere deberet, prout in litteris prædictis plenius continetur. Cumque in Capitulo Generaliſſimo in dicta domo de Aracœli hujuſmodi, nuper per Fratres reformatos celebrato, ibidem præſentibus auctoritate noſtra Protectore ipſius Ordinis, & aliis duobus ex S. R. E. Cardinalibus ad id a nobis ſpecialiter deputatis, die ad hoc per nos aſſignata, Fratres ipſi vocem in electione Miniſtri Generalis hujuſmodi habentes, dilectum filium Chriſtophorum de Forolivio, qui Vicarius Generalis Fratrum Minorum de familia tunc fuerat, in Miniſtrum Generalem totius Ordinis ſancti Franciſci rite & recte, Fratres vero Conventuales cum privilegiis, ut præfertur, viventes, in domo ſanctorum Apoſtolorum etiam de Urbe dicti Ordinis, ad id etiam legitime congregati, dilectum filium Antonium Marcellum, vita & moribus idoneum, in Magiſtrum Generalem Fratrum Conventualium hujuſmodi etiam elegiſſent; nos cum audivimus electiones de Miniſtro & Magiſtro præfatis per eoſdem Fratres, juxta ordinationes noſtras prædictas, Spiritu ſancto id operante, ſumma cum caritate ac pace & unione factas fuiſſe, dictum Antonium in Magiſtrum Fratrum Conventualium electum coram nobis præſentem, in Domino benediximus, ac benedictionem noſtram hujuſmodi pro confirmatione, quam a præfato Miniſtro Generali petere tenebatur, pro hac vice dumtaxat ſufficere voluimus: ac deſiderantes per eoſdem Chriſtophorum Miniſtrum & Antonium Magiſtrum ſic electos, & eorum ſucceſſores, Fratres ſibi commiſſos ſub proſpero & felici re-* Ex autographo.

Anno Christi	Leonis X.	Maximiliani Imp.	Religionis Minorum anno 310.
1517.	an. 5. & 6.	an. 24. & 25.	

gimine gubernari, ac in pacifico & tranquillo ſtatu conſervari poſſe, cogitavimus tali modo providere, quod de cetero odor bonæ famæ eoramdem Fratrum apud omnes Chriſtifideles etiam Reges & Principes religionis Chriſtianæ, perpetuis futuris temporibus redoleat, & pax & unio plurimum ab omnibus deſiderata conſervetur, omniſque diſſidii occaſio, quæ humani generis procurante inimico, exoriri poſſet, extinguatur & penitus tollatur, aliqua per eoſdem Miniſtrum & Magiſtrum, alioſque ipſius Ordinis profeſſores firmiter & inviolabiliter ſervanda, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac matura cum eiſdem Cardinalibus Præſidentibus deliberatione præhabita, duximus ſtatuenda: videlicet, quod præfati Antonii Magiſtri Generalis Fratrum Conventualium ſucceſſores, ab eiſdem Fratribus Conventualibus pro tempore electi, confirmationem ab eodem Miniſtro Generali & ſucceſſoribus ſuis Miniſtris Generalibus totius Ordinis, quemadmodum Vicarii Generales tunc de familia nuncupati petere tenebantur, petere teneantur: ac quod Magiſter nunc & pro tempore electus ad regimen Fratrum Conventualium ſancti Franciſci, juxta dictam noſtram ordinationem, Magiſter Generalis Fratrum Conventualium *in perpetuum appellari debeat: quodque in ſingulis Provinciis deputati ad regimen Fratrum Conventualium de cetero* Magiſtri Provinciales *Fratrum Conventualium cum ſuis ſigillis vocari, & a Miniſtris Provincialibus Regularis Obſervantiæ in Provinciis juxta morem dicti Ordinis reſpective pro tempore exiſtentibus, confirmationem electionum de eis pro tempore factarum, eo modo, quo Vicarii Provinciales, olim de* familia *nuncupati, a tunc Miniſtris Provinciarum Fratrum Conventualium petere tenebantur, etiam petere teneantur: quodque tam Generalis, quam Provinciales Miniſtri præfati tam ante, quam poſt Generalis & aliorum Magiſtrorum confirmationem hujuſmodi tam de Generali & Provincialibus, quam aliis Fratribus Conventualibus hujuſmodi, & eorum, ac aliorum Tertii Ordinis Fratrum & Sororum nuncupatorum, qui eatenus ſub Miniſtro Generali Conventualium fuerant regimine, nullatenus ſe intromittere, aut eos per ſe vel ſuos Commiſſarios viſitare ſeu corrigere poſſint, nec aliquam juriſdictionem ſeu ſuperioritatem in ipſos exercere valeant, præterquam cum ipſum Miniſtrum Generalem pro tempore exiſtentem, ad ipſorum Fratrum Conventualium domos, & loca declinare contigerit; quo caſu ipſe Miniſter eoſdem Fratres Conventuales paterne viſitare, ipſique Fratres Conventuales eumdem Miniſtrum Generalem, tamquam totius dicti Ordinis Superiorem omni eum caritate & dilectione recipere debeant, dummodo idem Miniſter Generalis nunc & pro tempore exiſtens nihil judicialiter circa ipſos Fratres Conventuales, ac domos eorum & loca, ac etiam Monaſteria Monialium ſub eorum cura degentium exerceat, niſi eo modo, quo Miniſter Generalis tunc Fratrum Conventualium ſuper Fratres de familia & eorum domos & loca, & Monaſteria Monialium tempore convocationis dicti Capituli Generaliſſimi exercebat, exercere poſſit. Et inſuper Generali & Provincialibus Miniſtris pro tempore exiſtentibus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna præcipimus & mandamus, ne directe vel indirecte, etiam favore Dominorum temporalium, Civitatum & Univerſitatum, Oppidorum, Terrarum & Villarum, aut perſonarum Eccleſiaſticarum, etiam Prælatorum quorumcumque, ſeu Cardinalium, ſive alio quæſito colore, vel ingenio, molitioſe, quod domus & loca Fratrum Conventualium, ſeu Monaſteria Monialium curæ Magiſtri Generalis Conventualium hujuſmodi ſubjecta, & quæ hactenus ſub dicto Miniſtro Generali Fratrum Conventualium fuerant, eis quoquomodo auferantur, procurare præſumant: & nihilominus quidquid incontrarium attenta-*

Magiſter Conventualium petat confirm. a Miniſtro Obſervantum.

Item Magiſtri Provinciales a Miniſtris.

Miniſtri non ſe intromittant in Conventualium regimen.

Ne domus occupent Convent.

tatum fuerit, ſit eo ipſo irritum & inane. Domus autem & loca, ac Monaſteria Monialium Magiſtro Generali Fratrum Conventualium ea ſubjecta eſſe intelligi volumus, quæ Apoſtolica vel alia auctoritate Miniſtro Generali ante celebrationem dicti Capituli Generaliſſimi, proxime in dicta domo Aracœli celebrati, ſubjecta erant, & in quorum poſſeſſione ipſe tunc Miniſter Generalis Conventualium exiſtebat, præſertim domus ſeu Conventus Aſſiſii, & ſancti Salvatoris de Urbe, alieque quamplures domus, ac multa Monaſteria Monialium, quæ eidem Miniſtro Generali tunc immediate ſubjecta erant: quæ omnia ex nunc Magiſtro Generali Conventuali immediate ſubjecta perpetuo ſint & eſſe cenſeantur, exceptis domibus & locis, ac Monaſteriis Monialium dictorum Fratrum reformatorum per priores litteras noſtras hujuſmodi nuper unitis, quæ Generali & provincialibus Miniſtris in ſuis Provinciis reſpective in omnibus ſubjecta remanere volumus. Statuimus etiam, quod ſi Fratres Conventuales, quandoque ſe reformare voluerint, reformatio ipſa juxta privilegia Apoſtolica eis conceſſa, per ſuos Generalem & provinciales Magiſtros dumtaxat fieri debeat, niſi ubi Fratres alicujus domus ſeu Conventus ad veram & Regularem Obſervantiam, & omnimodam Generalis & provincialium Miniſtrorum obedientiam venire, & Generali ac Miniſtris aliis præfatis ſe ſubjicere vellent; quo caſu, ſi Fratres illarum domorum, in quibus a decem uſque ad viginti tres; in aliis vero domibus, in quibus numerus a viginti uſque ad quemcumque numerum Fratrum eorumdem Conventualium fuerint, duæ tantum partes ſubjectioni & ſubmiſſioni hujuſmodi conſenſerint; tunc Generalis & alii provinciales Miniſtri pro tempore exiſtentes, domos Fratrum ſubjectioni & ſubmiſſioni hujuſmodi modo præmiſſo conſentientium, quacumque contradictione non obſtante, domos Fratrum Conventualium & illarum Fratres hujuſmodi libere & licite recipere poſſint; domus vero Fratrum Conventualium, in quibus minor numerus, quam denarius fuerit, etiam de omnium Fratrum Conventualium earumdem domorum conſenſu nullatenus recipere valeant, ſed illæ Generalis & aliorum provincialium Magiſtrorum reformationi libere dimittantur; ſingulis vero Fratribus Conventualibus ad Generalem & provinciales Miniſtros tranſire volentibus, ab eorum ſuperiore prius petita, licet non obtenta, licentia, liberam tranſeundi licentiam & facultatem concedimus. Præterea volumus, quod illi ex Fratribus Conventualibus, qui de cetero vitam raformatam ſub Generalis ſeu provincialium Magiſtrorum cura ducere voluerint, ſub eorum regimine permanere poſſint, dummodo aliquo notabili ſigno diſtinctivo diſtinguantur & diſcernantur ab illis, qui vitam Regularem ſub Generali ſeu provincialibus Miniſtris ducunt, prout Generalis Miniſter & Magiſter inter ſe convenerint; bonis præfatarum domorum reformandarum immobilibus, & omnibus, quorum Fratres reformati non ſunt nec capaces eſſe volunt, Generali & aliis provincialibus Magiſtris ad eorum liberam diſpoſitionem libere remanentibus. Et ne inter Reformatos & Conventuales Fratres præfatos ſuper præcedentia diſſenſio & contentio oriri poſſit, volumus, & etiam ſtatuimus, quod inter eos talis ordo ſervetur: videlicet, quod in proceſſionibus & funeralibus ac exequiis, necnon in omnibus aliis actibus publicis Fratres Conventuales Fratribus Regularis Obſervantiæ locum digniorem relinquere teneantur: Si tamen aliqui graduati ſeu antiqui Patres, aut Guardiani domorum Conventualium remanere vellent cum quibuſdam Fratribus antiquioribus ſub Generali & provincialibus Miniſtris viventibus, tunc & in hoc caſu, ut evitetur diſſenſio hujuſmodi, & perfecta unio conſervetur, ſimul incedere, ipſique Conventuales ſemper eorum crucem & vexillum per eos deferri ſolitum, deferre libere & li-

Reformatio quomodo faciêda inter Conventuales.

Conventualibus conceditur tranſitus ad obſervantes.

Datur præcedentia Obſervantibus.

& licite valeant. Poſtremo omnia & ſingula indulta dicto Ordini tam per Nos, quam alios quoſcumque Romanos Pontifices hactenus conceſſa, eiſdem Fratribus Regularis Obſervantiæ ac Conventualibus, in quantum præmiſſis non ſint contraria, auctoritate & tenore præſentium invicem perpetuo communicamus, & ſuffragari volumus; eaque omnia etiam illis de novo concedimus. Quocirca Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, necnon universis Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis & Eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcumque in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis perſonis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi & eorum ſinguli præſentes noſtras litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Miniſtrorum & Magiſtrorum, aut alicujus ipſorum ſuper hoc requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos præſentibus litteris, ac omnibus & ſingulis in eis conteatis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos deſuper inter ſe, ac etiam per quoſcumque alios, quavis auctoritate & poteſtate fungentes, quomodolibet indebite moleſtari aut perturbari: contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus quibuſcumque litteris Apoſtolicis & indultis, etiam Sacri Concilii Conſtantienſis, dictæ Religionis Fratribus, familiis, Congregationibus, denominationibus, aut alicui eorum, ſive illarum auctoribus & inſtitutoribus, ſub quibuſvis verborum formis, ſolemnitatibus & clauſulis fortioribus & inſolitis conceſſis, ſeu forſan in futuram concedendis: quibus, etiamſi ad illorum derogationem, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, illorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque: Aut ſi Miniſtris & Magiſtris ac Fratribus præfatis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Ceterum, quia difficile foret præſentes litteras ad quælibet loca, ubi opus fuerit, deferri, volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod tranſumptis præſentium manu Notarii publici ſignatis, & alicujus Prælati Eccleſiaſtici ſigillo munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ adhiberetur, ſi præſentes originales litteræ eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum præcepti, ſtatuti, communicationis, conceſſionis, mandati, derogationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſuram. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXVII. *pridie Idus Junii, Pontificatus noſtri anno* V.

Caſſatur electio Superioris Conventualium, & quare.

XXXI. Cum vero contra prædictæ Bullæ tenorem facta fuerit electio Prælati Generalis Conventualium, uti diximus, eaque deferretur ad Pontificem, comperta rei veritate, vocatum ad ſe electum increpavit, decretiſque, quæ narravimus, hanc edidit Conſtitutionem.

Dile-

Anno Christi	Leonis X.	Maximiliani Imp.	Religionis Minorum anno 310.
1517.	an. 5. & 6.	an. 24. & 25.	

Dilecto filio Antonio Marcello Theologiæ profeſſori, & omnium Fratrum Conventualium Ordinis Fratrum Minorum Magiſtro Generali.

Ex autographo, & compend. Rodrig.

Dilecte fili &c. Nunciatum nobis fuit, quod licet Nos nuper de Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu conſiſtoriuliter habito, univerſis & ſingulis Fratrum Minorum, Conventualium nuncupatorum Ordinis ſancti Franciſci cum privilegiis, bona temporalia concernentibus, viventium, etiam per modum ſtatuti & ordinationis mandaverimus, ac ipſi de cetero perpetuis futuris temporibus Prælatum ſuum Generalem ſub nomine Miniſtri *eligere præſumerent: nihilominus Fratres prædicti, ordinationis hujuſmodi immemores, te ſub illo nomine concorditer forſan elegerunt. Nos igitur, quibus non facile perſuaderi poteſt, eoſdem Fratres mandato & ordinationi hujuſmodi contumaciter contravenisſe, ordinationem ipſam tam matura deliberatione factam inviolabiliter obſervari, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia volentes, & utpote rationabilem, & felicem directionem totius dicti Ordinis ſtatus concernentem, approbantes & innovantes, electionem prædictam, quatenus ſub nomine* Miniſtri Generalis *hujuſmodi proceſſerit, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium revocamus, caſſamus & annullamus, ac viribus penitus & omnino carere decernimus: mandantes tibi ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, per te eo ipſo, ſi contra feceris, incurrenda, ut viſis præſentibus, quateaus ſi* Miniſtri Generalis *nomine facta fuit, prout de facto proceſſit, de facto pronuncies ipſam electionem per hujuſmodi Fratres Conventuales de te celebratam, quam ſub nomine* Miniſtri Generalis *fecerunt, nullam fuiſſe; ſed pro electione canonica,* Magiſtri Generalis *eorumdem Fratrum Conventualium eſſe, & dici debere in omnibus & per omnia, ac ſi præfati Fratres Conventuales eamdem electionem ſub nomine* Magiſtri Generalis *Conventualium celebraſſent, declaramus etiam & definimus, ipſamque electionem de te factam tamquam ſub nomine* Magiſtri Generalis *approbamus per præſentes, & ſub tali nomine, dum coram nobis eſſes, tibi benediximus, ratam & gratam habentes, illamque ac omnia & ſingula inde ſequuta dicta auctoritate approbamus & confirmamus, ac illi Apoſtolici roboris firmitatem adjicimus, & de novo te inſtituimus Magiſtrum Generalem Fratrum Conventualium, ut præfertur, ſupplentes omnes & ſingulos tum juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Mandantes nihilominus omnibus & ſingulis præfatis Fratribus Conventualibus ac Monialibus ſanctæ Claræ ſecundum formam Regulæ ſuæ, cunctiſque Fratribus & Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci in habitu ſeculari viventibus, & qui ſecundum conſuetudinem regimini olim Miniſtrorum ſubjecti fuerunt, qui & quæ in Capitulo Generaliſſimo unitæ & unitæ, & reducti & reductæ ad immediatam obedientiam Miniſtri Generalis & aliorum provincialium Regularis Obſervantiæ per alias noſtras litteras non fuerint, ut tibi ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna tamquam vero & indubitato ac legitimo Prælato ipſorum ſecundum formam Regulæ, ſicut hactenus ad uſque Capitulum Generaliſſimum noviſſime Romæ celebratum Miniſtris Generalibus obedire conſueverunt, eum effectu obediant, teque Magiſtrum Generalem dumtaxat nominent. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, XII. Julii* MDXVII. *Pontificatus noſtri anno* V.

XXXII. Oc-

Formantur articuli cõcordiæ inter Conventuales & Obſervantes.

XXXII. Occaſione primæ Conſtitutionis, & ſupradictæ electionis, cum varia dubia & altercationes orirentur paſſim inter Conventuales & Obſervantes, pacifice tamdem inter ſe convenerunt, approbatiſque quibuſdam articulis pacis & concordiæ ineundæ, eos ratos & firmos voluerunt coram Dominico Cardinali Grimano Ordinis Protectore, juxta tenorem hujus inſtrumenti. Illud vero ſub finem ſeculi præteriti recognovit illæſum, integrum, intactumque approbavit, obſervari juſſit, datiſque variis tranſumptis, renovavit pro ſui officii munere rogatus Marcellus Lantes, tunc Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, nunc Sacri Collegii Apoſtolici DD. Cardinalium digniſſimus Decanus, Ordinis Minorum Conventualium a multis annis Protector, cui me plurimis iiſque magois beneficiis devinctum profiteor: Vir piiſſimus, inſigni liberalitate erga pauperes, religioſos, & loca pia, hoc noſtro ſterili ſeculo commendatiſſimus; quem (uti pie opinari licet) proinde Deus, annis nonagenarium & ultra, corpore vegeto, & firma valetudine in egenorum ſingulare ſubſidium ſervat incolumem. Do integrum exemplar.

Commendatur Cardinalis Lantes.

In nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Ex autographo.

XXXIII. *Universis & ſingulis hoc præſens noſtrum tranſumptum viſuris, lecturis pariter & audituris, quoſque hoc præſens tangit negotium &c. Quod nos Marcellus Lantes Protonotarius Apoſtolicus, ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, necnon Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius, ſententiarum quoque & cenſurarum in eadem Romana Curia & extra eam latarum, ac litterarum Apoſtolicarum quarumcumque univerſalis & merus executor ab eodem ſanctiſſimo Domino noſtro Papa ſpecialiter deputatus, necnon utriuſque Sanctitatis ſuæ Signaturæ Referendarius. Ad inſtantiam & requiſitionem RR. Fratrum Jacobi de Aſſiſio, & Bonaventuræ de Parma Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, omnes & ſingulos ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes, eorumque procuratores, ſi qui ſint &c. per Audientiarium ſanctiſſimi D. N. Papæ, ut moris eſt citari fecimus, & mandavimus ad certum terminum quod venirent: Comparuerunt in judicio coram nobis iidem RR. Fratres, & realiter & cum effectu exhibuerunt & præſentarunt quoddam inſtrumentum tranſactionis & concordiæ, integrum, illæſum & intactam: & quia omni prorſus vitio & ſuſpicione carere eſſe reperimus, illud per Notarium noſtrum publicum infraſcriptum tranſumptari, & in publicam tranſumpti formam redigi fecimus & mandavimus, decernentes, & auctoritate dictæ noſtræ Curiæ ſtatuentes, quod huic noſtro tranſumpto cum dicto inſtrumento concordato, diligenter collationato & concordato, de cetero in antea talis & tanta fides in judicio & extra adhibeatur & detur, qualis adhiberetur eidem inſtrumento originali, ſi in mediam exhibitum & oſtenſum foret, cujus tenor talis eſt, videlicet.* In nomine Domini. Amen. *Sciant univerſi & ſinguli præſentis publici inſtrumenti ſeriem inſpecturi, viſuri & audituri, quod Anno a Nativitate Domini* MDXVII. *Indictione* V. *die vero* VIII. *menſis Julii, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri D. Leonis Divina providentia Papæ X. Anno* V. *Romæ in palatio ſancti Marci, coram Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Domino D. Dominico Grimano miſeratione Divina Epiſcopo Portuen. S. R. E. Cardinali ſancti Marci, totiuſque Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci Gubernatore, Protectore & Cor-*

& Correctore, in mei Notarii publici infraſcripti ad hoc vocati & requiſiti præſentia, perſonaliter conſtituti RR. Religioſi PP. & Fratres, M. Antonius Marcellus Ordinis Minorum Patrum Conventualium Magiſter Generalis, & frater Paulus Zianus ſacræ Theologiæ Magiſter, ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Procurator ex una; necnon & RR. Religioſi Patres & Fratres Paulus de Parma, & Joannes Clapius ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci Regularis Obſervantiæ Procuratores, ſeu Commiſſarii ex altera partium, non vi, dolo, metu, fraude, & ſiniſtra machinatione, ut ipſi aſſeruerunt, inducti ſeu coacti, ſed matura inter ipſos deliberatione prius habita, gratis & ſponte, ac ex eorum certa ſcientia, & ſpontanea voluntate ad infraſcriptam articulatam pacem concordiamque, ad amorem conciliandum, fovendum & conſervandum inter Fratres Minores de Obſervantia, & Conventuales beati Franciſci, devenerunt, dicentes, ac etiam in ſcriptis offerentes infra inſertos articulos, videlicet imprimis. Cum ſanctiſſimus Dominus Noſter declaraverit, electionem quam Fratres Conventuales dicebantur feciſſe ſub nomine Miniſtri Generalis *Ordinis ſancti Franciſci, fuiſſe contra ejus ordinationem & voluntatem, ipſamque ut talem caſſaverit & annullaverit, declarando & interpretando, ipſam eamdem electionem eſſe & dici debere electionem* Magiſtri Generalis *Fratrum Conventualium, & ut talem approbaverit & confirmaverit, ſupplendo omnes defectus tam juris, quam facti, ejuſdemque electionis Magiſtri Generalis; ideo prædictus R. Pater frater Antonius Marcellus, qui in prædicta electione electus fuerat in Magiſtrum Generalem omnium Fratrum Conventualium, conformando ſe ordinationi & determinationi ejuſdem S. D. N. ſponte, & nemine urgente, declaravit, ut vere filius obedientiæ S. D. N. velle acceptare, & de facto acceptavit prædictam declarationem, approbationem & interpretationem, renunciando & nomini dicti* Miniſtri, *& omnibus quibuſcumque contrariis dictæ ordinationi & declarationi, tam directe, quam indirecte, nolens tamen in aliquo ſibi præjudicare, quin ſit verus, ordinarius, & immediatus Prælatus omnium Fratrum Conventualium, & Monaſteriorum Monialium, ac Tertii Ordinis, qui & quæ erant ſub Miniſtro Generali ante prædictum Capitulum Generaliſſimum, exceptis reformatis unitis. Item promiſerunt tam R. Pater Miniſter Generalis dicti Ordinis, quam prædictus Magiſter Generalis pro ſe & ſuis ſubditis, ac ſucceſſoribus ipſorum ſub pœna amiſſionis privilegiorum, quod quantum in ipſis fuerit, ſervabant & obſervari facient a ſuis ſubditis pœnis & cenſuris, omniqae alia via juridica, omnia & ſingula decreta & ordinata & concordata, eaque per Sedem Apoſtolicam, quæ per ipſos Generalem Miniſtrum & Magiſtrum, concernentia diſpoſitionem Ordinis factam in Capitulo Generaliſſimo ultimo celebrato, & in præſenti inſtrumento contenta. Item dictus R. Pater Miniſter promiſit obſervare ordinationem per S. D. N. factam, qua voluit, Magiſtrum modernum pro hac vice dumtaxat confirmatum eſſe per ſolam benedictionem S. D. N. nec teneri petere pro hac vice a prædicto Miniſtro Generali aliam confirmationem, volens quod dictus Magiſter Generalis ſit & dici debeat verus & indubitatus & immediatus Prælatus omnium Fratrum Conventualium ſancti Franciſci, & Monialium ſanctæ Claræ, quantumvis a dicto Miniſtro non fuerit confirmatus juxta tenorem Bullæ prædictæ, prout & quemadmodum Miniſter Generalis ſuper dictos Conventuales erat verus ac immediatus Prælatus. Item quod prædictus Miniſter Generalis conformiter ad Bullam Apoſtolicam deſuper confectam, conſenſit & conſentit pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, quod nullam juriſdictionem in Fratres Conventuales, & eorum loca, ac Monaſteria Monialium exercebit, ſed ipſorum regimen to-*

Obſervantes & Convent. ineunt concordiam.

Primus Articulus.

Secundus articulus.

Tertius.

tale dicto Magiſtro Generali liberum & integrum dimittet, quemadmodum in dicta Bulla plenius continetur, & hoc fatit ſponte, & nemine cogente,

Quartus. *ſed libere omni meliori modo & via ac forma. Item, licet decretum fuerit per S. D. N. quod Fratres Conventuales digniorem locum deberent dimittere Fratribus Regularis Obſervantiæ in proceſſionibus & aliis actibus publicis; attamen dictus Miniſter abſque præjudicio dicti decreti quantum ad alia loca, conſenſit, quod in Civitate Patavina in proceſſione, quæ fit in die ſancti Antonii, Fratres Conventuales ſervent ſuam antiquam conſuetudinem: ſalvo quod decem Fratres Obſervantiæ Regularis cum Patribus ſenioribus eorumdem Fratrum Conventualium ire poterunt; idemque judicium habeatur in proceſſione, quæ fit in Aſſiſio in feſto Portiunculæ, excepto quod omnes Miniſtri &*

Quintus. *Guardiani remaneant in fine & comitatu Magiſtrorum & Fratrum Conventualium bini & bini, ſi voluerint remanere. Item declaravit dictus Miniſter Generalis ſe intelligere, quod bona Conventuum reformandorum, quorum Fratres Regularis Obſervantiæ nec ſunt nec capaces eſſe volunt, libere diſpoſitioni Magiſtri Conventualium, & Magiſtrorum provincialium dimitti debeant, & aliorum Conventuum & Monaſteriorum, quæ quovis modo de cetero Fratres de Obſervantia auferent Conventualibus, dummodo bona & proventus annui remaneant dictis Magiſtro Generali & Provincialibus, quorum ipſi Fratres de Obſervantia noluerunt eſſe capaces retentionis hujuſmodi. Item*

Sextus, *quod in partibus Citramontanis Fratres Conventuales, qui vitam reformatam ſub Magiſtris ducere voluerint, habebunt pro ſigno diſtinctivo ſoleas de corio, nec talepodiis uti poterunt, nec nudis pedibus intedere. In partibus vero Ultramontanis dicti reformati ſignum diſtinctivum portabunt prout Miniſtri & Magiſtri provinciales inter ſe pro varia conſuetudine Provinciarum & locorum*

Septimus, *convenient, ut pax & tranquillitas inter ipſos Fratres ſervetur. Item declaravit prædictus Magiſter, quod per ſe, nec per alium ejus mandato aut ſcientia, nulla appellatio aut proteſtatio eſt facta aut fiet in futurum contra decreta & ordinata per S. D. N. in dicto Capitulo Generaliſſimo; & caſu, quo aliquis ejus nomine, aut alii ſui ſubditi aliquas proteſtationes ſeu appellationes feciſſent, illis omnibus & ſingulis renunciat, & quantum in ipſo eſt, caſſat, irritat & annullat. Item concordaverunt prædicti Miniſter & Magiſter, quod*

Octavus, *caſu, quo Fratres reformandi in futurum ſub Magiſtris Generalibus & provincialibus Fratrum Conventualium non portaverint ſignum diſtinctivum, prout inter Miniſtros & Magiſtros in ſuis Provinciis reſpective conventum fuerit, tunc cognita per quemcunque vel Ordinarium vel in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, quod hujuſmodi ſignum non deferant, factaque trina monitione canonica per tres dies de deportatione hujuſmodi ſigni, & monitioni cum effectu non paruerint, tunc poſſunt præfati reformandi arctari per Miniſtros vel Guardianos in ſuis Provinciis pro hujuſmodi ſigno portando, invocato etiam ad hoc auxilio brachii ſecularis. Quæ quidem omnia & ſingula cum ego Notarius infraſcriptus publice venerabilibus viris Dominis Laurentio Sager, & Matthiæ Staudinar Clericis, Barien. & Baſilien. dioc. ad hoc vocatis, & ſpecialiter rogatis, item & primo R. Patri D. Antonio Marcello Ordinis Minorum Conventualium Magiſtro Generali, etiam tunc præſenti. venerabili religioſo viro fratri Paulo Ziano Theologiæ Magiſtro Procuratori prædicto, Romæ in Conventu ſanctorum Apoſtolorum, in dormitorio & Camera ejuſdem Magiſtri Generalis die Dominica XIX. ejuſdem menſis Julii ante horam prandii, ſeu hora tertia decima legiſſem alta & intelligibili voce; idem R. Pater D. Magiſter Generalis, & Procurator prædicti ea omnia & ſingula, ut ſupra inſerta ſunt, rata, grata & firma de novo habuerunt & promiſerunt,*

Digitized by Google

runt, manu pectus tangendo more Prælatorum, mihi Notario infraſcripto ſtipulanti & accipienti vice & nomine omnium & ſingulorum quorum intereſt, intererit, aut intereſſe poterit quomodolibet in futurum, ſe illa grata, rata & firma habere & habituros eſſe, & obſervare ac obſervari facere, ut præfertur. Similiter cum poſtea e veſtigio omnia & ſinguia ſupraſcripta ego Notarius infraſcriptus, præſentibus venerabilibus Dominis Franciſco Perez, & Bartholomeo de Trannis Clericis, Burgen. & Cailien. diœceſ. necnon ſupra nominatis Dominis duobus teſtibus ad præmiſſa vocatis, & ſpecialiter rogatis, Romæ in Conventu Aræœli eadem die, mane ante horam prandii oſtendiſſem & legiſſem alta & intelligibili voce Reverendiſſimo in Chriſto Patri & Domino D. Chriſtophoro S. R. E. Presbytero Cardinali de Araœœli, & totius Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci Miniſtro Generali, & etiam tunc præſenti venerabili religioſo fratri Paulo de Parma Ordinis Minorum ſancti Franciſci Regularis Obſervantiæ Commiſſario ſeu Procuratori in Romana Curia, audientibus & intelligentibus, ea omnia & ſinguia grata & firma de novo habuerunt, & promiſerunt, manu pectus tangendo more Prælatorum, mihi Notario infraſcripto ſtipulanti & recipienti, vice & nomine omnium & ſingulorum, quorum intereſt, intererit aut intereſſe poterit quomodolibet in futurum, ſe illa rata, grata, firma habere & habituros eſſe, & obſervare & obſervari facere, ut præfertur. Denuo vero, cum ego idem Notarius infraſcriptus acceſſi ad Reverendiſſimum Dominum D. Portuen. Cardinalem Patriarcham, Gubernatorem, Protectorem & Correctorem prælibati Ordinis Minorum Fratrum Romæ in Palatio ſancti Marci ſuæ ſolitæ reſidentiæ, feria ſecunda, vigeſima ejuſdem menſis Julii, anni currentis, mane horæ tertiarum, ſupra inſertum inſtrumentum concordiæ, ita volentibus prælibatis Reverendiſſimo D. Cardinali, Miniſtro, & Reverendiſſimo D. Magiſtro Generalibus, ac dictis Procuratoribus legi audientibus & intelligentibus. Qui quidem Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Cardinalis Patriarcha, Protector laudavit hujuſmodi concordiam ita factam de conſenſu partium pro bono pacis, & tranquillitatis omnium Fratrum Minorum ſancti Franciſci, & probavit præſentibus venerabilibus viris Marco Sindizonio, & Jacobo Nerdio Canonicis Aquilejen. teſtibus &c. rogatis. Super quibus iidem Reverendiſſimus Dominus Cardinalis, Miniſter, & Magiſter, necnon Commiſſarii ſeu Procuratores petierunt ſibi a me Notario publico infraſcripto fieri unum vel plura publicum ſeu publica inſtrumentum ſeu inſtramenta. Acta & geſta fuerunt hæc Romæ ſub anno, Indictione, Pontificatu, menſe, diebus, & locis, & præſentibus teſtibus quibus ſupra, ad eoſdem actus reſpective vocatis & ſpecialiter rogatis. Ego Jacobus Reta Trebanus Clericus Aquilejen. diœc. publicus Imperiali auctoritate Notarius, & prælibati Reverendiſſimi D. Epiſcopi Cardinalis Patriarchæ, Protectoris totius Ordinis Minorum beati Franciſci Cancellarius, quia inſertorum articulorum præſentationi, pacis initioni, concordiæ pro tranquillitate Religionis, declarationi, renunciationi, caſſationi, irritationi, & voluntatibus, ratificationibus, promiſſionibus, laudationi, probationi, paritioni, omnibuſque & ſingulis dum, ut præfertur, agerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi: Ideo hoc publicum inſtrumentum manu alterius ex protocollo meo fideliter ſcriptum ſubſcripſi, publicavi, & in hanc formam redegi in fidem, robur & teſtimonium omnium & ſinguiorum præmiſſorum rogatus & requiſitus. Super quibus omnibus & ſingulis tamquam rite, recte & legitime geſtis & factis, auctoritatem noſtram, dictæque Curiæ pariter ac decretum interponendum duximus, & interpoſuimus per præſentes.

Anno Christi	Leonis X.	Maximiliani Imp.	Religionis Minorum anno 310.
5517.	an. 5. & 6.	an. 24. & 25.	

In quorum omnium fidem &c. Datum Romæ, die VI. *menſis Novembris* MDXCVI. *præſentibus DD. Marco Antonio Brulo, & Joanne Franciſco Ugolino Cennotariis teſtibus ad præmiſſa omnia & ſingula vocatis, habitis ſpecialiter atque rogatis. T. Lapius Locumtenens. Pro D. Hieronymo Fabrio Curiæ Cau. Cameræ Apoſtolicæ Notario de ſupradicto inſtrumenti tranſumpto rogato, ego Octavius Cellius ejuſdem Curiæ Connotarius illud ſubſcripſi & ſignavi requiſitus &c.*

XXXIV. Finem hunc habuerunt ſub Leone Pontifice tot controverſiæ & perturbationes animorum, quæ quotidie oriebantur inter Obſervantes & Conventuales: atque hac ratione poſt tot Pontificum deciſiones & modificationes, translatum eſt ſupremum Ordinis regimen ad Obſervantes. Utriſque autem tam Obſervantibus, quam Conventualibus ad hæc Capitula congregatis plurima ſuæ benevolentiæ exhibuit Pontifex argumenta, conceſſis abunde quæ victui, animiſque curandis erant neceſſaria.

Miniſter Generalis fit Cardinalis. *De hoc titulo vide quæ habentur ad finem anni* 1527. Commendatur.

XXXV. Unus tantum menſis inter electionem Chriſtophori ad Generalatum, ejuſque aſſumptionem ad Cardinalatum interceſſit. Etenim illa facta eſt die prima Junii, & Kalendis Julii renunciatus eſt Cardinalis tituli ſancti Bartholomæi in Inſula (alius codex Conſiſtorialis habet tituli ſancti Matthæi) a quo poſtea translatus eſt ad titulum ſanctæ Mariæ de Aracœli. Ordinem tamen rexit uſque ad decimum Julii anni ſequentis, quo Comitiis Generalibus præſedit, & ſucceſſorem in Generalatu accepit Franciſcum Lychetum. Eum propter peculiarem vitæ ſanctitatem, morum gravitatem, Religionis obſervantiam, generis nobilitatem, doctrinæ ſapientiam, & virtutum omnium ingenitum ſplendorem ad hanc dignitatem evectum fuiſſe ſcribit Stephanus Joanninus. Virum præſtantiſſimum, virtute & eruditione celebrem Petrus Rodulphus appellat. A teneris annis humanioribus litteris imbutus, Bononiæ ſolidioribus operam dedit, quas in Gallia, poſtquam Minoribus nomen dedit, amplius perfecit, Doctoris etiam lauream conſecutus. Theologiam mox publice inter ſuos profeſſus, cum doctrinæ vitæ probitatem, & in rebus gerendis prudentiam conjunxiſſet, Galliæ Regibus carus fuit, & Reginæ a conſcientiæ arcanis. Per Religionis ſuæ gradus, quos ſuis locis diſtinximus, ad ſupremum pervenit. Cum vero ad Cardinalatum evocaretur, humiliter ſe excuſavit, nec aſſenſit, donec Leo, ut honorem admitteret, omnino præcepit, adjunctis etiam Iſernienſe & Alatrinenſe Pontificiis. Sub Leone, & Clemente VII. ſanctiſſime vixit, uſque ad Urbis depopulationem, ubi podagra impeditus, tutiorem locum adire non potuit: unde irruentibus Barbaris, captus, multa perpeſſus opprobria & injurias, omnia propter Chriſtum tulit conſtantiſſime. Poſt Urbis liberationem ad eum ſcripſit ex Urbeveteri Clemens VII. deinde Franciſcus Gallorum & Henricus Anglorum Reges, ejus calamitati condolentes. Parum ſupervixit; obiit enim Anconæ anno MDXXVIII. X. Kalend. Aprilis.

Ughell. in Monarchis Medicæa. Rodul. fol. 229.

Gilbert. Nicolai promovet Ordinem Annunciatarum. Ejus nomen mutatur. *Tomo* 15. *anno* 1501. *n.* 28.

XXXVI. Qui vero cum Chriſtophoro Generali, electus eſt Commiſſarius Generalis familiæ Ultramontanæ, Gilbertus Nicolai, totus intentus promovendæ Religioni Sororum Annunciatarum, & Confraternitatibus in honorem beatæ Mariæ Virginis nuper exortis, aliud nomen accepit a Pontifice propter ejus ardentem devotionem erga Gabrielem Archangelum, myſterium Incarnationis annunciantem, uti alias diximus; necnon ſequena diploma Religionis, & Confraternitatum confirmatorium, ac deinde alias litteras circa officium Monialium ab eodem impetravit.

Di-

Dilecto filio Gabrieli Mariæ Miniſtri Generalis totius Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ in Ultramontanis partibus Generali Commiſſario.

XXXVII. *Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum in honorem beatæ Mariæ Virginis, cui nulla ſatis digna laus exhiberi poteſt, duæ ſint conſtitutæ Confraternitates ſive Ordines, & una Religio; cujus quidem Religionis a nobis approbata fuerit, & confirmata Regula; fueritque ſupplicatum pro ipſarum duarum Confraternitatum ſive Ordinum confirmatione. Nos ob ſingularem devotionis affectum, quem ab ineunte ætate erga eamdem beatam Virginem geſſimus & gerimus, Confraternitates ipſas ſive Ordines pro illorum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolica auctoritate confirmavimus & approbavimus, & de præſenti confirmamus & approbamus: quarum ſeu quorum tenor talis eſt: prima Confraternitas, ſeu primus Ordo beatæ Mariæ Virginis, decem ſcilicet virtutes beatæ Mariæ Virginis, quæ in Evangelio deſcriptæ ſunt; & quia multum Deo & Virgini placita eſt devotio, qua virtutes ipſius Virginis laudamus & imitamur, ordinatum eſt, ut hujus Confraternitatis ſive Ordinis Fratres & Sorores habeant ſemel in die in honorem decem virtutum decem* Ave Maria *dicere, præmitteudo unum* Pater noſter *pro Papa & felici ſtatu Eccleſiæ, quibus centum dierum de indulgentia miſericorditer impertimur toties, quoties dixerint, ultra prius conceſſas. Item quandocamque audiunt horas diei & noctis, dicant unum* Ave Maria *ad laudem Virginis, & ut intercedat Filium pro pace Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ. Debent etiam portare Fratres & Sorores hujus Confraternitatis & Ordinis decem ſignacula, ſive decem* Ave Maria, *in memoriam decem virtutum ejuſdem Mariæ Virginis. Secunda Confraternitas, ſive ſecundus Ordo eſt: quia a devotis perſonis ſcitum eſt non poſſe perfectius placere Virgini cogitando, quam dum quis cogitat de plagis Filii ſui, & loquendo tam de illis, ſemper benedicendo, & nulli detrahendo, & operando, quam etiam reverentiam digniſſimo Sacramento Altaris faciendo; ordinatum eſt in hac Confraternitate & Ordine illo, quod Fratres dicant ſemel in die quinquies* Pater noſter *cum totidem* Ave Maria, *in honorem quinque plagarum Chriſti, & quinque dolorum præcipuorum Virginis Mariæ, pro quo conſequentur ſimiliter indulgentiam, quæ ſupra de decem* Ave Maria *eſt conceſſa: & cogitare debent quantulumcumque paſſionem in die vel nocte de plagis, vel morte Salvatoris noſtri, deſiderando propter ipſum aliquas plagas ſuſtinere patienter in hoc mundo. Ordinatum eſt etiam, quod Fratres & Sorores hujus Ordinis ſint advocatæ pacis, ſtudendo pacem ponere in domo, in qua habitant, & inter illas perſonas cum quibus converſantur; & ut ita concedat eis Dominus, dicant decem* Ave Maria *primi Ordinis, & idem quod dicitur ſingulis horis. Quo vero ad tertiam de faciendo reverentiam digniſſimo Sacramento, ordinatum eſt quod Fratres & Sorores hujus Ordinis audiant Miſſam in die, ſi adſit facultas: in ſecundo, quod numquam loquantur in Eccleſia, niſi orationis verba: Et tertio, quod Altaria & calices & ornamenta Eccleſiæ ſit munda & nitida, deudo pauperculis, & aliis talia non habentibus, ut habeant unde etiam ſint in his divites. Debent etiam aſſociare Sacratiſſimum Corpus Chriſti, quando defertur ad infirmos, vel in proceſſionibus, cum maximo honore & reverentia; & quando audiunt pulſare campanas pro Miſſa celebranda, dicant unam* Ave Maria *pro Sacerdote celebraturo, & populo Miſſam audituro. Nos itaque cupientes prædicta omnibus & ubi-*

Rodor. in Bullar. n. 35. ſub Leone. Confirmantur duæ Confraternitates in honorem B. Virginis.

& ubique publicari, tibi harum ſerie committimus, & facultatem concedimus, ut valeas in ſermonibus publicis & privatis jam dictas Confraternitates divulgare & magnificare, & ut aliis publicentur & manifeſtentur, committimus religioſis bonis. Inſuper cum, ſicut accepimus, ſub tua cura & regimine ſint nonnullæ perſonæ Tertii Ordinis beati Franciſci, quæ a quibuſdam ſecularibus pro Religioſis non habentur, ſed tamquam inter ſeculares reputantur, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod ſi prædictam Confraternitatem ſive Ordinem beatæ Mariæ Virginis aſſumere voluerint, & tria vota ſubſtantialia Religionis emittere, tunc ipſas ex nunc, prout ex tunc, & e converſo Religioſas eſſe etiam, & fore proprie, & ubique tamquam religioſas proprie dictas tractari debere decernas, prout Nos etiam decernimus & declaramus: in contrarium hujuſmodi facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VI. *Julii* MDXVII. *Pontificatus noſtri anno* V.

Vide Roderic. tomo 3. quæſt. reg. 9. 2. art. 2.

EIDEM.

Roder. ibid. Bul. 36.

Approbatur officium coronarum Chriſti & B. Virginis.

Vide eumdem tomo 1. pag. reg. 87. art. 3.

XXXVIII. *EXponi nobis nuper feciſti, quod Chriſtifideles, maxime Ultramontanas partes incolentes, magno devotionis ſpiritu ad officium coronarum ad honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris ejus editum, perſolvendum ducuntur, longeque ampliori eoſdem Chriſtifideles ſperatur devotione ſuccendi, ſi dicto officio Apoſtolicæ confirmationis robur adjicere dignaremur. Nos itaque, qui cuncta, per quæ maxime ad Divinum amorem Chriſtifidelium corda ſperamus ardentius allici, libenter concedimus, dictum officium inferius annotatum, auctoritate Apoſtolica confirmamus pariter & approbamus, ac omnibus Chriſtifidelibus dictum officium recitantibus ad honorem Domini Jeſu, ejuſque puriſſimæ Matris, noſtram impertimur benedictionem: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Tenor autem dicti officii talis eſt: prima corona Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ* parva *dicitur, continet quinque* Pater noſter, *& totidem* Ave Maria, *in honorem quinque vulnerum ejuſdem Domini noſtri. Secunda continet triginta & tres* Pater noſter, *& totidem* Ave Maria, *in honorem ætatis Chriſti, qua in hac vita mortali vixiſſe creditur. Tertia continet quinque pſalmos habentes quinque litteras in principio, quibus nomen* Jeſus *ſcribitur, in honorem nominis Domini Jeſu. Primus Pſalmus,* Jubilate *parvum: ſecundus,* Exaudiat te Dominus in die tribulationis: *tertius,* Salvum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus: *quartus,* Uſquequo Domine obliviſceris: *quintus,* Sæpe expugnaverunt, *& in fine:* In nomine Jeſu omne genu flectatur; *Verſus,* Sit nomen Domini benedictum in ſecula, *Oratio,* Omnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare. Per Dominum &c. *Prima corona Mariæ Virginis continet decem* Ave Maria, *ad honorem Evangelicarum virtutum ejuſdem beatæ Mariæ. Secunda Corona continet ſeptuaginta duo* Ave Maria, *ad honorem ſeptuaginta duorum annorum, quibus pie creditur Virgo in hac vita mortali vixiſſe. Tertia continet quinque Pſalmos habentes in principio quinque litteras, quibus nomen benedictum* Maria *ſcribitur. Pſalmus primus eſt,* Magnificat: *ſecundus,* Ad Dominum cum tribularer: *tertius,* Retribue ſervo tuo: *quartus,* In convertendo: *quintus,* Ad te levavi oculos meos, *in fine,* Sub tuum præſidium, *Verſus,* Dignare me, *Oratio,* Famulorum tuorum &c. *Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XIV. *Septembris, anno Domini* MDXVII. *Pontificatus noſtri anno* V.

XXXIX.

Anno Christi 1517.	Leonis X. an. 5. & 6.	Maximiliani Imp. an. 24. & 25.	Religionis Minorum anno 310.

XXXIX. Hoc eodem anno Idibus Auguſti Matthias Ugonius Epiſcopus Famaguſtanus, Bernardi ſanctæ Mariæ in Portica Diaconi Cardinalis, ac Peruſiæ & totius provinciæ Umbriæ Apoſtolicæ Sedis Legati de latere Vice-legatus, magnas variaſque conceſſit Indulgentias in feſtivitatibus beatæ Virginis Mariæ, viſitantibus ſacellum *Societatis ſeu Confraternitatis Conceptionis Glorioſæ Virginis Mariæ*, ſitum in Eccleſia ſeu Conventu Minorum de Obſervantia, prope & extra muros urbis Peruſinæ. Pulchrum, illæſum & integrum habeo hujus conceſſionis inſtrumentum, in noſtro Archivio aſſervatum.

Indulgentiæ in feſtivitatibus B. Virginis.

XL. Deceſſit hoc anno Forolivii in Cœnobio ſancti Hieronymi Fratrum Obſervantum, uti alias diximus, Jacobus Vagarellus ſive Ungarellus Patavinus, pietate & doctrina illuſtris, quem Scriptores Patavini maxime commendant, præſertim Bernardinus Scardeonius, cujus de hoc viro dignum elogium ſubjungo. *Non parvo neque mediocri ornamento noſtræ Civitati fuit Jacobus Ungarellus ex Ordine Fratrum Minorum, qui ſua excellenti doctrina, & admirabili erga Superos pietate, & acerrima contra hominum vitia inſectatione, & efficacibus ad omnem virtutem exhortationibus, ita aliquando hominum corda perſtrinxit, ita Divino amore incendit, ut ignis ille nulla ratione a diabolo extingui poſſet. Ex quo mirificum beatitudinis nomen, in agro præſertim Piceno, ante exitum vitæ primum, & deinceps poſt obitum, quam feliciſſime nactus eſt. Hic ſolerti diligentia, nec mediocri labore* Summæ Angelicæ *libri contextum ita diligenter emendavit, ut ultra mille & quingenta vitia, cum ab injuria temporis, tum a librariorum incuria illata correxerit. Addidit inſuper eidem doctiſſima ſcholia, quæ obſcuriſſima quæque loca maxime illuſtrant.*

Tomo 10. *anno* 1421. *n.* 113. Moritur Jacobus Ungarellus. *Scardeon. de reb. Patav. l.* 2. *claſſe* 6. *fol.* 115. *Vide Portinar. de felicitate Patav. lib.* 3. *cap.* 3.

XLI. *Ceterum, cum ex hujus fluctuantis vitæ naufragio ad cœleſtem portum repentino curſu ſe adduci videret, priuſquam extremam huic operi manum imponeret, Auguſtinum Urbinum ejuſdem patriæ & profeſſionis virum, qui cum ab ineunte ætate, ſumma ſibi amicitia interceſſerat, ad ſe vocari juſſit; cui provinciam hanc ſuſcipiendam legavit, ſupplex rogans, ut reviſendo & ſupplendo rite emendatum opus peroportune ad communem utilitatem in lucem ederet. At ille naviter profecto, & in primis curavit, ut opus haberetur ab omnibus erroribus emendatum; & in ipſo operis veſtibulo epiſtolam addidit non inconcinnam neque inelegantem, quæ ſane fundamenta collabentis ferme operis firmet & muniat. Hic beatus Jacobus ſepultus eſt in ſublimi arca marmorea in Urbe Forllivii: ubi maxima reverentia pro Divo a cunctis honoratur & colitur.* Ejus Epitaphium exſcripſimus, cum de ſupradicto Cœnobio ageremus.

XLII. Sub hunc annum aliqui reponunt mortem Thomæ a ſancto Antonio Laici, ex Corbaria, Corſicæ oppido oriundi. Subiit inſtitutum iſtud in Conventu Aregnani, ubi in ſumma humilitate orationi aſſidue intentus, & caritatis operibus totus addictus, ad eum pervenit perfectionis gradum, ut miraculis in vita & poſt mortem claruerit. Deceſſit in Cœnobio Araccœli, quod alias enarravimus.

Item Thomas a ſancto Antonio. *Daza l.* 1. *c.* 28. *ad hunc annum. Gonz. in Provin. Corſica Conv.* 14. *Tom.* 3. *an.* 1251. *num.* 57.

XLIII. Ipſo hoc anno diem obiit in Conventu Arevalenſi Laurentius a Rapariegos itidem Laicus, poſt annos ſexaginta in Religione tranſactos. Inſtar ſancti Alexii ipſo die, quo uxorem, ſuadentibus parentibus, ducturus erat, clam inſalutatis omnibus, ad Minores confugit, a quibus in conſortium admiſſus, ſanctiſſime vixit, miraculis plurimis & ſpiritu prophetico illuſtris. Sepultus eſt ſub Altari Templi præcipuo.

Necnon Laurentius a Rapariegos. *Gonz. in Provin. Conception. Conv.* 30. *Marc. l.* 8. *c.* 42.

XLIV. Hoc anno, quo jam Martinus Lutherus cœpit per Germaniam hæ-

Incipit florere Martinus a Valentia. *Citron. MSS. Inderum. Redul. f. 295.*

hæreſes fanaticas & pernicioſiſſimas diſſeminare, docte & pie concionari cœpit in Hiſpania Martinus a Valentia Hiſpanus, vir ſanctiſſimus, qui detrimentum, quod in Aquilonaribus partibus fides Chriſtiana paſſura erat, in Indiarum remotiſſimis Regionibus plene poſtea compenſavit Evangelica prædicatione, converſis ab Idolorum cultu integris Provinciis & Regnis. Ita ſingulari Dei Providentia factum eſt, ut damnum, quod Martinus unus depravata invexit doctrina, Martinus alter integra fide & mirandis operibus reſarciret. Quanta & qualia vir optimus in fidei obſequium præſtiterit, quam longe lateque Chriſtianam propagarit doctrinam, & quanto fulgore aliis præluxerit, ſuis temporibus dicemus.

XLV. Miniſter Generalis & Commiſſarius Ultramontanus ſuppliciter expoſuerunt hoc anno ingentem Hiſpanorum erga ſanctam Mariæ Virginis Conceptionem affectum; necnon frequentem illorum concurſum ad audienda Divina officia in die, & per octavam Conceptionis, vel inde allectorum, ut lucrarentur magnas illas indulgentias, quas Sixtus IV. conceſſit iis, qui hujuſmodi intereſſent officiis; devotionem vero iſtam ſæpe impediri per interdicta. At impedimentum iſtud voluit Pontifex remotum per litteras ſequentes.

Tollitur interdictum in die & octava Conceptionis.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Regeſt. Ultramon. fol. 30.

XLVI. *Super gregem Dominicum curæ noſtræ creditum, vigilis ſpeculatoris exercentes officium, ad ea libenter intendimus, quæ ad omnipotentis Dei laudem & gloriam, ac ejus Genitricis gloriosæ Virginis Mariæ honorem & reverentiam, fideliumque animarum ſalutem, & eorum ſpecialem conſolationem cedere digneſcuntur. Cum itaque dudum fel. record. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter, inter alia perpetuo ſtatuerit & ordinaverit, quod omnes & ſinguli Chriſtifideles utriuſque ſexus, qui Miſſam & Officium Conceptionis beatæ Mariæ Virginis, juxta piam, devotam & laudabilem ordinationem quondam Leonardi de Nogarolis Clerici Veronen. tunc in humanis agentis, & quæ deſuper a dicto Prædeceſſore emanarat, Miſſæ & officii hujuſmodi inſtitutionem, in feſto Conceptionis ejuſdem Virginis Mariæ, & per ejus octavas devote celebrarent, eamdem præfus indulgentiam, & peccatorum remiſſionem exinde conſequerentur, quam juxta piæ mem. Urbani IV. in Concilio Viennen. approbatam, & Martini V. ac aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, conſequebantur illi, qui Miſſam, Officium & horas Canonicas in feſto Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti a primis Veſperis & per illius octavas, juxta Romanæ Eccleſiæ conſtitutionem celebrabant, dicebant, aut Miſſæ, Officio & horis hujuſmodi intererant, prout in ipſorum Prædeceſſorum litteris dicitur contineri. Et licet, ſicut dilecti filii Miniſter, ac citra & ultra montes Regularis Obſervantiæ Vicarii Generales Ordinis Minorum, nobis nuper exponi fecerunt, feſtum Conceptionis hujuſmodi in Hiſpania ſingulari in veneratione habeant, & dum aditus patet, magna ad Eccleſias, in quibus illud celebratur, confluat multitudo fidelium: nihilominus ſæpius contingit, quod propter interdicta, quæ in partibus tam Apoſtolica, quam ordinaria auctoritatibus paſſim ponuntur, fideles præfati in dicto feſto Conceptionis & illius octavis ad dictas Eccleſias, dum Divina in eis celebrantur, accedere nequeant, & ſic devotionis eorum affectus & Indulgentiæ prædictæ fructu & beneficio defraudentur. Nos, qui fideles quoslibet ad ipſius gloriosæ Virginis veneration-nem, & jugem erga eam devotionem, prout poſſumus, libenter exhortamur, eo-*

Anno Christi	Leonis X.	Maximiliani Imp.	Religionis Minorum anno 310.
1517.	an. 5. & 6.	an. 24. & 25.	

eorumdem Miniſtri & Vicariorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, ſtatutum & ordinationem Sixti prædeceſſoris hujuſmodi, ad hoc ut & pro tempore interdicti, quavis auctoritate, & ex quibuſvis cauſis pro tempore appoſiti in quibuſvis Hiſpaniæ Eccleſiis & locis, a primis Veſperis dicti feſti Conceptionis, uſque ad illius totalem octavam inclusive, Miſſæ & alia Divina officia apertis januis, & pulſatis campanis, atque alta voce, excommunicatis dumtaxat & interdictis nominatim expulſis, celebrari, & ſinguli Chriſtifideles præfati non excommunicati nec nominatim interdicti, ad Miſſas & alia Divina officia audienda, ac indulgentiam & peccatorum remiſſionem hujuſmodi conſequendam; & ſimili tempore a primis Veſperis dicti feſti Corporis Chriſti, & uſque ad illius totalem Octavam, juxta prædictas, ſeu & quaſdam præfati Martini prædeceſſoris conſtitutiones eſt præmiſſum, libere & licite poſſint. Cumque, ſicut dicti Miniſter & Vicarii aſſerunt, eadem ſeu ſimilis gratia profeſſi vitatibus & octavis ſanctorum Franciſci & Antonii de Padua ac ſanctæ Claræ per Sedem Apoſtolicam conceſſa ſit, Apoſtolica auctoritate præfata, tenore præſentium extendimus & ampliamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & omnibus illis, quæ dicti Prædeceſſores in eorum conſtitutionibus prædictis voluerunt non obſtare, ac ceteris quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXII. *Maii* MDXVII., *Pontificatus noſtri anno* V.

Idem in die & octava Corporis Chriſti.

Ac ſanctorum Franciſci, Antonii & Claræ.

XLVII. Creati ſunt Epiſcopi hoc anno, Verienſis ſive potius Berienſis in Macedonia, ſub Archiepiſcopo Theſſalonicenſi, deinde ſuffraganeus Epiſcopi Abulenſis in Hiſpania, frater Joannes Caſalla, ſacræ Theologiæ profeſſor, die XX. Aprilis. Tarozamenſis, ſub Theodoſiopoli, quæ eſt Sedes duodecima ſub Patriarcha Antiocheno, & ſuffraganeus Venetenſis in Gallia, frater Theodoricus Kever alias Kenco, die XXVI. Junii. Amidenſis in Syria, quæ eſt Sedes decima ſub eodem Patriarcha, & ſuffraganeus Epiſcopi Raguſini, frater Matthæus de Vivariis, die XXVI. Novembris. Sub hujus anni initium obiiſſe Antonium Trombettam Archiepiſcopum Athenienſem, mihi conſtat ex libro conſiſtoriali, in quo ſub diem XXIX. Maii hæc Eccleſia confertur Bernardino de Prato de Cherio Magiſtro Generali Conventualium, ſuffraganeo Epiſcopi Maſſilienſis, per obitum, inquit, Antonii Trombettæ; ſed alii ejus mortem differunt in annum ſequentem, ſepulcrali Epitaphio, quod alias dedimus decepti.

Fr. Joannes Caſalla Epiſc. Betienſis.

Fr. Theodorus Epiſc. Tarozam.

Fr. Matthæus Epiſc. Amid.

XLVIII. Ex diplomate Leonis conceſſo in favorem Confraternitatis ſanctæ Luciæ in Templo Minorum ſanctæ Mariæ de Varano, extra Urbem Recinetenſem, ab Epiſcopo Nicolao de Actis Forolivienſi inſtitutæ, conſtat domum hanc ab eodem Antiſtite, qui anno MCCCCXX. fatis conceſſit, fuiſſe conſtructam, eamque conditionem appoſuiſſe, ut quotannis aliquot Miſſarum ſacrificiis ejus animæ Fratres ſubvenirent, dictamque Confraternitatem ab ipſo multa dotatam pecunia ultimis tabulis obſtrinxiſſe, ut panni aliquot menſuras, aliaque neceſſaria Fratribus miniſtrarent. Clemens VII. Guardiano hujus Cœnobii ex tribus clavibus gazophylacii domus ſacræ Lauretanæ unam tradidit, primam Gubernatori Lauretano, ſecundam Deputatis Recinetenſis Senatus. Situs eſt commodus & amœnus, ibique viget ſacræ Theologiæ ſtudium.

Conz. in Provin. March. Conv. 14. Lib. 44. Regeſt. fol. 151. Conv. Recineti.

XLIX. Hoc anno vel proxime antecedenti, Eccleſia ſanctæ Mariæ de Populo in meditullio Riparoli, oppidi diœceſis Cremonenſis, collata fuit fratri Evangeliſtæ a Caſali, Viro venerabili, ut ſui Inſtituti adjungeret Cœnobium. Id ille fecit, accedente demum Adriani VI. & Clementis VII. conſenſu.

Idem in Provin. Brixiæ Conv. 21. Conv. Ripar.

Anno Christi 1517.	Leonis X. an. 5. & 6.	Maximiliani Imp. an. 24. & 25.	Religionis Minorum anno 310.

Indid. Conv. 1. Conv. Brixienſ.

L. Cum hoc tempore urbs Brixienſis bello quateretur, & Senatus timeret, ne duæ extra mœnia Eccleſiæ, ſanctis Apollonio & Rocho dicatæ, hoſtibus offendendæ Civitati ſubſidium afferrent, eas dirui curavit, earumque compenſatione ex Leonis Pontificis facultate, Conventum Regularis Obſervantiæ extra urbem ædificari. Templum itaque pulchrum & capaciſſimum adjunctum eſt, eiſdem Sanctis tutelaribus, & ſancto Joſepho ſacrum, quod poſt biennium die IV. Octobris Matthias Ugonus Brixienſis, Epiſcopus Famaguſtanus, ſolemni ritu conſeravit, in eoque voluit ſepeliri. In eodem jacent magnorum Virorum corpora. Sub Altari ſancti Andreæ conditi ſunt ſanctus Silvinus duodecimus Epiſcopus Brixienſis, Ruſtitianus vigeſimus ſecundus, qui ex Eccleſia ſancti Apollonii, dum deſtrueretur, huc translati ſunt; & ſub Altari ſancti Rochi ſanctus Urſicinus etiam Brixienſis Epiſcopus requieſcit; ſed & venerandus Pater Franciſcus ab Aragonia, vitæ ſanctimonia, & generis proſapia illuſtris, in pariete primi ſacelli prope oſtium per quod ad clauſtrum tranſitur, ſepulturam accepit.

S. Silvinus. S. Ruſtitianus. S. Urſicinus Epiſcop. Brixienſes ſepulti apud Minores. Item Franciſcus ab Aragonia.

LI. Joannes a Zerda Dux Methymnæ-cœli erga Fratres Regularis Obſervantiæ ſumme beneficus, hoc anno prope ſuum oppidum Portus ſanctæ Mariæ non longe a mari, e regione Gaditanæ Inſulæ Cœnobium extruxit ſancto Franciſco ſacrum, in loco, ubi prius extitit Eremitorium, ſanctæ Birgittæ Virgini nuncupatum.

Conv. Portus S. Mariæ. Idem in Provin. Betica Conv. 29.

LII. Alphonſus a Sotomajore Comes Belalcazarenſis (qui poſtquam ſolutus eſt a lege uxoris, nobiliſſimæ heroinæ, Philippæ a Portugallia, defunctæ, nomen ſuum dedit Minoribus, ut diximus loco opportuno) dum adhuc ampliſſimum ſtatum gubernaret, ædificavit hoc anno Minoritis Obſervantibus prope Herreram ſive Ferrariam, Toletanæ diœceſis oppidum, pulchrum & commodum Conventum, ſub titulo Conceptionis beatæ Mariæ. Qui ab eo deſcendunt Bexarani Duces, & Comites Belalcazarenſes, Fratribus hujus loci incolis, abunde in ſuis neceſſitatibus ſuccurrunt.

Conv. Herreræ. Idem in Provin. Angel. Conv. 13. Tom. 14. anno 1474. n. 19.

LIII. In Cantabria inter Devam, & Flaviobrigam oppidum eſt Elgobairi ab Oceano P. M. D. diſtans, cujus incolæ, obtenta hoc anno a Leone facultate, Conventum poſuerunt Franciſcanis Obſervantibus, ſub invocatione ſancti Franciſci, Fratrum ferme triginta capaciſſimum, quibus etiam victum abunde ſuppeditant.

Conv. Elgobairi. Idem in Provin. Cantab. Conv. 25.

LIV. Diximus alias nos hoc anno acturos de Conventu Arelatenſi Regularis Obſervantiæ, qui alteri antiquiori a nobis ibidem recenſito, ſucceſſit. Id nunc præſtamus. Originem habuit a Joanne Ferrerio Archiepiſcopo Hiſpano, viro doctiſſimo & piiſſimo, qui pulchro jacet tumulo in Eccleſia ſancti Trophimi, cui alius ejuſdem nominis & cognominis ipſius nepos ſucceſſit. Accepta Pontificis facultate, hoc anno ſtatim manum operi admovit, Templumque dicavit ſanctæ Mariæ de Conſolatione. Ibi ſepultus eſt Joannes Rivus tortus, ejuſdem Conventus Guardianus, pro fide Catholica ſimul cum ſocio Petro Menquio prope Aquas mortuas, ſive foſſas Marianas ab hæreticis captus, & dira paſſus, quæ ſuo tempore referemus.

Tom. 9. anno 1490. n. 26. Conv. Arelaten. Idem in Provin. ſancti Ludovici Conv. 6.

Joannes Rivus tortus, & Petrus Menquius Martyres. Anno 1572.

LV. In Comitatus Zelandiæ inſula una Schaldiæ, quam *Thaudt van Schowren*, indigitant, Civitas Ziriczea, a quodam Ziringuia extructa, omnium Zelandicarum urbium, uti creditur, antiquiſſima, olim rerum omnium mercatu nobilis, antiquum habuit Conventum, qui hoc ipſo anno (non MCCCCLXXXIX. ut habet Gonzaga) ad Obſervantes tranſivit, ſub quibus permanſit uſque ad quintum Auguſti anni MDLXXII. Catholicis fatalis, quo a Geuziis Fratres profligati ſunt.

Conv. Ziriczeę. Gonz. in Provin. Germania inferi. Conv. 26. Monumen. MSS. ejuſdem Provin.

LVI. Hoc item anno Conventus Ultrajectenſis reformatus eſt, quem ve-

Conv. Ultrajecti.

vetuſtum valde fuiſſe indicant Chronica Hollandiæ, Theutonice calamo ſcripta, quæ reſerunt Templum Minorum in magno urbis incendio anno MCCLXXIX. fuiſſe combuſtum: de quo dubitat Arn. Buchelius Batavus in notis ad Chronica Joannis de Beta, de Epiſcopis Ultrajectinis, opponens ſe inveniſſe Cœnobium Franciſcanorum illius urbis a Domina de Ema ex familia Arcalana conſtructum: admittit tamen alios dicere, ante illum annum Franciſcanos in urbe ſedem habuiſſe: atque ita conciliat, ut fortaſſis illorum tum ædes deformatæ, a Domina de Ema fuerint reſtauratæ. Claruerunt in hoc Cœnobio Bonaventura ab Oldenzeel, concionator celeberrimus, delectus a Georgio Egmundano Epiſcopo Ultrajectino in ſuffraganeum. Joannes Cuyphius primus Epiſcopus Groeningenſium in Friſia. Item inſignis ille P. Bartholomæus a Middelburgo, de quo alias ſumus locuti.

Chron. Hollandiæ rel. l. divis. 19.

Hiſtor. Ultrajectk. ſub Epiſc. 39.

Bonaventura ab Oldenzeel. Epiſcopus N.

Joannes Cuyphius Epiſcopus Groeningen.

In lib. de Scriptor.

LVII. Circa hunc annum apud Zuvatzium elegantem frequentemque pagum, ab Oeniponte per leucas quinque diſtantem, commodus & pulcher extructus eſt Conventus a mineralium foſſoribus, qui copioſiſſimæ argenti fodinæ incumbebant. Hujus artis homines Fratribus ſunt addictiſſimi, & duodecim, qui in hac domo morantur, abunde ſuſtentant. Quando primo conſtructa eſt, ſpectabat ad Provinciam Auſtriæ, nunc vero ſubeſt provinciæ Tyrolenſi.

Conv. Zuvarzii. *Gonz. in Provin. Tyrol. Conv. 4.*

LVIII. Monaſteria duo provinciæ Etruſcæ ante hoc tempus erecta fuiſſe probant quarumdam feſtivitatum Indulgentiæ hoc anno a Leone Papa conceſſæ. Illa ſunt ſancti Georgii in urbe Pratenſi, & ſanctæ Claræ apud Sartianum, de quibus nihil reperio dicendum, præterquam quod, illud centum quinquaginta Sorores, iſtud pauciores habere ſolent Clariſſas. Eſt etiam aliud apud Sartianum Monaſterium ſancti Joannis vallis Arni, Sororum quadraginta, cujus itidem origo, uti & præcedentium, nobis eſt incerta.

Idem in Provin. Tuſcia Monaſt. 16. 17 & 18.

Monaſt. Pratenſe.

Monaſt. Sartianum S. Claræ.

Aliud Sartianum S. Joannis.

LIX. Chriſtophorus Pallavicinus, Marchio Buxeti in Lombardia, inſigne ibidem conſtruxit Monaſterium Clariſſarum, obtenta hoc anno die XI. Aprilis facultate Pontificia. Primæ diſciplinæ Regularis Magiſtræ, Margarita Malaſpina, aliæque duæ Sorores ex Monaſterio Placentino Vallis viridis egreſſæ. Laxatos deinde mores reſtituerunt Margarita Pallavina, cum aliis quinque Sororibus ex Monaſterio ſanctæ Mariæ Gratiarum Parmenſi translatæ.

Monaſt. Buxeti. *Idem in Provin. Bonon. Monaſt. 16.*

LX. Margarita a Lotharingia, Alenconienſium Duciſſa, Renati Ducis conjux, poſt alia a ſe conſtructa Monaſteria Monialium Clariſſarum, quæ nos per annos fundationum diſtinximus, ædificavit alterum Argentonii, quod Normanniæ oppidum eſt, circa hunc annum, conſentientibus Leone Pontifice, & Carolo Duce ipſius Margaritæ filio. Primum habitarunt Tertiariæ, a quodam Xenodochio illuc translatæ; deinde anno MDXXIV. Clariſſæ, in quas illæ ſe transformarunt, obtenta Leonis licentia. Eccleſiam ſub titulo Annuntiationis beatæ Mariæ conſecravit Jacobus de Silli Epiſcopus Sagienſis. In majori ſacello ad epiſtolæ latus jacet honorifice prædicta Margarita fundatrix, anno MDXXI. pie defuncta.

Monaſt. Argentonii. *Idem in Provin. Franc. Pariſien. Monaſt. 5.*

LXI. In ſuburbiis Elchenſis oppidi, quod ad Maquedanos Duces ſpectat, ſub hunc annum conſtructum eſt, ſub titulo Annuntiationis beatæ Mariæ, Monaſterium Clariſſarum Urbaniſtarum, incerto auctore. Fundatum conjiciunt aliqui dotibus primarum juvencularum adventantium, piorumque ſubſidiis. Ex primis Regularis diſciplinæ Magiſtris, valde commendabilis fuit Angela Martinez a Miedes, ex Monaſterio Oriolano evocata: mira caritate, ferventi oratione, profunda humilitate, aliiſque vir-

Monaſt. Elchenſe. *Idem in Provin. Carthag. Monaſt. 6.*

Angela Martinez a Miedes.

tutibus insignis, quæ proinde Angelicam potius, quam humanam vitam duxisse reputabatur.

Monast. Annunciatarum Bethuniæ. *Lucas in Chron. Belg. Myræus de Annunc. c. 3. Gazæus in Chron. Ord. Annunciat. Gramaye in Bethun.*

LXII. Monasterium Sororum Annunciatarum Bethuniæ, ab Isabella Lutcemburgensi, Principis Espinoy relicta, inchoatum, & quasi ad coronidem perductum, Franciscus Melodunæus, ejus filius & hæres, ut supremo genitricis mandato acquiesceret, Ludovica Foxia in eadem vota eunte, duodecim aut tredecim Virginibus ad jugiter incolendum admissis, hoc anno suo fine coronat. Locum sacravit Franciscus Melodunæus Morinorum Episcopus. Prima sacro cœtui præfuit Maria Santerrana. Isabellæ fundatricis in odeo sub marmore jacentis, hoc visitur Epitaphium, lingua tamen Gallicana.

> *Hic jacet Excelsa & Potens Domina Isabella de Luteemburgo, dum viveret, Comitissa usufructuaria d'Espinoy, vidua Illustris, & Potentis Domini dicti loci, Conestabilis Flandriæ, Baronis Anthoniæ, & Bouberfii, D. de Beaumez, Mezencousture, Haucby, Harny &c. Mater Illustrissimi Franciscei de Meleum Comitis d'Espinoy, Equitis Ordinis Cæsarei, Conestabilis Flandriæ, & Domini suprædictorum locorum, fundatoris hujus loci, an.* MDXIX. *defuncti.*

Alterius ex adverso Aræ majoris inscriptio refert Hugonem Melodunæum, Principem d'Espinoy, Comestabilem Flandriæ, Castellanum Bapalmæ, Baronem Anthoniæ, & Bouberfii, Dominum Richeburgi &c. mortuum Augusti XIII. anno MDLIII. Abbas Vedastinus Philippus Caucrelius annuos auxit proventus, quo numerus Virginum sensim illic accresceret.

Tertius Soror. Tertii Ordinis Illescis. *Gonz. in Prov. Castel. Mon. 15. Salazar. l. 7. c. 14.* Agnes a Conceptione.

LXIII. Franciscus Cardinalis Ximenius postremo hoc suæ vitæ anno, domum fundavit vel complevit Illescis sub titulo Conceptionis beatæ Mariæ Sororum Tertii Ordinis, quæ ad numerum trigesimum & ultra excreverunt. Primas institutrices acceperunt ex domo Cubana sanctæ Crucis, Agnetem a Conceptione primam Abbatissam, Ximenii consobrinam, fœminam sanctissimam, prophetiæ spiritu illustrem; Luciam ab Angelis Vicariam, Euphrasiam a sancta Clara Novitiarum Magistram. Sub hunc annum omnes receptæ sunt a Joanne de Marquina, Vicario Provinciæ Castellæ, a Minoribus regendæ. Sub Pio V. & Generalatu Christophori a Capite-fontium, velum & clausuram admiserunt. Beneficium habent pingue rurale Fontis-albi, a Ximenio, uti conjicio, concessum. Etsi enim Gonzaga, & ex eo Salazarius asserant Ximenium morte præventum nullos applicuisse reditus; attamen Alvarus Gomesius diligentissimus rerum a Ximenio gestarum historicus, affirmat eum sub annum hujus seculi decimum cuidam Araozo penoris præfecto ædem hanc absolvendam mandasse: & in principio libri commemorat eamdem ædem a Ximenio *annuis proventibus perpulchre fuisse instructam*.

Gomes. de reb. Ximen. lib. 5.

Variæ privilegia Fratrum.

LXIV. Multa hoc anno Pontifex Minoribus præsertim Regularis Observantiæ indulsit privilegia, & favorabiles declarationes. Taxavit stipendium Missæ rationabili pecuniæ quantitate, ut commodius sacerdotes vivere possint, & Missæ securius possent celebrari: *Cum sicut accepimus*. die XXIII. Martii. Propter dubium exortum circa privilegia Mendicantium, post declarationes nuper factas in Concilio Lateranensi, quid circa illa sentiendum esset, declaravit, omnia confirmans & renovans, cum moderationibus factis in Concilio: *Superioribus diebus*. die XIV. Maii. Declaravit Observantes non teneri ad complenda illa onera & obligationes Missarum & obligationum, quæ fundata erant in domibus Conventualium,

quæ

quæ in poteſtatem Obſervantum tranſierunt: *Nuper pro parte*. die XI. Julii. Dedit facultatem res ſuperfluas per Syndicum Apoſtolicum vendendi, vel in alias neceſſarias commutandi: *Exponi nobis fetiſti*. die XXIX. Julii. Auctoritatem ab aliis Romanis Pontificibus datam Superioribus ſuos ſubditos ab omnibus exceſſibus abſolvendi, confirmavit: non obſtante reſervatione quorumdam caſuum facta in Concilio Lateranenſi: *Exponi nobis feciſtis*. die XIV. Maii. Notum voluit omnibus, quoſcumque Chriſtifideles Miſſam audientes in Eccleſiis Ordinum Mendicantium diebus Dominicis & feſtivis, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de Miſſa audienda, neque ullam pœnam incurrere, quia illam extra ſuas parochiales audiunt Eccleſias: *Intelleximus quoſdam*. die XIII. Novembris. In proceſſionibus aliſque actibus publicis decrevit, Fratres Obſervantes in concurſu cum Patribus Conventualibus, debere habere locum digniorem: *Licet alias poſtquam ſtatueramus*. die VI. Decembris.

LXV. Indulſit omnibus Clariſſis tam primæ, quam ſecundæ Regulæ, ſub cura Fratrum Regularis Obſervantiæ viventibus, ne poſſent cogi ad ſolvendas Decimas: *Dudum fel. rec. Alexander*. die XIV. Februarii. Declaravit Sorores Tertii Ordinis collegialiter viventes, & tria vota Religionis emittentes in manibus ſuorum Superiorum, veras eſſe Religioſas: *Ea quæ per Sedem Apoſtolicam*. die ultima Auguſti. Eiſdem Tertiariis communicavit omnia privilegia Clariſſis ſive Minoriſſis quibuſcumque conceſſa: *Dudum fel. record. Sixtus*. die XXVII. Maii. Alia Sororum.

ARGUMENTUM.

Frater Chriſtophorus Namajus Cardinalis cogit Capitulum Generale, in quo fit Miniſter Generalis Franciſcus Lychetus, & admittuntur ad unionem Obſervantiæ Gallicanæ Provinciæ, ac multa prudenter conſtituuntur, ereEtis etiam aliquot novis Provinciis. In India Occidentali gentilium preſſuris proſpiciunt Franciſcani. Moritur Didatus a Lugo. Creantur Epiſcopi. Creſcit Inſtitutum.

I. Christophorus Numajus Miniſter Generalis, necnon S. R. E. uti diximus, Cardinalis, indixit hoc anno Comitia Generalia celebranda in Civitate Lugdunenſi, quibus ipſe præfuit in Conventu S. Bonaventuræ intra urbem. Summo omnium applauſu electus eſt Franciſcus Lychetus Brixienſis, vir doctus, in doctrina Scoti, quam uberrimis commentariis elucidavit, apprime verſatus. Definitores utriuſque familiæ, propria ſive potius Apoſtolica auctoritate nominavit Cardinalis, alioſque duodecim adjunxit, pro variis cauſis Ordinis decidendis. Omnes ſubjungo. *Reg. Ordinis. An. præced. n. 35.* Capitulum Generale ſecundum Obſervantum. Fit Miniſt. Generalis Franciſcus Lychetus. Definitores utriuſque familiæ.

Definitores Ultramontani.

Miniſter Provinciæ S. Bonaventuræ.
Miniſter Provinciæ Turoniæ Fratrum olim reformatorum.
Miniſter Provinciæ Franciæ Fratrum olim reformatorum.
Miniſter Provinciæ Franciæ Pariſien. Fratrum olim de familia.
Miniſter Provinciæ Aragoniæ.
Commiſſarius Provinciæ Argentinæ.

Qui adjuncti fuerunt.

Cuſtos Provinciæ Argentinæ.
Miniſter Provinciæ Burgundiæ.
Miniſter Provinciæ Turoniæ Fratrum olim de familia.

Mi-

Anno Christi 1518.	Leonis X. an. 6. & 7.	Maximiliani Imp. an. 25. & 26.	Religionis Minorum anno 311.

Miniſter Provinciæ de Sanctoyo.
Cuſtos Provinciæ Granatæ, ſive Baticæ.
Cuſtos Provinciæ Mediolani.
Cuſtos Provinciæ ſancti Antonii.

Definitores Cismontani.

Miniſter Provinciæ ſancti Franciſci.
Miniſter Provinciæ Tuſciæ.
Miniſter Provinciæ ſancti Antonii.
Miniſter Provinciæ Baſilicatæ.

Adjuncti.

Miniſter Provinciæ Mediolani.
Miniſter Provinciæ Januæ.
Cuſtos Provinciæ Tuſciæ.
Cuſtos Provinciæ Bononiæ.
Cuſtos Provinciæ Auſtriæ.
Miniſter Provinciæ Romanæ.

Provinciæ Galliæ uniuntur obſervantibus.

II. Confirmati ſunt in ſuis officiis, quæ proxime præcedenti Capitulo Generali acceperunt, Guardianus Hieroſolymitanus, frater Zenobius e Florentia, & Miniſter Candiæ, frater Seraphinus Comenſis Provinciæ Etruriæ. Deinde ſponte accedentes Provinciæ Galliæ ad obedientiam Generalis Miniſtri Obſervantum, hac ratione ſunt admiſſæ abſque ullis pactis aut præmiſſis conditionibus, ſive permiſſionibus retinendorum privilegiorum circa annuos proventus poſſidendos, aut circa alias relaxationes Regulæ, uti aliqui ſuis erroribus pernicioſe blandientes, & noxiam vivendi libertatem ſpecioſe palliantes, hic in Curia Cardinalibus & Prælatis, quibus dubium hoc examinandum commiſſum eſt, perſuadere ſtuduerunt, & ſcriptis publicarunt. Neque enim Miniſter Generalis, aut Ordinis Comitia ad conſortium Regularis Obſervantiæ, vel ſub obedientia Superiorum, perfectam & puram Regulæ ſequelam profitentium, aggregare potuerunt eos, qui manifeſte contrairent, & privilegia relaxativa ſibi vellent ex pacto reſervata: Referam itaque ex ipſis actis Capituli, quæ in tribus Regiſtris Ordinis abſque ulla differentia ſunt exarata. Primum Regiſtrum eſt Miniſtrorum Generalium, bipartitum in Ultramontanum & Ciſmontanum, egregie ſcriptum, & bene compactum in chartis membraneis: ſecundum Procuratoris Ordinis: tertium Commiſſarii Curiæ, reſpective ad familiarum viciſſitudines, ita ut unaquæque ſuos habeat codices, & Actorum depoſita, magnis voluminibus comprehenſa. In his itaque Regeſtis hoc modo, hiſque ipſis verbis res geſta narratur.

Abſque ulla permiſſione proventuum.

Varia Ordin. Regiſtra apud auctorem.

III. *Statuit deinde, & ordinat Capitulum Generale pro hac ſancta unione Ordinis, & pace conſervandis, quod omnes Conventus, domus & loca tam Fratrum, quam Monialium ſanctæ Claræ, quam Tertii Ordinis beati Franciſci, qui modo ſubſunt obedientiæ R. P. fratris Claudii Chambon, moderni Miniſtri Provinciæ Franciæ quoad Fratres, qui olim dicebantur* reformati, *habebunt unum Miniſtrum Provincialem per ſe, qui appellabitur Miniſter Provincialis Provinciæ Franciæ. Et omnes domus & loca tam Fratrum, quam Monialium ſanctæ Clarę, quam Tertii Ordinis, qui modo ſubſunt obedientiæ R. P. fratris Bonaventuræ nepotis moderni Miniſtri dictæ Provinciæ, quoad Fratres, qui olim dicebantur* de familia, *habebunt unum Miniſtrum Provincialem per ſe, qui appellabitur Miniſter Provinciæ Franciæ Pariſienſis.*

Prov. Franciæ.

Provinciæ Franciæ Pariſienſis.

IV. *In Provincia autem Saxoniæ omnes Conventus, domus & loca, quæ ſunt ſub obedientia R. P. Fr. Joannis Auberghe, Miniſtri dictæ Provinciæ, quoad Fratres olim* de familia, *habebunt unum Provincialem, qui dicetur Provincialis Saxoniæ ſanctæ Crucis. Et Conventus, domus & loca, quæ ſunt ſub obedientia Reverendi Patris Miniſtri ejuſdem Provinciæ, quoad Fratres olim*

Provinciæ Saxoniæ S. Crucis.

Prov. Saxon. S. Joan. Baptiſtæ.

olim reformatos *nuncupatos tam Fratrum, quam Monialium aut Sororum Tertii Ordinis, habebunt alium Miniſtrum Provincialem, qui dicetur Provincialis Saxoniæ ſancti Joannis Baptiſtæ.*

V. *In Provincia vero Turoniæ omnes Conventus, domus & loca, quæ ſunt ſub obedientia R. P. Fr. Bernardini de Pinerolio, moderni Miniſtri dictæ Provinciæ, quoad Fratres qui olim dicebantur* reformati, *habebunt unum Miniſtrum Provincialem, qui appellabitur Miniſter Provincialis Turoniæ. Omnes vero Conventus & loca tam Fratrum, quam Sororum, qui ſunt ſub obedientia R. P. Fr. Petri Guinardi Miniſtri dictæ Provinciæ Turoniæ, quoad Fratres, qui olim dicebantur* de familia, *habebunt alium Miniſtrum Provincialem, qui appellabitur Provincialis Pictavienſis in Turonia. Quos quidem Provinciales Reverendiſſimus Dominus Cardinalis auctoritate Apoſtolica in hoc Capitulo præſidens, una cum Reverendiſſimo Generali Miniſtro, ac toto Capitulo in Provinciales inſtituit & confirmat, ac de cetero tam in Capitulis, quam alibi, dictis nominibus appellari, ac in ſcripturis & ſignaturis inſcribi præcipit & mandat ad meritum obedientiæ ſalutaris.* Prov. Turon. Provin. Turon. Pictavienſis.

VI. *Ordinat etiam Generale Capitulum, quod omnes Conventus, domus & loca etiam Fratrum, quam Sororum, quæ prius dicebantur Fratrum* reformatorum, *quam qui appellabantur* de familia *intra Provinciam ſancti Bonaventuræ ſeu etiam Burgundiæ, & pro hac vice ab omnibus Vocalibus dictorum locorum ſuper omnes electus eſt R. P. Fr. Philippus Lulyer, & ſuper eoſdem confirmatus in Miniſtrum Provincialem. Et ut dictarum Provinciarum Fratres unitatem animarum induere poſſint, ordinatur, & in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus Fratribus præcipitur, quod quicumque Frater, cujuſcumque conditionis exiſtat, qui deliberate & injurioſe dixerit alicui aut de aliquo verba injurioſa, & pacis perturbativa, ut puta dicendo ſe aut ſuos melius reformatos, & alios tranſgreſſores ſeu relaxatos, aut converſos, ſeu de novo Ordine, aut non de Mendicantibus, aut ſimilia, tam inter Fratres, quam ſeculares; aut aliquid fecerit, per quod pax ipſa turbetur: pro prima vice inobedientiæ crimen incurrat; pro ſecunda vero vice ultra inobedientiæ crimen capucium novitiorum per menſem integrum portet; pro tertia vero vice, ultra præfatum inobedientiæ crimen, exulare debeat perpetuo a Provincia: & talis delinquens a nemine poſſit abſolvi a peccatis, mortis articulo excluſo, donec prius pœnitentiam prædictam cum effectu acceptaverit.* Prov. S. Bonaventuræ. Abſtinendum a verbis injurioſis.

VII. Hæc ſtatuta ſunt de Provinciis Franciæ & Saxoniæ. Quomodo autem intelligenda ſit illa differentia Fratrum *reformatorum*, & eorum qui dicebantur *de familia*, non ſemel diximus. Circa aliquot vero Cuſtodias hæc ſunt edita decreta.

VIII. *Cuſtodia Holſatiæ remaneat ſubjecta Miniſtro Provinciali Provinciæ Daciæ eo modo, quo ordinatum fuit in ultimo Capitulo Romæ, donec habeatur conſenſus Regis Daciæ ſuper omnimoda ſeparatione dictæ Cuſtodiæ, & unione facienda cum alia Provincia.* Cuſtodia Holſatiæ.

IX. *Cuſtodia Eſtremaduræ Provinciæ ſancti Jacobi remanebit cum illis ſeptem locis, quæ Reverendus Miniſter ſancti Jacobi illis tradidit, & fiet electio novi Cuſtodis ab omnibus Vocalibus dictæ Cuſtodiæ, tam quatuor locorum, quam etiam dictorum ſeptem; cui electioni præſidebit Reverendus Pater Miniſter ſancti Jacobi, aut ejus Commiſſarius ad hoc ſpecialiter deputatus. Ita tamen quod cetera pacta, & conventiones ac ordinationes factæ Romæ inter dictum Provincialem, & fratrem Angelum, quantum ad præfatam Cuſtodiam, integre ſervabuntur per dictum Miniſtrum Provincialem. Præcipitur autem omnibus Fratribus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna,* Cuſtodia Extremadura.

na, ac privatione actuum legitimorum, quod nullus frater per ſe vel per alium, directe vel indirecte apud Sedem Apoſtolicam, Reges & Principes aut Communitates, procuret litteras, aut aliquid, per quod præſenti conſtitutio ſuo debita effectu fraudetur. Poſſit autem erigi in Provinciam dicta Cuſtodia, ſi Generali Miniſtro cum illuc venerit, videatur, additis locis, quæ Provincia ſanctî Jacobi offert pro erectione dictæ Provinciæ.

Permittitur ut erigatur in Provinciam.

X. *Cuſtodia de Broebe, * ſeu domus Dei, cum omnibus ſuis locis unietur Provinciæ de Sancloyo. Itaque ex dicta provincia de Sancloyo, & Cuſtodia domus Dei fiet una Provincia, quæ appellari poterit, ſi eis videbitur, provincia ſanctæ Mariæ de Conceptione.*

* Al. *del Abrojo.* Cuſtodia domus Dei unitur Provinciæ Sanctoyanæ ſive Conception. Provinc. Murciæ.

XI. *Cuſtodia vero Murciæ, quæ eſt provinciæ Caſtellæ, erigi poterit in Provinciam, ſi Patri Miniſtro Generali, cum ad partes illas pervenerit, opportunum eſſe viſum fuerit.*

Cuſtodia Leodienſis non admittitur ad unionem.

XII. *Declaravit etiam Capitulum Generale, quod Conventus Cuſtodiæ Leodien. provinciæ Franciæ, qui hactenus minime extiterunt reformati, ſed mere conventualiter vixerunt, vivunt & vivere intendunt, dimitti debent Magiſtro Conventualium; ubi tamen ipſi Conventuales Bullam* concordiæ *in aliquo fuerunt tranſgreſſi, juxta tenorem litterarum Apoſtolicarum, Miniſtro Provinciali ſubjici, & ab ipſo reformari debeant. Confirmabitur autem ſub nomine Magiſtri Fratrum Conventualium provinciæ Franciæ Pariſienſis, a Provinciali ejuſdem provinciæ Franciæ Pariſienſis.* Atqui ex his clare probatur, quod ſupra diximus, nullatenus admiſiſſe Obſervantes ad ſuum conſortium, niſi eos, qui reformate vivebant, & a vita Patrum Conventualium recedebant, nullaſque retinebant poſſeſſiones, aut annuos proventus, vel privilegiis uti volebant relaxativis.

Prov. Pietatis.

XIII. Cuſtodia Pietatis erecta eſt in Provinciam, præſertim cum ad hoc intervenerit aſſenſus Sereniſſimi Regis Portugalliæ. Item confirmatæ ſunt uniones Conventuum tam Fratrum, quam Monialium factæ tempore Capituli Generaliſſimi Romæ celebrati, præſertim Provinciæ Coloniæ, ac aliarum quarumcumque Provinciarum.

XIV. De duobus Officialibus, qui negotia Ordinis curabant in Curia Romana, de quibus ſæpe locuti ſumus, de ſuffragiis per eos, & per Commiſſarium Generalem ferendis, & de electione duodecim Definitorum, ita conſtitutum eſt: *Ordinatur etiam quod de cetero unus Commiſſariorum in Curia Romana appellabitur* Procurator Ordinis, *& ſervabit locum in capella Pontificis, orationeſque in eadem capella habendas in certis diebus faciet, aliaſque actus publicos, qui ad officium Procuratoris ſpectant, exequetur: alius vero retinebit nomen* Commiſſarii, *aut Ultramontani aut Ciſmontani, juxta quod ex iſtis aut illis aſſumptus fuerit. Qui quidem Commiſſarius eum omnimoda auctoritate, quam hactenus habuit, quoad partes, pro quibus erit, remanebit. Procurator autem in hoc Capitulo electus eſt R. P. Fr. Joannes Franciſcus de Potentia, provinciæ Baſilicatæ, ad præſens Miniſter. Commiſſarius autem P. Fr. Joannes Glapion, quoad Ultramontanos tantum: quamquam* Procurator *ſi totius Ordinis.*

Procurator Ordinis.

Commiſſarius Curiæ.

XV. *Item ordinatur propter verbum Regulæ, quod Miniſtri Provinciales & Cuſtodes eligere habeant Miniſtrum Generalem, & quod de cetero, nec Commiſſarius Generalis, nec Procurator Ordinis, nec Commiſſarius Curiæ Romanæ habebunt vocem in electione Generalis Miniſtri. Sed ſi unum votum fuerit ſupplendum, per Commiſſarium Generalem; ſi duo, per Procuratorem; ſi tria, per Commiſſarium Curiæ; ſi plura, per Capitulum ſupplebuntur. In omnibus autem aliis tam Commiſſarius Generalis, quam Procurator & Com-*

Soli Miniſtri & Cuſtodes eligant Miniſtrum Generalem.

Præcedentia Officialium curiæ poſt Commiſſarium Generalem.

& Commiſſarius Curiæ de corpore Capituli erunt. Qui quidem Commiſſarius Generalis præcedet in loco omnes Definitores & Miniſtros; Procurator Curiæ omnes Miniſtros in uno latere ſeſſionis; Commiſſarius Curiæ omnes Miniſtros in altero latere ſeſſionis.

Eligendi duodecim Definitores.

XVI. *Item ordinatur, ut electio Definitorum, quæ cognitionem præexigit, ſit magis accommoda, quod de cetero in Capitulo Generali eligantur duodecim Definitores; ſex Ultramontani, qui eligentur ab Ultramontanis; quibus electis ab omnibus ſimul approbabuntur, & conſtituetur unum Definitorium, per quod Capituli negotia tractabuntur. Qui quidem Definitores in proximo Generali Capitulo ex omnibus Fratribus indiſtincte poterunt eligi, ut præfertur. Poſtea vero, qui fuerint Definitores in uno Capitulo Generali, non poterunt eſſe in alio. Ipſa vero electio Definitorum, quando Generalis Miniſter ſuum non complevit terminum, fiat antequam fiat diſquiſitio ſtatus Miniſtri Generalis; ubi vero ſuum compleverit terminum, eligentur Definitores ante electionem novi Miniſtri, in quorum manibus Generalis abſolvendus, ſuo renunciabit officio. Item Cuſtodes Cuſtodum, qui mittuntur ad Capitulum Generale, eligantur eo modo, quo Provinciales Miniſtri eliguntur, nimirum in Capitulo & per ſuffragia ſecreta.* Renovatum etiam eſt ſtatutum ultimi Capituli Romani, ne de cetero ex ulla Provincia tranſmittantur ad Capitulum Generale pluſquam duæ voces ſeu ſuffragia, Miniſtri ſcilicet & Cuſtodis. Qui quidem Cuſtos quæcumque hactenus per diſcretos diſcretorum fieri ſolita exercebit.

De Cuſtodibus Cuſtodum.

XVII. Multa alia in hoc Capitulo ſtatuta ſunt circa Viſitatores & Confeſſores Monialium, circa tempus, quo durare deberent Commiſſarius Generalis, & Miniſtri, circa non ordinandos laicos, & his ſimilia, ſuis locis reponenda. De Miniſtro vero Generali electo, & deceſſore ita decretum eſt. *Item ordinatum eſt debere impetrari a Sede Apoſtolica, quod poſtquam Miniſter Generalis electus fuerit, ipſo facto ſit auctoritate Apoſtolica confirmatus, præſideatque Generali Capitulo, necnon ordinet & diſponat quæcumque ad Ordinis regimen ſpectare noſcuntur. Generalis vero, qui tunc abſolutus fuerit, juxta novum Generalem Miniſtrum ſedebit: quod ſi quis alius Frater aliquando Generalatus functus fuerit officio, ſedebit poſt Miniſtrum Provinciæ, in qua celebratur Capitulum, excepto quod in abſentia Miniſtri alicujus Provinciæ, poſt Guardianum loci, ubi ipſum eſſe contigerit, ſedebit.*

De novo & veteri Miniſtro Gen.

XVIII. Hæc quæ ad Ordinis commune gubernium decreta ſunt, placuit hic referre, præſertim cum ex hoc Capitulo & præcedenti inchoata ſit norma regiminis Obſervantum magna ex parte, licet aliqua ex his in poſterioribus Comitiis, & per litteras Pontificias ſint immutata, præſertim quoad ſuffragia ferenda in electione Miniſtri Generalis per Commiſſarium Generalem, Officiales Curiæ, & Definitores Generales, quibus certe in Regula hæc ſuffragandi facultas non eſt conceſſa. Poſtremo deſignatus eſt locus celebrandi proximi futuri Capituli Generalis Conventus Carpenſis, Provinciæ Bononiæ, pro anno MDXXI.

XIX. Quod de conjuctione Cuſtodiæ del *Abroxo*, ſeu *Tribuli* cum Provincia Sanctoyana, in Vicariatum ante plures annos, uti diximus, erecta, in hoc Capitulo decretum eſt, hoc ipſo anno executionem accepit. Nam in Conventu Caſtri-Cæſaris (vulgo *Caſtro Xerez*) capitulariter coadunatis tum Provinciæ, tum prædictæ Cuſtodiæ Patribus, ſuppreſſum eſt nomen *Cuſtodiæ*, & Cœnobia aggregata ſunt Provinciæ; atque illa titulum ſuſcepit *Conceptionis*, relicto *Sanctoyano*; & vetuſtum ſigillum, quod Chriſtum Dominum glorioſe reſurgentem, quoſdamque cacabos (qui gentilitia

Tom. 14. *anno* 1477. *n.* 23.

Provin. Conceptionis hoc anno ſtabilita.

Anno Christi 1518.	Leonis X. an. 6. & 7.	Maximiliani Imp. an. 25. & 26.	Religionis Minorum anno 311.

Gonz. in Procm. Prov. Concep.

Legionenſis Præfecti Petri Manriquez, erga illam Cuſtodiam ſumme benefici, erant inſignia) exprimebat, in aliud imagine beatæ Virginis Mariæ ſub ſymbolo Conceptionis ſine macula, & ſtigmatibus ſancti Franciſci decoratum, circumſcriptis his verbis: *Provincia ſanctæ Mariæ de Conceptione*, commutavit.

Item Prov. Angelorum. *Idem in procm. iſtius Prov.*

XX. Similiter Patres Cuſtodiæ Angelorum, celebratis hoc anno Comitiis in Conventu Belalcazarenſi, facultate ſibi anno præterito in Comitiis Generalibus conceſſa freti, eam in Provinciam erexerunt, electo Miniſtro Franciſco Quiñonio, ſive ab Angelis, qui prius erat Cuſtos, & poſtea creatus eſt Miniſter Generalis, deinde S. R. E. Cardinalis. Provinciam etiam Burgenſem hoc anno emerſiſſe ex ſingulari facultate Leonis Pontificis, ſcribit Gonzaga; ſed id factum eſſe anno MDXIV. ex ipſo alias ſcripſimus, unde hic in notas numerorum errorem irrepſiſſe, in comperto eſt. Et quidem anno ſequenti in Congregatione Provinciali Toleti habita, cum illa Cuſtodia Toletana, quæ una erat ex novem Cuſtodiis, ex quibus prius conflabatur provincia Caſtellæ, hoc nomen *Caſtellæ* ex decreto Capituli Romani Generalis anno præterito celebrati, ſibi vendicaret; oppoſuit ſe provincia Burgenſis, dicens ex ſitu, & potiori parte Caſtellæ, quam poſſidebat, & antiquitate Conventuum, quos habebat, ſibi deberi potiſſimum hanc denominationem. Deinde ventum eſt ad lites acerrimas, quas anno MDXX. oportuit gravi & rigoroſo decreto in Comitiis Burdegalenſibus ſopiri. Aſſerit etiam idem auctor, primum Miniſtrum Provinciæ Saxoniæ ſanctæ Crucis, hoc anno, uti proxime diximus, erectæ, fuiſſe Andream Ebroncium; ſed ex actis capitularibus conſtat, fuiſſe Joannem Auberghe. Fortaſſis poſt Capitulum Generale Saxonenſes hoc anno celebrarunt ſua Comitia Provincialia, & in eis primum elegerunt Miniſtrum poſt Provinciæ erectionem prædictum Ebroncium.

Prov. Burgenſis quando? *Idem in procm. Prov. Cantabr. An. 1514. n. 7.*

Idem in Provin. Saxon. S. Crucis. Supra n. 4.

Prov. S. Petri Montis aurei.

XXI. Alia de novo conſtituta eſt Provincia per ſpeciale Leonis diploma, aggregatis in unum omnibus Conventibus Fratrum Amadeitarum quos habebant, incipiendo a domo ſancti Petri in Monte aureo, ſeu Janiculo Urbis, uſque ad Civitatem Parmenſem, eamque ſic erectam ſubjecit ad modum aliarum Provinciarum regimini & obedientiæ Miniſtri Generalis Lycheti: *Sacræ Religionis puritatem*. die XIV. Novembris, & anno ſequenti die XX. Maii idem Generalis celebravit Capitulum provinciale horum Patrum in urbe Cremonenſi, & Conventu ſanctæ Mariæ Gratiarum, confirmavitque in Miniſtrum ejuſdem Provinciæ Evangeliſtam de Caſali majori. Sed poſtea commixtæ ſunt hæ domus Amadeorum cum aliis Obſervantum, & diſtributæ inter Provincias, in quarum erant diſtrictu, ne conſervaretur hoc germen diſſenſionum aut diviſionum ſub nomine *Amadeorum*, conſervatis & unitis eorum Conventibus; aut capta temporis aut Pontificis propitii oportunitate, prætenderent iterum ſeparari, & conſtituere ſibi peculiarem Congregationem. Etenim, uti per ſequentes videbimus annos, illi ægre ferebant hanc unionem cum Obſervantibus, & pertinaci ſtudio contendebant illam ſuam Congregatiunculam ab interitu conſervare.

Reg. general. fol. 19.

Cuſtodia Pruſſiæ.

XXII. In ſupradicto Capitulo actum eſt de uniendis domibus Cuſtodiæ Pruſſiæ cum Provincia Poloniæ; ſed oppoſuerunt ſe Patres Provinciæ Saxoniæ. Commiſſum eſt itaque negotium Definitoribus generalibus, eorumque adjunctis, quos ſupra narravimus. Poloni contendebant ſibi debere uniri (præſertim Joannes Comorovius, litteris munitus Sigiſmundi Regis) quia Pruſſia & Polonia uni eidemque Regi parebant. Saxones objiciebant ſub ſuo regimine ortam & creviſſe Cuſtodiam. Tandem in eam itum eſt ſen-

Monum. MSS. Provinc. Polon.

ſententiam, ut rei deciſio & executio committeretur prudentiæ Miniſtri Generalis brevi ad eas partes tranſmigraturi, qui coram & præſens rei pondus, alternaſque expenderet rationes. Abiit quidem ille, & XIII. Auguſti applicuit Wratislaviam, ubi, celebrato Capitulo Provinciæ Boemiæ, electus eſt in Miniſtrum Lucas de Monte viridi, & XXI. ejuſdem menſis pervenit Cracoviam, ubi, ſive quod alii volunt, Lublini, provinciæ Poloniæ Patrum ſuffragiis cooptatus eſt Miniſter Joannes de Rimarona *, quem primus in eo præceſſit munere Leo de Lancuth: decretumque eſt provinciam diſpertiendam eſſe in tres Cuſtodias, Cracovienſem, Poſnavienſem, & Vilvenenſem. De Domibus Prutenis nihil firmum aut ſtabile potuit definire, propter exortas graves difficultates, quas in aliud tempus rejecit commodius ſuperandas.

Reg. Ord. Ciſtu. fol. 14.

* al. de Comorovo.

XXIII. Venit porro in Urbem die XXVI. Novembris, & poſtridie benigne receptus a Pontifice, facultatem ampliſſimam accepit ſuper omnes Fratres & Moniales ſuo regimini ſubjectas, & poteſtatem abſolvendi ab omnibus caſibus etiam ſuæ Sanctitati reſervatis, eamque aliis communicandi, ſemelque dandi Indulgentiam plenariam omnibus ſibi ſubjectis. Habuit inſuper eumdem Pontificem ſibi propitium & favorabilem in cunctis, quæ ad ſuum regimen quoquo modo ſpectabant.

XXIV. Res Indicæ in parte Occidentali, Hiſpanorum diſſidiis & æmulatione lento proficiebant incremento, & verbum Domini videbatur alligatum, alienatis Gentilium animis a conſortio & fide Chriſtianorum propter iſtorum inſatiabilem auri famem, & diram, qua ipſi premebantur, ſervitutem. Statuit itaque Epiſcopus Darienus Joannes a Quevedo Minorita, de quo alias diximus, in Hiſpaniam transfretare, & preſſuras gentium, maleque adminiſtratam rem politicam, & chriſtianam explicare. Interim ab Inſula Hiſpaniolæ navigarunt in continentem aliquot Dominicani & Franciſcani, præter eos, quos ſupra diximus, ubi ad oras illius regionis, quæ *a Margaritis* appellatur, conſtituerunt ſibi ſedes, ex quibus per circuitum ſuos operarios emittebant, qui rudem cæcumque populum ad veritatis æternæ regulas inſtruerent, miſeroſque Indos ab iniquis vexationibus, quibus afflictabantur in littoribus Cumanæ, unde quotidie in miſeram ſervitutem abducebantur, vendicarent. Horum pio ſtudio ſummopere favit Rex Hiſpanus miſſis litteris efficacibus, ut neceſſaria quæque ſubminiſtrarentur, & impedimenta omnia removerentur.

Herrer. dec. 2. l. 3. c. 3. 7. 8. & 15.

Fr. Joan. a Quevedo Epiſc. miſeris Indis opitulatur.

Ann. 1514. n. 1. & ſupra 1516. n. 41.

An. 1516. n. 41.

XXV. Circa hunc annum obiit in Conventu Salmanticenſi Didacus a Lugo laicus ſive converſus, mira caritate, oratione ac contemplatione inſignis. Sæpe viſus eſt in Deum raptus, a ſenſibus corporis prorſus alienus. Dum aliquando cum Fratribus in triclinio comederet, extra ſe factus, immobilis per longum tempus permanſit. Deceſſit hoc ipſo anno Brugis Gerardus Soetelinus, Eccleſiaſtes facundiſſimus, Brugenſis Guardianus, Vicarius provincialis Franciæ, & Commiſſarius Generalis provinciæ Saxoniæ.

Obit Didacus a Lugo.

Marc. l. 9. c. 42.

Gerard. Soetelinus.

Sander. l. 1. de Brugen. erud.

XXVI. Creati ſunt Epiſcopi hoc anno, Alexienſis, ſub Archiepiſcopo Dyrachien. ſive, ut aliis placet, ſub Antibarenſi, frater Bernardinus de Grovema, die XVII. Maii. Aſſanen. ſive Aſſaphen. in Anglia, ſub Archiep. Cantuarienſi, frater Henricus Standeſch Conventualis, die XXIX. Maii. De illo agimus in catalogo ſcriptorum. Darienſis, ſub Archiep. Heracleæ, alii ponunt ſub Dyrachino, frater Gabriel Mediolanenſis, factus ſuffraganeus Epiſcopi Bononienſis, die XXI. Junii. Sardenſis, ſub Archiep. Antibaren. frater Joannes Bonaventuræ, per obitum Didaci, die XXV. Auguſti. Colybraſenſis, ſive Solubricen. ſub Archiep. Sidæ in Pamphilia, frater Chriſto-

Fr. Bernard. de Grovema Epiſc. Alexien.

Fr. Henric. Aſſaphen.

Fr. Gabriel Darien.

Fr. Joan. Sarden. Fr. Chriſtophorus Colybraſen.

ſtophorus de Pergellis, ſive de Ragellis Reg. Obſer. die III. Septembris. Drivaſtenſis, ſub Archiep. Antibaren. frater Franciſcus de Mora, die X. Novembris.

Fr. Franciſc Epiſcop. Drivaſten.

Conv. S. Leonis.

XXVII. Hoc anno Pontifex conceſſit Fratribus de Obſervantia Conventum ſancti Leonis, Ducatus Urbini, a Patribus Conventualibus propter bellorum calamitates, quæ anno præterito in provincia Marchiæ, & prædicto Ducatu viguerunt, derelictum, poteſtatemque fecit Miniſtro Tuſciæ Fratres illuc amandandi: *Pro paſtorali*. die ultima Julii. Hoc item anno in eadem provincia alter Conventus ſancti Franciſci intra muros Matellicanos translatus eſt ab eiſdem Patribus Conventualibus, ita deprecantibus oppidanis. Supradicto Tuſciæ Miniſtro auctoritatem conceſſit Conventum ſancti Franciſci de Sartiano, Cluſinæ diœceſis, ab incommodo, indecenti, & minus ſalubri loco ad alium meliorem transferendi: *Exponi nobis*. die penultima Decembris. Prope Brexillum, Inſubriæ oppidum, ex diverſis fidelium eleemoſynis, die XV. Junii ædificari cœpit Conventus Obſervantum, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Angelis, licet communiter, & in quibuſdam inſtrumentis modo ſub illo nomine, modo ſub appellatione ſancti Franciſci audiat. Conſecrata eſt Eccleſia die XV. Decembris anno MDXXV. a Jacobo Paſio Epiſcopo Faventino.

Conv. Matellicæ. *Gonz. in Provin. March. Conv. 32.*

Conv. Sartiani.

Conv. Brexillſ. *Idem in Provin. Bonon. Conv. 26.*

XXVIII. Communitas Colloniæ in Marchia Tarviſina oppidi opulenti, obtenta anno præterito licentia Leonis Pontificis, iſto cœpit conſtruere Cœnobium Obſervantum, ſanctæ Mariæ de Gratiis ſacrum. Indulſiſſe eumdem Pontificem hoc anno ut prope Montopolim ad ſanctum Romanum, ubi erat Eccleſia ſanctæ Mariæ a ſancto Valiano, imagine Deiparæ miraculoſa perquam celebris, Obſervantes domum ædificarent, ſcribit Gonzaga. Dixi alias, fortaſſis ſcriptorem erraſſe in nominibus, & Montopolim eamdem eſſe cum Montione, Volaterranæ diœceſis oppido, & pro ſancto Valiano, legendum ſanctum Venaldum; atque Alexandrum VI. facultatem tribuiſſe Conventum in dicto loco ædificandi. „ Montionis, & Montopolis Oppida „ in Provincia Tuſciæ diſtincta, diſtinctos etiam Franciſcanorum Conventus „ habent, unum ſancti Vivaldi, de quo diximus alias, Aliud ſancti Valia„ ni, ſeu ſancti Romani, qui hic recenſetur.

Conv. Colloniæ. *Idem in Provin. S. Anton. Conv. 38.*

Conv. Montopolis ſive S. Romani. *Idem in Provin. Tuſcia Conv. 43. Tom. 15. Ann. 1458. n. 32.*

ADDITIO ALIORUM. *Tom. 15. anno 1498. n. 32.*

XXIX. In Lombardia Tranſpadana ad extremam Benacenſis lacus partem, unde Mincius flumen exordium ſumit, Piſcheriæ oppidum munitiſſimum conſurgit. Diſtabat per M. P. ædicula beatæ Mariæ ſacra, in qua erat imago ejuſdem, quæ anno MDXI. apparuit inter ramos cujuſdam fraxini, cœpitque miraculis coruſcare, propter quæ tantus fuit populi concurſus, & tam frequens donariorum oblatio, ut, aſſentiente Marco Cornelio Cardinali ſanctæ Mariæ in Porticu, hæc fuerit Eccleſiuncula anno MDXIV. conſtructa; & demum ab oppidanis, obtenta hoc anno facultate a Leone Pontifice, conjunctus Minoriticus Conventus, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Fraxino. Thomas Dempſterus Scotus in ſuo apparatu ad hiſtoriam Scoticam, his aſſerit fundatum hoc Cœnobium a Roberto Stuart Comite Lenoxio, ſeu Levinio, quem fatetur obiiſſe anno MD. die XV. Novembris. Atque hæc omnia ibidem loci eſſe lapidi inciſa. At vel hæc Dempſteri aſſertio vacillat; ſi enim imago apparuit anno MDXI. Eccleſia conſtructa eſt anno MDXIV. adjunctumque Cœnobium hoc anno; quomodo Robertus defunctus anno MD. potuit eſſe fundator? aut quomodo hæc fundatio ita ibidem lapidi inciſa eſt, ut nulla ſit apud Gonzagam notitia, cui tranſmiſſa ſunt omnium fundationum monumenta? ſi quod eſſet ita patulum hujus rei veſtigium lapidi inciſum, certe non taceretur.

Conv. Piſcheriæ. *Idem in Provin. Brixiæ. Conv. 29.*

Dempſter. l. 2. c. 21. & alit.

XXX. In

Anno Christi	Leonis X.	Maximiliani Imp.	Religionis Minorum anno 311.
1518.	an. 6. & 7.	an. 25. & 26.	

XXX. In Isthmo, seu peninsula, quam Bætis, & Guadaxenilis fluvii conficiunt, prope oppidum Palmæ, diœcesis Cordubensis, Ludovicus primus Comes Palmensis, hoc anno Conventum constituit, sub nomine sanctæ Mariæ de Bethlehem: quem provinciæ Angelorum univit Leo, ut inserviret curandis infirmis Cœnobiorum sancti Ludovici, & sanctæ Mariæ de Angelis ejusdem provinciæ; licet vere situs sive locus, in quo constructus est, intra provinciæ Bæticæ limites consistat. Hic decessit frater Barnabas laicus professus, assidua oratione, spiritu prophetico, & scientia infusa, absque ulla acquisita illustris. In Catalogo sive opere nostro Scriptorum Ordinis Minorum, piam ejus elucubrationem retulimus. Inter multa, quæ patravit miracula, mulierem a morte propinqua integræ restituit sospitati.

Conv. Palmæ. *Idem in Provin. Angel. Conv.* 12.

Fr. Barnabas N.

XXXI. In extremo Lusitaniæ Promontorio, quod inter Anum, & Chalybem fluvios prominet, ædicula erat pervetusta, in qua per multos annos delituit corpus sancti Vincentii Martyris Oscensis, illic a Christianis sepultum, cum a Daciano citerioris Hispaniæ Præfecto in altum mare demergi jussum, atque inde divinitus ejectum, ad hujus Promontorii littus pervenit. Illinc Ulyssiponem, curante Alphonso Henriquez Rege, translatum, reliquit post se virtutem pellendi varios morbos, adhibita terra ex vetusto illo sepulcro effossa. Ne itaque tanti Martyris memoria ibi deperiret, ubi tot annis jacuerat, Ferdinandus a Silva Algarbiorum Episcopus, ædiculam ampliari, addique Conventum Fratrum strictioris Observantiæ hoc ipso anno curavit. Ne vero Turcarum aut Piratarum incursibus esset obnoxius, Joannes III. Lusitanorum Rex turrim, militum præsidio munitam, adjecit.

Conv. facti Promont. *Idem in Provin. Petat. Conv.* 1.

XXXII. Ille idem Ferdinandus Episcopus aliud eisdem Fratribus inchoavit Cœnobium prope urbem Lacuensem vulgo Lusitanico *Lagos*, jusque patronatus voluit esse penes Joannem III. Regem supradictum. Probarunt autem incolæ locum valde incommodum, & proinde post aliquot annos ad alium salubriorem, quem modo inhabitant, ædificium transtulerunt. Tertium denique adhuc adjecit idem Antistes, sub invocatione sanctæ Mariæ de Paradiso, non procul a Civitate Silvensi in regno Algarbiorum, octo Fratrum domicilium.

Conv. Lacuen. *Indid. Conv.* 2.

Conv. Silvensis. *Indid. Conv.* 3.

XXXIII. Devota quædam matrona Jambra de Rosa situm contulit Fratribus ejusdem Instituti, cœnobio construendo peropportunum, prope Civitatem Elvensem in Lusitania Trans-Tagana. Jacobus Brigantinorum Dux, aliique probi viri collatis sumptibus, commodum ædificarunt quindecim Fratrum domicilium, maximo quidem illius populi beneficio. Duodecim capit Fratres Conventus sanctæ Mariæ de Angelis prope pagum Azurariam, ad eosdem a Patribus Conventualibus sub hunc annum translatus. Tantum valuit apud pios Lusitanos severa & constans disciplina bonorum Patrum, qui in primordiis hujus religiosissimæ Provinciæ recens exortæ floruerunt, ut certatim & cum æmulatione, ad urbes & oppida Sodales convocarent, eisque brevi temporis curriculo pleraque constituerint domicilia.

Conv. Elven. *Indid. Conv.* 8.

Conv. Azuariæ. *Indid. Conv.* 24.

XXXIV. Sanctimoniales Augustinianæ Monasterii vocationis Coronæ Jesu, intra urbem Valentinam aliud commodius & augustius construxerunt, atque istud Hieronymo Ferrerio, ejusque conjugi Angelæ de Borgia vendiderunt. Atqui hi heroes refectum, Fratrumque usui accommodatum tradiderunt Ministro provinciæ Valentinæ Regularis Observantiæ, retento nomine priori, nec immerito; habetur enim illic in veneratione media spina Jesu coronæ.

Conv. Valentin. Coronæ. *Idem in Provin. Valent. Conv.* 19.

XXXV. Conventum Armachanum in Hibernia sub hunc annum reformationem admisisse, alias diximus, etsi alii velint, eam anno MDLXXXVII. intro-

Con. Armachan. reform. *Tom.* 5. *An.* 1291. *n.* 32.

Monum. MSS. Hibern. Idem Ardefertenſ. Controverſ. circa reformationē Conv. reformat. Toloſani.

introductam. Illam recepit hoc ipſo anno Conventus Ardfertenſis in eodem regno. Circa Conventum vero magnum Toloſanum, magna orta eſt difficultas, contendente Miniſtro Regularis Obſervantiæ ſibi eſſe ſubjectum, quia ante unionem generalem Obſervantum & Reformatorum factam per Leonem Pontificem in Capitulo Generaliſſimo Romano, hic Conventus habitus fuit pro reformato. Fratres vero illius Conventus, & Superiores Conventualium ſe opponebant, judicemque quemdam aſſertum ſibi ſtatuerunt, qui vigore litterarum Apoſtolicarum, quas appellant *Concordiæ*, a nobis anno ſuperiori relatas, ſe pro judice competenti gerere voluit, & impedire, quominus hujus Conventus unio fieret cum corpore Obſervantiæ. Duplices dedit Pontifex hoc anno litteras commiſſionis, deſignatis tribus judicibus, qui rem examinarent, & controverſiam terminarent: *Humilibus ſupplicum votis*. XIX. Kal. Februarii, & *Significatum eſt nobis*. die XXIII. Julii. Longo tempore duravit hæc controverſia, datiſque pluribus litteris Pontificiis, tamdem deciſa eſt in favorem Obſervantum.

XXXVI. Hugo Cavellus vir doctus, provinciæ Hiberniæ, & Ordinis Definitor Generalis, reformationis, & ſtrictioris Obſervantiæ zeloſus propagator, ac tamdem Archiepiſcopus Armacanus, in ſuis tractatibus de hoc argumento Pariſiis editis anno MDCXXII. refert aliam Bullam Leonis, hoc anno die XI. Aprilis, qua cogi voluit Conventuales, ut Obſervantibus parerent ſecundum Bullam unionis, & bona ipſorum in quatuor partes dividerentur, quarum una cederet Eccleſiæ Cathedrali illius Diœceſis, in qua Conventus reformandi exiſterent, duæ pro expeditione Cruciatæ, & quarta pro reparatione ipſorum Conventuum.

Cavel. tract. 1. fol. 6.

Conv. Macharſchæ. *Gonza. in Prov. Boſnæ Argentin. Conv. 11.*

XXXVII. Haud procul a Pharia, Venetorum inſula, ad littus maris prope Macharſcham, VIII. M. P. a quodam Turcarum Caſtro, hoc anno conſtructus eſt Conventus ſub invocatione Virginis Mariæ. Orto inter Venetos & Turcas bello, illi domum deſtruxerunt, ne Turcis eſſet præſidio: iſti demum quidquid reliquum fuit, omnino vel combuſſerunt vel diruerunt. Pace deinde inter eos ſtabilita, per provinciæ Boſnæ Argentinæ Fratres, ex bonis Martini Clubicichii Plumbenſis reædificatus eſt.

Reg. Ciſm. Cu. fol. 3. Convep. Katzlſtarff. Conv. Suppronii.

XXXVIII. Ex quibuſdam litteris & querelis Miniſtri Provinciæ Auſtriæ ad Pontificem miſſis, invenio hoc anno Conventum unum habuiſſe Obſervantes in Katzlſtarff, a S. Radegunde nuncupatum, & Conventuales alterum in oppido Suppronii, Jaurien. diœceſis, inter quos aliquot ortæ ſunt controverſiæ, quibus terminandis Pontifex peculiares Judices conſtituit.

Monaſt. Nurſin. Pacis. *Gonza. in Prov. S. Franc. Mon. 16. & 17.* Domus Nurſina S. Clarę.

XXXIX. Nurſini Cives intra urbis mœnia, hoc anno Monaſterium ſub titulo Pacis fabricarunt Clariſſis, ſub Regula Urbani IV. quæ ad numerum quadrageſimum excreverunt. Eſt & aliud ibidem Monaſterium, ſub invocatione ſanctæ Claræ, etſi ſub Regula Tertii Inſtituti a beata Lucia de Valcaldara, pago comitatus Nurſini, ante annum MCCCC. conſtructum. Hujus Virginis mortem & miracula dedimus in additionibus ad Tomum decimum ſub annum MCCCCXXX. num. 36.

Monaſt. Legionenſe. *Idem in Provin. S. Jacobi Mon. 46.*

XL. In Civitate Legionenſi in Hiſpania, Joanna Henriquez, prima Lunenſium Comitiſſa, Franciſci Cardinalis Quinnonii Minoritæ genitrix, decrevit domum ſuam Deo conſecrare, & in Monaſterium Sororum Conceptionis beatæ Mariæ convertere. Morte præventa, exequi non potuit, quod cogitavit. Fecit tamen ejus filia Leonora Quinnonia, collatis hoc anno fabricando ædificio ſumptibus neceſſariis. Prædictus Cardinalis Franciſcus egregie domum hanc illuſtravit, impetratis pro ea pleriſque indultis Pon-

Pontificiis, miſſiſque ex Urbe præclaris multiſque Sanctorum Reliquiis.

XLI. Diximus alias, magnum recepiſſe beneficium Alacantinæ urbis populum ex oſtenſa per beatum Benedictum Valentinum imagine Chriſti vultus, ſerico impreſſa, Roma illuc allata, cum in maxima urbis ſiccitate & ſterilitate copioſus imber terram fœcundavit. Ut tanti beneficii jugis eſſet memoria, decenſque locus, in quo ſacrum Veronicæ linteum conſervaretur, hoc anno ex communibus facultatibus, in parte aliquantulum ab urbe diſſita, Templum ſub ſanctæ Veronicæ titulo conſtructum eſt. Dum autem inter cives altercaretur, cui perſonæ aut familiæ hujus ſacri pignoris cuſtodia commendaretur, in eam tamdem itum eſt ſententiam, ut Monaſterium adderetur virginum ſub prima Regula ſanctæ Claræ militantium. Ita factum, adductis ex Monaſterio Gandiano ſeptem Sororibus, quæ novum illud Collegium optime inſtituerunt. Hujus ſacri lintei virtuti tribuitur, quod dum in profeſto ſolemnitatis, quæ fit quotannis in commendationem hujus Veronicæ, aliquot Sarracenorum triremes littori Alacantino non longe ab hoc Monaſterio applicuiſſent, & piratæ undique prædaturi per ſuburbia, & Monaſterii circuitum diſcurriſſent, neminem tamen e tanta multitudine, quæ in Templum confugit, tetigerunt, neque Sororibus earumve domui injuriam etſi minimam intulerunt.

Tomo 14. anno 1490. n. 1. Monaſt. Alacanti S. Veronicæ. Idem in Provin. Valent. Mon. 6.

XLII. Hoc anno Leo Pontifex conceſſit facultatem Chriſtinæ Reginæ Daciæ, ut in domo, ad Chriſtiernum Regem ſuum filium ſpectante, Monaſterium poſſet ædificare Clariſſarum in Civitate Ottonenſi: *Animas lucrifacere*. xv. Kalend. Martii. Quid actum ſit, ignoro; perierunt enim cum fide Catholica in illo regno univerſa ferme Regularium monumenta.

Monaſter. Ottonen.

XLIII. Brugis Flandrorum hoc anno, inquit Aubertus Myræus, Monaſterium Virginum Annunciatarum a Margarita Maximiliani Imperatoris filia, & Caroli V. amita conſtitutum eſt virginibus octo, e Bituricenſi Cœnobio advocatis: *Ut libro* (inquit) *de politia Civitatis Brugenſis Jodocus Damhouderius fuſe commemorat*.

Monaſt. Brugen. Annunc. Myræus de Ord. Annunciat. c. 1.

XLIV. Subjungo demum hujus anni Monumenta Apoſtolica, quibus Leo Pontifex multa Franciſcanis conceſſit. Perpetuas & moleſtas illas controverſias Parochorum cum Religioſis circa confeſſiones excipiendas, circa defunctorum ſepulturas, & Miſſas audiendas diebus feſtivis, quas in ſuis Eccleſiis fieri debere Parochi contendebant, voluit ſopitas Pontifex, emiſſo gravi diplomate in favorem Minoritarum, qui ſuas ei detulerunt querelas, circa illatas ſibi in his præſertim injurias: *Exponi nobis fecerunt*. die III. Decembris. Decreverunt Patres Capituli Generalis ſupradicti, ne Moniales deinceps haberent Viſitatores aut Confeſſarios a ſe electos, vel ab aliis quibuſcumque deſtinatos, præter ſolos illos, quos Provinciales Miniſtri cum ſuis diſcretis deſignabant. Erant enim, uti alibi ſæpius diximus, Monaſteria aliquot, in Hiſpania præſertim, quæ virtute aliquorum privilegiorum a Sede Apoſtolica conceſſorum, ſibi licere volebant hujuſmodi Confeſſarios & Viſitatores, inconſultis Provincialibus, deligere: *Poſtquam ad ſummi Apoſtolatus*. die VIII. Auguſti. Præcepit Sororibus ſanctæ Claræ, ſub cura Fratrum Minorum exiſtentibus, obedire ſtatutis & decretis Capitulorum Generalium & Provincialium, & quod Abbatiſſæ tempore viſitationis ſuis renunciarent officiis: *Cum ſicut accepimus*. die I. Julii. Conceſſit ut feſtum ſanctæ Eliſabethæ poſſit ſolemniter celebrari tempore interdicti, ſicuti feſta Sanctorum Ordinis Minorum: *Cum alias nonnulli*. die VII. Auguſti. Declaravit, Sorores Tertii Ordinis etiam ſimplici voto caſtitatem aut continentiam voventes, gaudere privilegiis Eccleſiaſticis, etiamſi

Privilegia Apoſtolica.

etiamſi habitent in domibus propriis: *Nuper in ſacro Lateranenſi Concilio*. die 1. Martii. Multa ſimul conceſſit vel declaravit vivæ vocis oraculo, petente Laurentio Puccio, titul. ſanctorum Quatuor Coronatorum Cardinale, in cujus litteris teſtimonialibus videri poterunt in Regeſto: *Laurentius miſeratione Divina*. die 1. Septembris.

ARGUMENTUM.

Moritur Maximilianus Imperator, ſuccedit Carolus Burgundus, apud quem Minoritæ cauſas agunt Indorum. Canonizatur S. Franciſcus a Paula. Minorum opera utitur Pontifex conſcribendo militi contra Turcas. Moritur Benedictus a S. Torquatio. Philippa Geidria Siciliæ Regina fit Clariſſa. Conventuales celebrant Comitia Generalia, & ſibi præficiunt Antonium Saſcolinum. Reformantur Conventus in Regno Daciæ, & Joannes Rex ſepelitur apud Minores. Multa in Gallia Cœnobia transferuntur ad Obſervantes. Stabilitur erectio provinciæ ſancti Gabrielis. Lychetus Miniſter Generalis impigre ſuum exercet officium. Inſtituuntur Epiſcopi. Multiplicantur Cœnobia.

Maximilianus Imperator moritur.

I. INEUNTE hoc anno, pridie Idus Januarias moritur in oppido Welſenſi Auſtriæ, Maximilianus Imperator, pius, prudens, liberalis, nemini magis quam ſibi imperans, affectibus nullis pravis obnoxius, fidei Catholicæ defenſor, hæreſum extirpator, cunctis dotibus atque ornamentis Imperatore dignis, pulcherrime reſplendens. Succeſſit Electorum ſuffragiis, IV. Kalend. Julias Carolus Burgundus, Archidux Auſtriæ, Hiſpaniarum Rex, ingentis animi adoleſcens, quantumvis Francus toto conatu ad eamdem aſpirarit dignitatem, & Septemvirum animos ad ſe allicere modis omnibus tentarit. De Caroli virtute, prudenti regimine, & conſtanti in noſtrum Inſtitutum affectu, in ſequentibus annis frequens occurret dicendi occaſio.

Succedit Carol. Burgundus.

Herrer. dec. 2. l. 4. c. 3. 4. & 5.

Fr. Joan. Epiſc. Darien. cauſam agit Indorum.

II. Ad Imperium capeſſendum vocatus in Germaniam, antequam Hiſpania excederet, pro tribunali coram præcipuis Miniſtris prope Barcinonem, Molinis excepit fratris Joannis de Quevedo Minoritæ, Epiſcopi Darienſis in Occidentalibus Indiis, necnon alterius Minoritæ exinde profecti, & Bartholomæi de Caſis, ardentiſſimi Indorum tutelaris, graviſſimas querelas circa Hiſpanorum cum devictis Indis modum agendi, quibus permotus eas præſcripſit leges Carolus, quibus victorum avaritiam & ſeveritatem temperavit, & victis ne gravius afficerentur, clementer proſpexit. Paulo poſt Epiſcopus acuta febri correptus, Barcinone deceſſit. Multum etiam in hoc genere laboravit hoc anno alius ejuſdem Inſtituti vir, Remigius Picardus, qui alios ſuæ nationis Fratres ſub explorationis primordia, in Hiſpaniolæ inſulam abduxit. Nihil prætermiſit, ut Caſicum Henricum, ſive Henriculum, Indiarum nobilem, a ſe ſuiſque Conſodalibus optime a juventute apud Conventum Veræ Pacis in provincia Xarague (in qua Bohechius, unus ex quinque Regibus Hiſpaniolæ imperabat) in fide Catholica inſtructum, ad Hiſpanorum obedientiam reduceret. Hic etenim intolerabili ſervitute preſſus, feritatem, & imperandi libidinem Valenzuelæ Hiſpani, cui in diviſionis ſorte obtigerat, ferre non valens, collecta Indorum manu, aſperis tutiſque ſe committens locis, magnum faceſſerat negotium Hiſpaniolæ Rectoribus, neque hujus ſui optimi præceptoris precibus, ut ar-

Moritur.

Indid. lib. 5. c. 1. Fr. Remigius Picardus.

Anno Christi	Leonis X.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 312.
1519.	an. 7. & 8.	anno 1.	

arma deponeret, ſocioſque dimitteret, potuit perſuadere. A militibus male habitus, veſteque religioſa ſpoliatus, Remigius ad ſuos regreſſus, narravit defectionis obſtinationiſque cauſam nullam aliam a Caſico afferri, præter tyrannidem inhumanumque agendi modum illorum, qui miſeris Indis imperabant.

III. Hoc anno Kalendis Maii, in quas incidit Dominica in Albis, in feſto SS. Philippi & Jacobi, Leo Pontifex, procurante, & ſumptus magnifice regia majeſtate miniſtrante Franciſco Galliarum Rege, Romæ in Baſilica Principis Apoſtolorum in Sanctorum numerum retulit ſanctum Franciſcum a Paula, virum ſanctiſſimum, Ordinis Minimorum inſtitutorem. Ejus neceſſitudinem & caritatis vinculum cum Religione Minorum ſuo loco expreſſimus; atque ita fatemur nos mirari, cur noſtrum Sodalitium in ſuis dypticis peculiariter non reponat hominem ſibi addictiſſimum, ſibi oblatum, apud ſe in ſortem Domini electum, penes ſe uſque ad exactum annum religioſe educatum, multiſque titulis ſibi valde obſtrictum. Minori certe fundamento aliæ Sodalitates quorumdam Sanctorum natalitia celebrant, ſibique honoris advehunt incrementa. Canonizationis diploma & præludia ſcripſit Franciſcus Lanovius Pariſinus, vir doctus, Ordinis Minimorum eruditus Chronologus ad hunc annum & in Bullario.

Canonizatur S. Franciſc. a Paula. *Tomo 15. anno 1507. n. 17. & ſeqq.*

Lan. in Chron. Minim.

IV. Cogitaverat Leo numeroſum ſcribere militem contra Turcam, Cruciatamque indixit, ut ſub Crucis vexillo ejuſque teſſera inſigniti, libentius & animoſius univerſis ex partibus fideles concurrerent. Prædicatores multos ex variis Religionibus elegit, qui ad ſacrum bellum idoneos excitarent, & ad bellandum impares, ad præſtanda ſubſidia merentibus hortarentur. Inter hos cum aliis ejuſdem Inſtituti delectus eſt Samſon Mediolanenſis Minorita, qui ad Helvetios deſtinatus, verbi virtute, & vitæ ſanctitate in ſubſidium belli ſacri CXX. millia aureorum collegit. Inde Ulricus Zuinglius Canonicus, qui tunc Tiguri prædicatoris munus obibat, eodem, quo Lutherus invidiæ morbo exagitatus, non tantum Indulgentias, quas Leo Pontifex conceſſerat, & Samſon publicabat, verum etiam poteſtatem Pontificis impugnavit, ſectamque Sacramentariorum ſuſcitare incepit, Luthero in pleriſque deterior. Atque eo acerbius deinceps in Pontifices Romanos invectus eſt, quia Glarona pulſum, Leo penſione annua & beneficiis ſpoliaverat. Hinc illa fundamenta & exordia prodiere ſectæ, & nominationis Zuinglianæ.

Leo Cruciatam indicit. *Florim. lib. 1. de Orig. hæreſ.*

Fr. Samſon Mediolan. eam promovet.

V. Obiiſſe hoc anno Benedictum de ſancto Torquatio, ſcribit Salazarius, ſed Marcus Ulyſſiponenſis ſub annum MDXVI. deceſſiſſe recenſet. Vir fuit ſimplex ac timens Deum, humilitate, caritate & pietate inſignis. Egregiam ſanctitatis opinionem apud omnes aſſequutus, deceſſit in Conventu Complutenſi. Hoc anno habitum & Inſtitutum ſanctæ Claræ ſubiiſſe Philippam Geldriam, Siciliæ Reginam, diximus cum de Monaſterio Muſſipontino, in quo ſepulta eſt, ſermonem faceremus. De illius moribus, conjuge, & pietate dicemus anno MDXLVII. quo vitam abſoluit.

Moritur Benedictus a S. Torquatio. *Salaz. de Prov. Caſſ. lib. 3. c. 12. Marc. 3. p. lib. 8. c. 41.*

Philippa Regina fit Clariſſa.

VI. Celebrarunt hoc anno Patres Conventuales Comitia Generalia Bononiæ ipſa die ſanctiſſimæ Trinitatis, in quibus electus eſt Magiſter Generalis Antonius Saſcolinus Florentinus. Fuit vir doctus, & Ordinem rexit annis quatuor, aſſumptus poſtea ad Epiſcopatum Minerbinum in Calabria.

Tomo 10. anno 1431. n. 19. Capitulum Generale Convent. Bononiæ. *Rodul. fol. 196.* Antonius Saſcolinus Generalis.

VII. Joannes Rex Daciæ obiit anno MDXIV. & in ſuo teſtamento declaravit, ſe velle ſepeliri in Eccleſia ſanctæ Catarinæ urbis Ottonenſis Fratrum Minorum; quod & Chriſtina Regina, fœmina lectiſſima, pietate in Deum, & fide erga maritum etiam inter adverſos caſus laborantem, inſi-

Moritur Joannes Rex Daciæ. Sepelitur apud Minor.

gnis, exequi curavit. At dum Epiſcopus & Canonici Roſchildenſes contenderent, apud ſe debuiſſe Regem ſepeliri, ejuſque corpus ad ſe translaturos poſt Reginæ mortem comminarentur, illa Pontificis auctoritate, ut ratum & firmum eſſet apud Minores ſepulcrum, declarari procuravit. Edidit itaque Leo in hanc rem litteras ſequentes.

Cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Chriſtinæ Daciorum & Gottorum Reginæ Illuſtri.

Ex Reg. Cur. Ciſm. fol. 2.

VIII. *EX ſuperna providentia majeſtatis Romanus Pontifex in Apoſtolicæ dignitatis ſpecula conſtitutus, ad ea libenter intendit, per quæ pie decedentium, præſertim Catholicorum Regum & Principum voluntates, ſublatis quibuſvis impedimentis, manutentioni & conſervationi .... & ad id favores exhibet opportunos. Sane exponi nobis feciſti, quod olim claræ memoriæ Joannes Daciorum & Gottorum Rex, dum in humanis ageret, Contboralis tuus, ob ſingularem devotionem, quam ad domum ſanctæ Catarinæ Ottonen. Ordinis Fratrum Minorum, & Ordinem prædictum gerebat, in ejus ultima voluntate conſtitutus, voluit & ordinavit, quod, poſtquam ab hac luce decederet, corpus ſuum in Eccleſia dictæ domus ſepeliretur, prout poſtmodum, dicto Joanne Rege vita functo, ejus corpus juxta voluntatem ipſius & ordinationem, in eadem Eccleſia ſepultum fuit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, venerabilis frater noſter Epiſcopus, & dilecti filii Canonici Roſchilden. aſſerentes, olim ante ultimam voluntatem prædictam, ipſum Joannem Regem voluiſſe & ordinaſſe, quod ejus corpus, dum eum decedere contingeret, in eorum Eccleſia Roſchilden. ſepeliretur; dilectis filiis moderno Guardiano & Fratribus dictæ domus moleſtiam ſuper ſepultura dicti Joannis Regis, præſertim poſt obitum tuum inferre comminentur. Quare pro parte tui aſſerentis, quod, dum ab hac luce migraveris, corpus tuum in prædicta domo hujuſmodi, ſeu alia Eccleſia dicti Ordinis ſepeliri facere intendis, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut voluntatem dicti Joannis Regis, quoad electionem dictæ ſepulturæ in Eccleſia domus Fratrum Minorum Ottonen. hujuſmodi approbare & confirmare, & dictum corpus ne ab eadem Eccleſia ad ipſam Eccleſiam Roſchilden. ſeu alium locum mutetur ſive transferatur, interdicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos attendentes, quod teſtatoris voluntas ambulatoria eſt uſque ad mortem, & quod poſterior voluntas ſervari debet, tuis devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, poſteriorem voluntatem ſuper hac ſepultura Regis ſervandam eſſe decernimus: & propterea mandamus quatenus corpus ipſius Regis ab Eccleſia dictæ domus extrahi, & ad Roſchilden. vel aliam domum transferri non poſſit; diſtrictius inhibentes ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam contrafacientes eo ipſo incurrere volumus, quibuſvis perſonis, cujuſcumque dignitatis fuerint, ne corpus prædictum mutare ſeu transferre præſumant: & nihilominus univerſis & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis mandamus, quatenus Guardianis & Fratribus dicti Ordinis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant eoſdem Guardianum & Fratres nunc & pro tempore exiſtentes ſuper dictis ſepulturis quomodolibet moleſtari; contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris remedia compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Eccleſiæ Roſchilden. juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, in-*

Anno Christi	Leonis X.	Caroli V Imp.	Religionis Minorum anno 312.
1519.	an. 7. & 8.	anno 1.	

indultis & litteris Apoſtolicis eidem Eccleſiæ conceſſis, confirmatis, approbatis & innovatis, contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de induito hujuſmodi mentionem. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die X. *Martii* MDXIX. *Pontificatus noſtri anno* VI.

Evangeliſta.

IX. Conventus Fratrum novem, & Monaſterium Clariſſarum unum in Provincia & prædicto Regno Daciæ a Conventualibus ad Obſervantes hoc tempore tranſierunt. Id probatum & confirmatum voluit Pontifex, dato hoc diplomate, in quo Cœnobiorum nomina recenſet, quod proinde libentius exſcribimus. Reformantur Conventus Daciæ.

Ad perpetuam rei memoriam.

Accepimus ſiquidem, quod poſtquam olim in Capitulo Generaliſſimo univerſorum Fratrum Minorum tam Regularis Obſervantiæ, quam Conventualium de mandato noſtro in domo beatæ Mariæ de Aracœli de Urbe dicti Ordinis celebrato, pro felici ſtatu & directione Ordinis & Fratrum prædictorum, ſtatutum & ordinatum fuerat, quod ex tunc in antea in dicto Ordine omnes Fratres reformati, tam de familia, quam ſub Miniſtris reformatis degentes, ac omnes alii quocumque nomine nuncuparentur, ſublata nominis diverſitate, Fratres Minores ſancti Franciſci Regularis Obſervantiæ appellari, necnon unus frater reformatus dicti Ordinis Miniſter Generalis, cui univerſi Fratres tam Conventuales, quam Regularis Obſervantiæ obedire tenerentur, ac in ſingulis Provinciis Provinciales Fratrum de Obſervantia, qui prius Vicarii dicebantur, Miniſtri Provinciales ſuarum Provinciarum reſpective, quibus omnes tam illi, qui olim de familia fuerant, quam etiam qui ſe pro reformatis gerebant, Fratres ſubjici tenerentur, eſſe deberent, prout in noſtris ſuper ſtatuto & ordinatione prædictis confectis litteris latius explicatur, dilecti filii Gaardiani & Fratres domorum Urburgen. & Lunden. Civitatum, & Aleburgen. Kalniburgen. Kolingen. Iſladen. Zeiburgen. Seorocen. & Vetebicen. Viburgen, Roſchilden. Ripen. Lunden. & Lincopen. dioeceſ. provinciæ Daciæ, ac Abbatiſſa & Moniales Monaſterii Monialium Ordinis ſanctæ Claræ Civitatis Roſchilden. ſub ſecunda Regula ſanctæ Claræ degentes, ſponte litteris noſtris prædictis, ut obedientiæ filii parendo, tunc & pro tempore exiſtenti Miniſtro Provinciali dictæ provinciæ Daciæ, Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ hujuſmodi, illiuſque Fratribus juxta facultatem per dictas noſtras litteras eis conceſſam, rite adhæſerunt, eique obedientiam præſtiterunt, ſub regulari obedientia & obſervantia ejuſdem Miniſtri Provincialis, & pro tempore exiſtentis, promittentes reſidere & perpetuo manere. Nos Fratrum prædictorum tranquillo & quieto ſtatui, illiuſque perpetuitati providere volentes, motu proprio & ex certa ſcientia, ac poteſtatis plenitudine adhæſionem, ſubmiſſionem & promiſſionem prædictas, ac omnia & ſingula in inſtrumentis, deſuper confectis contenta approbamus, eiſque robur perpetuæ confirmationis adjicimus, omneſque & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, ac adhæſionem, ſubmiſſionem & promiſſionem prædictas perpetuis futuris temporibus, ſub excommunicationis ſententiæ pœna ipſo facto, abſque ulteriori declaratione incurrenda, a qua præterquam a Romano Pontifice abſolvi non poſſint, obſervari debere decernimus. Inhibentes inſuper ſub dicta excommuni- Reg. Cur. Ciſm. fol. 5.

nicationis ſententia, omnibus & ſingulis Generali, Provincialibus Magiſtris, Guardianis & Fratribus Conventualibus dicti Ordinis, ne ſuper adhæſione, ſubmiſſione & promiſſione prædictis, & aliis in litteris & inſtrumentis prædictis contentis, quomodolibet ſe intromittant, aut directe vel indirecte adhærentes præfatos deſuper quovis modo moleſtare præſumant, & per eos facta, & per Nos approbata hujuſmodi, ullo unquam tempore, etiam prætextu quarumcumque revocationum deſuper habitarum, & privilegiorum, indultorum, ac litterarum Apoſtolicarum nobis & ſucceſſoribus noſtris, nunc & pro tempore obtentorum, nullatenus contravenire poſſint. Et nihilominus univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ac Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, motu ſimili mandamus, quatenus moderno & protempore exiſtenti Provinciali Miniſtro, & Guardianis & Fratribus adhærentibus præfatis, eiſque auxilium, conſilium vel favorem præſtantibus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra Provinciales Miniſtrum & Fratres adhærentes præfatos, quoties pro parte illorum ſeu cujuslibet eorum fuerint requiſiti, omnibus & ſingulis præmiſſis, ac in dictis inſtrumentis & litteris contentis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos deſuper quomodolibet perturbari ſeu moleſtari: contradictores etiam quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas & alias pœnas, etiam eorum arbitrio imponendas, compeſcendo, invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſeculari. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac domorum & Monaſterii prædictorum ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiiſque, indultis & litteris Apoſtolicis, eis illorumque ſuperioribus nunc & pro tempore, ſub quibuſvis verborum formis, revocationibus & declarationibus conceſſis, confirmatis & approbatis; quibus omnibus motu, ſcientia & poteſtate prædictis derogamus, contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod præſentium tranſumptis, manu Notarii publici ſignatis, & alicujus Prælati aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis, eo prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ adhiberetur, ſi præſentes originales litteræ eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XI. *Martii* MDXIX. *Pontificatus noſtri anno* VI. *Evangeliſta.*

Conventus aliquot provinciæ Franciæ reformantur.

X. In provincia Franciæ alia ſimiliter loca Fratrum & Monialium, quæ prius erant Patrum Conventualium, decrevit Pontifex ſubeſſe debere regimini Superiorum Regularis Obſervantiæ; etenim jam pro reformatis habebantur; atqui omnia hujuſmodi declaravit Pontifex per Obſervantes eſſe gubernanda. Nomina autem Conventum & Monaſteriorum ex Pontificiis litteris, quas ſubjungo, certius habebuntur.

Dilecto filio Miniſtro Provinciali provinciæ Franciæ, Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, nunc & pro tempore exiſtenti.

Reg. Ciſm. Curiæ fol. 13.

Accepimus nuper, quod nlius poſtquam per Capitulum Generale Ordinis Fratrum Minorum in domo ſancti Bonaventuræ Lugdunen. dicti Ordinis celebratum, in quo dilectus filius noſter Chriſtophorus tituli ſanctæ Mariæ de

de Aracœli presbyter Cardinalis, & Commissarius ad id Apostolica auctoritate deputatus, & Minister Generalis totius dicti Ordinis præsidebat, & per ipsam Christophorum Cardinalem, Commissarium, & Ministrum tam prædicta, quam Definitorum ejusdem Capituli auctoritatibus, omnes Conventus Custodiæ Leodien. dicti Ordinis, provinciæ Franciæ, secundum morem ejusdem Ordinis, qui eatenus minime reformati fuerant, sed conventualiter vixerant, prout tunc vivebant, & in futurum vivere velle asserebant, Magistro Conventualium Fratrum Ordinis & Provinciæ prædictorum, quamdiu tamen litteras Apostolicas unionis ejusdem Ordinis observarent, & non aliter, dimitti, ubi vero easdem litteras transgressi forent, ab obedientia dicti Magistri subtrahi, & Ministro eorumdem Ordinis & Provinciæ pro tempore existenti subjici, ac per eum reformari debere, decretum & declaratum fuerat: cum Remen. Cathalaunen. Suessionen. Attrebaten. Maceriarum, & Lenden. Conventuum Fratres, necnon & aliquorum locorum Sorores, qui ab initio dicti Ordinis Ministro prædictæ Provinciæ subjecti fuerant, & tunc proxime lapsis annis in duobus Capitulis Provincialibus Fratres pro electione Ministri dictæ Provinciæ tunc celebrata, vocem activam & passivam habuerant, & pro suis Conventibus ordinatos officiarios acceptaverant; similiter & Sorores suos Confessores & alios Fratres servitio earum deputatos, & illi ac illæ Ministro Provinciali, uti eorum vero & indubitato Prælato reverentiam exhibuerant & obedientiam, ordinationibusque dictorum Capitulorum paruerant; exemplo dictorum Fratrum Custodiæ Leodien. reformationem, & Regularem Observantiam, ac rectam vivendi normam diffugerant: dictus Christophorus Cardinalis, Commissarius, & Minister, de commisso sibi grege sollicitus, præmissa considerans, ac volens tales abusus in perpetuum tollere, & ut Fratres ejusdem Provinciæ cum majore animi tranquillitate, liberiusque in observantia sub regulari disciplina Divino cultui, & propriæ salati vacare possent, & ne unioni prædictæ alias per nos matura deliberatione ad humiles & instantissimas Regum & Principum Christianitatis preces factæ, præjudicium fieret, intentionis suæ, & dicti Capituli Generalis numquam fuisse aut esse, aliquas Custodias, Conventus vel loca, aut Fratres dictæ Provinciæ, quam Fratres dictæ Custodiæ Leodien. hujusmodi ab immediata obedientia Ministri dictæ Provinciæ dimittere, quinimo voluisse & velle prædictorum Remen. Cathalaunen. Suessionen. Attrebaten. Maceriarum, & Lenden. Conventus, Fratres, atque alios Fratres, & Sorores omnes, qui ante dictum Capitulum Generale fuerant Ministro dictæ Provinciæ subjecti, eidem subjectos remanere declaraverit, prout in diversis litteris autenticis Christophori Cardinalis Commissarii, & Ministri prædicti dicitur plenius contineri: & postmodum super hoc mota quæstione in Curia Parlamenti Parisiensis, pro, & sub obedientia Ministri Provincialis sunt adjudicati; cujus sententiam sequens Minister Provinciæ prædictæ, aliquos videlicet Remen. Cathalaunen. & alios reformavit. Nos igitur, qui ob paternam in dictum Ordinem caritatem, illius personarum pro universali Ecclesia jugiter laborantium profectum, & quæ ob id provide facta sunt, firmissima ex omni parte permanere summopere desideramus, consideratione venerabilis fratris nostri Bernardini Episcopi Sabinen. dicti Ordinis Protectoris, nobis super hoc humiliter supplicantis, ex certa scientia, declarationem & riformationem prædictas, ac prout illas concernunt omnia & singula in dictis litteris contenta, & inde secuta, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus: supplentes omnes & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem: ac mandantes tibi, &

pro

Anno Christi	Leonis X.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 312.
1519.	an. 7. & 8.	anno 1.	

pro tempore existenti Ministro dictæ Provinciæ in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, quatenus tu & illi, ubi, quando & quoties expedire videatis, cum dexteritate & solerti diligentia Remen. Cathalaunen. Suessionen. Attrebaten. Maceriarum, & Lenden. prædictos, ac omnia alia & singula Conventus & loca tam Fratrum, quam Sororum primæ & secundæ Regulæ sanctæ Claræ, illorumque singulares personas tibi & pro tempore existenti Ministro Provinciæ hujusmodi commissa, pro felici eorum directione ac Regulari Observantia, tam in capite, quam in membris reformare, corrigere, punire & emendare, ac denique ad immediatam obedientiam veſtram reducere & conservare curetis; prout te pro solitis studio & prudentia tuis facturum esse non dubitamus: contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; necto etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis: Mandantes insuper Fratribus prædictorum locorum, videlicet Remen. Cathalaunen. Attrebaten. Materiarum. Lenden. & quibusvis aliis, ac Monasteriis Monialium sanctæ Claræ tam primæ, quam secundæ Regulæ, quæ tempore Capituli Generalissimi sub cura Ministrorum Reformatorum erant, & deinde ab obedientia tua recesserunt, seu in futurum recesserint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ, necnon privationis privilegiorum & gratiarum, ac vocis activæ & passivæ, quæ in dicto Ordine habetur, pœnis, quas contrafacientes eo ipso, & absque declaratione incurrere volumus, & a quibus nonnisi a nobis aut successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, aut in articulo mortis constituti absolvi possint, quatenus postquam pro parte tua fuerint requisiti, infra spatium sex dierum ex tunc immediate sequentium, dimissa obedientia Magistri Conventualium, ad obedientiam tuam redeant, & tibi, ac pro tempore existenti Ministro Provinciæ adhæreant, & sub Regula & institutis Regularibus Fratrum Regularis Observantiæ vivere curent. Inhibentes sub similibus censuris & pœnis Magistro Provinciali Fratrum Conventualium dictæ provinciæ Franciæ, ne eosdem Fratres ac Moniales de obedientia tua ad ipsius obedientiam, ut præfertur, translatos, sub ejus obedientia habere præsumat. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, ac quibusvis appellationibus per singulos Conventus & personas hujusmodi interpositis & interponendis; privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis, eisdem Fratribus Conventualibus, & illorum Custodiis, domibus & locis concessis hactenus, & in posterum concedendis: quibus, illorum tenores pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque: Aut si eisdem Fratribus Conventualibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod suspendi vel excommunicari, seu ipsi & eorum loca interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die ultima Octobris MDXIX. *Pontificatus nostri anno* VII.

Evangelista.

Num. 1. Reformantur aliqui Conventus Aquitaniæ. Cavel. tract. 1. fol. 6.

XI. Circa Conventus aliquot provinciæ Aquitaniæ Observantibus aggregandos, diximus anno præterito aliquas ortas fuisse difficultates, quas tamen sopitas voluisse Franciscum I. Galliæ Regem, edito hoc anno die XIII. Augusti gravi mandato de transferendis domibus Conventualium ad Observantes, scribit Hugo Cavellus vir doctissimus, seque illud legisse testatur. Custodiam vero Livoniæ provinciæ Saxoniæ, hoc anno totam fuisse sub Mi-

Anno Christi	Leonis X.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 312.
1519.	an. 7. & 8.	anno 1.	

Miniſtro Generali Obſervantiæ, mihi conſtat ex decreto quodam Bernardini Carvajalii Epiſcopi Sabinenſis, Cardinalis ſanctæ Crucis, Ordinis Vice-Protectoris, circa regimen ejuſdem Cuſtodiæ. Illa vero, quæ ſancti Gabrielis dicebatur, juxta permiſſionem Capituli Generalis anno præterito celebrati, erecta eſt hoc anno in Provinciam, in Comitiis Provincialibus provinciæ ſancti Jacobi ad Beneventum die XXII. Julii habitis cum interventu Commiſſarii Generalis Gabrielis a ſancta Maria, Franciſci Quiñonii provinciæ Angelorum Miniſtri, poſtea totius Ordinis Generalis, & Cardinalis, Jacobi de Alcala Guardiani Cæſarauguſtani, & Guardianorum Cuſtodiæ prædictæ ſancti Gabrielis ſive Extremæduræ, ubi conventum eſt inter Angelum Valliſoletanum Procuratorem, & Actorem Cuſtodiæ, ac Franciſcum de Zafra Miniſtrum ſancti Jacobi circa numerum Cœnobiorum, quæ aſſignanda erant novæ Provinciæ. Atque ita rebus pacifice & religioſe tranſactis, omnia in poſterum inter utramque Provinciam bene ceſſerunt, optimoſque fructus produxit illud novum germen provinciæ ſancti Jacobi, qui maxime in ejus laudem & honorem conducunt, uti annis conſtabit ſequentibus, cum de illis Apoſtolicis viris duodenis, primis Magiſtris, & Apoſtolis Indiæ Occidentalis, ſeu novæ Hiſpaniæ ex hac nova Provincia deſtinatis, fuerit agendum.

Et Cuſtodia Livoniæ. *Reg. vitæ. fol. 9.* Stabilitur provincia S. Gabrielis.

XII. Superius diximus, Franciſcum Lychetum, * Nuncium & Commiſſarium Apoſtolicum conſtitutum fuiſſe ſuper determinatas urbes & Provinciias, primo a Julio II. deinde a Leone pro collectione ſubſidii in favorem fabricæ Baſilicæ ſancti Petri de Urbe. Hoc autem anno idem Leo Pontifex ampliores ei conceſſit facultates, pluresque ejus commiſſioni ſubjecit Provincias, & poteſtatem ampliſſimam, quos vellet Commiſſarios & Collectores ſubdelegare. Bullam longiſſimam apud me originalem, datam III. Idus Decembris exſcribere omitto, quia in tenore verborum coincidit cum ſupradictis, alias ei conceſſis. Ille autem indefeſſe toto hoc anno tam huic operi, quam commiſſo ſibi Ordinis regimini toto incumbens conatu, omnes ferme Italiæ Provincias percurrit, & ubique Comitia celebravit Provincialia ſecundum rerum & temporis exigentias, nova condens ſtatuta, vetera vel renovans vel reformans, abuſus pravaſque reſcindens conſuetudines, bonis optimus, malis peſſimus, dyſcolos & inquietos ubique mortificans.

* Al. *Lecchetum.* Lychetus Nuncius & Commiſſ. Apoſtolicus.

In officio ſedulus.

XIII. Circa regimen Monialium valde invigilabat, ægreque ferebat aliquorum cupidinem multiplicandi Monaſteria Sororum, eaque abſque debitis conditionibus acceptantium. Rigoroſo itaque ſtatuto decrevit, ut nullatenus Monaſterium ullum in quacumque Civitate vel oppido, ſive Clariſſarum eſſet, ſive alterius Inſtituti, admitteretur a Fratribus regendum, niſi tria hæc præceſſiſſent. Primum, ut plene & perfecte eſſet conſtructum, & capax ſaltem quinquaginta Monialium. Secundum, ut reditus haberet annuos, prædicto Sororum numero alendo ſufficientes. Tertium, ut unaquæque adoleſcentula in Monialem recipienda dotem competentem juxta regionis & urbis conſuetudinem ante ingreſſum exhiberet. Ita decrevit in Capitulo provinciæ ſancti Bernardini anno MDXVIII. die XXVIII. Decembris, & publicari fecit per omnes Provincias. Has autem conditiones inviolabiliter obſervari voluit, quarum una ſi deficeret, receptionem Monaſterii volebat irritam. Numerum vero adeo copioſum adhibuit Sororum, tum propter Divinum cultum, & miniſteria Monaſterii commode peragenda, quæ difficulter obiri poſſunt in paucarum & debilium virginum collegio; tum ut difficiliorem & graviorem redderet Monaſteriorum acceptationem; tuum demum, ne deficientibus his conditionibus, tot probarentur incommo-

Pro regimine Monialium varias præſcribit regulas.

moda & miſeriæ in hujuſmodi Monaſteriis, quot hodie paſſim conſpiciuntur.

XIV. Hoc anno, die XXVIII. Junii in Conventu ſanctæ Mariæ Angelorum prope Aſſiſium in Comitiis Provinciæ taxavit numerum recipiendarum in Monaſteriis ejuſdem Provinciæ: in Peruſino Montis Lucidi ſeptuaginta duas: in ſancti Claudii Fulginatis quadraginta: in Burgi ſancti Sepulcri ſexaginta: In Montis-Falconis triginta quinque: In Eugubino ſexaginta: In Nurciano quadraginta: In Interamnenſi triginta dumtaxat, decrevit, ut reciperentur juxta reditus, quos tunc habebant ſufficientes. Ut Tudertinæ aut Reatinæ Sorores cogerentur ad clauſuram, donec commodum haberent habitaculum, & victum ſufficientem, non permiſit. Sororibus Monaſteriorum Corporis Chriſti Bononiæ, ſancti Bernardini, ſancti Guillelmi, & Corporis Chriſti Ferrariæ, ſancti Ludovici Mirandulani, ſanctæ Claræ Carpenſis, Corporis Chriſti Cremonenſis, Placentini, & aliis pleriſque juxta illorum exigentiam, & temporis conditionem, optimas leges præſcripſit, quæ in ſuo regeſto ſunt exſcriptæ. Demum a ſummo Pontifice ſibi valde propitio multa impetravit in beneficium commune Religionis, & præſertim confirmationem omnium privilegiorum Ordinis in foro conſcientiæ: non obſtantibus moderationibus in Concilio Lateranenſi factis, quas ſuo loco exſcripſimus.

Fr. Stephanus Epiſc. Trajanen.

Fr. Dionyſius Darien.

Fr. Bernardus Carthaginen.

Fr. Vincentius Gaudeu.

Fr. Nicolaus Sarrepten.

Fr. Ioannes Neapolitan.

XV. Aſſumptus eſt hoc anno ad Epiſcopatum Trajanenſem in Helleſponto, ſub Archiepiſc. Cyziceno, frater Stephanus Magnanus, qui factus eſt ſuffraganeus Archiepiſcopi Avenionenſis, die XXIII. Martii: ad Darienſem in Thracia, ſub Archiepiſc. Heracleæ, frater Dionyſius Sac. alias Hac de Obſerv. ſuffraganeus Caſtrenſis in Provincia Bituricenſi, die V. Maii: ad Carthaginenſem Archiepiſcopatum in Africa, frater Bernardinus N. Obſervantinus, & ut poſſet exercere Pontificalia Tuneti, die XIII. ejuſdem menſis: ad Gandenſem in Groelandia, ſub Archiepiſcopo Nidroſienſi in Norvegia, frater Vincentius Petri, alias Petic. ad inſtantiam Regis Daciæ, die XX. Junii: ad Sarreptanum in Paleſtina, hodie Saphet, in Patriarchatu Antiocheno, ſub Archiepiſc. Tyrenſi, frater Nicolaus Burreanenſis, factus ſuffraganeus Tornacenſis, die II. Decembris: ad Neapolitanum, Samariæ urbem, quæ & Sichen, & Neptalis, ſub Patriarcha Hieroſolymitano, frater Joannes de Morellis, factus ſuffraganeus Cenetenſis in Dalmatia, ſub Patriarchatu Aquilejenſi, die XII. ejuſdem menſis.

Bernardinus Carvajalius Ordinis Vice-Protector.

XVI. Dominici Cardinalis Grimani Ordinis Protectoris vitam protrahunt Ciaconus, & apud eum Victorellus uſque in annum MDXXIII. quo deceſſiſſe ajunt die XXVI. Auguſti, & depoſitum corpus in Templo ſanctorum Joannis & Pauli, Venetias translatum, ſepultum fuiſſe inſigni tumulo in Eccleſia ſancti Franciſci. Negotium mihi faceſſit, quod hoc anno in Leonis diplomate ſub diem XIV. Aprilis invenio Bernardinum Carvajalium Epiſcopum Sabinenſem nominatum Ordinis *Vice-Protectorem*, & in litteris paulo antea exſcriptis circa reformationem Cœnobiorum provinciæ Franciæ, datis ultima Octobris lego appellatum abſolute Ordinis *Protectorem*, quod munus Grimanus cum laude, & Ordinis commodo longa ſerie protulit annorum. Vel ergo error eſt in poſtremis Papæ litteris, & Scriptoris incuria pro *Vice-Protectoris* titulo, appoſitus eſt *Protectoris*, quod probabilius reputo; vel Grimanus ſenectute gravatus, aut infirmitate preſſus, Protectionem hanc in Bernardinum tranſtulit, vel alia de cauſa fortaſſis ab ipſo Pontifice eidem collata eſt. Obiit porro Bernardinus an. MDXXII. uti ex ejus Epitaphio ad Templum ſanctæ Crucis, cujus fuerat Titularis, habetur. Ad annos MDXXI. & MDXXIII. de hac re ſermo redibit, qui dubium iſtud ſorte diſſolvet.

XVII.

Anno Christi 1519.	Leonis X. an. 7. & 8.	Caroli V. Imp. anno I.	Religionis Minorum anno 312.

XVII. Cœnobium ſancti Hieronymi (quod nunc Collegium Clericorum ſecularium, pie & laudabiliter viventium, ſecundum quædam Inſtituta ſancti Philippi Nerii, qui ibidem ſuæ Congregationis prima jecit fundamenta) olim ſpectans ad Patres Clarenos, uti alias narravimus, tranſiit ſub hoc tempus ad Patres Obſervantiæ. Dum autem illud recuperare contenderent Clareni, nondum Obſervantibus uniti, Lychetus Generalis Miniſter hoc anno III. Auguſti, præmiſſo aliquot gravium Virorum conſilio, præcepit ut retineretur, & defenderetur per Procuratorem Ordinis Franciſcum da Potentia, ne ad dictos Patres Clarenos rediret. Demum datum eſt Confraternitati Caritatis, uti ſub annum MDXXIV. recenſebitur. Conv. S. Hieronymi Urbis. *Reg. Caſmon. Gener. fol.* 20. *Tom.* 15. *anno* 1512. *n.* 7.

XVIII. In hunc annum incidit memoria duorum Cœnobiorum Patrum Conventualium, quam ex Petro Rodulpho exſcribo. *In Provincia*, inquit, *Terræ laboris, & Cuſtodia Neapolitana extat Conventus ſanctæ Annæ extra urbem Neapolis in ſuburbio ad Portam Capuanam. Primo erat Capella ſub obedientia unius Clerici, cui ſolvuntur annui ducati duo, & una libra cereæ. Nulla alia habetur notitia. Poſtea iſta Eccleſia fuit aucta per quoſdam Confratres ſeculares, qui ibidem convenichant ad pium opus recipiendo eleemoſynas, quam auxerunt Fratres anno* MDXIX. *In provincia Siciliæ & Cuſtodia Drepani Conventus Vicari anno* MDXIX. *captus a quodam fratre Sebaſtiano de Girachio: locus pauper & inhoſpes.* Conv. S. Annæ Neapolis. *Rodul. fol.* 275. Conv. Vicari. *Idem fol.* 282.

XIX. De Conventu Tifernate, ſeu Civitatis Caſtelli Fratrum Regularis Obſervantiæ, ſcripſimus alias; ſed hic addimus aliqua ex litteris Leonis Pontificis, quibus dictum Conventum ad alium locum civibus & Fratribus commodiorem transferendi facultatem conceſſit. Refert, primum Conventum procul, ſeu non parum ab urbe diſtaſſe, titulumque habuiſſe ſanctæ Suſannæ; incommodum vero fuiſſe civibus, ut ad Divina officia, & confeſſiones proficiſcerentur, & Fratribus, ut ad colligendas eleemoſynas accederent. Rogantibus ergo Tifernatibus annuit, ut ad opportuniorem locum transferretur, & venderetur hoſpitium ſancti Jacobi, quod intra urbem Fratres habebant, ut ex redactis pecuniis Cœnobii fabricæ ſubveniretur: *Cum ſicut nobis nuper exponi*. die V. Junii. Translatam porro fuiſſe domum exiſtimo, dum hæ litteræ referant, primam ſub ſanctæ Suſannæ audiviſſe, & Gonzaga dicat, quæ modo eſt, appellari ſancti Joannis, & ad M. P dumtaxat ab urbe diſtare, cum diploma narret non parum diſſitam fuiſſe. *Tom.* 14. *anno* 1473. *n.* 16. Conv. Tiferni.

XX. Altera etiam translatio Conventus Fanenſis in Piceno, quam alibi indicavimus, certius & clarius habebitur ex aliis litteris ejuſdem Leonis, quas damus in Regeſto. Incipiunt uti præcedentes, datæ die XVI. Septembris. Uti quidem, & tertia apparebit hujus anni translatio Conventus ſancti Bernardini Cremenſis, de qua alio loco diximus: *Accepimus quod cum*. die XIX. Februarii: Necnon & quartæ translationis Conventus Tarviſini alibi commemorati, ſimile prodiit diploma: *Accepimus*. die XXIV. anno VI. & die XV. Aprilis anno VII. *Tom.* 9. *anno* 1399. *n.* 17. Conv. Fanen. transfertur. Conv. item Cremen. *Tom.* 15. *anno* 1515. *n.* 15. Conv. etiam Tarviſini. *Tom.* 15. *anno* 1512. *n.* 11.

XXI. Fratribus Conventus Caſtri Novi, Lucanæ diœceſis, de quo alias diximus, conceſſit Pontifex campanas duas Eccleſiæ fine cura de Campora; Territorii Caferoniani ejuſdem diœceſis ab annis triginta derelictæ. Incolis Cœnobii ſanctæ Mariæ Montis Oliveti prope Caſtrum Arquati, Placentinæ diœceſis, indulſit, ut in altero Caſtro Florentiolæ ejuſdem diœceſis, prope hoſpitium quod inibi habebant, Oratorium cum Altaribus, & neceſſariis quibuſque pro habitatione Fratrum ædificare poſſent: *Cum ſicut exponi*. die XI. Aprilis. Conv. Caſtri novi. *Tom.* 12. *anno* 1454. *n.* 69. *Reg. Caſmontan. Curiæ fol.* 12. Hoſpitium Florentiolæ.

XXII. In agro Cuſentino in Tuſcia oppidum eſt Pontis Sevæ, a vicino Conv. Pontis Sevæ.

Conv. in Provin. Tuſciæ Conv. 46.

eino Ponte, qui tranſitum fluminis jungit, ita appellatum, a quo parumper diſtat Conventus Fratrum Regularis Obſervantiæ, ſub invocatione ſancti Franciſci. Situa partem dedit nobilis vir Arnolphinus Florentinus, partem alteram & ædificium adjecerunt Fratres circa hunc annum ex conquiſitis eleemoſynis. Subjectum tamen impetuoſis aquis, quæ imminentium montium cacuminibus præcipitanter defluunt, magnam frequentemque paſſum eſt ruinam. Nihilominus vicini populi ad hunc locum devote confluunt Chriſti Crucifixi imaginem veneraturi, quam proinde ferventius colunt, quod bis rapidis aquis inter alia Eccleſiæ rudera tranſportata, verſa ad hunc locum facie, ad ſecundum milliare recta ſubſtiterit.

Conv. Supini. Idem in Provin. S. Angeli Conv. 28.

XXIII. Bartholomæus a Capua, Altæ-villæ Comes, ac Supini in Latio Dominus, haud procul a Supino domum eiſdem Fratribus ſanctiſſimæ Trinitati dedicatam, hoc anno inchoatam, brevi tempore conſtruxit, in qua ſacra legi ſolet Theologia. Neque longe a Caſſaboni pago in Calabria, illius loci incolæ alteram eiſdem Fratribus poſuerunt hoc eodem anno, ſub titulo Annunciationis Virginis Mariæ.

Conv. Caſſaboni. Idem in Provin. Calabriæ Conv. 13.

Conv. Medianus.

XXIV. Communitas, & Populus oppidi de la Mezzana, de Pumonte, Adjacen. diœceſis in inſula & regno Corſicæ, obtinuit a Leone Pontifice facultatem ædificandi Conventum pro Fratribus Obſervantibus, ſub invocatione ſancti Franciſci: *Cum Communitas & populi*. die x. Februarii. Neſcio an hic ille Conventus ſit, quem Gonzaga vocat ſancti Franciſci *Medianæ*, prope oppidum Sarlæ, cujus ait ſe tempus & auctorem conſtructionis ignorare.

Idem in Provin. Corſica Con. 35.

Conv. de Pinu. Idem in Provin. S. Antonii Conv. 21.

XXV. Prope Tagum ad dextram, qua defluit Ulyſſiponem verſus in Luſitania, Cœnobium eſt ſancti Antonii a Pinu, a Rege Emanuele hoc anno conſtructum, quod proinde ſub clientela eſt Regum Luſitaniæ, eoſque tamquam patronos agnoſcit. Æſtivo tempore graviſſimus eſt aer, & qui incolunt, febribus ſemper obnoxii. His, & qui vicinos minus ſalubres Conventus incolunt, medicandis, Sebaſtianus Rex commodum conceſſit Valetudinarium, intra ambitum Xenodochii Regii Scalabitani.

Conv. Oropeſa. Idem in Provin. Caſtel. Conv. 20. Salaz. l. 4. c. 18. Tom. 15. anno 1515. n. 38.

XXVI. Franciſcus Alvares a Toleto Comes Oropeſanus ad cc. p. ab iſto ſuo oppido, Abulen. diœceſis, annuente Franciſco Ruizio Minorita (de quo alias locuti ſumus) Epiſcopo, hoc anno Conventum conſtruxit, ſub titulo Matris Dei, viginti ſex Fratribus recipiendis commodum & opportunum, atque hoc ipſo anno, die vi. Junii commiſit regimini Joannis de Marquina Provincialis Miniſtri. Ex polito & ſecto lapide totum pulchre conſtruxit, amœnos hortos, & grata adjunxit viridaria, nihilque in eo deſiderari voluit, ſive Fratribus, ſive cultui Divino neceſſarium. Odeum & Bibliothecam libris, ſacrarium multa & locuplete ſupellectile, officinas omnes rebus quibuſque opportunis aſſiduenter inſtruxit. Hic ſibi ſuiſque ſucceſſoribus tumulum delegit, ibique ſepulta eſt ejus conjux Maria Figueroa. Illuc prædeceſſorum corpora transferri curavit Maria Pacheco, fundatoris genitrix, etſi ex his quædam honorifice ſepulta fuerint in celebri Monaſterio ſancti Juſti Ordinis ſancti Hieronymi; alia in præcipuo Sacello Templi majoris Oropeſaoi. Facta eſt translatio magna ſolemnitate anno MDXLVIII. præſentibus Andrea Inſulano Generali Miniſtro, multiſque Patribus venerandis Provinciæ Caſtellaoæ. Eo feruntur deceſſores erga hunc Conventum affectu, ut omnia abunde Fratribus miniſtrent, infirmorum curæ peramanter proſpiciant, hoſpitibus caritative excipiendis, ubi ſtatim advenerint, pro uniuſcujuſque qualitate refrigeria quæque tranſmittant. Ipſi ſarta tecta curant, feſtivitatibus celebrandis, Corporis Chriſti præſertim, eidemque

que tumulando feria quinta hebdomadæ majoris, aulæa, tapetia, ceram, ſuffitus, argenteos ornatus, non tam mittunt, quam ipſi parant, diſponunt, ſuiſque locis adaptant. Non eſt itaque cur quidquam penſitent Fratres circa victum, veſtitum, domus ſtructuram aut reparationem, circa Templi decorem, aut feſtorum apparatum. Id ſolum curæ ſupereſt, ut rem Divinam graviter & devote celebrent, & pro nobiliſſimis beneſactoribus impenſius deprecentur. Franciſcus Alvarez a Toleto junior, in comitiis Toleti anno MDCIX. celebratis, obtinuit ut domus iſta traderetur Fratribus Recoletis ſive ſtrictioris Obſervantiæ, qui ſecundum primævum viverent Ordinis Inſtitutum. Hic ſepultus eſt Petrus Norvegus, vir religioſiſſimus, qui annis aliquot Indis magno fructu prædicavit, & in Hiſpaniam reverſus, animas procurabat iſtorum Comitum. Per Villas & pagos diſcurrebat pedes, ubique prædicans, & ad pœnitentiam exhortans.

Petrus Norvegus.

XXVII. A Pace-Auguſta, vulgo Hiſpanico *Badajoz*, in Caſtellæ terminis ad Anam fluvium ſita, diſtat P. M. Conventus Minorum a ſancto Gabriele nuncupatus, loco amœno, & ſtrictioris Obſervantiæ Fratribus perquam accommodo, hoc anno conſtructus per Illuſtres Heroes Gomezulum Fernandez Soliſium, & Catarinam a Silva uxorem, atque Angelo Valliſoletano primo Provinciæ ſancti Gabrielis Miniſtro traditus, ut reliquis ſuæ curæ commiſſis adnumeraret. Domum adjunxerunt amplam, ſuæ pietati fovendæ commodam, aliquando ibi pro ſua pietate hoſpitantes. Ea erat capacitate & commoditate, ut Philippus II. Hiſpaniarum Rex, cum Regina, liberis, nepote Alberto Auſtriaco S. R. E. Cardinale, dum in Luſitaniam Regno potiturus proficiſceretur, accommode fuerit exceptus hoſpitio. Eccleſiam & Cœmeterium conſeceravit anno MDXXVI. Alphonſus Manriquius Archiepiſcopus Hiſpalenſis. Jacet hic vir doctiſſimus, & diſertiſſimus Concionator, Didacus Fernandez: qui poſtquam publice in Salmanticenſi Academia per aliquot annos Theologiæ profeſſorem egerat, in Provincia ſancti Jacobi habitum ſuſcepit Minorum, ex qua ad ſancti Gabrielis tranſivit. De virtute in virtutem profectus, populos multos a vitiis ad vitam Chriſtiane tranſigendam reduxit; unde & maximum ſui deſiderium omnibus reliquit. Illic etiam ſepulti ſunt Joannes a Salvaleone, Bernardus a ſancto Joanne, Bernardinus a Numbela, virtute & pietate commendabiles.

Conv. S. Gabr. Pacis Auguſtæ. *Idem in Provin. S. Gabriel. Conv.* 12.

Fr. Didacus Fernandez.

Joannes a Salvaleone. Bernardus a ſancto Joanne. Bernardinus a Numbela. Conv. S. Mich. Placentiæ.

XXVIII. Huic Cœnobio contemporaneum eſt alterum ſancti Michaelis ejuſdem Provinciæ, longiuſcule a Civitate Placentina fabricatum ſumptibus Friderici a Stuñiga Mirabellanorum Marchionis, & quorumdam civium Placentinorum. Fundum dedit ſupradicto Angelo nobilis Matrona Mentia Carvajalia, & Xenodochium, ſive Valetudinarium prope Civitatem conſtruxit Senatus Placentinus, ubi hujus & vicinorum Conventuum infirmi reſtaurari poſſent. Eſt hic ſtudium ſacræ Theologiæ: & corpora Ludovici Salmanticenſis laici, qui ad Ordinem mirabiliter receptus, mira etiam humilitate, caritate & pœnitentia in eo vitam ſuam ſanctiſſime traduxit, & miraculis effulſit. Id præcipue memorandum, quod quemdam tabe laborantem, porrecto fruſtulo panis ſanaverit, & multis futura prædixerit. Nocte Dominicæ Nativitatis, quam ſummo cordis jubilo feſtive ſemper celebraverat, e mortali vita, prout ipſe ſemper a Domino petierat, diſceſſit; atque aliorum duorum etiam laicorum, virtute & religione memorabilium, Joannis a Belviſio, Joannis e Vite, vulgo *de la Parra*, necnon Venerabilis Patris Franciſci a Fraxineto Sacerdotis, pietate illuſtris. Propter tribulationes, quas in ſuis exordiis, uti indicavimus, paſſa eſt hæc Provincia

Ludov. Salmanticen.

Joannes a Belviſio. Joannes de la Parra. Franciſc. a Fraxineto. *Tom. 15. anno 1502. n. 25. & 1504. n. 41. & 1508. n. 18.*

ſancti Gabrielis, dedit ei Clemens VII. in Protectorem perpetuum Epiſcopum Placentinum. Utque ſecurius inſtrumenta, quæ ad eam ſpectant, cuſtodirentur, in Archivo Eccleſiæ Cathedralis deponi curavit.

Conv. Ortavæ. *Idem in Provin. Lusar. Conv. 5.*

XXIX. Bartholomæus Bonites Lugo, unus ex præcipuis inſulæ Teneriffe Canarienſis expugnatoribus, debellatis omnino inſularibus paganis, in oppido Ortavæ prædictæ inſulæ, ſub hunc annum Conventum ſancto Laurentio ſacrum, capaciſſimum triginta Fratrum domicilium, fabricavit, ſacris veſtibus, vaſis, ceteriſque neceſſariis inſtruxit. In magna veneratione eſt hic Conventus apud Tenerifanos propter crebra ſancti Laurentii miracula.

Num. 15. Controv. circa Conventum Toloſanum.

XXX. Anno præcedenti diximus, controverſiam circa Conventum Toloſatem, cui ſcilicet ſubjiciendus eſſet, an Miniſtro Provinciali Obſervantum, an vero Magiſtro Conventualium, commiſſam fuiſſe judicandam quibuſdam judicibus: Cum vero neque horum judicio potuerit terminari, commiſſa eſt hoc anno Decanis ſancti Martini inſulæ Jordanis, & ſancti Felicis Toloſanæ diœceſis, ac Petro Paillarete Canonico Toloſano, ut tamdem litem dirimerent; nec tamen potuerunt, contendentibus Patribus Conventualibus non fuiſſe reformatum ante Capitulum Generaliſſimum, & Conſtitutionem Leonis, ſed bona adhuc retinere temporalia, & ſecundum privilegia ſibi conceſſa, velle in primo ſtatu perſeverare. Data eſt itaque ſecunda commiſſio Apamiarum, & ſancti Antonini Ruthenen. Eccleſiæ Archidiaconis, & Officiali Lumbarienſi, quam ſolam damus in regeſto: ex ea enim ſufficienter conſtabit, quid hactenus in cauſa actum ſit: *Sua nobis dilecti*. XII. Kal. Maii. Id ipſum controvertebatur de Conventu Reolienſi

Negotium circa Conſtit. Reolienſem.

provinciæ etiam Aquitaniæ, cujus cauſa commiſſa eſt Archidiacono Burdegalenſi, & Decano ſancti Severini prope & extra muros Burdegalenſes, atque Arnoldo de Baſteret, Vaſaten. Eccleſiæ Canonico: *Non ſine noſtræ mentis*. die 11. Januarii.

Gonz. in Provin. S. Bonav. Conv. 44. Conv. de Romanis.

XXXI. Romanetus Boffinus (quem Gonzaga Emanuelem Raſinum appellat) Hieroſolymam pietatis cauſa profectus, cum ex peregrinatione rediiſſet, in loco eminenti extra oppidum de Romanis, Viennenſis diœceſis, ſtatuit aliqua Oratoria & ſacella, quæ Dominicum ſepulcrum, aliaque veſtigia paſſionis Chriſti repræſentarent, conſtruere, ibique Cœnobium fundare Fratrum Regularis Obſervantiæ, qui pia iſta loca magis venerabilia populis exhiberent. Fabricatis itaque Oratoriis, partim Romaneti, partim aliorum oppidanorum ſumptibus, cum de Fratrum incolatu ageretur, vehementi conatu ſe oppoſuerunt Archiepiſcopus Viennenſis, & Sacriſta cum Capitulo ſancti Bernardi dicti oppidi de Romanis; quare oportuit Pontificem cauſam committere Epiſcopo Gratianopolitano: *Juſtis petentium votis.* die XI. Julii. Sed & eidem committenda fuit anno ſequenti, propter adverſariorum tenacitatem in reſiſtendo. Atqui tamdem ſuperatis difficultatibus, admiſſi ſunt Fratres, ibique permanſerunt uſque ad annum MDLXII. quo Calviniſtæ oppido potiti, Oratoria & omnia pietatis monumenta deſtruxerunt. Regreſſi Fratres paulatim de reparandis ruinis cogitarunt, ad priſtinum tamen ſtatum reducere non potuerunt.

Conv. Tarpaten. *Reg. Cijm. Curſal. 8.*

XXXII. In provincia Saxoniæ, & cuſtodia Livoniæ Conventum fuiſſe hoc tempore Regularis Obſervantiæ in urbe Tarpatenſi, mihi conſtat ex quadam concordiæ inita inter illius incolas Minoritas, & Fratres Ordinis Prædicatorum ejuſdem Civitatis, circa quoddam terræ ſpatium inter utrumque Conventum conſiſtens, quam Pontifex hoc anno confirmavit.

To. 15. an. 1500. n. 48.

XXXIII. Dixi alias, in urbe & diſtrictu Aretinis quinque fuiſſe Monaſteria

Anno Christi 1519.	Leonis X. an. 7. & 8.	Caroli V. Imp. anno I.	Religionis Minorum anno 312.

ſteria Clariſſarum, & ab Alexandro VI. juſſum, ut omnia ad unum redigerentur. Quid actum tunc fuerit, ignoro. Invenio hoc anno inſtrumentum deputationis Syndici ſeu Procuratoris factæ a Theodora Guido-Antonii de Peruſio Abbatiſſa, & a quinquaginta ferme Sororibus, eapreſſis eorum nominibus, in Monaſterio ſanctæ Claræ novellæ, vulgariter nuncupatæ *le Murate*, in contrata ſeu regione Portæ Bujæ: quod hic ſaltem indicare viſum eſt, ne memoria omnino deperiret. Occurrit inſuper hoc anno memoria Monaſterii ſanctæ Claræ Cuſentini in diplomate Leonardi, titulo ſancti Petri ad Vincula Presbyteri Cardinalis, Apoſtolici Pœnitentiarii, quo facultatem concedit ſorori Lauræ a ſancto Marco tranſeundi ad aliquod Monaſterium reformatum Clariſſarum, ſub cura Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ degentium. Necnon ſanctæ Claræ Saonenſis hoc tempore reformati, & ſub regimen Miniſtri provinciæ Januenſis redacti: *Accepimus nuper*. die XII. Octobris.

Monaſt. Aretin. S. Claræ novellæ.

Monaſt. Cuſent.

Monaſt. Saonen. reformat.

XXXIV. In urbe Ravennate domus hoſpitalis erat ſub ſancti Spiritus titulo, miraculoſa Chriſti crucifixi imagine celebris; quæ ut majorem haberet venerationem, Senatus decreto converſum eſt Xenodochium in ſacrum virginum ſub ſanctæ Claræ Inſtituto Collegium. Illuc translatæ ea Monaſterio Bononienſi Corporis Chriſti Sorores octodecim auctoritate Franciſci Lycheti Miniſtri Generalis, quæ ſacro cœtui initium darent, & adventantibus puellis normam vitæ regularis. Sanctiſſimis legibus & vitæ exemplis has fulſiſſe, teſtatur Hieronymus Rubeus, & ſuo tempore ſe vidiſſe in eo Cœnobio ſexaginta Sorores perquam religioſe viventes, & Hieronymi Guaccimani, hoſpitalitate & magnitudine animi percelebris uxorem, Monaſterium hoc aliquot agris legatis plurimum auxiſſe.

Monaſt. Ravennæ. *Gonz. in Provin. Bonon. Mon. 10.*

Rubeus in hiſt. Raven. l. 9.

XXXV. Ravennatum imitati pietatem cives Regienſes, etiam hoc anno (non *1529.* uti per errorem Typographi habet Gonzaga) ædem ſacram Miſericordiæ in Clariſſarum Monaſterium, ferme quinquaginta capaa Sororum, permutarunt, auctoritate prædicti Lycheti, vocatis duodecim Sororibus aliarum magiſtris, ex Monaſterio Corporis Chriſti Cremonenſi.

Monaſt. Regien. *Gonz. cit. in Monaſt. 11. Rub. cit.*

XXXVI. In Hiſpania, & diœceſi Palentina oppidum eſt frequens & opulentum Turris fumorum, vulgo *Tordehumos*, in quo ſub hunc annum Mentia de Mendoza, nobilis vidua conſtruait ampliſſimum Monaſterium ſanctæ Claræ, in quo religioſiſſime vivunt Sorores ſeaaginta, eaque pietate, ut aliquot a luceſcente die ad meridiem uſque orationi inſiſtant in choro, nec inde prius diſcedant, quam aliæ ſuccedant. Multæ ſacræ virgines virtutibus ac ſanctitate inſignes hic feliciſſime Chriſto ſponſo famulatæ ſunt.

Monaſt. Turris fumorum. *Idem in Provin. Concept. Mon. 8.*

XXXVII. Garſias Diaz Gibraleonius domum ſuam intra muros oppidi Sanlucari in Bætica, in Monaſterii formam redactam Clariſſis tradidit, & Eccleſiam titulo *Reginæ cœli* voluit inſignitam. Alendis autem Sororibus bona ſua quæque legavit. Introductæ demum Sorores ſunt hoc anno, quo fabrica fuit completa.

Monaſt. Sanlucari. *Idem in Provin. Batica Mon. 10.*

XXXVIII. Franciſcus Generalis Miniſter hoc anno in vigilia Viſitationis beatæ Mariæ, obtinuit a Pontifice, quod Fratres & Sorores uti poſſent in foro conſcientiæ omnibus privilegiis ſibi a ſummis Pontificibus conceſſis, non obſtantibus limitationibus aut declarationibus factis in Concilio Lateranenſi, quas nos ſuo loco eaſcripſimus. Alia multa inſuper hoc anno idem Pontifex conceſſit Fratribus & Sororibus privilegia. Inſtante Carolo V. Hiſpaniarum Rege, decrevit non poſſe interdici ullam Ordinis Eccleſiam, niſi tota Civitas aut oppidum, in quo eſt, interdicto ſubjiciatur: *Cum ſancta Regula veſtra*. die XXIII. Julii. Renovavit, quæ alias edidit, contra Apoſtatas

Varia Privilegia Pontificia. *Reg. Ciſm. gener. fol. 20.*

An. 1516. n. 2.

An. 1516. n. 62. ſtatas diplomata, & nos ſuis locis indicavimus: *Poſtquam diſponente Domino*. die XIII. Maii. Declaravit, quod Fratres Mendicantes, non vero ſeculares, poſſint gaudere in ſuis domibus ampliſſimis Indulgentiis conceſſis templum ſanctæ Mariæ de Populo in Urbe viſitantibus: *Dudum per nos accepto*. die X. Decembris. Præcepit Commiſſariis ſive Miniſtris Bullæ Cruciatæ, ne abſque Superiorum ſuorum licentia mittant vel aſſumant Fratres ad eam prædicandam; & prohibet ne Fratres aut Sorores privilegiis in ea conceſſis abſque prædicta utantur licentia: *Non ſine mentis diſplicentia*. die XXIX. Junii. Fratribus Provinciæ Hungariæ, olim reformatis, nunc Regularis Obſervantiæ, privilegiorum conſervatorem deputat Præpoſitum Eccleſiæ Albenſis: *Dudum ſiquidem*. die VII. Maii. Provinciam Angliæ eximit ab omni juriſdictione Legatorum Sedis Apoſtolicæ, & aliorum quorumcumque Prælatorum: *Cum ſicut accepimus*. die XXIII. Junii.

Privilegia pro Monialibus. XXXIX. Sanctimoniales etiam pluribus gratiis affecit. Clariſſas omnes tam primæ, quam ſecundæ Regulæ, & Tertiarias exemit a ſolutione Decimarum, & aliarum quarumcumque exactionum: *Dudum ſel. rec.* die XXIV. Maii. Conceſſit facultatem eiſdem alienandi, vendendi, permutandi, atque ultra triennium locandi bona Monaſteriorum, modo ad hæc concurrat conſenſus duarum partium Sororum, & cedat in evidentem ipſarum utilitatem: *Cum ſæpenumero accidat*. die XXVII. Novembris. Sæpius retulimus, in multis inſignibus Monaſteriis Hiſpaniæ deputatos fuiſſe Viſitatores peculiares, qui propria auctoritate omnia in eis diſponebant. Hos præcipit Pontifex deinceps vocari debere Commiſſarios, atque ipſos & Confeſſores ſubjicere correctioni & examini Miniſtrorum Generalium: *Cum inter alia ſalubria*. die XX. Julii. Id ipſum petebant aliquot Monaſteria Provinciæ ſancti Jacobi, ne ſcilicet per Viſitatores, ſed per Miniſtros, aut illorum Commiſſarios viſitarentur: & conceſſit Pontifex: *Cum ſicut exponi*. die XVII. Martii.

ARGUMENTUM.

Luthero per Germaniam debacchanti ſe opponunt docti Minoritæ, dum plerique alii in India Occidentali fidem longe lateque diſſeminant Romanam. Rara & admiranda vita refertur Georgii Quadræ, viri invictæ patientiæ. Florent Fratres multi & Sorores virtute ac pietate illuſtres. Miniſter Generalis Lychetus celebrat Congregationem Generalem Burdigalæ, & per Galliam ac Germaniam omnes ferme perluſtrat Provincias, tandemque Budæ in Hungaria decedit, cui ſubſtituitur Paulus Mediolanenſis. Committitur inquiſitio vitæ & miraculorum beati Joannis Capiſtranenſis. Præcluditur Amadeitis via ſeparationis ab Obſervantia. Deſignantur Epiſcopi. Conſtruuntur Cœnobia.

Martinus Lutherus furit in Germania. *Plomberg. in vita Lutheri. Remand. de orig. hæreſ. lib. 2.* I. MARTINUS Lutherus, monſtrum illud horrendum, ingens, cui lumen ademptum fidei propter ſuam ſuperbiam & proterviam, excuſſa jam omni verecundia, non amplius diſſimulandum ratus, poſtquam ſe dolis maliſque artibus nihil profeciſſe conſpexiſſet, palam & impudenter ſuarum hæreſum virus hoc anno eructare cœpit, & ſcriptum illud virulentiſſimum *Triadis Romanæ*, peſtilenti calamo effudit: cui etiam alterum adjunxit: *De captivitate Babylonica Eccleſiæ* inſcriptum, quo ſacra omnia ſurſum deorſum volvit, omnemque Eccleſiæ ſtatum & ritum ſubvertit. Gra-

Anno Christi	Leonis X.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 313.
1520.	an. 8. & 9.	anno 2.	

Graviſſima conſtitutione Leo Pontifex occurrit, recenſens & damnans unam & quadraginta hæreſes iſtius ſceleſtiſſimi blatteronis, cui etiam docti quique viri, in Germania præſertim & in Belgio ſe oppoſuerunt. Inter hos duo fuerunt ex Franciſcanis præcipui, Auguſtinus Alveldius, vir pius & eruditus, Regularis Obſervantiæ, in Academia Lipſiæ percelebris, qui doctiſſimo tractatu errores iſtos confutavit; ſed acerbiſſimum & petulantiſſimum reſponſum lingua Teutonica a Luthero accepit. Et Thomas Murnerus, qui docto edito libro, Sacerdotium novi teſtamenti, inſtructionum præſidio contra varios ipſius latratus inſigniter munivit, illumque impoſtorem, pſeudoprophetam eſſe mendacem, clariſſimis documentis oſtendit; & aliud opus emiſit pro libro Henrici VIII. Regis Angliæ contra eumdem Lutherum, in quo enumeravit & convicit Lutheri mendacia quinquaginta e ſolo libello ejus in Regem edito, & feſtiviſſime quidem ſed Teutonice eum caſtigat, ut non injuria dubitatum ſit, an in ſuis putidiſſimis ſcriptis & factis Lutherus morionem pocularium, an vero Thraſonem potius intolerabili faſtu turgentem agere voluerit.

Ejus hæreſes damnat Leo Pontifex.

Auguſtinus Alveldius ſe oppoſuit Luthero.

Necnon Thomas Murnerus.

Cochl. de actis Lutheri ad ann. 1523.

II. At dum hæc in frigidis illis regionibus Germaniæ contra Dei Eccleſiam venenoſa ſemina ſparguntur, in calidis ferventiſſimiſque Indiarum regionibus magis magiſque quotidie veræ Romanæ doctrinæ rudimenta propagantur, diffundente Sole juſtitiæ ſuos radios in terras longinquas, quas in propinquis occulto, ſed juſto judicio decrevit abſcondere. Ad ſacrum hoc myſterium miſſi ſunt hoc anno a Carolo V. Franciſcani viginti, decreto etiam addito de ſubmittendis aliis ejuſdem Inſtituti viris, quorum operam in tanta gentium efferarum converſione fructuoſam probavit. Ad oras Cumanas e regione Promontorii de Araya, atque inſulæ Margaritæ intra continentem multam meſſem collegerunt, illius regionis hominibus gratiſſimi, ad quos ante aliquot annos profectos diximus, & ſedem fixiſſe. Iſtis auxiliaturi dum alii deſignantur, omnia perturbata, ſuſque deque acta, ad nihilum rediguntur anno ſequenti. Etenim Alphonſus de Ojeda cum aliquot Hiſpanis, dum incolas & vicinos populos ſub amicorum nomine fallit, corripit & occidit, atque inconſultius cum paucis denuo in terram deſcendit; ipſe cum ſex ſuorum oppreſſus & cæſus fuit, & Religioſi omnes Franciſcani, Guardiano Joanne Garceto, & Hiſpani, qui Cumanæ erant, fuga lapſi in Hiſpaniolæ inſulam navigarunt, excepto uno dumtaxat fratre Dionyſio laico, qui poſtquam per ſex dies in arundineto delituit abſque cibo & potu, & ſe Cumanis credidit, illum tamdem, injecto ad collum fune per terram traxerunt, pugnis, calcibus, multiſque injuriis affecerunt, & tamdem fuſtibus contuſo capite, cerebrum per plateas experſerunt, corpuſque ignominioſe habuerunt. Duos inſuper Dominicanos Priorem & Fratrem laicum, qui in provincia Chiribicorum populorum, ſeptem leucis ab inſula Cubagua verſus Occidentem in Conventu ſanctæ Fidei habitabant, miſere trucidarunt, Monaſteria etiam penitus exciderunt & concremarunt: at non impune; miſſus enim cum claſſe Jacobus Caſtellonius, ſeverum intulit ſupplicium, erectiſque munimentis fidam deinceps reddidit Hiſpanorum ſtationem.

In Indiis fides propagatur per Minoritas. *Herrer. dec. 2. lib. 9. c. 7.*

An. 1516. n. 42. Haet. in deſcript. Ind. occid. l. 18. cap. 5. Herrer. cit. c. 9.

Fr. Dionyſius a Cumanis occiditur.

Herr. dec. 3. l. 2. c. 4. Hiſt. Indiar. gener. 1. par. fol. 107.

Et bini Dominicani.

III. At in nova Hiſpania Ferdinandus Corteſius magnos fecit progreſſus hoc anno, victo & capto Pamphilo Narvaezio Hiſpano, in Mexicanam provinciam miſſo, ut Corteſium uſurpata in illis partibus auctoritate deturbaret. Cum enim Hiſpanis Præfectum in ſuam poteſtatem redigeret, omnemque illorum exercitum ſuo aggregaret, auctis viribus, omnem in circuitu Tlaſcalæ, conföderatæ urbis regionem, ſive pacificare ſive ſubjugare con-

conſtituit, ut facilior & ſecurior eſſet expeditio Mexicana, quam propediem intentabat. Habuiſſe in comitatu Franciſcanos, qui fidei diſſeminandæ, & quocumque ille præibat, introducendæ inſiſtebant, vel inde compertum eſt, quod Herrera, graviſſimus omnium, qui de re Indica ſcripſerunt, auctor, referat, quod ad illorum ſuggeſtionem & preces Corteſius antequam Yzucano (urbs eſt, ab altera notiſſima & opulentiſſima Guacachula leucis tribus diſſita) diſcederet, magna ſolemnitate Baptiſmum reguli Yzucani, ſuſceptore Petro de Alvarado, celebravit. Ex illorum numero plures ſibi mitti, tamquam huic miniſterio apprime idoneos, iteratis litteris hoc anno ſcripſit in Hiſpaniam.

Herr. dec. 2 l. 10. c. 17.

IV. Poſt multos ſuperatos labores, variaſque probatas calamitates, hoc ipſo anno ex India Orientali in Luſitaniam pervenit Georgius Quadra, invictæ patientiæ vir, poſtea Minorita ſanctiſſimus. Gratiſſimum erit lectori univerſas ejus peregrinationes, terrarum circumluſtrationes, varias hominis transfigurationes, tot diſcrimina rerum, quæ felici clauſit exitu, luculentius, etſi aliquanto diffuſius, ex probato auctore perſentire. Is eſt Hieronymus Oſorius, horum temporum, rerumque ab Emanuele Rege Luſitanorum glorioſe geſtarum, nobilis hiſtoricus. Hoc anno MDXX. percepit Rex Emanuel ab homine curioſo & diligente multa, quæ animum illius ad rerum magnarum ſtudium multo acrius incitarunt. Expoſitum eſt ſuperius, quemadmodum, dum claſſis Odoardi Lemii promontorium Guardafumenſe peragrabat, celox, cui Georgius Quadra præerat, a reliqua claſſe disjecta, ad Zeilæ portum appulſa fuerit. Luſitani qui illa vehebantur, capti, & ad Regem Adenenſem adducti ſunt, qui eos in ergaſtulum detrudi juſſit, in quo diutiſſime vitam in extrema inopia & mendicitate traduxerunt. Quidam interim Rex Arabiæ, huic Tyranno finitimus, illi bellum intulit, multiſque illum præliis devicit, maximaque regni parte ſpoliavit, & victos, qui ergaſtulo incluſi fuerant, liberos abire permiſit. Ad hunc modum Quadra cum quinque Luſitanis (reliqui enim laboribus attriti, & fame conſumpti perierant) e vinculis emiſſus, & in libertatem reſtitutus eſt.

Fr. Georgius Quadra.

Oſorius de reb. Emman. lib. 12. Admiranda ejus vita.

V. Is vero ut facilius eas terras, quas luſtrare cupiebat, minore cum periculo peragraret, & Arabicam linguam probe teneret, (eo namque tempore, quo vinctus fuerat, illi ſummam operam dederat) ſe Sarracenum eſſe ſimulavit, egregiamque in Mahumetis diſciplina ſanctitatem præ ſe tulit. Illa igitur ficta ſpecie religionis, quam mentiebatur, & ſingulari calliditate ſimulabat, omnium oculos in ſe convertit, atque tamdem ea opinione ſeſe in familiaritatem Regis inſinuavit. Erat enim Rex humanus, & Religioni illi deditus. Qui deinde hominis ingenio delectatus, eum a ſe dimittere nolebat. Cum vero ſepulcrum Mahumetis inviſeret, Quadram ſecum duxit. Ibi cum accepiſſet Quadra, camelorum turmam ante duos dies, quam Rex in eam urbem veniſſet, Damaſcum profectam fuiſſe, finxit ſe miro deſiderio teneri ſepulcra nepotum Mahumetis, quæ erant in Perſide, viſendi. Damaſco namque faciliorem & minus periculoſam eſſe in Perſidem viam. A Rege igitur contendit, ut ſibi faceret poteſtatem turmæ illius veſtigiis inſiſtendi, ut eam conſequeretur. Rex illum ab eo conſilio deterrere conatus fuit, tum quia non libenter illius conſuetudine carebat, tum quia illum turmam conſequi poſſe omnino deſperabat. Sed cum Quadra illum precibus urgeret, illi non modo facultatem quam petebat, verum & pecuniam & commeatum, quantum ipſe portare poſſet, attribuit.

VI. A Rege digreſſus, in regiones vaſtas & incultas, ipſique prorſus ignotas penetravit; camelos minime conſequi potuit, & quo ſe conferret, pe-

penitus ignorabat. Commeatum intra dies paucos consumpsit, soles ardentissimi illum vehemencer excruciabant; vestigia ex arenarum ingentibus molibus, vix præ nimia lassitudine corporis evellebat. Cum se in tantas angustias adductum animadverteret, oculis in cœlum sublatis, maximam vim lacrymarum profudit, & flagitiorum veniam suppliciter imploravit. Inde ope Divina, ad locum unde arenæ collis assurgebat, delatus est. Cum vero collem superaret, camelum & hominem conspexit. Eo igitur lætus gradum intulit, & turmam interim aliam camelorum ad eum locum (ibi enim aquatio erat) properantem animadvertit. Ad homines accedit, miseriam in qua versabatur, exponit, opem ab illis efflagitat. Illi & misericordia commoti, & specie religionis, quam is habitu simulabat, inflexi, hominem non cibo tantum & potu, verum & rebus omnibus necessariis abunde refecerunt. Illorum autem ductu, quandiu deserta loca peragranda fuerunt, & postquam ex vastitate solitudinis illius emersus est, religionis assimulatæ cultu, varias regiones perlustravit, & oculis atque mente multa percepit; & tamdem Arabiam atque Persidem pervagatus, Armusium a Sarracenis mercatoribus deductus est, ubi cultum & personam Sarraceni deposuit, & Christiani hominis cultum, quem mente semper gestaverat, assumpsit. Ubi tamen flagitium, quod admiserat, religionis impuræ simulatione debitis lacrymis expiavit, Garsias Coutignus, qui tunc Armusio præerat, illum vestibus & pecuniis, atque muneribus affecit.

VII. Qui deinde in Indiam, ex India in Lusitaniam veniens, anno MDXX. ad Emanuelem intromissus, omnia quæ lustraverat, & prudenter animadverterat, luculentis sane verbis explicuit. In primis autem quomodo Æthiopiam universam, quæ supra Ægyptum est, exploravisset, & quomodo in lacum ingentem, unde Nilus in Ægyptum influit, pervenisset; quibus moribus, legibus & institutis Æthiopes illi Christiani viverent; qui situs Ægypti, qui Arabum mores, qui Persarum victus esset, exposuit.

VIII. Emanuel ex illius oratione voluptatem non mediocrem cepit. Ad eam enim, quæ in Arabia, & Æthiopia facere designabat, illa Quadræ oratio nimis appositа videbatur. Et quia suspicari cœpit, a regno Congensi facilem in eum lacum, unde Nilus erumpit, transitum fore, hominem jam sponte sua satis incitatum, ad illud explorandum promissis invitat. Illum igitur in Congum cum litteris mittit, ut inde in Nili fontes iter faciat, atque inde ad Davidem Regem Æthiopiæ tamdem perveniat. Qui cum ad Congi portum delatus, deinde ad Regem perductus fuisset, exceptus benigne fuit. Itineris tamen illius explorandi facultatem, malignitate Lusitanorum, qui plurimum apud illum Regem poterant, non impetravit. Itaque reversus est; & cum jam Emanuelem mortuum reperisset, Divi Francisci Institutum sequi decrevit, in quo vitam sanctissime ad extremum perduxit.

IX. Circa hunc annum floruerunt plerique Minoritæ, & aliquot virgines Franciscanæ pietate illustres: Thomas Illyricus, Evangelicus fervensque concionator, qui universam ferme Europam sua doctrina irrigavit, Galliæ diu hæsit, eique mala multa ab hæresum colluvie illac irruptura plene & aperte prædixit. Quæ dum ubi Francigenæ seniores sub annum MDLXX. persentirent: *Hæc*, inquiebant, *sunt illa horrenda monstra, quæ vir ille bonus Illyricus ante annos quinquaginta nobis palam prænunciabat.* Burdigalæ pleraque ex his prophetavit, ubi etiam *sancti Viri* nomen & famam assecutus, habebatur in magna veneratione. Ita merebatur ejus vita sanctissima, doctrina sacræ prolis fœcunda, in spiritu vehementi prolata, pœnitentiam omnibus annuncians, viamque demonstrans, qua fugere liceret ab ira su-

Floret Thomas Illyricus.

Florim. de orta hæres. l. 1. c. 3. A Costa l. 2. hist. Catbol.

perventura. Ubi prædicabat, magna ſtatim cernebatur morum mutatio, ceſſabant ludicra quæque, & malorum irritamenta: quam aliis prædicabat pœnitentiam, in ſe rigoroſam exercebat, cilicio indutus, parciſsime manducans, & corpus variis modis affligens. Solitudinis cupidus, e Burdigala profectus, promontorium petiit Buchi, ubi intra montana Pinoſa ædiculam ligneam in honorem beatæ Mariæ Virginis extruxit, condita ibidem ejuſdem imagine, quam ſorte ad littus maris excepit. Florimundus Remundus vir gravis & doctus, olim in Parlamento Burdegalenſi Regius Conſiliarius, in docto illo opere, quod *de ortu, progreſſu, & ruina hæreſeon* compoſuit, magnopere virum iſtum commendat, & quid in Gallia, præſertim in urbe Burdigalenſi fecerit, prædicaverit & prædixerit, copioſius enarrat. Cujus verba totamque narrationem exſcribere, pio Lectori, qui hæreſum in Gallia ſtrages doleat, non diſpliciturum confido.

Florim. l. 1. c. 3. n. 3. & 4.

X. *Paulo* (inquit) *ante Lutheri adventum in Gallia, Franciſcanus quidam vicatim circumiit, populum docens, ac de Divina ira, pœniſque acerbiſſimis, quæ ipſorum capiti jam parata eſſent, commonefaciens. De quo homine dicere aliquid operæ pretium mihi videtur, quod ſcripta ejus nulla exiſtant, quamvis ipſe vera malorum noſtrorum Caſſandra fuerit. Religioſus hic nomine frater Thomas, a vitæ vero morumque ſanctitate* le ſainct homme, *ideſt* Vir ſanctus *vulgo appellatus fuit. Per mundum diſcurrens, iram Dei annuntiabat, & ad pœnitentiam omnes cohortabatur. Is quamprimum in oppido aliquo pedem poſuerat, ſtatim luſus omnes, luxum & voluptates velut publico inde proſcriptas edicto vidiſſes. Omnia morum pietatem & devotionem ſpirabant. E proximis atque remotis locis populus catervatim accurrebat, ut tam ſanctum hominem videret, ac audiret ejus ſermones, qui tanta auditorum frequentia celebrabantur, ut iis habendis loca publica aperire neceſſe eſſet, quod etiam ampliſſima templa tantam hominum multitudinem non caperent.*

Prædicabat ubique pœnitentiã.

Prædicabat mala ventura.

XI. *Ultimum ille ſermonem Burdigalæ in magna illa area Conventus, qui* magnæ Obſervantiæ *dicitur, habuit, quo Aquitaniæ non ſine lacrymis, his inter alia verbis valedixit*: O pulchra & plena deliciarum Provincia, mundi paradiſus: heu quantis lacrymis exuberabis! Videbis ignes paſſim per campos tuos crudeliter graſſantes, & ſuperbas has ædes, avitæ pietatis, & devotionis teſtes, Eccleſiæ hoſtium, qui in te naſcentur, injuriis & prædæ expoſitas. Videbis Divinæ juſtitiæ executores & carnifices, qui flagellorum ictibus negotiatores de templis ejicent. Lupi in ovile irrumpent, & tam paſtores, quam oves dilacerabunt. O Burdigala! Tu e mœnibus tuis ſubjectorum templorum incendia adſpicies; quin etiam ea, quæ muris tuis incluſa ſunt, hoſtium Eccleſiæ furorem & rabiem vix effugient. Et hoc quidem modo populi impietatem, & Præſidum hypocriſim Deus juſte puniet. Sed quemadmodum ſancta illa corpora, quæ apud Toloſam requieſcunt, ejus urbis protectores, etſi ita dicere licet, Dii tutelares ſunt: ſic o Burgedalenſes, ſanctus Martialis protector erit.

Quæ vere evenerunt.

XII. *Hæc quidem tum a pleriſque velut inania terriculamenta audita & accepta ſunt. Quis enim credere potuiſſet, quæ a Majoribus tanto labore & ſumptibus exædificata fuerunt, tanta poſterorum rabie & furore defunctum iri? Memini bonas quaſdam & ætate decrepitas fœminas, cum anno* MDLXX. *Romeguns templo Lormontano, ſpectantibus e muro Burdigalæ civibus, ignem ſubjeciſſet, in hæc verba irrumpentes me audiviſſe*: Ecce tibi ſancti illius viri fratris Thomæ adimpletum vaticinium. *Vivunt etiamnum utriuſque ſexus homines, qui ex iis, quæ a patribus ſuis audiverunt, vere teſtari poſſunt, ſanctum hunc hominem, verum fuiſſe Propbetam, ut qui ea, quæ quinqua-*

Anno Christi	Leonis X.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 313.
1520.	an. 8. & 9.	anno 2.	

quaginta annis poſt acciderunt, jam tum non minus, ac ſi jam eveniſſent, præviderit ac prædixerit. Neqae vero mala propterea eveniunt, quod prædicta ſint, ſed propterea prædicuntur, quod eventura ſint, niſi eorum cauſa præcidatur, quemadmodum Ezechiæ Regis, & Ninivitarum exempla in ſacris litteris nos docent.

XIII. *Scripta hujus hominis (quorum copiam mihi bona fortuna fecit) admirabilem quamdam libertatem & parrheſiam præ ſe ferant, qua is in corruptos omnium Ordinum, ac præſertim Eccleſiaſticarum perſonarum mores, unicos Divinæ iræ fomites, paſſim invebitur, aperte inquiens, in ovili plures hædos eſſe quam agnos:* O indigni Prælati & Paſtores (*exclamat ille in libello quodam, cui titulus eſt*, Conditiones veri Prælati) vobis ſatis eſt ventrem cibo & potu, arcam auro & argento implere, concubinas habere in lecto, mulum pinguem in ſtabulo; & hæc omnia ex Crucifixi ſumptibus, pro quibus vix quidquam aliud facitis, quam *Dominus vobiſcum* decantatis, tum ſcilicet probe munere perfuncti. Interim parum illud curatis, oves veſtræ damnentur, an ſalventur. *Et hic quidem religioſus iiſdem fere, quibus Lutherus, hac in re vocibus uſus eſt, ut ſuo loco, in cauſa ſcilicet ſeu ſubjecto ſchiſmate explicando commodius oſtendetur. Illud vero intereſt, quod hic Miniſtrorum tantum & Prælatorum Eccleſiæ vitia perſtrinxit: at Lutherus apoſtata ipſam doctrinam, ab Apoſtolorum uſque temporibus hactuſque integram conſervatam, exagitandam, atque adeo, ſi fieri poſſet, eradicandam ſibi ſumpſit.*

Libere reprehendebat mores Eccleſiaſticorũ.

XIV. *Antequam vero ad alia progrediar, facere non poſſum, quin notabilia quædam hominis hujus facta poſteritatis memoriæ prodam & commendem; idque tanto magis quod a Beza idem ſcurriliter irrideatur. Hic ergo noſter per mundum paſſim circumiens, cilicio indutus, vili aſello inſidens, & in ſumma paupertate atque auſteritate vitam agens, in Aquitaniam pervenit, & loca maxime ſolitaria quærens, tandem circa maris littus in loco quodam Arcaixon appellato (inde ſcilicet quod quaſi centrum ſit ejus arcus, quem duo promontoria Oiſſimum ſcilicet, & Finis terræ faciunt) oberrans, mare vidit fluctibus tumidum & tempeſtate, quaſi imis e ſedibus everſum. Eſt vero littus hoc navibus tam periculoſum & formidabile, ut ſubitanea tempeſtate deprehenſis vix ulla ſpes ſit evadendi. Eo tempore duæ ibi naves ad exitium jam jam ferebantur; quibus conſpectis, Sanctus ille homo in genua procidens, & Crucis ſignum (quod ſanctus Hieronymus alias quoque feciſſe dicitur) in arena deſcribens, ardentiſſime Deum pro eorum, qui in novi erant, & a præſentiſſimo exitio parum aberant, ſalute deprecari cœpit. Nec mora, ſtatim venti remittere, fluctus ſubſidere: aeri ſerenitas, ac mari tranquillitas reddi, multis hominibus non ſine admiratione ſpectantibus, ſic ut naves hæ (quod unquam ante factam nemo uſquam meminerit) naufragium evaſerint.*

Vir valde pauper & pœnitens.

Liberat mirabiliter naves a naufragio.

Vide Euſeb. tract. de morte Hieron. an. fin.

XV. *Eodem tempore ſen forte fortuna ex fracta navis reliquiis, ſeu miraculo quodam Divinitas eo delatam B. Virginis imaginem idem in littore invenit, & in monte collocavit, ibique ſacellum, quod etiamnum in montibus illis inter frequentes pinos conſpicitur, loco admodum aſpero & ſilveſtri ſibi conſtruxit, & aliquandiu ſumma in auſteritate vixit. Sacellum vero ideo e ligno eſſe voluit, ut de loco in locum tranſportari poſſet. Eſt enim ibi ea loci natura, ut tempeſtatibus & ventis ſæpe arenarum cumuli dijiciantur, montes complanentur, & valles in montes eleventur. Eo tempore locus ille in magna habitus fuit veneratione, & etiam nautæ vela facturi vota ibi ſua & preces prius perſolvunt: neque unquam impias piratarum ibi prædas agen-*

Ædiculam B. Mariæ Virgini ædificat.

tium manus ſenſit, niſi quod poſt aliquot annos Angli quidam myoparone eo delati, & in terram egreſſi, opulentam ſacræ hujus ædiculæ paupertatem diripere auſi ſunt. Sed ecce tibi juſta Dei judicia, peccata ſæpe in ipſo veſtigio punientis! Vix illi cum ſacra ſuppellectili & ornamentis, quæ invenerant, ad navem reverſi, vela in altum fecerant, cum ecce cælo ſereno & mari tranquillo, in ſcopulos deferuntur, & ad eos fracta navis, in ipſo, quem impio ſacrilegio violaverant, loci conſpectu, ab aquis abſorbentur. Multa alia, quæ ex aliorum narrationibus de ſancto hoc homine comperta mihi ſunt, ſilentio prætereo, quod ejuſmodi non temere fidem habere ſoleam, nec quidquam tale ſine bona cautela litteris & poſteritati commendandum exiſtimem. Sed hæc de iſto ſatis. Hactenus Florimundus. Cognominatur autem Thomas hic *Illyricus*, licet Auximi in Piceno natus ſit, quia parente utroque, vel alterutro, Illyrico progenitus, uti ipſe in epiſtola gravi, quam ad Lugdunenſes ſcripſit, indicat, ſe ſancti Hieronymi compatriotam appellans. Fortaſſis Burdigalam pervenit in comitatu Miniſtri Generalis Franciſci Lycheti, qui ea in urbe hoc ipſo anno Congregationem Generalem, uti jam dicemus, celebravit. Tandem in ſenectute bona obiit Mentonii in regione Pedemontana apud Inſubres, ſepultus in Eccleſia beatæ Mariæ Carnoteſii, ubi magna colitur veneratione. Errant itaque qui in ſupradicto ſacello ad Montana Pinoſa in Gallia ſancto fine dicunt quieviſſe. Varias ejus lucubrationes nos in opere *De Scriptoribus Minorum* recenſemus. Valde carus fuit Clementi VII. propter præclaras virtutes & doctrinam.

Pœnas eam diripientes puniuntur.

Marlyr. Franc. in notis §. 5.

Fr. N. Gallierus

Poder. in Prov. S. Bonavent. in Conventu Tanlaico.

XVI. Alius huic ſimilis floruit hoc tempore in Conventu Tanlaico, diœceſis Lingonenſis in Gallia, frater N. Gallierus, vir doctus & pius, qui plurima futura prædixit, & longinqua tamquam præſentia manifeſtavit. Calamitates, incendia & cædes, quas invecturi erant Hugonoti anno MDLXII. clare prænunciavit, rogavitque ut ſibi defuncto ſepulcrum daretur in clauſtri angulo, non in Eccleſia, quam dixit lugens ſe vidiſſe in ſpiritu, redactam veluti in ſtabulum equorum, & pecuarium armentorum; uti vere ſub illum annum accidit, & nos in additionibus noſtris jam retulimus.

Paſchal. Caſtelluc.

Marc. l. 9. c. 39.

XVII. Paſchalis e Caſtelluccio laicus ſive converſus Provinciæ ſancti Angeli, admirabilis patientiæ vir, hoc etiam tempore floruit. Toto ferme vitæ tempore lecto decumbens, ſciatica vehementer excruciatus, continuo orabat, & ſalutaria monita Fratribus inviſentibus exibebat. Fertur ei apparuiſſe Daniel de Crapocata, primus provinciæ prædictæ Miniſter, & in locum æternæ ſalutis migraturum revelaſſe. Sepultus eſt in Conventu Moroni ejuſdem provinciæ.

Daniel de Crapocata.

Joann. de Stobnica.

Monum. MSS. Prov. Polon.

XVIII. Joannes de Stobnica Polonus, Artium Magiſter in Univerſitate Cracovienſi, qui mundi fugiens oblectamenta & honores, delegit in ſumma paupertate vivere inter Minores. Vitam inter illos duxit tantum per quadriennium totus intentus orationi, & Divinarum rerum contemplationi. Ad perfectionem Evangelicam anhelans inter Conſodales, ſanctis moribus, & aſſidua devotione, veluti ſtella matutina (ita enim apud ſuos Conſodales audiebat) omnino ſplendebat. Sub hunc annum præguſtata ante mortem cœleſtium gaudiorum dulcedine, ſuaviter & quaſi Chriſto Domino colludens, obdormivit Cracoviæ in vigilia Pentecoſtes.

Eliſab. Gonzalez.

Gonz. in provin. Granat. Mem. 12.

XIX. Ex Sororibus autem harum recurrit memoria. Eliſabethæ Gonzalez, quæ inter orandum tanto mentis exceſſu ſuſpendebatur, ut ſupra ſeipſam rapta, & ultra humanum ſenſum aliquid ſentiens, quid circa ſe ageretur exterius, omnino neſciret. Plurima prophetico ſpiritu prædixit, multiſ-

Anno Christi 1520.	Leonis X. an. 8. & 9.	Caroli V. Imp. anno 2.	Religionis Minorum anno 313.

tisque virtutibus illuxit. Quamobrem tum Consororibus, tum secularibus summe fuit venerabilis. Decessit hoc anno in Monasterio sanctæ Elisabethæ Granatensi; ubi etiam jacet Beatrix a Beamonte, omnium humillima, etsi a Regibus Navarræis traxerit originem. Beatrix Beamonte.

XX. Elviræ a Villa Sicca Cordubensis, quæ post viri mortem domum suam in Sanctimonialium Monasterium sub titulo sanctæ Elisabethæ de Angelis Cordubæ construxit. Prima omnium illic Abbatissam egit, magno ædis incremento, & Sororum fructu. Illinc translata est cum duodecim sociis ad Monasterium sanctæ Mariæ de Jesu Hispalense ante annum MD. uti alias diximus, ubi eodem munere sub rigidissima pœnitentia, atque incredibili humilitate annis multis perfuncta est. Obiit circa hoc tempus vitæ sanctitate admiranda. Elvira a Villa Sicca. *Idem in provin. Batic. Men. 3.* *Tom. 15. anno 1498. n. 49.*

XXI. Franciscæ Gereæ in Monasterio Lorcensi sanctæ Mariæ Magdalenæ, provinciæ Carthaginensis, quam tacito nomine diximus, cum duabus sororibus germanis Maria & Beatrice, aliisque tribus fœminis, vidua scilicet Minvera, & duabus filiabus initium dedisse prædicto Monasterio. Porro Franciscæ mira austeritate, perpetuo cilicio, & jejunio corpusculum affligens, raptus patiebatur frequentes, a quibus neque vellicationibus neque puncturis aliquando poterat avelli. Jugiter a Deo petebat, ut particeps fieret doloris vulnerum Christi, aut sancto Francisco inflictorum: quod utique impetravit, paulo ante mortem, apparente ei sancto Francisco. Pridie obitus vidit beatam virginem Mariam, & sanctam Elisabetham, a quibus præmonita fuit sequuturæ mortis die sequenti, uti contigerat. In ejus funere illud fuit mirabile, quod neque ardentium luminum cera, neque lychnus consumeretur. Maria pari sanctitate sequuta, sub mortem vidit beatum Antonium Patavinum; & Beatrix beatam Agnetem sanctæ Claræ sororem. Minvera vidua exitum suum, Angelo monente, præscivit, & mariti Minoritam induti, mortem Divinitus accepit. Franciscæ Gereæ. *Marian. Germ. in Chron. strict. Obs. l. 6. c. 20.* Maria Gerea. Beatrix Gerea. Minvera Vidua.

XXII. Franciscus Lychetus Generalis Minister iturus in Galliam ad celebrandum Capitulum intermedium, favorabiles has litteras a Pontifice accepit, quas tamquam summe honorificas hic exscribo.

Dilecto filio Francisco Lycheto sacræ Theologiæ professori, & totius Ordinis Minorum Generali Ministro.

CUm, sicut accepimus, tu, qui totius Ordinis Minorum Minister Generalis existis, vitæ exemplaris norma, disciplina & scientia plurimum decoreris, Deo dante, ad Ultramontanas partes dictum Ordinem, illiusque personas religiosas visitaturus, & Capitulum Generale in proxima solemnitate Pentecostes in provincia Aquitaniæ pro Commissarii Generalis Ultramontani, juxta tenorem Bullæ unionis *electione fienda, & quædam alia Capitula Provincialia, secundum morem dicti Ordinis celebraturus, te transferre, aliquos uberes fructus in eis, concedente Domino, afferre, & si quid in ipsis excolendum sit, tua solertia excolere intendas: Nos ne in commisso & tibi credito regimine, ac bonorum operum exhibitione impediaris, neve vepres aliqui in ipsius Ordinis vinea suescrescant, quibus bonum semen, Deo inspirante, & nostris auspiciis disseminatum, suffocetur; ex debito pastoralis officii nostri, & ex devotione, quam etiam ab ineunte ætate ad dictum Ordinem gerimus, necnon desiderio, quod omnia & singula, quæ pro ipsius Ordinis quiete & tranquillitate, ac regularis disciplinæ in eo conservatione disponenda & fienda sunt, quiete ac pacifice ac regulariter disponantur & fiant, oportune pro-* *Reg. genor. Cism. fol. 17.*

providere volentes : motu proprio , & ex certa noſtra ſcientia , ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine , tibi , quod in quibuſvis Provinciis , Conventibus , locis & Monaſteriis tam primæ , quam ſecundæ Regulæ beatæ Claræ , necnon Tertii Ordinis *tuæ curæ & regimini creditis , in prædictis partibus Ultramontanis conſiſtentibus , tua plenaria dicti Miniſteriatus facultate & poteſtate , circa* Ordinem *& Fratres , Moniales ac Sorores Ordinum hujuſmodi Apoſtolica auctoritate uti , ac officium tuum exercere , necnon dubietates & difficultates , quæ ex earumdem litterarum Apoſtolicarum , tam* unionis *Ordinis prædicti , quam* concordiæ *inter Fratres Ordinis hujuſmodi , & Conventuales poſt dictam unionem , tenore , quoquo modo oriri contigerit , illa omnia & ſingula , quanta & qualiacumque fuerint , interpretari , declarare , definire , & ſuper illis perpetuum ſilentium imponere , necnon in omnibus & ſingulis , quæ ad quietem & tranquillitatem conſcientiarum tam Fratrum & Monialium , quam Sororum hujuſmodi quomodolibet ſpectare poterunt , auctoritate & facultate noſtra , uti libere & licite poſſis & valeas , auctoritatem & facultatem , auctoritate Apoſtolica , tenore præſentium concedimus . Volumus autem , quod illa , quæ ex dubiis ſupervenientibus duxeris interpretanda & declaranda , in ſcriptis redigas , & ad Nos , opportunitate temporis capta , deſtinare procures , ut illis per Nos diligenter viſis & mature conſideratis , ſuper illis valeamus opportune providere , & auctoritatem noſtram interponere . Quodque præſentes per quaſcumque alias litteras forſan conceſſas , vel in poſterum concedendas ſub quibuſvis verborum formis , impediri , ſuſpendi vel revocari non poſſint , niſi de illis plena & expreſſa , ac de verbo ad verbum toto illarum tenore inſerto , nihil penitus omiſſo , mentio fiat , ac irritum & inane quidquid ſecus fieri ſeu attentari contigerit , dicta auctoritate decernimus . Auctoritate noſtra Apoſtolica mandantes etiam omnibus & ſingulis Fratribus , Monialibus & Sororibus prædictis tam prælatis , quam ſubditis , in virtute ſanctæ obedientiæ , & ſub aliis pœnis tuo arbitrio taxandis , quatenus hujuſmodi tuis interpretationi , declarationi , definitioni , & perpetui ſilentii impoſitioni , ac aliis omnibus , quæ ad tuum ſpectant officium , acquieſcant , obediant pariter & intendant . Contradictores quomodolibet & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam , & alia opportuna juris remedia , etiam invocato brachii ſecularis auxilio , ſi opus fuerit , auctoritate prædicta compeſcendo . Et inſuper , ut Chriſtifideles utriuſque ſexus ex tuo ad partes Ultramontanas hujuſmodi acceſſu ſpiritualem conſolationem , & animarum ſalutem conſequi valeant , eiſdem Chriſtifidelibus utriuſque ſexus undecumque exiſtant , qui tuæ Miſſæ in Capitulo Generali prædicto , ac etiam in Capitulis Provincialibus celebrationi ſolemni in Eccleſia , quam ad hoc duxeris deputandam , interfuerint , plenariam , & veram omnium & ſingulorum peccatorum ſuorum , de quibus corde contriti , & ore confeſſi fuerint , vel firmum confitendi propoſitum habuerint , ſemel tantum , & die celebrationis dictæ Miſſæ ſolemnis dumtaxat , ac quoties verbum Dei populo prædicaverit , omnibus intereſſentibus tres annos & totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis indulgentiam & remiſſionem concedere poſſis & valeas , tibi dicta auctoritate , tenore præſentium facultatem concedimus pariter & indulgemus . Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis , ac quibuſvis ſimilium indulgentiarum ſuſpenſionibus , privilegiis quoque , indultis & litteris Apoſtolicis tam ſub plumbo , quam in forma Brevis , ſub quibuſcumque tenoribus & formis , ac eam quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis , aliiſque fortioribus , efficacioribus & inſolitis clauſulis , irritantibuſque , & aliis decretis , dicto* Ordini *& Fratribus hujuſmodi etiam Conventualibus , & il-*

Anno Christi	Leonis X.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 313.
1520.	an. 8. & 9.	anno 2.	

& illorum Superioribus, etiam Mari magno *nuncupatis conceſſis, confirmatis & innovatis: quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio habenda, aut alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſua robore permanſuris, hac vice ſpecialiter & expreſſe derogamus, & derogatum eſſe volumus per præſentes, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c. Datum &c. die* XXI. *Februarii* MDXX. *Pontificatus anno* VII.

XXIII. Celebrata eſt Burdigalæ in feſto Pentecoſtes Congregatio Generalis ſive Capitulum intermedium per Miniſtrum Generalem Lychetum, in quo confirmatus eſt uſque ad Capitulum proxime futurum Gabriel Mariæ Commiſſarius Generalis, & inſtitutus Commiſſarius in Curia Romana Martinus Garibayus. Decretum eſt, ut Cuſtodia Extremæ-duræ, ſive ſancti Evangelii, quæ undecim conſtabat domibus, erigeretur in Provinciam ſub titulo ſancti Gabrielis, uti conceſſum eſt in Capitulo ultimo Lugdunenſi; & ſimiliter Cuſtodia Murciæ deinceps nominaretur Provincia; atque hanc erectionem Leo Pontifex ſpeciali diplomate, quod in Regeſto dabimus anno ſequenti, confirmavit. In eo tamen errat Gonzaga in prooemio hujus Provinciæ, quod erectionem hanc factam aſſerat Burgis, quod ex inadvertentia, & nominis commutatione provenit. Statutum inſuper ut Cuſtodia Holſatiæ ſepararetur a Provincia Daciæ, & uniretur provinciæ Saxoniæ ſanctæ Crucis. Utque Conventus inſularum Fortunatarum, quæ *Canariæ* nuncupantur, erigantur in Cuſtodiam, dummodo id approbaverint Patres provinciæ Bæticæ in primo Capitulo ab ipſis celebrando. Provinciæ ſanctæ Crucis in Ioſulis Indiæ Occidentalis providendum ſtatuit de Miniſtris provincialibus per Commiſſarium Generalem Ultramontanum; & tunc auctoritate Miniſtri Generalis inſtitutus fuit frater Petrus de Mexia. Oneravit autem conſcientiam prædicti Commiſſarii, ut diligenter invigilaret circa mittendos viros idoneos ad illas partes pro graviſſimo illo munere converſionis Infidelium; præcepitque, ut *ſecundum Deum* (inquit) *profectui ſuccurratur animarum per Fratrum mittendorum bonam ædificationem & exemplaritatem*. Demum propter amplitudinem provinciarum & nationis Hiſpanicæ, decrevit concedendum eis Commiſſarium peculiarem, quod & ſe inſtituturum in proximo Capitulo Generali Januæ vel Carpi celebrando, ultro promiſit.

Gener. Congregatio Burdigalæ. *Reg. gener. Ultram. fol.* 14.

Erigitur ſeu confirmatur Provincia S. Gabrielis. Et Murciana.

Cuſt. Holſatiæ unitur Prov. Saxon S. Crucis. Cuſt. Canariæ.

Provin. S. Crucis in Indiis Miniſtet Petr. Mexia.

Conceditur nationi Hiſp. Commiſſ. peculiaris.

XXIV. Diſceſſit porro Burdigala Pariſios, & in itinere ex urbe Pictavienſi miſit litteras ad Miniſtros Boemiæ, Hungariæ, & Poloniæ, addens ſe ſtatutis diebus celebrandorum Comitiorum ad illas profecturum. In Conventu Pariſienſi multa ordinavit circa ſtudia, & regimen Studentium, ac lecturam textus Scoti, cujus doctrinæ erat peritiſſimus & fidelis interpres. Ipſis eiſdem temporibus inſignis ille vir Thomas de Vio Caetanus inter Prædicatores, & Lychetus inter Minores, ſuis prælegerunt Conſodalibus; atque ille doctrinam ſancti Thomæ, hic Scoti doctiſſimia commentariis illuſtrarunt. Felicius autem Caetanus ſuos abſolvit in univerſam Summam ſancti Thomæ, cum Lychetus ſuos, vel non abſolverit, vel non ediderit in quatuor libros Sententiarum. Etenim in quartum, & in poſteriores diſtinctiones libri tertii non extant; atque ſub hunc annum non extitiſſe, ex his, quæ diximus, illum ordinaſſe vel præcepiſſe circa gymnaſii Pariſienſis regimen, manifeſte conſtat; namque inter alia ejus decreta ita habetur: *Mundo etiam quod ſtudentes in Theologia, tantum ſe occupent in lectionibus Scoti, & commentariis ejuſdem, quæ præciſe ſunt ad mentem ipſius; ita quod præciſe videant Scotum cum expoſitione noſtra ſuper primo, ſecundo & tertio, & quod-*

Lych. multa ordinat circa ſtudium Pariſienſe.

Aliquot ejus cõmeat. periegent.

& quodlibetis, donec aliqua alia melior apparuerit. Scripſiſſe vero etiam in quartum, & Metaphyſicam Scoti, alias dixi in volumine noſtro *de Scriptoribus*, probatumque volui ex verbis privilegii Leonis Pontificis, hoc ipſo tempore conceſſi Paganino de Paganinis Typographo Brixienſi, ſub cujus prælo tunc ſudabat opus. Quomodo autem, vel quorum incuria perierint iſtæ doctiſſimi viri lucubrationes, etſi ſcire diligenter cupierim, hactenus non potui.

Quæ in Germania præſtitit Lychet.

XXV. In Germaniam profectus Lychetus, ex Conventu Marpurgenſi ad Patres Colonienſes, quæ in illorum Comitiis, quibus intereſſe non poterat, fieri cupiebat, ſcripſit: mittique juſſit octo ſtudioſos ad gymnaſium Pariſienſe. Ad provinciam Saxoniæ ſancti Joannis Baptiſtæ, quæ ante Bullam *Unionis* & Capitulum Generaliſſimum Romanum anno MDXVII. celebratum nomen præferebat *Reformatæ* ſub Patribus Conventualibus, miſit tres graviſſimos viros, qui examinarent, an vere res nomini cohæreret, & reformate, ac ſecundum Regulæ præſcriptum Fratres incederent, Franciſcum de Angelis Miniſtrum provinciæ Angelorum, mox Miniſtrum Generalem, & S. R. E. Cardinalem, Franciſcum Meroth Provinciæ Franciæ Pariſienſis, & fratrem Dionyſium ſacræ Theologiæ Doctorem, Conventus Choteracenſis provinciæ Franciæ Guardianum. Quid in hac viſitatione obſervare aut inquirere deberent, normulis ſua manu exaratis in Conventu Erfordenſi IV. Auguſti præſcripſit. Atque illa prima fuit: *Ut diligenter inquirerent, ſi Conventus erant vere reformati, juxta tenorem Regulæ, quærendo præciſe quæ Regulam tangunt; & quos reformatos invenirent, pro reformatis confirmarent; quos vero non plene reformatos ſecundum Regulam non viderent, accurate reformarent.* Hinc itaque amplius corroboratur, quod ſupra monui, nullas provincias aut Conventus voluiſſe Obſervantinos ad unionem admittere, niſi vere ſecundum Regulam reformatos, neque aliquando pepigiſſe cum privilegiatis, aut bona ſtabilia habentibus, vel diſpenſationes contra Regulam ad laxioris vitæ ſpecioſum titulum obtendentibus, ut, illæſis privilegiis, poſſent vitam priorem inter ipſos continuare.

Viſitatores Prov. Saxoniæ S. Joan. Baptiſtæ.

An. 1518. n. 2.

XXVI. Inſuper ſtricte præcepit eis, ut curarent quocumque pervenirent, inquirere & explorare ubi libri aut ſcripta haberentur Martini Lutheri pernicioſiſſimi hæreſiarchæ, eoſque ſtatim in ſua præſentia comburerent, & verbi Dei præcones per Cœnobia diſtribuerent, qui blatteranti nebuloni ejuſque aſſeclis ſe fideliter opponerent. Juſſit præterea ut Fratres provinciæ Saxoniæ ſanctæ Csucis, Cuſtodiæ Livoniæ Regularis Obſervantiæ reſtituerent Fratribus Provinciæ ſancti Joannis Baptiſtæ Reformatorum Conventum oppidi Velonienſis in Pruſſia ab ipſis occupatum.

Conv. Velonien.

Mon. MSS. Polon.

XXVII. Wratislaviæ habitis Comitiis provinciæ Boemiæ in die ſancti Laurentii, Polonica celebravit Cracoviæ in feſto ſancti Bartholomæi, honorifice & magnifice a Rege ſuſceptus. Plurimum laudavit illic religioſam Fratrum vitam, & in regulari diſciplina, quam beatus Joannes Capiſtranus primus illuc invexerat, conſtantiam. Memorandum quidem ad aliorum doctrinam, quod illic in Comitiis retulit, cum accuſaretur Provinciæ Miniſter de nimia indulgentia erga Apoſtatas: *Audiſtis*, inquit, *cariſſimi Fratres, quantæ virtutis & ſcientiæ fuerit Angelus e Clavaſio, qui e loco humido & ſepulcro aqua pleno, poſt menſes ſeptemdecim extractus, apparuit integro & pulcherrimo corpore, uti ego ipſe vidi: cui dives quidam Januenſis peſſimo compreſſus morbo, ob receptam propter illius merita ſanitatem, pulchrum poſuit Cunei ſepulcrum; & tamen hic Vir Dei ſub mortem Fratribus dixit: Gratias ago Deo meo, quia in officiis Ordinis, quæ exercui, nimia rigore nullum*

Miſericorditer agendum cum apoſtatis.

Commendatur Angelus e Clavaſio.

Anno Christi	Leonis X.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 313.
1520.	an. 8. & 9.	anno 2.	

lum exasperavi; & plures salvavi supportando mansuete, quam conturbavi castigando rigorose. Longanimis patientia, & tolerantia multo magis necessaria est Prælato, quam subditis. Multa alia (inquit collector monumentorum provinciæ Poloniæ) *Reverendissimus Pater responsa sapientissima, & monita saluberrima dietim in Capitulo dedit, quæ plerique ex Fratribus veluti gemmas pretiosas ab ore illius colligebant, & futuris temporibus legenda scribebant, præsertim quæ ad pietatem, virtutum candorem, & Christi meditandam passionem* (*quam vehementer inculcabat*) *attinebant.*

XXVIII. Discessuro, & in Hungariam profecturo, Regina (scilicet Bona Sforcia, Joannis Galeatii Ducis Mediolanensis filia) duos pulcherrimos gradarios donavit equos, misitque qui præirent, & necessaria præpararent itineri; fuit enim Lychetus (uti prædicta habent monumenta) Reginæ Confessarius antequam desponsaretur, & proinde ab ea valde dilectus. In Hungaria autem, dum Provincias visitaret, correptus ardente febre, decessit Budæ hoc anno mense Novembri. Vir fuit doctissimus & religiosus, sed in regimine inexpertus, neque adeo a plerisque probatus. Impatienter ferebat, quod plerique Fratres, qui perfectioris Observantiæ & strictioris vitæ spiritu ducti, majores Conventus, atque ampla domorum ædificia a Conventualibus accepta deferentes, humiliora ac asperiora loca incolenda petebant, & a Ministris aliquorum abusuum, qui ex numerosa commixtione aliarum Congregationum, non adeo reformatarum, introducti fuerunt, remedium perquirebant, & in novam quamdam reformationem conspirabant. Hi plerumque, ab eo cervicosi, factiosi, perturbatores & novatores dicebantur, & tamquam tales excipiebat; bono fortassis zelo, ne iterum Religio in novas scinderetur Congregationes. Attamen Mantuæ venerandus & pius quidam Pater propter hæc eum isthoc anno redarguit, dicens, ejus officii esse Regularis Observantiæ zelatores fovere & promovere, non ex adverso impugnare & persequi: futuros autem qui strictiorem vitam sint amplexuri, magnamque reformationem, sed extra Observantum obedientiam, inducturi, illique haud impune fore, quod in hac re peccaverit. Hanc prædictionem interpretantur quidam de Congregatione Patrum Capuccinorum ab obedientia Observantum ad Conventualium regimen transeuntium, & de morte Lycheti paulo post secuta.

Moritur Lychetus.

Qualis fuerit.

XXIX. Mortuo autem Lycheto, convenerunt Romam præcipui sed pauci illi Ordinis Patres, ad quos hoc negotium spectabat, Vicarium electuri. Id coram se fieri voluit Leo Pontifex, in ipsa Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ festivitate, omniumque votis electus fuit Paulus Soncinas, Provincialis Mediolanensis. Ita hæc in regesto Cismontano Ordinis referuntur: *Frater Paulus de Soncino fuit ad Vicariatum Generalem, coram sanctissimo Domino nostro Papa Leone X. in camera suæ Sanctitatis per Ordinis Patres juxta Generales Constitutiones electus, ipso sanctissimo Domino nostro, una cum tribus scrutatoribus electorum vota audiente & tenente die* VIII. *Decembris; & statim a sua Sanctitate fuit in officio confirmatus.* Hac vicaria potestate Ordinem rexit Soncinas usque ad festum Pentecostes anni sequentis.

Substituitur Vicarius Paulus e Soncino.

XXX. Leo Pontifex in Ordinem propensissimus, heroica recogitans, & libenter audiens beati Joannis Capistrani facta, & obsequia Ecclesiæ Dei præstita, qui alias, uti diximus, ei honorem & cultum Ecclesiasticum indulsit, etiam nunc libenter annuebat, ut in Sanctorum numerum solemni canonizatione referretur. Fuit itaque commissa nova miraculorum inquisitio & examen tribus judicibus, Quinque-ecclesiensi, & Sirmiensi Episcopis, & Abbati

Tom. 12. Anno 1456. num. 120. Committitur inquisitio miraculorum beati Joannis Capistrani.

bati de Gothho, qui diligenter operi incumbentes, copioſum efformarunt proceſſum in illis partibus Hungaricis aliiſque vicinis, in quibus vir Dei per aliquot annos vixit, & mirabilia multa patravit. Convenerant tunc Budæ patres provinciæ Hungariæ, Miniſtro Alberto de Dereslyen, præſente etiam Miniſtro Generali Lycheto, qui ibidem, uti diximus, diem clauſit extremum; ſuaſque operas & ſollicitudinem addiderunt, ut opus ab omnibus concupitum ad perfectum deduceretur. Sed abſolvi non potuit ante dimidiatum annum ſequentem: ex quo factum eſt, ut ſecutus paulo poſt Leonis obitus canonizationem interciderit.

Indid. n. 114.

XXXI. De proceſſu tunc compacto ſufficienter diximus ad finem vitæ ejuſdem Viri ſanctiſſimi. Hic adjungimus, ultra proceſſum juridicum, adjunctum etiam integrum codicem miraculorum, qui ad meas manus pervenit, ibique diſtincte recenſeri omnia illa miracula, quorum numerum iniri

Raderum. a. pagin. 181.

non poſſe dixerat Raderus in ſua Bavaria ſancta. Codicis initium hoc eſt: *Hæc miracula, ſanctitatem beati Patris Joannis de Capiſtrano plane declarant. Multa autem, cauſa brevitatis prætermiſſa ſunt; nec miracula noviter per compulſum probata ad plenum perfici potuerunt. Edita ſunt hic ex illis nonnulla, & præmiſſa ante alia ex diverſis comportata, ſubſequentia miracula de quibuſdam mortuis reſuſcitatis, morituris præſervatis, claudis ſanatis, cæcis illuminatis, ſurdis liberatis, ſanguiſluis curatis, mulieribus fœcunditatem adeptis, necnon a periculo partus liberatis, a capitis dolore mitigatis, male de rebus fidei ſentientibus punitis, epilepticis curatis, a vinculis & carceribus liberatis, & aliis. Quod ſi Notarius hujuſmodi negotii, vel alius quiſpiam diligentiam & laborem adhibuerit, poterit & alia miracula ſimilia prædictis addere, quæ patent in proceſſu ex teſtimoniis quadrageſimi ſeptimi, & aliorum ſequentium teſtium, uſque ad ducenteſimum trigeſimum teſtem inclusive.* Præter iſta habentur & aliæ pleræque atteſtationes multorum teſtium, qui non fuerunt examinati juridice; ſunt autem omnes hæ depoſitiones originariæ, ſigillis & ſigngraphis munitæ. Omnia fideliter repoſui in noſtro archivo.

XXXII. Diximus, ante biennium Pontificem erexiſſe provinciam ſancti Petri de Monte-aureo compactam ex domibus Fratrum Amadeitarum, eamque ſubjeciſſe omnimodæ juriſdictioni Miniſtri Generalis Fratrum de Obſervantia. Nihilominus Amadeitæ, quibus poterant artibus ſe in quibuſdam Conventibus inter limites prædictæ Provinciæ conſervare ſatagebant, expectantes aliquando ſuos poſſe ad priſtinum modum regiminis reverti. Hoc itaque anno favore Priorum Artium urbis Peruſinæ obtinuerunt facultatem Pontificiam, ut perpetuo remanerent in Conventu ſancti Hieronymi extra urbem, & retinerent gubernium domorum ſanctæ Agnetis & ſancti Antonii de Padua Sororum Tertii Ordinis in eadem urbe. Quod ubi reſcivit Miniſter Generalis Lychetus, rogavit ut præcluderentur omnino aditus Ordinis ſciſſuris, & juxta tenorem Bullæ *Unionis*, omnes Congregationes & Conventus in unum corpus coaleſcerent. Petioni libens aſſenſit Pontifex, emiſſo diplomate prioris revocatorio. Utrumque hic exhibeo.

Amadeitis favet Peruſini.

Dilectis filiis Prioribus Artium Civitatis noſtræ Peruſinæ.

Bu reg. q. bullar. & brevium urbis Peruſ.

XXXIII. *Exponi nobis nuper feciſtis, quod, licet dilecti filii Provinciales & Fratres provinciæ ſancti Petri in Montorio de Urbe, Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, in iſta noſtra Civitate domum ſancti Hieronymi per plura tempora tenuerint & fundaverint, & ibi cum odore bonæ vitæ*

vitæ & famæ commorantes vixerint, & huic noſtræ Civitati & populo Peruſino mirum in modum grati & accepti extiterint, & ſub eorum cura in dicta noſtra Civitate Monaſteria Sororum, Tertii Ordinis ſancti Franciſci nuncupatorum, ſanctæ Agnetis & ſancti Antonii de Padua, cum ſimili bonæ vitæ & famæ odore rexerint & gubernarint: Nihilominus prætextu certæ conſtitutionis in eorum ultimo Generali Capitulo, ut dicitur, factæ, Fratres ipſi provinciæ ſancti Petri in Montorio domum ſancti Hieronymi dimittere tenentur, niſi deſuper de opportuno remedio provideatur, quod vobis & toti populo Peruſino grave & moleſtum eſſet, propter ſingularem devotionem, quam ad eoſdem Fratres provinciæ ſancti Petri in Montorio hujuſmodi gerunt. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis & huic noſtræ Civitati & populo Peruſino in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Chriſtifidelium omnium deſideriis, in his præſertim, quæ animarum ſalutem reſpiciunt, libenter annuimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, dictis provinciali & Fratribus provinciæ ſancti Petri in Montorio de Urbe, ut domum ſancti Hieronymi, & ſub eorum cura, regimine & gubernio ſanctæ Agnetis & ſancti Antonii de Padua Monaſteria Tertii Ordinis Sororum hujuſmodi perpetuo retinere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus; eoſque ad illa relaxanda aut dimittenda minime cogi & compelli poſſe, nec a quocumque deſuper quavis auctoritate moleſtari aut impediri, auctoritate & tenore præmiſſis decernimus: & potiori pro cautela Fratribus dictæ provinciæ ſancti Petri domum ipſam ſancti Hieronymi per eos perpetuo tenendam & gubernandam etiam concedimus, eorumque curæ ſanctæ Agnetis & ſancti Antonii de Padua Monaſteria Sororum Tertii Ordinis eiſdem modo & forma, ac facultate, quibus eis a principio conceſſa fuerunt, & hactenus tenuerunt, rexerunt & gubernarunt, ſubjicimus. Et nihilominus venerabili fratri Epiſcopo Urbevetano, & dilectis filiis Archipreſbytero Eccleſiæ Peruſinæ, & in dicta Civitate noſtro & Apoſtolicæ Sedis Vicelegato ſeu Gubernatori pro tempore exiſtenti, & eorum omnibus in ſolidum per præſentes committimus & mandamus, quatenus eis in omnibus aſſiſtentes, & de opportuno proviſionis auxilio providentes, non ſinant eos per quoſcumque, & per alios Fratres dicti Ordinis etiam de Obſervantia deſuper moleſtari, ſeu quomodolibet perturbari: contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato etiam ad hoc auxilio brachii ſeculari. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Generalis Capituli decretis deſuper emanatis, ac forſan per Nos confirmatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXVIII. *Aprilis* MDXX. *Pontificatus noſtri anno* VIII.

Dilecto filio Franciſco Lycheto, Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum, vel ejus Vicario Ciſmontano.

XXXIV. *Exponi nobis nuper feciſti, quod, licet alias in Capitulo Generali veſtri Ordinis, Lugduni celebrato, ad inſtantiam Fratrum, alias de Amadeis nuncupatorum, una provincia ex omnibus & ſingulis eorum domibus ultra Civitatem Parmen. conſiſtentium,* ſancti Petri in Monte aureo *nuncupata, ſit conſtituta: Et quod ipſi Fratres Amadei reliqua loca ac domus, & Monaſteria Monialium ſeu Sororum quarumcunque per eoſdem Fratres Amadeos eatenus poſſeſſa, ſancti Petri in Monte Aureo de Urbe, &*

Ex originali. Jubentur quaſdam domos dimittere.

Anno Christi	Leonis X.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 313.
1520.	an. 8. & 9.	anno 2.	

Scandrillarum, Sabinen. diœceſis, ac duabus domibus Sororum Tertii Ordinis beati Franciſci in Urbe, & Congregatione degentium, dumtaxat exceptis, Miniſtris & Cuſtodibus, in quorum provinciis ſeu cuſtodiis loca & domus Amadeorum hujuſmodi conſiſterent, per eoſdem provinciarum Miniſtros & Cuſtodiarum Cuſtodes tenenda, regenda & gubernanda dimitterent; & ex tunc deinceps domus & loca tam Fratrum, quam Monialium ſeu Sororum, etiam intra limites provinciæ ſancti Petri de Monte Aureo hujuſmodi, abſque tui & pro tempore exiſtentis Generalis Miniſtri expreſſo conſenſu, in ſcriptis concedendo, de novo recipere non auderent, de omnium Capitulantium inibi unanimi conſenſu definitum fuerit; Noſque definitionem hujuſmodi approbaverimus & confirmaverimus, ac perpetuo inviolabiliter obſervari debere decreverimus, diſtrictius in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, a quo nonniſi per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, præterquam in mortis articulo abſolvi poſſent, præcipiendo omnibus & ſingulis Fratribus & Prælatis tam provinciæ prædictæ, quam de Familia olim nuncupatis, tunc & pro tempore exiſtentibus, ne aliquis contra præmiſſa directe vel indirecte, etiam favore Dominorum temporalium, Communitatum, Univerſitatum, ac Prælatorum quorumcumque, etiam S. R. E. Cardinalium, quovis quæſito colore procurare ſeu tractare præſumerent, prout in noſtris inde confectis litteris plenius continetur: Nihilominus dicti Fratres Amadei domum ſancti Hieronymi Peruſin. habitare, & turam ſanctæ Agnetis & ſancti Antonii de Padua Monaſteriorum Sororum Tertii Ordinis, etiam Peruſin. retinere, prætextu cujuſdam Brevis ad inſtantiam Priorum Artium Civitatis noſtræ Peruſinæ emanati, in quo de definitione, unanimi conſenſu, ac noſtris decreto, & ſub dicta pœna præcepto, expreſſa mentio facta non extitit, præſumpſerunt eatenus & præſumunt, ac etiam plures alias domos, quas juxta definitionem, ac litteras noſtras prædictas dimittere tenebantur, adhuc retinent, in definitionis & Capituli, ac litterarum prædictarum contemptum. Quare pro parte tui Miniſtri aſſerentis, quod ſi violarentur ordinata in dicto Capitulo Generali, plura in Ordine iſto tuo poſſent ſcandala ſuſcitari, & obedientiæ vinculum frangeretur, & ceteri Fratres de Obſervantia, qui adhæſerunt Fratribus de familia, iſtorum de Amadeis ducti exemplo, pro libito voluntatis retinere loca, & quæ ante unionem in eodem Generaliſſimo Capitulo in Araeli celebrato, ſervare conſueverant, ſervare vellent; ſicque unio ipſa ad ſupplicationem tot Regum & Principum ſummis vigiliis & laboribus facta, diſſolveretur, & omnia confunderentur; Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper iis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſuper iis opportune providere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium litteras in favorem Fratrum de Amadeis contra definitionem in dicto Capitulo Lugdunen. factas, a nobis ex quantumcumque urgentiſſimis cauſis, ac etiam cum inſertione litterarum prædictarum emanatas, ac omnia & ſingula in eis contenta quæcumque, quorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis haberi volumus, utpote contra mentem noſtram emanatas, caſſamus, revocamus & annullamus, ac nullius roboris vel momenti fuiſſe & eſſe, ac in dicto Capitulo Lugdunenſi ordinata, & per Nos confirmata, per ipſos Fratres de Amadeis ſervari debere decernimus in omnibus & per omnia, perinde ac ſi litteræ noſtræ eiſdem Fratribus de Amadeis per Nos conceſſæ, a nobis nullatenus emanaſſent. Sicque per quoſcumque tam ordinaria, quam delegata & mixta auctoritate fungentes Judices & perſonas, ubique judicari, cognoſci atque decidi debere, ſublata eis & eorum cuilibet aliter judicandi, cognoſcendi,

ac

ac decidendi facultate; necnon irritum & inane quidquid secus a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die XIX. *Julii* MDXX. *Pontificatus nostri anno* VIII.

XXXV. Floruit hoc anno in provincia sancti Antonii, & Republica Veneta, Nicolaus Malipierus, vir doctus & pius, Minister prædictæ provinciæ, de quo in vita Claræ Bugniæ locuti sumus. Et in provincia Terræ-Laboris Franciscus de Liardo, Pontificis Nuncius & Commissarius in regno Siciliæ citra & ultra Pharum, pro colligendis pecuniis repositis a piis personis pro fabrica sancti Petri in Vaticano. Litteras Apostolicas accepit ampliſſimas hoc anno die XI. Octobris. Institutus est Episcopus Constantiensis, sub Patriarcha Antiochiæ, & sede tertia Edessæ, frater Joannes de Salazar, suffraganeus Raphaelis Petrutii, Cardinalis tituli sanctæ Susannæ Episcopi Soanensis (al. Bojanen.) die XIV. Maii. Archiepiscopus Patracensis in Peloponeso, Antonius Marcellus Cherinus, olim Magister Generalis Conventualium, die XXI. Maii. Tribuniensis, sub Archiepiscopo Ragusino, Franciscus Orellus Conventualis, eodem die. Rossensis, sub eodem Archiepiscopo, frater Antonius Paschalis Conventualis, die XVIII. Octobris.

Floret Nicolaus Malipierus. *Tom. 5. an. 1514. n. 28.*

Et Franciscus de Liardo.

Fr. Joan. Episc. Constantien.

Fr. Marcellus Archiep. Patracen.

Fr. Franciscus Episc. Tribunien.

Fr. Antonius Rossen.

XXXVI. Circa hunc annum Conventum Cotronienſem in Calabria constructum fuisse a Nardo Lucifero, ejusdem urbis Cive, acceptumque postea a beato Matthæo a Messuraca, scribit Gonzaga. Sed ante hunc annum constructum & acceptum fuisse, mihi constat ex originario instrumento appellationis interpositæ coram Antonio Lucifero Episcopo Cotronii, per Bartholomæum de Foresta, ejusdem Conventus Guardianum, contra gravamen quoddam censurarum illatum per Guardianum & Fratres Cœnobii sancti Francisci Conventualium ejusdem urbis. Vocabatur autem Conventus Observantum sanctæ Mariæ de Succursu.

Conv. Cotronen. *Gonz. in Prov. Calab. Conv. 14.*

XXXVII. Habeo originale instrumentum hoc anno die III. Januarii in oppido Gualdi, Nucerinæ diœcesis in Umbria confectum, quo Julianus Bonincampus Nucerinus, Prior Ecclesiæ sancti Donati de Gualdo, consentiente Tharusio de Tharusiis, locumtenente Antonii de Monte tit. sanctæ Praxedis Presbyteri Cardinalis Papiensis, Rectoris & Gubernatoris perpetui prædicti oppidi Gualdi, dedit in emphyteusim Joanni Petri Mascelli Syndico seu Procuratori Fratrum Minorum Regularis Observantiæ in loco Montis Gualdi morantium, quamdam terræ portionem, pro eorumdem usu & commoditate. Ex quo habetur, jam hoc anno Fratres habuisse Gualdi domicilium. Quale autem fuerit, & quomodo illud in aliud commutarint, ex diplomate Leonis Pontificis, in Regesto anni sequentis producendo, constabit. Constructum fuit communibus Gualdensium sumptibus, sub invocatione sanctæ Mariæ de Annunciatione, & a fratre Bernardino Gualdensi acceptatum.*

Conv. Gualdi.

* *Vide quæ de hoc eodem Conv. dictum est Tomo 5. anno 1283. num. 12.*

XXXVIII. Communitas & incolæ oppidi sancti Genesii in Piceno, Camerinensis diœcesis, statuerunt hoc anno Conventum ædificare Fratribus Regularis Observantiæ sub invocatione, quæ illis placeret. Ut illum admitterent, facultatem concessit Pontifex die XVIII. Maii. Quid factum sit, ignoratur; neque enim Cœnobium hoc habetur in recensu Conventuum provinciæ Marchiæ apud Gonzagam. Dixi fuisse alias ab incolis hujus oppidi tentatum condere Observantibus domicilium, indultumque fuisse a Sixto, ut vetustam Monialium domum in Fratrum Cœnobium converte-

Conv. S. Genesii. *Reg. Cism. fol. 18.*

Tom. 14. an. 1481. n. 24.

terent. Sed etſi bis id aggreſſi ſint, non video quidpiam aſſecutos.

Hoſpitium Baylatæ. *Ibid. fol. 19.*

XXXIX. Quidam etiam incolæ loci ſive Terræ Baylatæ, Cremonenſis diœceſis, decreverunt quoddam oratorium ſub titulo ſanctorum Joſeph & Luciæ, eum domo opportuna conſtruere pro hoſpitandis Fratribus, qui ex Conventu ſancti Bernardini extra muros Caravagii illuc pervenirent. Hoc autem Pontifex approbavit die IX. Junii.

Conv. Ajetæ.

XL. Nobilis vir Franciſcus de Loria impetravit hoc anno facultatem ædificandi Conventum ejuſdem Inſtituti, in loco, quo præerat capella ſanctæ Mariæ de Crypta, ſive *de la Grotta*, vel in alio loco infra territorium Ajetæ, Caſſanenſis diœceſis, ſub invocatione tamen prædicta ſanctæ Mariæ *de la Grotta*: *Cum ſicut nobis*. die VIII. Julii.

Conv. Citadellæ & Liniaci reſtaurantur.

XLI. Propter ſæviſſima bella a confœderatis Principibus contra Venetos mota, multa pia loca & Cœnobia extra illorum urbes & oppida conſtructa, deſtructa fuerunt, atque inter hæc, præter alia, quæ ſuperioribus annis retulimus, fuerunt duo, Citadellæ, Vincentinæ diœceſis unum, & Liniaci, Veronenſis diœceſis alterum. Cogitaverunt itaque hoc anno incolæ utriuſque loci reædificare deſtructa, & hoc anno impetrarunt a Leone Pontifice facultatem: *Exponi nobis feciſtis*. die X. Decembris. De prioribus ſtructuris utriuſque Cœnobii ſuis locis egimus, ſed circa ſecundi Conventus Liniacenſis titulum, erratum eſt, cum non Antonio Abbati, ut illo loco diximus, ſed Antonio Patavino fuerit ille dicatus, uti expreſſe narratur in diplomate Pontificio *. Similem etiam licentiam obtinuit Miniſter provinciæ ſancti Antonii, ad quam prædicti duo Conventus ſpectabant, Conventum ſancti Franciſci Arcæ ruptæ, in ſuburbiis Veronenſibus (de quo etiam nos alias locuti ſumus) propter eadem bella deſtructum, in priori, vel alio loco commodiori in agro Veronenſi reficiendi ſub eodem titulo ſancti Franciſci, vel allo, qui magis placeret. Appoſitus eſt autem titulus ſanctæ Mariæ Gratiarum: *Exponi nobis nuper*. die XVIII. Decembris.

Tom. 10. an. 1428. n. 5. & tom. 13. an. 1462. n. 47.

* *In ſupra citato loco correctum habes errorem.*

Et Conv. Arcæ ruptæ. *Tom. 10. an. 1436. n. 20.*

Conv. Aſilli.

XLII. Idem etiam Miniſter aliam acquiſivit domum prædictæ ſuæ provinciæ, intra eujus terminos erat conſtituta, oppidi ſcilicet Aſilli, diœceſis Tarviſinæ, quæ cum primum anno MCCCCLXV. per Petrum Antonium Compagnonum, presbyterum ſecularem, fuiſſet ædificata in forma ædiculæ, ſancto Hieronymo ſacræ ad D. P. a prædicto oppido, circa annum MD. fuit relicta ex teſtamento Fratribus Amadeis; hoc autem anno a provincia ſancti Petri in Monte-aureo recens erecta, & Miniſtro Generali totius Ordinis ſubjecta, fuit ſeparata, & Obſervantinis provinciæ ſancti Antonii incorporata: *Exponi nobis nuper feciſtis*. die XIII. Decembris.

Conv. Mandelli.

XLIII. Victor de Trincanellis laicus Comenſis diœceſis, reliquit Fratribus provinciæ Mediolanenſis domum ſuam, & quartam partem bonorum, ut in terra Mandelli dictæ diœceſis ſibi domum ædificarent. Cum autem legatum huic operi perficiendo non ſufficeret, & intra IV. M. P. in oppido Leuci ejuſdem diœceſis alius eſſet ejuſdem Inſtituti Conventus, decreverunt Fratres a Summo Pontifice petere, ut liceret eis eo loco non Conventum ſed hoſpitium fabricare. Aſſenſit votis Pontifex: *Cum ſicut exponi*. die XI. Julii. Fuiſſe ergo in oppido Leuci hoc anno ex narratione Pontificia Conventum, plane conſtat, de cujus fundatione ſive auctore nulla hactenus mentio nobis occurrerat; neque quidquam de illo habemus aliunde, præter ea paucula, quæ habet Gonzaga de illius deſtructione per Joannem Jacobum Medichino, ne Leuci munimento potuiſſet officere, ejuſdemque in loco ſecuriori refectione ſub priſtino titulo ſancti Jacobi.

Conv. Leuci.

Gonz. in Prov. Aurdiol Conv. 10.

Conv. Trecati.

XLIV. Intra muros Trecati oppidi diœceſis Novarienſis, ad ripam Ti-

Anno Christi 1520.	Leonis X. an. 8. & 9.	Caroli V. Imp. anno 2.	Religionis Minorum anno 313.

Ticini, circa hunc annum Monaſterium ſanctæ Barbaræ Sororum Humiliatarum ab eis derelictum, converſum eſt in Cœnobium Fratrum Obſervantinorum ſumptibus oppidanorum, cura & ſollicitudine Franciſci Vicomercati, facultatem ei conferente Lycheto Generali Miniſtro. Paucorum Fratrum eſt domicilium ſub ſancti Franciſci invocatione. *Indid. Conv. 38.*

XLV. In Calabria ad lævam viæ, qua Roſarnum Seminaria itur, Poliſtenæ caſtellum frequens eſt, Franciſcanis valde addictum. Hoc anno communitatem ſeu populum ex facultate Pontificia Fratribus Obſervantibus conſtruxiſſe pulcrum & commodum Cœnobium ſub titulo Conceptionis beatæ Mariæ ſcribit Gonzaga. Sed ſub Paulo III. eadem conceditur facultas, uti anno MDXXXVII. dicemus. Utcumque ſit, ſive illo ſive iſto tempore inceptum, commode inſervit curandis infirmis Fratribus provinciæ ſeptem Martyrum, cum in meditullio ejus conſiſtat. Promovit opus ſua induſtria & virtute frater Philippus Taffrorenſis. Hoc anno conſtructum eſt Cœnobium Gibellinæ Patrum Conventualium, adhuc informe: ſpectat ad provinciam Siciliæ, & Cuſtodiam Drepanenſem. Conv. Poliſtenæ. *Idem in Provin. ſept. Mart. Conv. 10.* Conv. Gibellinæ. *Rodul. fol. 282.*

XLVI. Propoſuit hoc anno Sigiſmundus Caraffa, vir nobilis, conſtruere eiſdem Fratribus domum in oppido Montis Calvi, Beneventanæ diœceſis, atque ut faceret, licentiam impertiit Leo, deprecante Miniſtro provinciæ Terræ Laboris: *Exponi nobis nuper*. die XI. Julii. Hujus Conventus mentionem apud noſtros auctores non invenio. Conv. Montis Calvi.

XLVII. Antonius de Muſſis, Rector parochialis Eccleſiæ ſancti Protaſii, urbis Placentinæ, eam conceſſit Fratribus Regularis Obſervantiæ Conventus S. Mariæ de Nazareth, extra muros Placentinos habitantibus, ut in ea prædicti Fratres pro animarum beneficio prædicare poſſent, adjectis tamen quibuſdam conditionibus circa juspatronatus, & præſentandi concedendum Abbatiſſæ & Monaſterio ſanctæ Mariæ Magdalenæ Tertii Ordinis ſancti Franciſci, ſive ſanctæ Claræ (uti diploma habet Pontificium) ejuſdem urbis, ſub cura Guardiani & Fratrum prædictorum viventibus. Cuncta confirmavit Pontifex: *Solet Sedis Apoſtolicæ*. XIII. Kalendas Auguſti. An ita factum ſit, vel quanto tempore duraverit hæc conceſſio, mutato poſtea Conventu Nazareno, ſive translato ad urbem, uti alias diximus, omnino neſcitur. Conv. Placentinus. *To. 10. an. 1411. n. 15.*

XLVIII. Ut duos fundare poſſent Conventus incolæ Caſtri Rogliani & Caſtri Centurii, Marianenſis diœceſis in Corſica, pro Fratribus Obſervantibus, Pontifex hoc anno facultatem conceſſit ad preces Miniſtri provinciæ Corſicanæ: *Cum communitas caſtri*. die X. Decembris. Neutrius tamen Caſtri mentionem inter Scriptores noſtros invenio. Conv. Rogliani & Centucii.

XLIX. Sub invocatione ſanctæ Mariæ de Spe hoc anno conſtruere cœpit Cœnobium Obſervantinis Joanna a Cardenis, nobilis vidua, Comitiſſa oppidi vulgo Hiſpanico *Puebla del Conde* nuncupati, prope oppidum alterum Antiquæ mellariæ Hiſpanice *Fuente Ovejuna*. Communi cenſu illic habitant Fratres triginta, quorum magna pars ſtudiis incumbit philoſophicis. Illic deceſſit Ildephonſus, eodem oppido natus, profeſſione laicus, qui aliquot annis uxoratus in perpetua caſtitate ſponſæ cohabitavit, eaque defuncta, Divina præmonitione factus Minorita, in Ordine vixit ſanctiſſime, humilitate, pœnitentia, caritate aliiſque virtutibus illuſtris. In oratione aſſiduus, frequentem reportavit de communi hoſte victoriam. Divinorum arcanorum ſcientia illuſtratus, omnes in ſui admirationem rapuit, & plurima ſpiritu prædixit prophetico. Miraculis in vita & poſt mortem ejus ſanctitas innotuit. Conv. Antiquæ mellariæ. *Gonz. in Provin. Angel. Conv. 14.* Fr. Ildephonſus Antiquæ mellarius.

L. A Molina regni Aragoniæ oppido XL. P. diſtat Conventus ſanctæ Mariæ Conv. Molinæ

Idem in Provin. Caribag. Con.16.

Mariæ de Angelis, communiter a ſancto Franciſco nuncupatus, quem hoc anno Blanca Princeps, Sereniſsimi Infantis Ferdinandi, Molinæ Domini, & Moſaltæ Manriquæ filia, Alphonſi Infantis uxor, cœpit ædificare, impetrata hoc anno XIII. Julii facultate Pontificia, uti in teſtamenti tabulis, Molinæ in archivo publico aſſervatis, refertur. Poſt annos ſex translatus eſt a Patribus Conventualibus ad Obſervantes. Jacet hic fundatrix, cum Moſalta filia, &

Fr. N. Toruvia.

P. Toruvia eximiæ religionis viro, cujus incredibilis erat erga animas Purgatorii pietas & commiſeratio.

Conv. Serpæ. *Idem in provin. Algarb. Con.13.* Conv. magnæ Canariæ. *Idem in provin. Canar. Con.3.* Fr. Anton. a Soſa.

LI. In oppido Serpæ, diœceſis Eborenſis in Tranſtagna regione Luſitaniæ, Emmanuel Rex Conventum circa hunc annum ſub invocatione ſancti Antonii de Padua conſtruxit. Sub ejuſdem Sancti nomine alium Conventum etiam hoc tempore poſuerunt in una ex inſulis Fortunatis, Magna Canaria nuncupata, inter duo oppido Galdaris, & Guiæ, Joannes Legionenſis & Hieronymus Pineda viri nobiles. Hic conditi ſunt Antonius a Soſa, & Petrus de Montibus, quorum primus Sacerdos Luſitanus, relicta patria & pinguiſſima hæreditate, illuc transfretavit, mundum relicturus. Eo in loco toto vitæ tempore permanſit humilioribus exercitiis, & infirmarii officio totus intentus. Orationi & caritati exercendæ ſemper intentus, meruit conſodalem, animam jam agentem, integræ ſoſpitati ex tempore mirabiliter reſtituere. Laicus alter Petrus, cum in inſula Fortis-venturæ per annos viginti ſolitariam vitam in Eccleſia quadam derelicta egiſſet, ſingulari Dei providentia ſingulis diebus tantum hordeaceæ farinæ, quantum corpori reficiendo neceſſum erat, inveniebat. Mortis præſcius, jam octogenarius ad hunc Conventum profectus, poſt triduum felici fine quievit.

Fr. Petrus de Montibus.

Conv. Robinetiarum. *Gonz. in provin. Turon. Villav. Conv. 17.* Conv. Coſtæ S. Andreæ. *Idem in provin. S. Bon. Conv.41. Picquet. in cat. ſtod. Vienn.*

LII. Prope urbem Robineriarum in nemore, Pictavienſis diœceſis, Illuſtriſſima familia de Longavilla Conventum hoc anno fundavit, quem in turbulentiſſima illa commotione Galliarum hæretici combuſſerunt: ſed nunc magna ex parte videtur reſtitutus. In oppido, cui *Coſta ſancti Andreæ* nomen eſt, hoc anno die XXII. Februarii Franciſcus Galliarum Rex nomine Franciſci primogeniti ac Delphini Principis ſupponi voluit lapidem fundamentalem Cœnobioli Dominæ noſtræ de Gratiis, idque opera fratris Bonaventuræ Rupini, in loco feraci & amœno, in ea nimirum Delphinatus ora, quæ ab incolis vulgari idiomate *la Valloire*, latine Vallis aurea dicitur. Exordium habuit domus iſta anno MDXIV. die XV. Septembris in loco Capræ nigræ, a nobili viro Petro de Varce, cum Leonis Pontificis licentia conceſſo. Exactis circiter annis tribus, eum difficillimum eſſet quotidie proficiſci in oppidula adjacentia pro colligendis eleemoſynis, fuit ab eodem Pontifice anno MDXVII. die XVIII. Maii permiſſa translatio. Obſtitit tamen Guillelmus Albi Prior, cum e diverſo DD. Joannes Michael, & Claudius a Salignone translationem totis viribus promoverent, adeo ut neceſſe fuerit ſupremum Delphinatus Senatum litem hanc ſuo decreto dirimere anno MDXVIII. die XIII. Decembris. Controverſiam autem omnino ſopivit Rex Franciſcus conſtructione prædicta. Poſt annos quadraginta duos ab avitæ fidei deſertoribus domus funditus fuit everſa, & urbecula ab hæreticis pluries intercepta, ad ſummamque inopiam redacta, unde parva aut nulla relicta eſt ſpes Conventum reædificandi.

Conv. Braguiſiani. *Idem in prov. S. Ludov. Conv.14.*

LIII. Incerto auctore, in oppido Carceris inter Argentium & Curamiam fluvios ſito, non longe a Braguiniano, diœceſis Aquenſis in Provincia, conſtructum eſſe hoc anno die XVI. Januarii Conventum ſanctæ Mariæ de Gratia, ſtudio Antonii Panicandi Miniſtri Provincialis, ſcribit Gonzaga; ſed ex litteris Apoſtolicis in Regeſto anni ſequenti producendis, conſta-

Anno Christi 1520.	Leonis X. an. 8. & 9.	Caroli V. Imp. anno 2.	Religionis Minorum anno 313.

ſtabit poſt annum hunc conceſſam fuiſſe facultatem nobili viro Joanni de Pontenis, Domino oppidorum de Continhaco & de Carceribus, diœceſis Foro-Julien. ut Conventum iſtum ſub invocatione beatæ Mariæ *de Conforte*, ſeu de Confortatione ædificaret, & Fratribus provinciæ ſancti Ludovici, ut ædificatum admitterent: *Exponi nobis nuper feciſtis*. die XVIII. Aprilis.

LIV. Ex litteris Bernardi ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis, & fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe Præfecti, habeo, hoc tempore domum & Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Gratia in Pozrhavia, Quinqueeccleſienſis diœceſis in Hungaria, a Turcis fuiſſe igne conſumptas; quibus reparandis teſtatur Cardinalis, Pontificem Leonem ſubſidium præſtitiſſe indulgentiarum earumdem, quæ pro fabrica ſancti Petri erant conceſſæ. Conventus Kildarienſis in Hibernia hoc anno fuit reformatus. Conv. Pozrhaviæ. *Reg. Ciſmont. fol. 17.* Conv. Kildarien.

LV. In terra ſeu oppido Nurſiæ mirum quot hoc tempore fuerint Monaſteria fœminarum, præſertim quæ ad Franciſcanos ſpectabant. Duo diximus ante biennium illic extitiſſe; unum ſub vocabulo Pacis, eo anno conſtructum, Ordinis ſanctæ Claræ; alterum ſub titulo ſanctæ Claræ, ſed Ordinis Pœnitentiæ, ſive Tertiæ Regulæ ſancti Franciſci. Hoc anno in diplomate Pontificio invenio tria alia Monaſteria, ſanctæ Luciæ, ſanctæ Mariæ Magdalenæ, & ſancti Hieronymi: quæ tamen ob cauſas a Pontifice aſſignatas diruta ſunt, præter Eccleſias, & in alterum novum, quod ſupradictum *Pacis* reputo, converſa, applicatis eidem aliorum omnium bonis & reditibus. Clarius, & diffuſius omnia ex ipſis litteris Pontificiis apparebunt: *Exponi nobis nuper fecerunt*. die XXIII. Septembris. Monaſt. Nurſiæ.

LVI. Communitas Civitatis Urbevetanæ ſignificavit Pontifici, nullum fuiſſe apud eam Monaſterium Clariſſarum Regularis Obſervantiæ, petieruntque, ut ſibi liceret unum conſtruere. Annuit Pontifex, conceſſa Miniſtro provinciæ Romanæ facultate eas gubernandi ſub Regula ſecunda ſeu Urbani IV. eidemque Miniſtro auctoritatem impertivit evocandi primas inſtitutrices ex quocumque Monaſterio Provinciæ prædictæ: *Animas luer facere Creatori*. III. Nonas Septemb. Brevi conſtructum eſt Monaſterium, & ex Parthenone Romano ſanctorum Coſmæ & Damiani datæ ſunt primæ hujus loci Magiſtræ. Hoc anno Monaſterium antiquum Ordinis ſancti Benedicti, parumper diſtans ab urbe Tudertina, converſum eſt in uſum Sororum Ordinis ſanctæ Claræ, ſub titulo Urbaniſtarum, & appellatione Montis Chriſti. Mon. Urbevetanum. Mon. Tudertinum. *Gonz. in provin. S. Franc. Mon. 15.*

LVII. Ferdinandus ab Ataide ad radices cujuſdam montis P. C. ab oppido Caſtaneti, diœceſis Ulyſſiponenſis, ſemel atque iterum ab apparente ſibi Sanctimoniale præmonitus, domum ædificavit Sororum Tertii Ordinis, & præexiſtentem ædiculam ſanctæ Margaritæ in templum, ſub Dominæ noſtræ invocatione convertit. Morte præventus opus complere nequivit: quod deerat tamen, ejus conjux Leonora a Noronha ſupplevit, domumque incolendam dedit tredecim Sororibus aliunde congregatis. Poſt hujus ſuæ genitricis mortem Antonius ab Ataide, primus Caſtaneti Comes, domum reædificavit, ampliavit, Sororum numerum auxit, atque ut ad ſecundam Regulam Clariſſarum tranſirent, anno MDXLI. impetravit. Obiit hic Mentia a Conceptione, quæ per annos quinquaginta humilitate, paupertate, ſtudio orationis inſigniter effulſit, & in morte miro ſplendore, & poſt mortem miraculis quantum Deo placuerit, oſtendit. Mon. Caſtanetis. *Idem in provin. Portug. Mon. 3.* Sor. Mentia a Concept.

LVIII. Mentia a Toleto, Coriani Comitis filia, intra Oropeſæ oppidi mœnia Monaſterium ſub Regula & titulo Conceptionis beatæ Mariæ circa hunc annum cœpit ædificare. Expenſis quinque aureorum millibus, deceſſit: Mon. Oropeſæ. *Idem in prov. Caſtel. Mon. 32. Salaz. lib. 8. cap. 164*

ſit: ſed Franciſcus Alvarez a Toleto ſecundus Oropeſanorum Comes ſtructuram abſolvit anno MDXXIII. eoque titulo Juſpatronatus ſibi ſuiſque retinuit, domumque regendam Andreæ ab Ecixa, Miniſtro provinciæ Caſtellæ conceſſit. Anno MDXXIII. Maria a Toleto Franciſci filia, ſe hic Deo conſecravit, & cuncta, quæ illi in hæreditatis ſortem obtigerant, Monaſterio donavit, ea tamen lege, ut gratis novem juvenculæ, quas in ſocietatem adduxit, admitterentur, atque his decedentibus, perpetua ſerie aliæ totidem ſubſtituerentur. Primæ fundatrices Catarina a Buſto, Eliſabetha ab Aquila, & Catarina Brizenia ex Monaſterio prodierunt Maquedano, quæ tantæ religionis & virtutis magiſterio reliquas docuerunt, ut continua ſucceſſione vivant hic religioſiſſime, magnaque per omnem circa regionem pietatis fama Sorores. Prædictus fundator jus dedit ſepulturæ Ludovico a Toleto germano fratri, ejuſque poſteris in ſacello majori. Illic ergo requieſcit Ludovicus ipſe, & ab eo deſcendens Ferdinandus a Toleto ſecularis Sacerdos, omni virtutum genere ornatiſſimus, & inſignis verbi Dei miniſter, qui oblatam Cardinalatus dignitatem a Gregorio XIII. humiliter & conſtanter renuit acceptare.

Mon Romanum. *Reg. Cijm. fol.* 20.

LIX. Roſa Nanis de Senis, in regione Montis in Urbe habitans, domum ſuam teſtamento legavit Franciſcæ de Cerſicha Tertii Ordinis ſancti Franciſci profeſſæ, ut ſimul cum aliis ejuſdem Inſtituti fœminis a Guardiano Conventus Aracœli recipiendis, & a Fratribus Obſervantibus regendis, vitam ducerent religioſam. Sed cum inter illas jurgia & diſſidia orirentur, neque vitam ſecundum Superiorum ordinationes componerent, juſſit hoc anno Pontifex, ut domus & cuncta ad illam ſpectantia venderentur per prædictum Guardianum, & applicarentur duabus ejuſdem Inſtituti domibus, videlicet ſanctæ Eliſabethæ de Gregoria in regione Parionis, & de Pietate in regione Montis conſiſtentibus. Hæc autem prima incidit mentio harum domorum, & quid de illis actum ſit, dum nunc non exiſtant, penitus neſcimus.

Privilegia Pontificia.

LX. Aliquot favoribus hoc anno proſecutus eſt Pontifex Religionem. Communicavit Fratribus omnia privilegia & gratias, quibus gaudebant Ordines omnes Mendicantes: *Affectu benevolentiæ*. die XI. Decembris. Ad Sorores Ordinis immaculatæ (inquit) Conceptionis, omnes favores, gratias, indulgentias, privilegia, & ſi quæ alia habebant ſive Clariſſæ ſive Sorores Tertii Ordinis, extendit: *Quia nuper accepimus*. die X. Februarii. Orantibus ad pias imagines devoti cœmeterii Antuerpienſis Cœnobii indulgentias conceſſit; cui rei teſtimonium perhibuit Cardinalis tituli ſanctæ Mariæ de Aracœli Forolivienſis, *Chriſtophorus Numayus*. die I. Junii.

Anno Christi	Leonis X.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 314.
1521.	anno 9.	anno 3.	

ARGUMENTUM.

Franciſcus Quiñonius, & Joannes Glapion ad Indorum converſionem profecturi, impediuntur. Celebrantur Comitia Generalia, in quibus Paulus Soncinas ad Generalatum evehitur. Multi Principes intercedunt pro canonizando Joanne Capiſtrano. Confirmatur Regula Tertii Ordinis. Soncinas inſtituitur Commiſſarius & Nuncius Pontificius. Amandatur in Orientem Ludovicus Prutenus exploraturus vires Turcarum. Reducuntur omnes provinciæ Galliarum ad obedientiam Obſervantum. Leo X. diem claudit extremum. Recenſentur Epiſcopi, & Cœnobia ſub hunc annum conſtructa.

I. ANNO præcedenti diximus miſſum a Generali Miniſtro Franciſco Lycheto ad provinciam Saxoniæ Franciſcum ab Angelis, ſeu Quiñonium, Miniſtrum provinciæ Angelorum: atqui hoc anno Romam profectus, egit cum Joanne Glapione Belga, nuper Commiſſario Generali in Curia Romana, & olim provinciæ Franciæ Miniſtro, ac Carolo V. a ſacris confeſſionibus, ut ad vaſtiſſimas illas Indiæ Occidentalis regiones, quas in Hiſpanorum poteſtatem deveniſſe audiverant, transfretareut, operam daturi infidelium converſioni. Scribebat Ferdinandus Corteſius, admirabilis ille Indorum domitor, & potentiſſimi Imperii Mexicani ſubjugator, magnam præparari meſſem operariis Evangelicis; utque mitterentur idonei tanti operis miniſtri, animarum, non auri ſitibundi, repetitis litteris rogabat Carolum V. Imperatorem. Convenerunt itaque in unum hi duo præcellentes viri, Carolo familiares, qui præ ceteris rei magnitudinem & pretium perpendebant, & cum Leone Pontifice hoc anno egerunt, ut ad iſtud Divinum opus fidei propagandæ, ſibi aliiſque aggregandis ſociis, benedicente & patrocinante indefectibili Fidei Magiſtro, liceret proficiſci. Placuit Leoni piorum virorum laudabile deſiderium, eoſque his privilegiis, magniſque tantæ molis obeundæ fulcimentis, per alios Pontifices conceſſis, & a nobis per ſuos annos diſtributis, clementer inſtruxit. Attamen tanti facinoris pii aggreſſores, quod tantopere cupiebant, aſſequi nequiverunt, aſſumpto Franciſco infra paucos menſes ad familiæ Ultramontanæ gubernium, Glapione itidem morte præpedito: etenim die Septembris anni ſequentis obiit Valliſoleti.

Gonz. in provin. S. Evang. Turrecr. tom. 1. Monarch. Ind. l. 15. c. 2.

Quiñonius & Glapion inhiant Indorũ converſioni.

Eis favet Leo Pontif.

Dilectis filiis Joanni Glapion, & Franciſco de Angelis &c.

II. *ALias felicis recordationis Nicolaus IV. & Joannes XXII. & Urbanus V. & Eugenius IV. & alii Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, debita meditatione conſiderantes, quod veſtri Ordinis munda religio, a Chriſto Domino exemplis ac verbis Apoſtolis ſuis tradita, ac beato Franciſco & eum ſequentibus inſpirata fuerit; ac quod nonnullos ejuſdem Ordinis profeſſores pro fidei propagatione ad infidelium partes, cum jam Apoſtoli in orbe non exiſtant, deſtinare opus eſſet, prout & ipſe beatus Franciſcus ſuo tempore actualiter fecit, ut in vinea Domini fructuoſos plamites producerent, nonnullis veſtri Ordinis tunc expreſſis Fratribus, ut in terris infidelium tunc deſignatis exiſten. quod Dei verbum proponere, & confitutos ibidem, ſi eorum aliqui excommunicationis cenſura ligati eſſent, abſolvere: quoſcumque ad unitatem fidei Chriſtianæ converti cupientes recipere: baptizare & Eccle-*

Ex autogr.

Multa eis concedit privilegia.

ſiæ filiis aggregare : & bi ex dictis Fratribus, qui in Sacerdotio conſtituti eſſent, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ & Extremæ Unctionis, aliaque Eccleſiaſtica Sacramenta perſonis præmiſſis miniſtrare & exercere : necnon in caſu neceſſitatis (Epiſcopis in Provincia non exiſtentibus) Confirmationis Sacramentum, & ordinationes uſque ad minores ordines fidelibus miniſtrare : capellas & Altaria, necnon calices & paramenta Eccleſiaſtica benedicere, ac Eccleſias reconciliandas, vel cœmeteria reconciliare, eiſdem de idoneis miniſtris providere : eiſque indulgentias, quas Epiſcopi in ſuis diœceſibus concedere ſolent, impertiri, & alia quæcumque facere, quæ ad augmentum Divini nominis, ad converſionem ipſorum infidelium populorum, & amplificationem fidei orthodoxæ, & reprobationem & irritationem illorum, quæ ſacris conſtitutionibus contradicunt, ſicuti pro loco & tempore viderent expedire, valerent, & poſſent : necnon uti Oleo ſancto & Chryſmate antiquis uſque ad tres annos, cum in eiſdem partibus novum oleum & balſamum ſine difficultate magna haberi non poſſint, libere & licite valerent : necnon aggregatos eoſdem (ubi Epiſcopi non habentur) clericali inſignire habere, & ipſos ad minores Ordines promovere liceret : etiam Sedis Apoſtolicæ ſententia excommunicationis irretitis abſolutionis beneficium, juxta formam Eccleſiæ, impertiri : & qui de gentibus ſchiſmaticis vel alias noviter eſſent converſi, dandi licentiam, ut uxores ſuas, cum quibus in gradibus a lege Divina non prohibitis, contraxerunt, retinere valerent : & de cauſis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam noſtram deferre deberent, legitime cognoſcendi, & diſcordantes inter ſe concordare : ac etiam eiſdem Fratribus licitum eſſet omnium fidelium in terris prædictis confeſſiones audire, & ipſis pœnitentias ſalutares injungere, & vota commutare, & excommunicatos a Canone vel alio modo, juxta Eccleſiæ formam abſolvere, dummodo injuriam ac damna paſſis juxta poſſibilitatem ſatisfecerint. Inſuper in locis, in quibus Fratres prædicti reſidentiam facere, vel eos hoſpitari contingeret, Miſſam & Divina officia cum ſolita ſolemnitate celebrare : &, ſi in eiſdem locis vitæ neceſſaria jejuniorum tempore commode habere non poſſent, ad prædicta jejunia eoſdem Fratres minime teneri, declararunt, cum eiſque miſericorditer diſpenſarunt : & ut de ſuis laboribus fructum reportarent, Fratribus prædictis vere pœnitentibus & confeſſis, illam indulgentiam conceſſerunt, quam proficiſcentibus in ſubſidium Terræ ſanctæ Sedes Apoſtolica concedere conſuevit : ac etiam omnibus utriuſque ſexus fidelibus, confeſſiſque, qui Eccleſias & loca Fratrum dicti veſtri Ordinis in partibus præmiſſis conſtructa, & in poſterum conſtruenda, ſingulis diebus quibus viſitarint, cauſa devotionis, ſeu eleemoſynæ faciendæ, ipſis de injunctis eis pœnitentiis centum dies miſericorditer relaxarunt : quique eiſdem Fratribus auctoritate Apoſtolica conceſſerunt, ut in Civitatibus, caſtris, villis ſeu locis quibuſcumque ad habitandum domos & loca quæcumque recipere, ſeu hactenus recepta mutare, aut ea venditionis, permutationis, aut cujuſvis donationis titulo in alios tranſferre valerent : ac inſuper ut omnes & ſinguli veſtri Ordinis profeſſores, qui eodem ſuccenſi zelo ad ea loca cum Fratribus prædictis tranſire voluiſſent, omnibus & ſingulis præmiſſis gratiis & indultis gaudere libere poſſent, prout eiſdem Fratribus, & eorum cuilibet conjunctim vel diviſim pro Fratrum prædictorum vita, tunc pro tempore indultum eſſet vel conceſſum : necnon fugientes a ſeculo in Ordine prædicto recipere, ac omnia & ſingula facere quoad ea, quæ dicti Ordinis concernerent profeſſionem & Religionem, quæ Miniſtri Generales & Provinciales ex officio & indultis Apoſtolicis facere poſſunt, prout in eorumdem prædeceſſorum deſuper confectis litteris latius enarratur. Cum autem, ſicut accepimus, vos, quo-

quorum zelus eſt Deo animat lucrifacere, & per veſtræ operationis indu-ſtriam & ſollicitudinem, Divina opitulante gratia, adulterinas plantationes divellere, ac in meſſe Domini virtutes ſerere, ac vitia radicitus extirpare, & humanum genus ad cognitionis & ſalvationis ſemitas reducere, ad Indianas Inſulas, aliaſque Provincias cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli, Hiſpaniarum & Romanorum Regis Catholici, in Imperatorem electi, ditioni ſubjectas, & illis propinquas terras, ubi homines veritatis fidei cognitione carent, conferre deſideretis, & in illis verbum fidei diſſeminando, hujuſmodi ſanctis actionibus vos exercere de Superiorum veſtrorum licentia intendatis: Nos tam ſancto, & hominibus hujuſmodi pro eorum animarum ſalute neceſſario opere, deſiderio favorabiliter annuere volentes, motu proprio, & certa ſcientia, ac poteſtatis plenitudine, ut facultatibus, conceſſionibus, ac gratiis & indultis ſupradictis, juxta ſuperius narratorum continentiam, vobis & cuilibet veſtrum, & ad vitam veſtram a vobis quatuor deputandis, uti, potiri & gaudere, prout ſuperius explicatur, libere & licite valeatis, concedimus & indulgemus. Volumus autem quod ea, quæ ad Epiſcopalem ordinem ac dignitatem dumtaxat pertinent, vigore præſentium nullus veſtrum exercere poſſit, niſi in Provinciis, ubi Catholicus Antiſtes non fuerit. In aliis enim locis Pontificalia ſolum per Epiſcopos exerceri valebunt. Quocirca univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ceteriſque in dignitate conſtitutis, necnon omnibus & ſingulis tam Eccleſiaſticis, quam laicis, Ordinum quorumcunque profeſſoribus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & maledictionis æternæ, a qua nonniſi per Nos, ſeu de noſtro, ſeu dicti Miniſtri veſtri conſenſu poſſint abſolvi, firmiter inhibemus, ne vos aut veſtrum aliquem ad vitam veſtram, ſeu deputandos Fratres prædictos a vobis, vel a Miniſtro Ordinis prædicti, in præmiſſis ſeu præmiſſorum aliquo, directe vel indirecte per ſe vel alium quovis quæſito colore impedire præſumant. Quod ſi quidquam a quovis aliter attentatum fuerit, etiam prætextu quarumcumque litterarum Apoſtolicarum a Sede Apoſtolica conceſſarum, ſeu in futurum concedendarum, etiamſi in eiſdem litteris præſentes de verbo ad verbum inſertæ fuerint, & ſpecialiter a nobis revocatæ, irritum penitus ſit & inane: declarantes ex nunc, prout ex tunc, non eſſe intentionis noſtræ, nec in futuram fore, in præmiſſis (dum illis ſancte pro tempore intenderitis) vobis impedimentum ſeu detrimentum afferre. Non obſtante prohibitione felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne aliqui de Prædicatoribus & Minoribus, & aliis Religioſis Mendicantibus (qui-buſcumque ſuper hoc privilegiis muniti exiſtant) prædicta præſumant abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali plenam & expreſſam faciente mentionem de hujuſmodi probibitione: Necnon conſtitutionibus & ordinationibus, ac decretis tam a Sede Apoſtolica, quam Conciliis generalibus emanatis, conſuetudinibus ac ſtatutis, privilegiis & indultis tam generalibus, quam ſpecialibus, etiamſi in eis caveretur, quod ipſis derogari non poſſit, niſi ſpecialis & expreſſa mentio de illis haberetur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXV. *Aprilis* MDXXI. *Pontificatus noſtri anno* IX.

Evangeliſta.

III. Paulo poſt conceſsionem harum litterarum celebrata ſunt hoc anno ſub Feſtum Pentecoſtes Comitia Generalia in Conventu ſancti Nicolai provinciæ Bononienſis, apud nobile oppidum Carporum in Lombardia Ciſpadana ad ripam Seciæ fluminis, ſumptus abunde miniſtrante Alberto Pio Comite Carpenſi. In his Paulus a Soncino e Vicario in Miniſtrum Generalem, & Franciſcus ab Angelis, ſive Quinnonius ex Miniſtro provinciæ An-

Celebrantur Comitia Generalia Carpi. *Reg. gener. Vitram.*

Miniſter Gener. Paulus a Soncino.

Commiſſarius. Franciſc. ab Angelis. Reliqui officiales.

Angelorum in Commiſsarium Generalem ſamiliæ Ultramontanæ aſsumpti ſunt. Procurator Generalis Ordinis Hilarion Sacchettus Florentinus provinciæ Tuſciæ. Commiſsarius in Curia Romana pro ſamilia Ultramontana Guillelmus Jernigon provinciæ Britanniæ, ſunt inſtituti. Patres Ultramontani noluerunt hac vice eligere Definitores Generales, ſed retinere eos, qui in ultimo Capitulo ſuerunt electi: quibus, ut ſe concordarent Ciſmontani, etiam a ſuorum Definitorum electione abſtinuerunt. Attamen Miniſter Generalis, ne abſque gravium negotiorum Conſultoribus remaneret, delegit ſibi iſtum Novem-viratum, cujus conſilio & aſsenſu omnia acta Capituli terminata & confirmata ſunt.

Joannem Franciſcum de Potentia provinciæ Baſilicatæ Procuratoris Generalis officio ſunctum, & provinciæ Tuſciæ Miniſtrum ſuppletum.
Jacobum de Mantua provinciæ Bononiæ Cuſtodem.
Franciſcum Georgium provinciæ ſancti Antonii Cuſtodem.
Cherubinum de Interamne provinciæ ſancti Franciſci Cuſtodem.
Apollonium de Placentia provinciæ Bononiæ Miniſtrum.
Bernardinum de Quadralio provinciæ Januæ Miniſtrum.
Franciſcum Meſsanenſem provinciæ Siciliæ Miniſtrum.
Bernardinum Sanſovinum provinciæ Mediolanenſis Cuſtodem, etſi valde ſemper infirmum toto Comitiorum tempore.
Benedictum Bonchovich Dalmatiæ Cuſtodem.

Reg. gener. Ultram. pag. 26. Ann. 1520. n. 23. Commiſſar. Gener. peculiariter datur Hiſpaniæ.

IV. Nationi numeroſiſsimæ Hiſpanicæ, juxta ſuperius præmiſsa, datus eſt peculiaris Commiſsarius Generalis, præſcripta tamen & limitata in multis ejus poteſtate, exercenda quidem in abſentia Commiſsarii Generalis ſamiliæ Ultramontanæ, non tamen dum in illa ſuerit natione. Omnes Hiſpanicæ provinciæ, præter unam Luſitanicam, eum ſibi concedi poſtularunt. Sed ne diſsenſionis aut æmulationis daretur occaſio, omnes illæ provinciæ tunc in tria quaternaria diviſæ ſunt. Primum comprehendebat provincias Caſtellæ, Granatæ, Angelorum, & ſanctæ Crucis in inſulis Indiæ Occidentalis. Secundum provincias Aragoniæ, Burgorum, Majoricarum, & Carthaginis. Tertium provincias ſancti Jacobi, Conceptionis, Pietatis & ſancti Gabrielis; ex quibus tribus partibus circulariter eligendus erat in poſterum Commiſsarius hic nationalis; cui etiam conceſsum eſt, ut poſsit ſubrogari ad ſuffragandum in electione Miniſtri Generalis poſt Commiſsarium Generalem, poſt Procuratorem Ordinis, & Commiſsarium Curiæ Romanæ, eo modo, quo de illis dictum eſt in Capitulo Lugdunenſi. Pro prima autem hac vice omnium votis expetitus ſuit Petrus de Montibus Occæ, provinciæ Granatenſis Miniſter, vir bonus, ac timens Deum, quem libenter, etſi valde reluctantem, & ab officio reſilire cupientem, Miniſter Generalis conceſsit. Do hic inſtrumentum ejus inſtitutionis, adjunctis ipſius, & totius provinciæ Granatenſis petitionibus, ut ab officio abſolveretur, & Miniſtri Generalis ad eaſdem reſponſo.

Reg. gener. Ciſmon. fol. 27.

Ternaria diviſio provinciarum.

Ann. 1518. n. 11. Commiſſar. Hiſpaniæ Petrus de Montibus Occæ.

In Chriſto ſibi cariſſimo R. P. Fr. Petro de Montibus de Occa Ordinis Minorum Obſervant. Regul. Prædicatori, & Confeſſario egregio, provinciæ Granatenſis Miniſtro digniſſimo, Fr. Paulus de Soncino totius ſacri Ordinis Minorum Miniſter Generalis & ſervus, ſalutem in Domino ſempiternam.

Facultates conceſſæ Commiſſar. Hiſpaniæ.

V. *CUm de communi aſſenſu noſtri Capituli Generalis hoc anno Domini* MDXXI. *in die ſancto Penteceſtes, in Conventu noſtro Carpenſi, provinciæ Bononiæ, celebrati, ordinatus ſit Patribus Hiſpanis, & ſuper eo-*

eorum provincias ſpecialiis Commiſſarius, per me eiſdem aſſignandus & inſtituendus, qui in abſentia mea, & Reverendi Patris Generalis Commiſſarii Ultramontani dumtaxat, Hiſpaniarum provincias & Communitates tam Fratrum, quam Monialium, quam etiam quarumcumqae aliarum perſonarum mihi ſubditarum, mea auctoritate regeret & gubernaret, ſolumque hoc admiſſum ſit pro pace & bono præfatæ nationis, & illius provinciarum promovendis & conſervandis: Hinc eſt, quod ſepefatæ nationis ſolum intendens hac in parte quietadiai, te meum ſpecialem & particularem ſuper omnes provincias Hiſpaniarum, ſola Portagallia excluſa, Commiſſarium inſtituo, ac ſic inſtitutum denuntio per præſentes. Et quia in illis Hiſpaniarum provinciis, locis, Conventibus, Monaſteriis, Fratribus, Monialibus ſanctæ Clarę, beatæ Mariæ Sororibus, ac Tertii Ordinis beati Franciſci, de panitentia nuncupatis, & aliis utriuſque ſexus perſonis mihi ſubditis & ſubjiciendis plurimæ vexationes, moleſtiæ & conturbationes ieferri & intentari poſſent, ad quorum reſiſtentiam, & remedii opportuni proviſionem maime valeo nonnuaquam intereſſe; ne igitur aliquid gravaminis, vexationis ac diſpendii præfatis provinciis, Conventibus, locis, Monaſteriis, Fratribus, Monialibus, Sororibus, & ceteris in eiſdem mihi ſubditis perſonis accidere poſſet, & irrogari defectu meæ auctoritatis, facultatem, plenarieque meam auctoritatem in utroque foro, active & paſſive plenarie tibi concedo, cum omnimoda facultate ſubdelegandi toties, quoties tuo judicio opus fuerit uni vel pluribus, nihil mihi hac in parte reſervando: ita ut poſſis & valeas in præfata natione, & provinciis pro Ordinis noſtri promotione, ſeu etiam Apoſtolicarum proviſionum quarumcumque, provinciarum, Conventuum, locorum, Monaſteriorum, domorum, ac perſonarum utriuſque ſexus in illis degentium defenſione, & in ſuo ſtata conſervatione, ſive illius promotione ſeu reformatione, cuncta tuo judicio neceſſaria initiare, mediare, perficere, & omnia & alia inibi ſingula facienda, proponenda, exhibenda, defendenda: necnon omnes actus judiciarios & caaſidicos, & etiam contentioſos in quacumque curia, coram quibuſcumque judicibus Eccleſiaſticis vel laicis incipiendos, proſequendos, concludendos & terminandos, examinare illa, & concludere poſſis & debeas, omniaque alia Ordinis negotia in dictis nationibus & provinciis, ſeu illarum domibus, locis, & utriuſque ſexus perſonis tuæ curæ commiſſis quibuſcumque tam in foro interiori, quam exteriori, quæcumque ſint illa, quæ ſecundum tuæ diſtrictionis judicium, ſine mea præſentia poterunt expediri & diſponi, illa diſponas, ordines & expedias; provincias, Conventus & loca, Monaſteria, Fratres, Moniales, Sorores, & alias quaſcumque perſonas viſitando, retinendo, dum opus fuerit, & emittendo, licentiando, corrigendo, ſalutares pœnitentias imponendo, ab eiſdem relevando, ſi judicaverit, pariter & incarcerando toties quoties, ac liberando etiam & abſolvendo, itidem ad loca pariter prædictæ nationis, ad quæ ego vocarer officii gratia, vel meam auctoritatem exegerint, quibus commode ſecundum præfatum tuam judicium adeſſe nequirem, libere accedendo; ita ut etiam Capitula provinciaiia, & cuſtodialia tenere in illis, mea plenaria auctoritate præſidere, & ea plenarie celebrare, Provincialiam, Cuſtodam, ac Guardianorum electiones fiendas denuntiare, utque fiant præcipere, & ordinare, ac eas confirmare, & ſi tales aliquos minus idoneos inveneris, electiones hujuſmodi de ipſis factas caſſare, annullare & infirmare: ac ſimiles, & alios quoſcumque officiarios electos, nominatos, etiam & pro tunc aſſumptos confirmare vel infirmare, inſtituere & deſtituere; Conventus, Monaſteria, loca, domos, Fratres, Moniales, Sorores, & quaſcumque etiam Tertii Or-

Ordinis beati Franciſci perſonas, mihi quomodolibet ſubjectas & ſubjiciendas viſitare, ut præmittitur, delinquenteſque punire, deordinata ordinare & dirigere poſſis & valeas. Poſtremo etiam ad Monaſteria, loca ſeu domos ſanctæ Claræ, beatæ Mariæ Virginis, ac Tertii Ordinis perſonas prælibatæ nationis, ac illius provinciarum, necnon aliorum quorumcumque locorum Moniales, Sorores & perſonas mihi ſubditas & ſubjiciendas accedere poſſis, eaſque de confeſſione, & in particulari audire; ſique judicaveris, illas viſitare, Abbatiſſas, Magiſtras, & etiam de præſidentia, & Matres alias inſtituere & deſtituere, electas confirmare, etiam dum videris, & infirmare: Fratres, Moniales, Sorores, ac alias perſonas ad probationem admiſſas, ad profeſſionem, & e ſeculo fugientes ad probationem recipere: Fratres quoque ad officia prædicationis, ad Confeſſionum audiendarum intra & extra capitula aſſumere, litteras quoque Confraternitatis per totam tibi creditam nationem conferre: & generaliter alia omnia & ſingula initiare, mediare, examinare, terminare & facere, quæ ego ipſe ex officio facere poſſem & deberem, etiamſi perſonaliter adeſſem, etiamſi talia forent, quæ majori verborum expreſſione indigerent; quæ omnia & ſingula volo haberi pro ſufficienter expreſſis; ad meritum obedientiæ ſalutaris tibi præcipiens, ut hanc commiſſionem humiliter ſuſcipias, ſuſceptamque ſecundum gratiam a Domino tibi largitam fideliter exequaris: & eadem obedientia in virtute Spiritus Sancti mandans omnibus & ſingulis perſonis ſupradictis in eadem Hiſpanica natione, provinciis & locis mihi ſubditis & ſubjiciendis, quatenus tibi tamquam vice perſonæ noſtræ pareant per omnia, & obediant cum effectu. Vale in Domino Jeſu, & ora pro me. Datum in Conventu noſtro Carpenſi provinciæ Boeticæ ſub manu noſtra, officiique noſtri ſigillo, tempore expeditionis noſtri Capituli Generalis præfati in dicto ſancto feſto Penteceſtes anno MDXXI.

Reverendiſſimo Patri noſtro Fr. Paulo e Soncino Miniſtro Generali totius Ordinis ſancti Franciſci digniſſimo, Patri colendiſſimo.

Ibidem. Orant Commiſſ. & PP. Granatenſ. ne cogatur ad illud officium admittendum.

VI. *NOs filii veſtri, incolæ & habitatores provinciæ Boeticæ ſeu Granatæ, veſtræ Reverendiſſimæ Paternitatis benedictione ſuſcepta, notum faciemus, Patrem Miniſtrum hujus provinciæ nos omnes congregaſſe in Conventu vocato de Antequera in feſtivitate beatæ Mariæ Virginis Nativitatis, anni præſentis, nobiſque præſentavit veſtræ Reverendiſſimæ Paternitatis commiſſionem ſuper omnes provincias Hiſpaniæ, dempta Portugalliæ, eidem Miniſtro factam; quæ lecta oſtendit nonnullas conditiones ſignatas manu veſtræ Paternitatis limitantes prædictam commiſſionem: quarum prima eſt, quod Commiſſarius Hiſpaniæ, qui exercere debet officium Commiſſariatus in prædicta natione Hiſpanica, primo teneatur renunciare ſuo officio &c. de quo quamplurimum doluimus; quia revera licet provincia iſta a multis temporibus pace gaviſa ſit, ſub regimine & miniſterio Patris hujus abſque dubio magis ac magis crevit in conſolationem noſtram, & plurimorum exemplum. Conſiderantes igitur, quod in omni regimine pax optimum ſit, quam, Deo gratias agentes, poſſidemus, ne tanto bono privemur, nos omnes videntes noſtrum Miniſtrum tamquam vere filium obedientiæ promptum ac paratum obedire humiliter veſtræ Paternitatis Reverendiſſimæ juſſioni, rogavimus, imo coegimus ſalvam differre ad tempus, quoadusque per manus hujus venerabilis Patris noſtræ humiles ſupplicationes veſtro conſpectui præſentarentur, quibus flexis genibus toto noſtro conatu humiliter ſupplicamus, Veſtra*

ſtra Paternitas dignetur illum liberum dimittere filiorum veſtrorum miniſterio iſtius provinciæ. Sunt alii plurimi, quibus hoc onus impoui poteſt, & ſic provinciis aliis ſuccurrere abſque jactura noſtra, ac detrimento maxima. Movemur, quia ſi a uobis iſte Pater ablatus fuerit, in jauuis eſt damnum; de fructu autem nou modicum dubitamus. Et ne prolixitate Veſtram Reverendiſſimam Paternitatem tædio afficiamus, mittere decrevimus Venerabilem Patrem latorem noſtrarum litteraram, a quo verbo poteritis cognoſcere latius, quæ noſtro ſcripto tetigimus tantum. Cui humiliter rogamus, ut Veſtra Reverendiſſima prius dignetur præbere auditum favorabilem, cum expeditione conſolabili, nobis omnibus, imo totius provinciæ Fratribus ſupplicantibus omnibus clementiam Diviuam, tanto Patri miniſtrari & Divinum lumen ad dirigendum gregem ſibi creditam iu viam pacis. Datum in Conventu prædicto iu feſtivitate beatæ & gloriosæ ſemper Virginis Mariæ Nativitatis anno MDXXI.

Ejuſdem ferme tenoris erat epiſtola ipſius Commiſſarii, cui ita Soncinas reſcripſit.

Revereudo in Chriſto P. Fr. Petro de Moutibus de Occa &c. Hiſpaniarum Commiſſario.

VII. *Reverende iu Chriſto Pater, poſt commeudationem &c. Accepi litteras Paternitatis Veſtræ ſimul cum litteris multorum Patrum provinciæ veſtræ, in quibus veſtris Reverentia veſtra profitetur obedieutiam ſuam promptiſſimam pro Commiſſariatu provinciarum Hiſpaniæ, adducit attamen inſufficientiam ſuam, diſpendium proviuciæ ſuæ, necnon aliaram provinciarum perturbationem potius quam utilitatem: quæ omnia arbitror Reverentiam tuam potius ex ſua innata bonitate ac humilitate proferre, quam quod veraciter ſic ſe res habeat; quis enim nou firmiter credat, ac certiſſime arbitretur Reverentiam tuam moribus, doctrina ac experientia decoratam & inſignitam? quaudoquidem in Capitulo Generali proxime præterito, uno conſenſu vocales provinciarum Hiſpaniæ te in ſuum Patrem ac Commiſſarium elegerunt: quam rem a Spiritu ſancto proceſſiſſe, minime dubitatum eſt. Itaque quod Dei nutu actum eſt, & Patrum Hiſpaniæ votis ſancitum & roboratum, nou eſt meum immutare. Commiſſionem igitur per me factam in Capitulo Generali ſuper provinciis Hiſpaniæ, excepta dumtaxat Portugalliæ, & a Patribus illis confirmatam, eamdem nunc coufirmo, & omni ſuo robore ac jure volituram decerno, ita quod Reverentia tua in omnibus provinciis Hiſpaniarum, etiam in tua uativa, nulla excepta, niſi Portugalliæ, ſit meus legitimus Commiſſarius, cum omni plenitudiue poteſtatis & auctoritatis; ſervaudo tamen clauſulas & limitationes iu Capitulo Geuerali pro tali commiſſione ordinatas. Accingat igitur ſe fiducialiter Revereutia tua oneri & executioui officii ſui, & agat iu omnibus ſecuudum prudeutiam & gratiam ſibi a Domino collatam: ita euim fiet, ut honor Dei ac Religionis noſtræ augeatur, ac bonis tuis operibus merita apud Deum in dies magis ac magis accreſcant. Vale igitur optime Pater cum omni benedictione mea. E Mediolano* XXIV. *Octobris* MDXXI. *ſubſcript. E. V. P. D. Fr. Paulus de Soncino Generalis Miniſter immeritus.*

Ibidem. Soncinas in ſententia perſiſtit.

VIII. Multa autem pro Ordinis bono regimine in hoc Capitulo conſtituta ſunt, ſuo loco inſerenda. Inde autem incipiunt, unde malum impendebat gravius, ab hæreſi ſcilicet Lutherana reprimenda. Hoc itaque conſtitutionum erat exordium: *Cum noſtri ſit muueris armis ſpiritualibus,*

Reg. gener. Ciſtuuc. fol. 25. Occurritur hæreſi Lutheranæ.

Eccleſiæ adverſariis, & fidem orthodoxam nequiter depravantibus, viriliter ſtrenueque occurrere, & peſtiferæ dogmatizationi Lutheranæ, quæ procurante humanæ ſalutis inimico, noviter inſurrexit, juxta ſanctiſſimi Domini noſtri deſiderium, ſalubriter obviare, ordinat & mandat Reverendus Pater Generalis Miniſter cum univerſo ſuo Capitulo, ut piis & devotis precibus primitus occurratur, & quotidie in omnibus horis canonicis poſt dictum Salve Regina, *ſuffragium hoc adjiciatur, videlicet.* Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo &c. *verſus* Ave Maria &c. *cum orationibus*, Gratiam tuam, & Eccleſiæ tuæ &c. *Et quando in Miſſa conventuali ordinarie oratio tertia defuerit, dicta oratio*, Eccleſiæ tuæ, *addatur. Secundo, Divini verbi gladio, & ſacræ Theologiæ telo eidem uſque ad ſanguinem reſiſtatur, prout per Capitulum Generale provide & ſufficienter proviſum eſt, & unicuique Miniſtrorum ſalubriter commiſſum eſt.* Et quidem Toruniæ in Pruſſia, ubi tunc Sigiſmundus Poloniæ Rex hærebat, & quo Lutherana hæreſis jam ſerpſerat, frater Bernardinus Grebovius, egregius Prædicator, auctor fuit Zachariæ Nuncio Apoſtolico, ut libri quotquot erant ea in urbe, hac hæreſi infecti, in medio fori comburerentur. Reſtitit autem ille, & plerique viri docti inſignes concionatores, Magiſtro Cruciferorum, Regis Poloniæ ex ſorore nepoti, qui ab avunculo, & fide Catholica hoc tempore ad Lutheraniſmum defecit, & ſacra quæque profanavit, templa ſpoliavit, Eccleſiaſticos, præſertim Minoritas, verbo & ſcriptis ſibi reſiſtentes, ſæviſſime perſecutus eſt.

Monum. MSS. Provin. Polon.

Cõburuntur in Polonia libri Lutherani.

Mag. Cruciferorum ſit Lutheranus.

IX. Aſſignatus fuit pro celebrando ſequenti Capitulo Generali anno MDXXIII. Conventus Perpiniani, provinciæ Aragoniæ, & decretæ orationes, ac ſuffragia præ aliis *pro Reverendiſſimis* (inquiunt acta Capitularia) *DD. Cardinalibus de Medicis Protectore Ordinis, & ſanctæ Crucis, ac Sanctorum Quatuor.* Porro hi erant Julius Cardinalis Mediceus, Pontificis frater patruelis, Ordinis nuper fortaſſis inſtitutus Protector, vel affectu, patrocinio & frequenti beneficio hunc titulum adeptus: & Bernardinus Carvajalius collegii Decanus, nuncupatus ſemper Cardinalis ſanctæ Crucis: Laurentius Puccius Cardinalis tit. ſanctorum Quatuor Coronatorum, vir optimus, Ordinis eximius benefactor.

Julius Medic. Ordinis Protector.

X. Franciſcus ab Angelis ſive Quinnonius, hoc anno pro Commiſſarii Generalis officio deſcendit in Belgium, & perſonaliter viſitavit præcipuam partem provinciæ Coloniæ, præſertim Conventus Brabantiæ, Friſiæ, & Hollandiæ; deinde convocatis Patribus in Conventu Antuerpienſi die XVI. Decembris, abuſus omnes, quos reperit, piis & ſalutaribus conſtitutionibus voluit ſublatos. Eas habeo tanto quidem viro dignas, prudenter & pie diſpoſitas, quas inter alia illius provinciæ monumenta conſervo.

Quinnonius abit in Belgium.

XI. Deductum ad deſideratum finem proceſſum, quem anno præcedenti diximus, miraculorum & famæ in dies magis magiſque crebeſcentis beati Joannis Capiſtrani, Ludovicus Rex Hungariæ cum ſuis litteris, ut ad canonizationem procederetur, deprecantibus, miſit ad Leonem Pontificem. Suas etiam adjunxerunt preces Jaurien. Nitrien. & Waradienſis Epiſcopi, Laurentius Comes Wilakæ, & Dux Boſnæ, Stephanus de Bathor, primum Comes Themeſwarien. dein Regni Hungariæ Palatinus, Andreas de Bathor, Stephani frater, Comes Zathmarien. Joannes de Zapolia Waywoda Tranſilvanus, Emericus Thervuk Banus Nanderalben. Joannes Breneyha, Tutor Regis, Joannes Dragffy Thaverniorum regalium Magiſter, Gabriel de Perea Comes de Rogocha, ac Cubiculariorum regalium Magiſter, Stephanus de Perea frater germanus ejuſdem, Heduigis Ducissa Theſſenen-

Intercedunt pleraque pro canonizatione Joannis Capiſtrani.

quon-

quondam Stephani de Zapolia Regni Hungariæ Palatini relicta, Abbas ſancti Martini ſacri Montis Pannoniæ, Capitula Bachien; Waradien, Nitrien. Communitas nobilium Comitatus de Gyrola, & de Zarand, Civitates, oppida & Communitates Bachien. Waradien. Zalenkenien. Kamauz, Nandaralben. de Suthag, Plebanus & Communitas de Wylack, ubi vir ſanctus jacebat. Ex Boemia & Polonia ſcripſerunt alii plerique. Pauculas has litteras, quæ ad noſtras manus pervenerunt, lectori exhibemus.

Sanctiſſimo ac Clementiſſimo in Chriſto Patri & Domino noſtro, Domino Leoni, Divina providentia S. R. E. Summo Pontifici, Domino noſtro indulgentiſſimo ac gratioſiſſimo.

XII. *Sanctiſſime, clementiſſimeque Pater & Domine, ſeipſos humillimos ad pedum oſcula beatorum. Celeberrimam morum, ac vitæ & honeſtatis famam, commendabilem converſationem, operamque uberrimam, ac fructuoſam doctrinarum religioſi viri, quondam fratris Joannis de Capiſtrano Ordinis Minorum de Obſervantia, haud dubitamus Sanctitati Veſtræ auribus dudum inſonuiſſe; quibus ipſe beatus Pater, dum in humanis agebat, copioſiſſime imo largiſſime tam per verbi Dei ſeminationem, quam per variorum prodigiorum & miraculorum coruſcationem, populis (Domino cooperante) in hoc noſtro Hungariæ, ac aliis Regnis, Ducatibus & Provinciis refulſit: quem nunc Sanctitati Veſtræ, ob inſignia ejus merita, necnon & miracula, quibus non ſolum eum in vita coruſcaſſe, immo etiam ab humanis exutum, plurimis in locis notum eſt clareſcere, non ſufficimus commendare. Et quoniam accepimus erga Sanctitatem Veſtram, & Regiam Majeſtatem, & plures alios pro ſui canonizatione ſatis eſſe ſollicitos ex ſpeciali eorum devotione: Ideo & nos, qui Fratres dicti Ordinis de Obſervantia gratuite in hac noſtra Civitate fovemus, eidem Sanctitati Veſtræ negotium hujuſmodi canonizationis recommendamus. Extant enim etiam in ipſa eadem noſtra Civitate aperta miracula, quæ patentibus teſtimoniis apud Sanctitatem Veſtram liquido patebunt. Recurrimus igitur una cum jam dictis ad Sanctitatis Veſtræ pedes, pro rei tam dignæ expeditione celeri atque votiva. Datum ex Alba Regali* XXII. *menſis Februarii* MDXXI. *Ex origin.*

Ejuſdem Sanctitatis Veſtræ

Devoti Oratores Capitulum Eccleſiæ S. Nicolai extra muros Civitatis Albæ Regalis fundatæ.

EIDEM.

XIII. *Sanctiſſime Clementiſſimeque Pater & Domine, poſt pedum oſcula beatorum. Satis ſaperque credimus Veſtræ Beatitudini innotuiſſe celeberrimam morum, vitæ & honeſtatis famam, commendabilem converſationem, operamque uberrimam ac fructiferam doctrinarum religioſiſſimi viri quondam Joannis de Capiſtrano, Ordinis Minorum de Obſervantia. Quid enim hic vir beatus Joannes (dum in humanis continebatur) egit, quamque ſolerter ſtuduit univerſos imbuere notitia ſancti Evangelii, ſentes & tribulos ex agro Dominico divellendo, ſemen bonum ſeminando; aperienſque in Eccleſia, quaſi diebus ſingulis os ſuum, pœnitentiam ſuadebat, & viam Domini in veritate docebat tam per verbi Dei ſeminationem, quam per variorum prodigiorum coruſcationem, populos (Domino cooperante) non ſolum in hoc noſtro ſed etiam aliis Regnis, Ducatibus & Provinciis lucrifaciendo. Quem nunc Sanctitati Veſtræ ob inſignia ejus merita, non ſolum in vita, immo etiam ab* *Ex origin.*

humanis exutum, prodigiis miraculisque plurimis in locis clarescere scientes, non sufficimus commendare. Accepimus siquidem, apud Sanctitatem Vestram Regiam Majestatem pro sui canonizatione satis esse sollicitam, plurimosque alios Principes, Dominos, ceterosque ex speciali eorum devotione erga eandem Sanctitatem Vestram, eamdem Patrem de Capistrano suis litteris & commendationibus promovisse. Recurrimus igitur una cum illis ad Sanctitatis Vestræ pedes pro tam dignæ rei votiva certaque expeditione. Quam Altissimus conservet ad vota, feliciter & longæve nobis superstitem, ad exaltationem sacrosanctæ Ecclesiæ, ac profectum Reipublicæ Christianæ. Datum Nandoralbæ in festo Conversionis sancti Pauli Apostoli anno salutis MDXXI.

E. S. V.

Universitas Civium Civitatis Nandoralbæ.

Et alterum similem scripsit epistolam Civitas Brammatensis.

EIDEM.

XIV. *Ex origin.* *Beatissime Pater & Domine Clementissime. Post devotam mei subjectionem ad pedum Sanctitatis vestræ oscula beatorum. Accesserat superioribus diebus ante conspectum vestræ Beatitudinis Magister Stephanus de Verbent, ex isto regno, nonnullas causas & necessitates nostras & regni hujus eidem Sanctitati vestræ proponendo, ac etiam pro canonizatione beati Patris Joannis de Capistrano supplicando; quantumque commodi & condescensionis jam exinde provenerit, satis abunde perceperis. Ideirco majores atque majores ipsi Sanctitati vestræ de benignæ ejusdem condescensione refero gratias. Itaque, quamquam jam felix negotium canonizationis hujusmodi, ultra opinionem meam, apud ipsam Beatitudinem vestram haberi commendatum; tamen adhuc nequeo illud eidem non recommendare: si enim memoratum religiosissimum virum sanctorum catalogo describendum ipsa Sanctitas Vestra pronuntiaverit, una cum illis nedum in isto nostro, videlicet Hungariæ, sed etiam Boemiæ & Poloniæ regnis, necnon Germaniæ, Austriæ, & aliis partibus lætitiæ communis erit ratio; cum & Domini & nobiles atque populares jam fatorum regnorum, ipsum beatum Virum, miraculis ubique una voce fama celebrem claruisse proclament. Et revera, Pater Beatissime, in hoc regno nostro amplissimum hominum non levium viget testimonium. Extat etiam in vulgo latissima fama de miraculis ipsius beati Viri, quæ per ipsum nonnisi Divinitus miraculoseque supra naturam facta fuisse & fieri in dies accipio. Hujus igitur tanti Viri canonizationi afficior, ipsique Sanctitati vestræ singuli meo testimonio, ipsum omni favore denuncio & commendo dignissimum, & merito canonizandum. Supplicans iterum precibus humillimis pro hujusmodi beati Viri canonizatione; & si Beatitudo vestra me & ceteros pro hac re supplicantes votive exaudierit, sibi locum præmiumque laborum terrestrium apud superos statuet, Fratres superstites ad religiosissime beateque vivendum inducet, & populi Christiani devotionem miram in modum augebit, ad Dei laudem, sanctorumque congratulationem, Sedisque Apostolicæ reverentiam & honorem. Quam omnipotens Deus felicem incolamemque servet per longa tempora regimini Ecclesiæ suæ sanctæ, & reipublicæ Christianæ profectui. Datum in oppido Zerentz feria* VI. *proxima ante festum Epiphaniarum Domini, anno* MDXXI.

Ejusdem Beatitudinis vestræ.

Servus Humilis

Joannes Comes de Vayvoda Transilvanus.

EIDEM.

Anno Christi	Leonis X.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 314.
1521.	anno 9.	anno 3.	

Eidem.

XV. *Sanctiſſime Pater &c. Sereniſſimi Regis & Domini noſtri gratioſiſſimi, ac ceterorum affectus & deſideria patuit jam Sanctitas veſtra clare ſufficienterque intellexiſſe pro canonizatione bonæ memoriæ Patris Joannis de Capiſtrano. Et ſiquidem beato Viro nec nos favores in hujuſmodi re poſſumus denegare; immo aviditores animis, atque promptiores pro modulo parvitatum noſtrarum aſſurgimus pro tam pio, tam ſancto negotio, ſupplicantes precibus humillimis, ut prælibatum Virum, qui in vita & morte, ac etiam poſt mortem, doctrina, fama & miraculis velut Sol reſplenduit claretque, dignetur B. V. cœlicolarum numero aſcribere, preceſque noſtras, ac dicti Domini noſtri gratioſiſſimi, & aliorum in hac parte exaudire. Quam S. V. largitor omnium Deus pro fidei Eccleſiæque ſuæ ſacroſanctæ conſervatione, regimine incrementoque felici incolumem conſervare dignetur ævo longiori. Dat. Budæ, v. die Februarii, anno gratiæ* MDXXI.

E. S. V.

Et veræ obedientiæ filii
Franciſcus, & Emericus Orzag de Buoth.

Eidem.

XVI. *Beatiſſime Pater & Domine elementiſſime. Cum omni reverentia ſeſe humillimos offerentes ad devota pedum oſcula beatorum. Ex priſcorum acceptimus geſtis, egregia facinora animi immortalia fore; uſque etiam poſtera laude creſcentia, viros virtute claros monumentum exegiſſe ære perennias, quod nec innumerabilis annorum ſeries, nec fuga temporum poſſit diruere. Præterea in virtute fore optatius e majoribus natu didicimus, quæ hominum memoriam efficit quam maxime longam & immortalem. Meminerit igitar, quæſumus B. V. qua beatus Pater Joannes de Capiſtra ao fulſerit virtute, & quæ fuerit ejus vita & converſatio; & qualia etiam hic apud nos in regno Hungariæ egerit, contra Turcas victoriam reportando. Qui & ipſe hucuſque non ceſſat a miraculis etiam poſt mortem. Ob id ſanctiſſime Pater, humiliter ſuppliceſque ſupplicamus, eorumdem exigentibus ejuſdem beati Patris meritis, ad ipſius canonizationem, juxta canonicas ſanctiones proceedere digneminí, ad laudem Dei, Sanctorum honorem, militantiſque Eccleſiæ incrementum, & etiam noſtri Regni communem lætitiam. S. V. omni ſtupore ac honore colendam, omnipotens Deus cuſtodiat, & ad portum ſalutis uſque, quod ardentius optamus, perducat. Datum in domo noſtra Bathorea feria ſecunda proxima poſt feſtum Converſionis beati Pauli Apoſtoli, anno* MDXXI.

Ejuſdem S. V.

Humiles ſervitores totius obedientiæ filii
Stephanus de Bathor Palatinus, & Comes, ac
Andreas de Bathor Comes Zathmarienſis.

Eidem.

XVII. *Beatiſſime Pater, ac piiſſime & clementiſſime Domine, fidelitatem debitam, humilima cum obedientia, ad pedum oſcula beatorum. Cum in mari hujus tabeſcentis mundi diverſos contrarioſque motus vitiorum, malarumque conſuetudinum Reverendus olim Pater, ac Deo devotus frater Joannes de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, per virtutum opera, vitæque irreprehenſibilis claritatem, ac doctri-*

nam

nam ſalutarem removit, & Divinum cultum ferventer ac magnifice reparavit, fulſque prædicationibus innumera bona fecit; ita ut vita ejus Deifica ubique multipliciter exaltata exiſtit, & ante, & poſt mortem ejus crebra facta ſunt meritis ejus miracula, prout de iis jam S. V. experiri potuit, & magis experietur ex proceſſibus hic in partibus habitis ſuper inquiſitione miraculorum ejuſdem Patris Joannis. Igitur pietate beati Viri, ac ſuis meritis, quibus, ut non ambigo, apud Dominum potens eſt, & multum exaudibilis, permotus, has humillimas atque devotas preces meas ante pedes beatos, una cum Regia Majeſtate & aliis, ſupplicationes pro hoc negotio tranſmittendo præcordialiter ſtudui effundere; quatenus ad laudem Dei, & Sanctorum ſuorum honorem, totiuſque Eccleſiæ militantis gloriam, & Beatitudinis veſtræ (clementiſſime Pater) æternam & benedictam memoriam, eidem canonizationi & ſanctitati ipſius beati Viri tutendere, ipſumque catalogo Sanctorum adſcribere dignetur. Quam Altiſſimus in cunctis viis cuſtodiat & dirigat proſpera per tempora longiora ſuaviſſime victuram. Ex Monaſterio ſancti Martini ſacri Montis Pannoniæ, XXI. die menſis Februarii, anno MDXXI.

Ejuſdem S. V.

Humilis & veræ obedientiæ filius
Matthæus Abbas dicti Monaſterii.

Pontifex Capiſtrani canonizationi intendit.

XVIII. Tot porro tantæque factæ ſunt in hac re inſtantiæ, ut ſe ad canonizationem Pontifex accinxerit, eique faciendæ ſummam aureorum mille ab Archiepiſcopo Colocenſi Fratribus legatorum, in hunc finem converti ſtatuerit litteris, quas hic exſcribimus. Sed optimum & pium Pontificis conatum, cum omnia ferme eſſent parata, & relatio ex proceſſibus aliiſque ſcripturis compacta, mors hoc anno intercidit.

Ad futuram rei memoriam.

Ex reg. Ciſm. fol. 2.

Accepimus quatenus alias bo. me. Gregorius de Frangepanibus Archiepiſcopus Colocen. tunc in humanis agens, ac condens de bonis ſuis in ejus ultima voluntate teſtamentum, Fratribus Minoribus de Regulari Obſervantia Regni Hungariæ ſummam mille ducatorum auri legavit. Cum autem, ſicut accepimus, iidem Fratres Minores Regni hujuſmodi, qui olim antequam omnes & ſingulos Fratres Minores de Familia ſeu Obſervantia, aut etiam pro tunc Reformatos, ſeu alias quomodolibet nuncupatos, demptis illis, qui Conventuales dicebantur, inſimul unum corpus ex eis facientes uniſſemus, prout in noſtris deſuper confectis litteris plenius continetur, de Familia ſeu Obſervantia nuncupabantur, ad opus canonizationis quondam fratris Joannis de Capiſtrano ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum, dum viveret, de Obſervantia ſeu de Familia, expreſſerint heredi olim defuncti, quod maximas expenſas hactenus fecerint; ſed unde opus ipſum ad optimum finem perducere valeant, non habeant: & ſi dicta ſumma mille ducatorum perficiendo dicto operi converteretur, ex hoc profecto præfati Fratres de Obſervantia ſeu familia idem opus ad hujuſmodi optimum finem, Deo duce, perducere ſperarent, ac exinde Ordo ſancti Franciſci, cujus iidem Fratres profeſſores exiſtunt, ac religio in dicto Regno non modicum ſuſciperet incrementum. Nos igitur tam ſanctam & pium opus pecuniarum defectu intermitti ac retardari nolentes, motu proprio, non ad prædictorum Fratrum de Obſervantia ſeu de familia, aut alicujus pro eis, vel ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de

Anno Christi	Leonis X.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 314.
1521.	anno 9.	anno 3.	

de mera noſtra liberalitate, dictam ſummam ad perfectionem dicti operis auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium appropriamus, ac quibuſvis dicti Regni Fratribus Minoribus, etiam reformatis nuncupatis, necnon fideicommiſſariis dicti Gregorii Archiepiſcopi, ac aliis Prælatis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis & præeminentiæ exiſtentibus, ne præfatos Fratres de Obſervantia, quominus ipſi ſummam mille ducatorum in dicti operis perfectionem, & non alios uſus convertendam percipere poſſint, impedire præſumant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, tenore præſentium inhibemus. Mandantes ſub eadem pœna etiam Fratribus reformatis præfatis, ſeu etiam alio quocumque nomine & titulo nuncupatis, quod ſi quicumque a fideicommiſſariis antedictis quoquomodo de legato hujuſmodi levaverint, reſtituere teneantur: quorum & aliorum, qui hujuſmodi ſententiam excommunicationis incurrerint, abſolutionem nobis ſucceſſoribuſque noſtris Romanis Pontificibus, excepto mortis articulo, reſervamus; non obſtante prædicta voluntate dicti teſtatoris, quam quoad hoc alias eiſdem auctoritate & tenore commutamus, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & quorumcumque diſpoſitionibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Datum Poli Portuenſis diœceſis ſub anulo Piſcatoris, die XXV. *Januarii* MDXXI. *Pontificatus noſtri anno* VIII.

XIX. Eodem ferme tempore, quo præcedentes emiſit litteras, præmiſit alias confirmatorias novæ Regulæ, quam ipſe præſcripſit Fratribus & Sororibus Tertii Ordinis, ſive de Pœnitentia, qui in communi, & ſub tribus votis eſſentialibus vivebant: quorum Inſtitutum plerique in locis, maxime in Italia, erat valde propagatum; neque enim illa formula, quam ſanctus Franciſcus ſecularibus & conjugatis dictaverat, iſtis poterat adaptari. Exhibeo normulam ipſi confirmationis inſtrumento inſertam, quam Dionyſius Carthuſianus, vir celebris, uberrimis illuſtravit commentariis. Confirmat Regulam tertii Ordinis.

Dilectis filiis Fratribus & Sororibus Tertii Ordinis beati Franciſci ſub tribus votis eſſentialibus in Congregationibus viventibus.

Dilecti filii ac filiæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Inter cetera noſtro regimini credita, ea nos potiſſime ſollicitos reddunt, per quæ frenatis mundi carniſque concupiſcentiis, innocentiæ, primæque pacis cœlitus collatæ, tranquillus ſtatus ad ſuam primævam reduci cognoſcitur originem. Dudum ſiquidem hujus gratia, felicis rec. Nicolaus Papa IV. prædeceſſor noſter Tertiam Regulam beati Franciſci, quam de Pœnitentia appellavit, per quam almus Confeſſor omnes utriuſque ſexus fideles, Spiritu Dei plenus, ſalvare contendebat, confirmavit & approbavit. Verum, quia temporis decurſu, ſpirante illo Spiritu ſancto, non ſolum viri conjugati, mundique hujus incolæ, pro quibus a beato Franciſco præfata Tertia Regula edita fuerat, verum etiam innumerarum virginum chori tribus eſſentialibus, & a quibuſdam etiam clauſuræ noſtra auctoritate aſſumptis votis, conſtructiſque Monaſteriis quamplurimis, non ſine militantis Eccleſiæ fructu multiplici & ædificatione, præfato Tertii Ordinis jugo ſua colla ſubdiderunt. Et quoniam in dicta Tertia Regula quædam maritatis accommoda, cælibi vero, virgineoque ſtatui ſub hujuſmodi Tertia Regula Domino famulantibus, minus decentia innectuntur, ob quod caſtorum animorum nitidi affectus ab ingreſſu dicti Ordinis nonnumquam avertuntur: Nos juxta Domini voluntatem, pretioſum a vili diſtinctum de novo confirmamus & approbamus, ac vobis & ſucceſſoribus veſtris ſervandam tranſmittimus, cujus tenor ſequitur & eſt talis. De No- Ex reg. Ultram. fol. 46.

Regula tertii Ordinis.

Cap. 1. *Novitiorum ſeu Novitiarum ingreſſu*. Primum capitulum. *Fratres ſen Sorores ad hunc Tertium Ordinem recipiendi, debent eſſe fideles Catholici, de hæreſi non ſuſpecti, in obedientia Romanæ Eccleſiæ firmi, matrimonio non ligati, debitis expediti, corpore ſani, animo prompti, nulla vulgari infamia maculati, cum proximis reconciliati: & de his omnibus antequam recipiantur, ab eo, qui recipiendi habet facultatem, ſunt diligenter examinandi. De bis quæ habent promittere Fratres & Sorores in profeſſione hujus Tertiæ Regulæ.*

Cap. 2. Secundum capitulum. *Fratres & Sorores poſtquam per unum integrum annum habitum probationis detulerint, qui de vili panno arbitrio Viſitatoris eſſe debet, ſi converſio laudabilis fuerit, apud Conventum, in quo quis vel quæ habitum probationis portaverit, de conſilio Diſcretorum dicti Conventus ad profeſſionem dicti Conventus recipiatur, in qua profeſſione promittat ſervare mandata Dei, ac ſatisfacturum de tranſgreſſionibus, quas facere poſſet in futurum contra hanc Tertiam Regulam, ubi a Prælatis requiſitus fuerit, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. De jejunio.* Tertium capitulum. *Fratres & Sorores perpetuis temporibus feria ſecunda, quarta, ſexta & Sabbato, excepto Dominicæ Nativitatis feſto, carnes non comedant: Et a feſto omnium Sanctorum uſque ad Reſurrectionem Domini, omni feria quarta & ſexta jejunare teneantur. Similiter qualibet feria ſexta totius anni: Item a feſto beati Martini uſque ad Nativitatem Domini jejunent quotidie, juncta Quadrageſima univerſalis Eccleſiæ uſque ad Reſurrectionem Domini, quam tamen a Quinquageſima incipere debent. Diebus vero, quibus non jejunatur, bis in die dumtaxat comedant, excepto quod a feſto Paſchæ uſque ad menſem Octobris laborantes pœnoſo ſeu gravi labore, ter in die refici poterunt, jejuniorum ſemper diebus exceptis. Poterunt autem itinerantes, infirmi, debiles tempore neceſſitatis jejunium ſolvere. De Divino Officio & oratione.*

Cap. 4. Quartum capitulum. *Fratres & Sorores in Eccleſia ſervent ſilentium, præſertim quando Miſſa celebratur, vel ſermo Dei proponitur. In aliis vero locis ſervetur, quod per ſuos Superiores circa ſilentium illis fuerit ordinatum. Debent etiam quolibet die in ſero inter ſe & Deum cogitare, quid fecerint, dixerint vel cogitaverint. Quolibet autem die, ſi poterunt commode, debent Miſſam audire, & procurare quod habeant virum religioſum, qui illis verbum Dei certis diebus proponat, & eos ad pœnitentiam & virtutes inducat. Illi autem vel illæ, qui vel quæ horas canonicas ſciunt per ſe dicere, debeant horas canonicas ſecundum uſum S. R. Eccleſiæ perſolvere. Qui vero horas canonicas neſciunt dicere, duodecim Pater noſter pro Matutino, & pro qualibet aliarum horarum ſeptem, addito Gloria Patri in fine cujuslibet Pater noſter, addito etiam Credo, & Miſerere mei Deus in principio Primæ & Completorii. Quod qui præmiſſa neſcierit, ter Pater noſter pro Prima dicere debeat. Quoties autem prandium vel cibum ſumant, gratias Deo reddere debent. De confeſſione vero ſacramentali, & ſacra Communione ſumenda, ſervabant Ordinationes Nicolai Papæ IV. quod ter in anno confiteantur, atque communicent, vel etiam ſtatuta a ſuis Superioribus ſuper hoc ordinata. De Prælatorum & officiorum ordinatione.*

Cap. 5. Quintum capitulum. *Quælibet domus ſeu Monaſterium, ſi virorum fuerit, habebit ſuperiorem iſtius fraternitatis, qui* Miniſter localis *appellabitur; ſi vero mulierum,* Mater *dicetur, & eligentur per ſuos Conventus, vel inſtituentur per ſuos provinciales Superiores, ſeu Viſitatores Generales. Ita tamen, quod nullus ſit perpetuus, ſed certi temporis. Qui Miniſtri & Matres obedient per omnia, quæ ad præſentem Regulam ſpectant, provincialibus Miniſtris Ordinis Minorum beati Franciſci, & Viſitatoribus deputatis ab ipſis Miniſtris, quamdiu in dictis offi-*

Anno Christi 1521.	Leonis X. anno 9.	Caroli V. Imp. anno 3.	Religionis Minorum anno 314.

officiis fuerint. Quo vero ad alia officia intra domum, ſervabunt ſtatuta ſua. De modo interius exteriuſque converſandi. Sextum capitulum. *Cum Fratres & Sorores hujus fraternitatis dicantur* de Pœnitentia, *oportet eos ab omni curioſitate tam in veſtimentis, quam aliis quibuſcumque abſtinere, & juxta Apoſtolorum Principis beati Petri ſalubre conſilium, depoſitis ceteris vanis hujus ſeculi ornamentis, nullum ornamentum corporale portare debent, niſi ſolum humile & neceſſarium tegumentum corporis ſui. Debent etiam ab acceſſu Curiarum, Principum, Dominorum ſeu Dominarum, ubi mollia hujus mundi, Domino teſtante, habentur, omnino cavere: Nec ullo unquam tempore ebureis, ludis, joeis, & aliis biſtrionum vanitatibus intereſſe. Debent quoque eſſe parci in verbis & loeutionibus, quæ raro ſine peccato multiplicantur: & ſuper omnia ab omni mendacio & juramento quocumque juxta mandatum Domini, niſi pro pace, fide, ealumnia, & teſtimonio perhibendo, cavere debent: & omni die in ſero inter ceetera examinare debent ſe, ſi vel mendacium vel juramentum aliquod fecerint, & pro quolibet tria* Pater noſter *dicere debent. De viſitatione & cura infirmorum.* Septimum capitulum. *Si quis Frater vel Soror hujus Fraternitatis in infirmitatem ceciderit, Miniſter domus vel Mater ſemel quotidie per ſe vel per alium viſitare teneatur, & de bonis communibus omnia neceſſaria diligenter faciat illi miniſtrari: teneaturque infirmum vel infirmam monere de pœnitentia acceptanda, & converſione ad Deum ſienda, mortis propinquitatem, & judicii Divini diſtrictionem, ſimulque Divinam miſericordiam proponendo. De viſitatione, quam Prælati debent facere circa Fratres & Sorores.* Octavum capitulum. *Miniſter Provincialis Fratrum Minorum, vel Viſitator ejuſdem Ordinis, cui ipſe commiſerit, viſitabit quolibet anno ſemel tantum quamlibet domum, cum præſentia ſeniorum: & facta viſitatione non debet intrare officinas, nec alia interiora Sororum; ipſe autem Viſitator numquam ſolus maneat & ſeparatus cum aliqua Sorore. Debent autem Miniſter & Matres dicere Viſitatori defectus, qui correctione indigent, ſimiliter & alii Fratres & Sorores; & ſi aliqui fuerint incorrigibiles, judicio diſcretorum vel diſcreturum domus, tamquam morbida peccora ejiciantur de Congregatione. De officio Mortuorum.* Nonum capitulum. *Poſtquam aliquis Frater vel Soror ab hac luce migraverit, curabit Miniſter, ſeu Mater, quod ejus exequiæ ſolemniter celebrentur: quibus exequiis omnes Fratres vel Sorores alicujus domus, ubi ipſum mori contigerit, perſonaliter intereſſe debent, nec recedere donec corpus traditum ſit ſepulturæ: & pro anima cujuslibet defuncti vel defunctæ, infra octo dies quilibet Sacerdos unam Miſſam; ſcientes pſalmos, quinquaginta pſalmos, neſcientes vero pſalmos, quinquaginta* Pater noſter, *& in fine cujuslibet* Requiem æternam, *dicere teneantur. In fine autem cujuslibet anni, ſeu infra quemlibet annum, quilibet Sacerdos tres Miſſas pro defunctis; ſciens pſalterium, unum pſalterium; neſciens vero pſalterium, centum* Pater noſter *cum* Requiem æternam *in fine cujuslibet dicere debeant. Et circa iſta officia pro Defunctis, & alia officia Divina in præſenti ſerie annexa, cura imponitur Miniſtris & Matribus, ut fideliter perſolvantur. De obligatione contentorum in Regula.* Capitulum decimum. *Omnia & ſingula in præſenti Regula contenta, ſunt conſilia ad facilius ſalvandas animas viatorum, & nulla ſunt obligatoria ad peccatum mortale vel veniale, niſi humano vel Divino jure aliquis alias eſſet obligatus. Obligantur tamen Fratres & Sorores facere pœnitentias a Superioribus impoſitas, quando ſuper hoc requiruntur: obligantur etiam ad tria vota eſſentialia; paupertatem, nihil habendo in ſpeciali; caſtitatem, quia poſt votum non poſſunt matrimonium contrahere, nec ſine tranſ-*

Cap. 6. 1. Pet. 3. 1. Mat. 11. 8. Matt. 5. 35. Cap. 7. Cap. 8. Cap. 9. Cap. 10.

greſſione vitiis caruis ſe immiſcere; & obedientiam, quantum ad illa ſiue quibus non poteſt commode iſta Fraternitas manuteneri. Tenentur etiam ad clauſuram ſeruandam illæ, quæ ipſam expreſſe ſeruare voluerint. Quod omnibus & ſingulis Conuentibus concedimus, dummodo hoſpitalitas & caritas, quam exercere ſolent apud infirmos, nullam cum honeſtate patiatur detrimentum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XX. *Januarii* MDXXI. *Pontificatus noſtri anno* VIII. *Euangeliſta.*

XX. Diximus Franciſcum Lychetum Generalem Miniſtrum aliis grauiſſimis viris ſui Inſtituti ſuffectum fuiſſe Commiſſarium & Nuncium pro colligendis ſubſidiis Chriſtianorum, tum ad opus fabricæ ſancti Petri Vaticanæ, tum ad conſcribendum Cruceſignatos contra Turcas. Per hujus mortem ſubſtitutus eſt Paulus Soncinas, ejus in Generalatu ſucceſſor. Ut vero certius conſtaret, qualiter ſe res haberent io Oriente, & commodius fieri poſſet expeditio contra Turcam, ſemel & iterum illuc amandatus eſt frater Ludovicus Heningus Prutenus, ſacræ Theologiæ lector, cum duobus ſociis. Hunc ei ſalvum conductum Pontifex conceſſit.

Soncinas Miniſter Generalis Nuncius Pontificius.

Ludovicus Heningus miſſus in Orientem.

Univerſis & ſingulis, ad quos hæ litteræ noſtræ peruenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Reg. Ciſm. fol. 25.

XXI. *Reuertens in Orientem, atque ad Hieroſolymæ partes, dilectus filius Ludovicus Heningus Prutenus, Ordinis Minorum, ſacræ Theologiæ profeſſor, nobis non ſolum ita volentibus, ſed & etiam per præſentes in virtute ſanctæ obedientiæ ad ſuſcipiendam hanc profectionem mandantibus; cui viro & religioſo, & doctrina ac virtute prædito, cum omnia iuter eundum commode recteque euenire cupiamus, omnes & ſingulos Principes, Ciuitatum Rectores, exercituum & claſſium armatarum Capitaneos & Præfectos, populorum Primores, conductoreſque & exactores gabellarum, aliaſque cujuſcumque ordinis & conditionis perſonas hortamur in Domino, & prona caritate requirimus, ut dictum Ludovicum cum fratre Petro Blanchetto Gallo, & altero ſocio cum bulgiis & valiſiis ſuis, quocumque ei iter facere contigerit, benigne humaniterque excipientes, libere & expedite, ſineque ulla indicti indicendive oneris ſolutione, ire, redire, commorari permittere, illiuſque & ſociorum, quantum in ſe eſt, ſecuritati & ſaluti conſulatur, præbentes eidem itinerum duces, ſi opus fuerit, & id ipſe duxerit requirendum. Demum ita hominem tractent, ub aliiſque tractandum curent, ut eorum in illum officia ſecundum caritatem merito poſſimus in Domino commendare. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die* XX. *Januarii* MDXXI. *Pontificatus noſtri anno* VIII. *Bembus.*

Monum. MSS. Prou. Aquil.

Deſtinantur Cōmiſſarii ad reformandos Conventuales in Gallia.

XXII. Ad petitionem Franciſci Regis Galliarum Leo Pontifex hoc anno per Bullam datam X. Maii conſtituit FF. Joannem Morlinum, & Alexandrum Roſſeti, Obſervantes, Commiſſarios Apoſtolicos ad reducendos omnes Conventuales ad modum vivendi Obſervantum, & ſub eorumdem obedientiam in omnibus Provinciis Galliarum: quod pro ſua devotione in Ordinem ſancti Franciſci, ſumme deſideravit pius Rex, fatagens, ut ſicuti eſt unus Ordinis inſtitutor, ita unus eſſet ejus vivendi modus, & in unum corpus pacifice & conformiter omnes Franciſcani coirent.

Leo X. moritur.

XXIII. Sub hujus anni finem Leo Pontifex lenta primum, deinde ardenti, vehementique febre correptus (ſuſpicionem aliqui addunt veneni) mente turbata, deceſſit Kalendis, ſive IV. Nonas Decembris, die Dominica, ætatis ſuæ anno XLVII. poſt quam annis octo, menſibus octo, diebus viginti

Anno Christi 1521.	Leonis X. anno 9.	Caroli V. Imp. anno 3.	Religionis Minorum anno 314.

viginti Pontificatum vario hominum judicio ſubſtinuit. Plerique hominem a pietate erga pauperes, a munificentia in ſtructuris, ab affectu erga viros eruditos & ſtudioſos, a prudentia, a patientia, a comitate commendant: alii a voluptatibus, venationibus, aucupiis, ſplendidiſſimis conviviis & luxu condemnant. Noſtrum ſane Inſtitutum ſuas debet ei laudes, quod illud plurimum foverit, auxerit, protexerit, honoribus & gratiis toto affecerit dominatu. Sepultus ad Vaticanum, translatus eſt ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ ſupra Minervam, ubi eodem cum Clemente VII. ſuo conſanguineo jacet Sacello.

Et Ludovica a Cruce.

XXIV. Obiit etiam hoc anno religioſiſſima ſoror Ludovica a Cruce, genere nobiliſsima, Michaelis ab Iranzu Caſtellæ Comeſtabalis relicta. Clariſſarum Monaſterium Aſtigianum tamquam incognita magno ſpiritus fervore ingreſſa eſt, ubi communem vitam & regulam profeſsa, inde tranſlata ad Monaſterium ſanctæ Eliſabethæ Granatenſe, primas in eo creavit diſcipulas, facta etiam ipſa prima Abbatiſsa. Vitæ aſperitate, pœnitentia, caritate, rerum Divinarum meditatione, & profunda humilitate aliis præluxit, & ſibi inſignem ſanctitatis famam acquiſivit. In Odei medio fuit ſepulta. *Genz. in Provin. Granat. Mon. 12.*

Franciſc. Epiſc. Philadelphii. *Rod. fol. 253.*

XXV. Fuerunt hoc anno promoti ad Epiſcopatus pauci, qui ſequuntur Minoritæ. Ad Philadelphienſem Archiepiſcopatum in Lydia, uti habent ſibri conſiſtoriales, ſive ad Signienſem Epiſcopatum in Iſtria, uti habet Rodulphus, frater Franciſcus N. per ceſsionem Thomæ Herdouts Cardinalis Strigonienſis nuncupati, die VI. Januarii. Ad Sardienſem in Sclavonia, ſub Archiepiſc. Antibarenſi, frater Alphonſus Cavallier, alias Cavallexius, Conventualis, per obitum Bonavent. die VI. Februarii. Ad N. frater Joannes Maria de Aretio ſuffraganeus Atrebatenſis, die XX. Martii. Ad Reonenſem in inſula Ægei maris, ſub Archiep. Athenienſi, frater Petrus a Corduba per obitum Joannis, die VI. Septembris.

Alphonſus Sardien.

Joan. Maria N.

Petrus Reonen.

Conven. Caſtri Plebis. *Genz. in Provin. S. Franc. Conv. 45.*

Conv. Meldol. *Idem in Provin. Bonon. Conv. 28.*

XXVI. Hoc anno Blandinus de Blandinis prope Tuſciæ oppidum Plebis caſtellum, Italice *Caſtel della Pieve* nuncupatum, commodum Cœnobiolum, ſub titulo ſancti Angeli de Monte conſtruxit. In Romanula prope Meldolæ oppidum munitiſſimum, agri copioſi & fertiliſſimi, Templum poſuit Fratribus, ſub invocatione ſancti Rochi, vir illuſtriſſimus Leonellus Pius, illius nominis II., in Franciſcanos mire affectus, additurus etiam & Cœnobium, ſi mors non impediret. Opus ipſi Fratres compleverunt. Communitas Sabiniani, quod in eadem Italiæ regione, ſed in via Æmilia pernobile & lautum eſt oppidum, frumento cum primis abundans, integrum hoc anno fabricavit Conventum eiſdem, ſub titulo ſancti Sebaſtiani. Incolæ maritimi oppidi Ligultici, a ſancto Romulo nuncupati, præter commodum, quod conſtruxerunt Fratribus Cœnobium, a nobis alias relatum, aliud humilius & anguſtius ædificarunt in ſupercilio montis CC. P. ab oppido loco quidem ſolitario & amœno.

Conv. Sabiniani. *Indid. Conv. 27.*

Conv. S Rom. *Idem in Provin. Gen. Conv. 18. To. 14. an. 1475. n. 19.*

XXVII. Tabernæ nobilis, ac frequentis oppidi in Calabria, litteratorum hominum feracis, incolæ circa hunc annum, elegantem, omnique ex parte perfectam domum Fratribus contulerunt. In Eccleſia jacet Matthæus a Meſſuraca, cujus pietas, humilitas, abſtinentia, obedientia & paupertas fuerunt eximiæ. Vitæ ſanctimoniam confirmarunt aliqua poſt ejus mortem miracula, atque illud præſertim, quod Fauſtinam quamdam Dodonicam Tabernenſem paralyticam, ſtatim poſt obitum ſanarit. In Campania apud Cumanos aliquot Conventus provinciæ ſancti Angeli uno eodemque anno MDX. recenſuimus, omnes ferme præter unum hoc anno expreſſos

Conv. Tabern. *Idem in Provin. Calab. Conv. 15.* Matth. a Meſſuraca.

To. 15. an. 1512. n. 10.

reperimus in una eademque Bulla Leonis, qua quinque Conventuum poſſeſſionem jam a Fratribus captam confirmat. Tempus conſtructionis Bulla non diſtinguit: *Exponi nobis feciſtis*, VI. Julii.

Conv. Naxaræ. XXVIII. Antonius Manrique de Lara Dux Naxarenſis, ante aliquot annos in ſuum Naxaræ oppidum illuſtre, diœceſis Calagurritanæ in Hiſpania, introduxit Fratres Regularis Obſervantiæ, & in horto ſeu loco ab ipſo & ab oppidanis conceſſo, eis conſtruxit ſuis & eorumdem oppidanorum ſumptibus domum, ſub invocatione ſancti Franciſci. Sed huic conſtructioni ſe oppoſuerunt Abbas & Monachi Monaſterii beatæ Mariæ de Naxera, Ordinis ſancti Benedicti ſeu Cluniacenſis, prætendentes ſe in prædicto oppido juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habere, & quod Sacellum ſive Capella ſanctæ Crucis ſita in dicto Monaſterio, erat veluti parochialis Eccleſia, & hortus vel locus prædictus Minoribus conceſſus, intra fines prædictæ Parochiæ ac Monaſterii conſiſtebat. Litem deinde moverunt, & ſententias obtinuerunt contra Fratres: qua de cauſa Dux & oppidani, indeciſa adhuc cauſa in tertia inſtantia, rogarunt Leonem Pontificem, ut permitteret commutari locum illum, quem Fratres incolebant, pro altero extra, ſed prope oppidi muros, in quo Petrus Martini Doctor Naxarenſis cœperat ædificare Xenodochium pro pauperibus hoſpitandis, & locus Fratrum hujuſmodi deſerviret hoſpitio. Annuit Pontifex poſtulatis: *Exponi nobis nuper fecit*. die III. Junii. Hoc iſtius Cœnobii initium & fundamentum, longe aliud ab illo, quod refert Gonzaga. In ſacello majori jacent prædictus Dux, & Joanna a Cardona conjux, tamquam loci patroni.

Gonza. in Prov. Burgen. Conv. 15

Conven. Gedeborchen. XXIX. Communitas Burgi, ſeu vici de Gedeborch, Glaſguen. diœceſis in Scotia, atque habitatores & incolæ Vicecomitatus circumjacentis, obtulerunt Miniſtro provinciæ Scotiæ Regularis Obſervantiæ ſe conſtructuros Cœnobium, ſub invocatione, quam vellet. Ut acceptare poſſet, petiit facultatem a Pontifice, & obtinuit: *Cum Communitas Burgi.* XXXI. Januarii. Hoc eodem anno in vetuſto inſtrumento motam invenio controverſiam inter Andream Caymis Guardianum de Edinburg, diœceſis ſancti Andreæ, & Robertum Stuart Guardianum Moranienſem, Regularis Obſervantiæ profeſſores ex una parte, & Joannem Convalſon Magiſtrum provincialem, & Joannem Farguſſon Guardianum Conventus ſancti Franciſci oppidi de Dunde, Brechinienſ. diœceſis, Conventuales, circa portandum ab iſtis ſignum diſtinctivum, per quod diſcernerentur ab Obſervantibus, juxta tenorem Bullæ a Scotiæ Obſervantibus obtentæ, latamque ſententiam à Joanne electo Brechinien. in favorem Obſervantum. Litem tamdem amice diremit Bernardinus Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis ſanctæ Crucis, Ordinis Vice-Protector. In Hibernia reformati ſunt hoc anno Conventus Waterfordienſis, Adachadenſis, & Pontanus.

Conv. Edinburgi. Conven. Moranien.

Conv. Dunden.

Conventus in Hibernia reformati.

Monaſt. Cupramontan. *Idem in Provin. Marchiæ Monaſter.* 3. XXX. In urbe Cupramontana in Piceno habitabant Sorores quædam, liberius quam par eſſet viventes; quarum loco introductæ ſunt aliæ Tertii Ordinis, ita petente Senatu, & concedente hoc anno Pontifice. Atqui hæ cupientes ſtrictiorem vitam ducere, vocatis per Miniſtrum provinciæ Marchiæ aliquot Sororibus ex Firmano Monaſterio, primam Regulam ſanctæ Claræ profitentibus, ſub hoc Inſtituto deinceps vixerunt. Vigente autem bello inter Pontificios & Hiſpanos, deſtructum eſt Monaſterium, a ſancto Franciſco nuncupatum, quia fortius muniendæ urbi erat impedimento, translatis Sororibus ad Xenodochium ſanctæ Mariæ Magdalenæ.

Monaſter. Spoletanum. *Idem in Provin. S Franc. Monaſter.* 3. XXXI. Similiter ferme factum eſt in Monaſterio ſancti Pontiani extra mœnia urbis Spoletanæ, ubi cum Sorores Benedictinæ longe a ſui Inſtituti ra-

Anno Christi	Leonis X.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 314.
1521.	anno 9.	anno 3.	

ratione recederent, introductis Clariſſis, quæ eas ad ſuæ Regulæ normam inſtruerent, omnes ſecundam ſanctæ Claræ Regulam hoc anno amplexatæ ſunt: *Exponi nobis nuper.* die XXI. Maii. Habetur ibi in magna veneratione corpus beati Pontiani Martyris, patroni Civitatis Spoletanæ. Sorores inſuper Cuſentinæ urbis in Calabria, cum aliquanto laxius ſub Patrum Conventualium regimine converſarentur, ſponte in primam Regulam ſanctæ Claræ, ſub cura Obſervantum conſpirarunt. Amplum habeo inſtrumentum originale hujus tranſitus, ſeu permutationis Regulæ & gubernii, & præſtiti auxilii a Prorege Neapolitano, & Archiepiſcopo Cuſentino. Monaſt. Cuſentinum.

XXXII. Reformaverant iidem Fratres Regularis Obſervantiæ in urbe Veneta Monaſteria quatuor Clariſſarum, ſanctæ Claræ de Murano, ſanctæ Mariæ Majoris, ſanctæ Crucis, & ſanctæ Mariæ de miraculis, necnon quintum ſancti Sepulcri Sororum Tertii Ordinis, de quibus ſuis locis actum eſt, & laudabiliter regebant. Sed cum Patriarcha Venetiarum ſub variis titulis, prætenſæ præſertim ulterioris reformationis, ſe illorum regimini vellet immiſcere; Pontifex injunxit Dominico Cardinali Grimano Ordinis Protectori, ne iſtud permitteret: *Cum Miniſter & Fratres.* die VI. Octobris. Adnoto, hic denuo recurrere mentionem Cardinalis Grimani cum titulo Protectoris Ordinis. Atqui hoc ipſo anno in Comitiis Generalibus Cardinalem Mediceum eodem inſignitum titulo ſupra commemoravimus, & Cardinalem Carvajalium titulo Vice-Protectoris. Quid ſi, uti diximus, Pontificis patrueli collatus, vel communicatus ſit iſte honorarius titulus, impedito Grimano, vel propter infirmitatem, vel propter nimiam ſenectutem? Monaſteria Veneta reformantur.

XXXIII. Joannes a Figueroa, urbis Pincianæ Senator, & Maria Nuñeſia a Toleto, inſigne, capaciſſimum & pulcrum hoc anno conſtruxerunt Monaſterium in ipſa urbe pro Sororibus puriſſimæ Conceptionis Virginis Mariæ, reſervato patronis Monaſterii hoc privilegio, ut penes ipſos poteſtas ſit tredecim ex Sororibus admittere ad aliarum contubernium. Monaſt. Concept. Valliſoleti. *Idem in Provin. Concept. Mon. 13.*

XXXIV. Guttierrus Gomezulus a Fonſalida, nobilis D. Jacobi militiæ Commendatarius, domos quaſdam hoc anno in Monaſterii formam adaptavit Clariſſis in urbe Malacenſi in Hiſpania. Sed cum aer eſſet valde inſalubris, poſt annos quadraginta quinque translatæ ſunt Sorores ad ædes Ludovici Mendez a Sotomajori parata pecunia emptas, quas in Monaſterium, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Pace redactas, anno MDLXVI. inhabitare cœperunt. Monaſt. Malacen. *Idem in Provin. Baticæ Mon. 14.*

XXXV. Jacobina ex illuſtri Lanſacorum familia, Burdigalæ hoc anno Monaſterium pro Sororibus Annunciatæ Virginis, ſub titulo ſanctæ Mariæ de doloribus aliqualiter conſtruxit, & Sorores aliarum inſtitutrices ex Albienſi hujus Inſtituti Monaſterio fecit acciri. Paulo poſt benevolentia Catarinæ Bironiæ, Geniſacii Dominæ, & Joannis Maucanii Burdigalenſis civis, opus completum eſt, ita tamen imbecilli ſtructura, ut ſub annum MDLXX. omnimodam minaretur ruinam, cui occurrit Franciſcus Hortius, domo ferme integra reædificata. Cum vero exiles valde reditus eſſent, pauculæ Urbaniſtæ alterius Monaſterii ad iſtud translatæ ſunt ſimul cum reditibus. Monaſt. Burdigalen. *Idem in Provin. Aquit. Mon. 6.*

XXXVI. Joanna Galliarum Regina eiſdem Sororibus ſanctæ Annunciationis prope caſtrum Cantus-lupi, diœceſis Pariſinæ, Monaſterium poſuerat; ſed poſt aliquot annos bellorum injuria, & militum petulantia abſque habitatrice manſit deſertum. Nicolaus a Novo oppido (Gallice *Neufville*) torquatus Eques, & Franciſco I. Regi a ſecretis, domum a ſe refectam hoc anno, ſautoribus prædicto Rege, & Georgio ab Ambaſia Cardina- Monaſt. Annunciat. Cantus-Lupi. *Idem in Provin. Franc. Pariſ. Monaſt. 30.*

nale, Sedis Apoſtolicæ tunc in Galliis Legato, eidem Inſtitnto tradi curavit. Eccleſiam Carolus Epiſcopus Megarenſis, annuente Pariſino Joanne Bellayo anno MDXLIV. conſecravit ſub titulo ſanctæ Mariæ, & ſancti Eutropii.

Domus S. Annæ Toleti. *Idem in Provin. Caſtel. Mon. 19. Salaz. l. 7. c. 18.*

XXXVII. Mariæ Gonzalvæ Occania oriundæ, ab anno MDX. cum aliis fœminis pie & religioſe ſub habitu Franciſcano Toleti conviventibus in angulo domus Ducis de Maqueda, perſuaſit Joannes de Marquina, ut regulare aliquod Inſtitutum ſubirent. Empta itaque domo intra muros urbis, in Monaſterii formam redacta, junctaque Eccleſia, ſub titulo S. Annæ, ſe commiſerunt regimini Andreæ Ecigiani provinciæ Caſtellæ Miniſtri, ſub Regula Tertii Ordinis ſancti Franciſci. Summopere crevit domus bona fama, Sororum numero, & reditibus, ita ut paucis cedat ejuſdem Inſtituti.

Domus Villæ novæ Infantium. *Idem in Provin. Carthag. Monaſt. 14.*

XXXVIII. Catarinæ Ruiſiæ, & Catarinæ Gonzalvæ, pie & laudabiliter cohabitantibus ſub Tertio Inſtituto ſancti Franciſci in oppido Villæ novæ Infantium, pius quidam vir domum ſuam legavit. Acceſſerunt aliæ Virgines, atque inter has quædam Oſornenſium Comitis neptis, facultatibus opima, quæ curarunt advocari Magiſtram ex Alcarazano Tertii Ordinis Monaſterio Bernardinam a Monte majori. Creſcente autem numero, cum habitaculum eſſet nimis anguſtum, Michael Lorcanus, & Elvira Garſias a Contreras pii conjuges, locum alterum capaciorem & commodiorem, adjunctis quibuſdam poſſeſſionibus, illis hoc anno generoſe donarunt. Eccleſiam Corpori Chriſti ſacram, mox addiderunt Licentiatus Mexia, & Anna Muñozia conjux, aliique pii viri multa contulerunt. Nunc Monaſterium eſt amplum & commodum, tantamque virtutis opinionem aſſecutæ ſunt Sorores, ut hinc adſcitæ ſint multæ aliorum Monaſteriorum fundatrices. Ante aliquot annos tranſiverunt hæ Sorores ad Regulam ſanctæ Claræ, ſub regimine Archiepiſcopi Toletani.

Monum. MSS. Prov. Carthag.

Domus Varſaviæ. *Mon. MSS. Prov. Polon.*

XXXIX. Varſaviæ in Ducatu Maſſoviæ, temporibus Conradi Ducis, Leſcia nobilis Domina poſt obitum viri prope Eccleſiam Fratrum Minorum in oratione & bonis operibus vitam traducebat. Ejus exemplo commotæ multæ virgines nobiles, ejus conſortium appetivere, atque inter his nobilis virgo Margarita Palatiniſſa Ducatus prædicti, atque ipſa Duciſſa Anna, cujus hodie ſepulcrum conſpicitur in choro Fratrum Minorum ejuſdem urbis. At quoniam area templi conſtructi anguſta videbatur, Anna Naninſcia, prædictæ Margaritæ genitrix, hortum fundo Sororum adjacentem, a quodam Nobili emit, & Sororibus donavit. Pietatis & virtutis inſigne præbent ſpecimen per univerſum Ducatum hæ Sorores: qua de cauſa multas puellas illuſtrium familiarum ordinis Senatorii habent ſui ſtatus æmulatrices.

Privilegia Pontificia.

XL. Propter importunam quorumdam Rectorum Eccleſiarum exactionem quartæ funeralis, binas dedit Pontifex hoc anno litteras, quibus ab ejus ſolutione voluit Fratres exemptos; primas peculiares contra capitulares Caſalenſes: *Exponi nobis nuper feciſtis*. die XXI. Martii. Secundas generales, aliarum a Julio II. conceſſarum confirmatorias: *Affectu benevolentiæ*. die XXI. Auguſti. Contra Eremitas ſancti Auguſtini volentes præcedere Fratres Obſervantes in proceſſionibus & actibus publicis, ſententiam protulit, adjectis quibuſdam declarationibus: *Etſi pro injunctæ nobis*. die X. Januarii. Reparandis viis, & conſervandis fontibus in ſubſidium & ſolatium adventantium ad ædem celeberrimam ſanctæ Mariæ Angelorum, in ſuburbano campo Aſſiſiate conſtitutam, quaſdam penſiones a Pio II. & Innocentio VIII. mercatoribus ſeu nundinariis in hunc finem impoſitas, confirmavit,

Anno Christi	Leonis X.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 314.
1521.	anno 9.	anno 3.	

vit, & a quibus, vel per quos exigendæ erant, declaravit: *Dudum fel. rec. Pius II.* die XVIII. Julii.

XLI. Solebant in Polonia Sorores Tertii Ordinis prope Cœnobia Fratrum ſub correctione & viſitatione eorumdem regularem vitam profiteri. Dum vero moleſtos ſentiebant exactores cujuſdam annui cenſus Rectores parochialium Eccleſiarum, rogarunt Pontificem hoc onere levari. Id præſtitit, datis litteris, quibus non ſolum ab oneribus & gravaminibus ſecularium exemptas eſſe, verum etiam omnibus privilegiis, immunitatibus & gratiis, Minoribus per quoſcumque Pontifices conceſſis, gaudere, declaravit: *Cum ſicut nobis nuper*. die XIX. Auguſti. Præter hæc & ſuperius relata, multas eaſque maximas gratias, indulgentias & favores, ſingulis annis Leo Minoribus, præſertim Obſervantibus, impertivit per vivæ vocis oraculum, ea primum deprecantibus, deinde ſolemniter teſtificantibus aliquibus Cardinalibus, Laurentio præſertim Puccio, tituli ſanctorum Quatuor Coronatorum, graviſſimis Prælatis, & aliquibus ex ipſius Ordinis Superioribus. Omnia longa ſerie collegit Emmanuel Rodericus in ſua collectione Bullarum Apoſtolicarum, ſub finem Pontificatus Leonis, ex quibus Lector perſpiciet ſummam ejus erga Minores propenſionem, profuſamque, ut ita dicam, pietatem. Segniores illi in petendo, quam iſte in concedendo.

ARGUMENTUM.

Leoni X. ſuccedit Adrianus VI. Ad Mexicanum imperium mittuntur tres pii Franciſcani a Carolo V. delecti, ut gentes efferat ad Chriſti fidem attrahant, qui commendatam ſibi provinciam laudabiliter adminiſtrarunt. Petrus Melgarius moritur, & Ruffinus Lupatus Patavinus. Creantur Epiſcopi. Componitur controverſia inter Saxones & Boemos. Conſtruuntur Cœnobia.

I. MORTUO, uti diximus, ſub finem anni proxime elapſi Leone X. Pontifice, ſub initium hujus, v. ſcilicet Idus Januarias, tam felici, quam inopinato eventu ad tantæ dignitatis faſtigium aſſumptus eſt Adrianus Batavus Trajectinus, ex Decano Lovanienſi, & Vice-Cancellario Academiæ, Caroli V. præceptor, mox Epiſcopus Dertuſenſis in Hiſpania: deinde Cardinalis tituli Pamachii ſanctorum Joannis & Pauli, demum Hiſpaniæ Gubernator, a Carolo in Germaniam ad capeſſendum Imperium proficiſcente, relictus. Divina magis providentia, quam hominum induſtria factam hanc electionem, omnes conſpirant auctores, & totam Spiritui ſancto, nullamque partem humanis ſtudiis aut factionibus eſſe tribuendam. Unde etenim tot Cardinales convenire poterant, nullo impellente, nullo ducente, ad præficiendum ſibi & Sedi Apoſtolicæ hominem tanto regionum intervallo abſentem, nulli ex ipſis cognitum, qui Italiam nec viderat unquam, nec ſe viſurum cogitaverat, niſi ſuprema quadam dirigente virtute? Julius Mediceus, Leonis defuncti patruelis, totis viribus, & potenti factione, Pontificatum ambiebat, nec aſſequi poterat. Fortuito dum ſortitio electionum fieret, quidam Adrianum propoſuit, & Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus, a virtute & doctrina commendavit, ſtatimque omnes eligendum decreverunt. Accepto ſuæ electionis nuncio in Victoria, Cantabriæ oppido, nihilo immutatus, paulo poſt itineri Romano ſe accinxit, & in Urbem venit ad III. Kalendas Septembris, ubi ſequenti die Dominica ante fores Baſilicæ Vaticanæ vetere inſtituto coronatus eſt.

Adrianus VI. ad Pontificatum evehitur.

II. Fer-

Anno Christi 1522.	Adriani VI. anno 1.	Caroli V. Imp. anno 4.	Religionis Minorum anno 315.

Ferdinãdus Corteſius petit ſibi mitti Chriſtianæ fidei magiſtros.

II. Ferdinandus Corteſius, clariſſimus ille Indorum domitor, Hiſpanique imperii admirabilis propagator, ubi anno proxime elapſo Mexicanam regionem majori virtute, quam potentia ſubjugavit, ad tanti facinoris complementum, unum, illudque omnium maximum deeſſe tam pie, quam prudenter conſiderabat, ut ſcilicet vaſtiſſimæ hæ nationes etiam Chriſti ſubderentur imperio. Repetitis itaque litteris & nunciis ab Imperatore Carolo Hiſpaniarum Rege petebat, inſtabat, efflagitabat, ut quamprimum viri probi mitterentur, & docti timentes Deum, qui cœleſtia curarent, & terrena deſpicerent; animabus Chriſto lucrandis, non auro, aut argento cumulandis anhelarent, eaque fulgerent vitæ ſanctimonia, ut vere a Deo miſſi dicerentur, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus in remiſſionem peccatorum eorum. Hac etiam ratione ſuo ſuique Principis nomini conſultum iri probe judicabat, ne, dum profligandæ idololatriæ, & invehendæ Fidei Chriſtianæ titulo, arma contra gentem, alias innocuam, moverant, arreptis jam regnis & rebus, de religione nihil amplius curarent.

Hoc exigit Carolus V. ab Adriano VI.

III. Carolus, uti erat pius, & tam doctrinæ Catholicæ in Germania, quam in Indiis propagandæ cupidus, hoc anno egit cum Adriano VI. poſt admiſſam ſummi Pontificatus de ſe factam electionem, aliquandiu in Hiſpaniis hærente, ut tanto operi viri mitterentur idonei, Apoſtolicæ Sedis auctoritate muniti, iiſque privilegiis & gratiis inſtructi, quæ in longinquis regionibus viderentur neceſſaria. Dedit itaque Adrianus ſequentes litteras, quibus & Carolo poteſtatem mittendi, & miſſis facultatem neceſſaria quæque faciendi conceſſit.

Gonz. in procem. Prov. S. Evang. Roder. in Bullar. Adriani n. 1.

Cariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ille concedit.

EXponi nobis feciſti tuum flagrans deſiderium ad augmentum Chriſtianæ religionis, converſionemque infidelium, illorum præſertim, qui Chriſto duce, tuæ ditioni ſunt ſubjecti in partibus Indiarum: a nobiſque inſtanter petiſti, ut ad effectum hujuſmodi augmenti & converſionis, & debitæ gubernationis animarum, quas Redemptor noſter ſui pretioſi ſanguinis commercio redemit, provideremus, quatenus ex omnibus Religionibus Fratrum Mendicantium, præſertim Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ aliqui ad præfatas partes Indiarum auctoritate noſtra tranſmitterentur, aliaque in præmiſſis providerentur, ſicut in petitione nobis deſuper oblata plenius continetur. Nos autem, qui ex injuncta nobis cura paſtorali, ad ea, quæ attinent ad ſalutem animarum, intendere ſuper omnia tenemur, quique ferventiſſimum zelum tuæ Cæſareæ Majeſtatis ad augendam Rempub. Chriſtianam a teneris annis pleniſſime cognovimus, tam ſanctum ac laudabile opus in Domino commendantes, & deſuper providere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tenore præſentium volumus, ut omnes Fratres Ordinum Mendicantium, præſertim Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, a ſuis Prælatis nominati, qui Divino ſpiritu ducti, ultro ac ſponte voluerint ad partes Indiarum præfatarum, cauſa convertendorum & inſtruendorum in fide prædictorum Indorum, ſe transferre libere & licite poſſint & valeant, dum tamen ſint talis ſufficientiæ in vita & doctrina, quod tuæ Cæſareæ Majeſtati, aut tuo Regali Conſilio ſint grati, ac tanto operi idonei: ſuper quo conſcientiat ſuorum Superiorum oneramus, qui eos nominare & licentiare debent. Ac, ut in tam ſancto opere meritum obedientiæ non deſit, omnibus, qui (ut præfertur) nominati fuerint, & ſe ſponte obtulerint, ad meritum obedientiæ præcipimus ut præfatum iter & opus exemplo diſcipulorum Chriſti Domini noſtri exe-

Has tamen præſcribit conditiones.

exequantur, pro certo ſperantes, ut ſicut in labore eos imitati fuerint, ita & in præmio eis ſociabuntur: præfatiſque Fratribus noſtram Apoſtolicam benedictionem libentiſſime ex nunc impertimur. Sed ne forte numerus Fratrum Minorum ſit tantus, ut pariat confuſionem, volumus, ut tua ſacra Majeſtas, aut tuum Regale Conſilium aſſignet & præfigat numerum Fratrum mittendorum. Tales autem Fratres ſic nominatos ſeu licentiatos ab eorum Superioribus, ſtricte præcipimus ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, ne aliquis inferior audeat aliqualiter impedire: etiamſi pro tunc eſſent in officiis confeſſionis, prædicationis, lectionis, Guardianatus, Cuſtodiatus, Miniſteriatus, Provincialatus, aut Commiſſariatus Generalis: quibus non obſtantibus tranſire poſſint & debeant. Verum, ne præfati Fratres ſint velut oves abſque paſtore, ſtatuimus & ordinamus, ut ex ſeipſis valeant & debeant eligere duos vel tres aut plures, qui in dictis terris eis præſint eo modo, quo eiſdem ſeu eorum majori parti viſum fuerit: qui ſic electi per triennium, aut aliud majus vel minus tempus juxta ſuas conſtitutiones, prout in Hiſpania fieri conſuevit, prælationem hujuſmodi habeant, & non ultra nec alias; maneantque omnes ſemper in obedientia Generalis Miniſtri & Capituli Generalis, dummodo nihil eis imponant in præjudicium dicti tranſitus, & converſionis infidelium. Decernentes quidquid abſque noſtro expreſſo mandato & aſſenſu fuerit attentatum, nullius eſſe momenti. Et quia præfata terra Indiarum valde diſtat a partibus, ubi Generalis Miniſter degere & incedere conſuevit, ac propterea difficile foret ad eum recurrere in caſibus ad eum pertinentibus, volumus ac tenore præſentium concedimus, ut Fratres, qui pro tempore aſſumentur ad regimen aliorum Fratrum in prædictis terris Indiarum, habeant in utroque foro ſuper Fratres ſibi commiſſos omnem auctoritatem & facultatem, quam Generalis Miniſter habere dignoſcitur: ita tamen, quod ipſe Generalis Miniſter, ſub cujus obedientia ſemper manere debent, poſſit præfatam auctoritatem limitare & arctare, prout ipſi viſum fuerit. Et inſuper, ut melius præfata converſio infidelium fieri valeat, & ſaluti animarum omnium in præfatis terris Indorum pro tempore degentium provideatur, volumus, & tenore præſentium de plenitudine poteſtatis concedimus ut præfati Prælati Fratrum, & alii, quibus ipſi de Fratribus ſuis in prædictis Indiis commorantibus duxerint committendum, in partibus, in quibus nondum fuerint Epiſcopatus creati, vel ſi fuerint, tamen infra duarum dietarum ſpatium, ipſi vel officiales eorum invenire minime poſſint, tam quoad Fratres ſuos, & alios cujuſcumque Ordinis, qui ibidem fuerint ad hoc opus deputati, ac ſuper Indos ad fidem Chriſti converſos, quam & alios Chriſticolas ad dictum opus eoſdem comitantes, omnimodam auctoritatem noſtram in utroque foro habeant tantam, quantam ipſi, & per eos deputati de Fratribus ſuis (ut dictum eſt) judicaverint opportunam & expedientem pro converſione dictorum Indorum, & manutentione ac profectu ipſorum, & aliorum præfatorum in fide Catholica, & obedientiæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ: & quod præfata auctoritas extendatur etiam quoad omnes actus Epiſcopales exercendos, qui non requirunt ordinem Epiſcopalem, donec per Sedem Apoſtolicam aliud fuerit ordinatum. Et quia, ut accepimus, per præfatos prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices aliqua indulta conceſſa fuerunt Fratribus exiſtentibus, aut ire procurantibus in dictis & ad dictas Indiarum partes; nos omnia illa confirmando, ac, quatenus opus eſt, de novo concedendo, volumus, ut præfati Prælati Fratrum pro tempore exiſtentes, & quibus ipſi de ſuis Fratribus duxerint concedendum, omnibus prædictis indultis in genere vel in ſpecie hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gande-

dere libere & licite poſſint & valeant. Habentes omnia pro ſufficienter expreſſa, tamquam ſi de verbo ad verbum inſererentur. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, præſertim Sixti IV. incipiente: Etſi Dominici gregis: *ac Bulla Cœnæ Domini, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Cæſarauguſtæ ſub anulo Piſcatoris, die* x. *Maii* MDXXII. *ſuſcepti a nobis Apoſtolatus officii anno* 1.

Petuntur mittendi a Miniſtro Generali.

IV. Dum itaque Pontifex mittendos reſtrinxit ad profeſſores Ordinum Mendicantium, præſertim vero ad Fratres Minores Regularis Obſervantiæ, quos etiam præ ceteris in ſuis epiſtolis mitti petebat Corteſius, eoſque a ſuis Prælatis nominari volebat, ſcripſit Carolus ad Miniſtrum Generalem Paulum Soncinatem, ut vel ipſe præſcriberet deſtinandos, vel facultatem daret iis, qui Divino Spiritu ducti (uti loquitur Pontifex) ultro ac ſponte voluiſſent ad Indias pro convertendis & inſtruendis illis gentibus ſe transferre. Ille protinus has dedit ad omnes Fratres patentes litteras, ut Apoſtolicum hoc munus poſſent & vellent ſubire.

Univerſis & ſingulis venerabilibus Patribus, ac dilectiſſimis Fratribus totius ſacri Minorum Ordinis, frater Paulus de Soncino, ipſius Ordinis Miniſter Generalis & ſervus, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

Ex Reg. gener. Miſſ. pag. 40.

V. *Cum ſacra Imperialis & Catholica Majeſtas, ſpiritu devotionis, & fervore fidei incitata, aliquos noſtræ Religionis deſtinari cupiat pro infidelibus ſuæ ditioni ſubjectis inſularum Oceani maris incolis ad Chriſtianam fidem convertendis; nullum æque ſacrificium æſtimans, quam errantes in viam reducere veritatis, prout ſuæ Majeſtatis deſtinatis mihi litteris intimavit. Hinc ego conſiderans ingentem illic meſſem, ac pancos, proh dolor! operarios, tam pii tanti Principis votis de proborum conſilio Patrum annuendum decrevi. Itaque omnes & ſingulos Patres & Fratres, cujuſcumque conditionis, ſtatus, dignitatis, aut officii, etiam Generalis Commiſſariatus ſeu Miniſteriatus, qui ſe ad hoc ipſum voluntarios offerent & paratos, quos eadem ſacratiſſima Majeſtas de aliquorum conſilio probornm Ordinis Patrum pro tam ſancto complendo negotio duxerit eligendos, idoneos ac ſufficientes juxta Regulæ exigentiam judico. Mandans nihilominus, ac eiſdem tenore præſentium in meritum obedientiæ ſolutaris injungens, quatenus ſe ſe Domino integraliter offerentes, converſioni dictorum infidelium vigilanter inſtent, mercedem copioſam ab ipſo omnium largitore bonorum ſuſcepturi: quibus & omnem meam in utroque foro conferens auctoritatem, eoſdem in nomine Patris omnipotentis, & Filii ejus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus ſancti Paracliti, necnon gloriоſiſſimæ Virginis Mariæ, & beatiſſimi Patris noſtri Franciſci, omniumque Sanctorum & Sanctarum benedico. Volo inſuper, ac præſentium tenore decerno, quatenus harum trauſumptis manu alicujus Miniſtri Provincialis ſignatis, ea prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi exhibitæ forent vel oſtenſæ. Valete in Chriſto Jeſu, & orate pro me. Datum in loco ſancti Angeli Mediolani,* XXX. *Maii* MDXXII.

Mittuntur tres Belgæ. *Herr. dec.* 3. *lib.* 2. *c.* 9.

VI. Utraque hac poteſtate fultus Carolus, ſtatim delegit, paratoſque invenit tres Belgas, ſibi, utpote Gandavi nato & educato, a virtute notiſſimos, Joannem de Tecto, quondam Guardianum Gandavenſem, Joannem de Aora ſacerdotem, & Petrum de Mura laicum, dictum de Gant (ſive quod Gondavi natus, ut vult Sedulius, ſive ibidem educatus aut diu commoratus eſſet, & quidem in villa de Yguen ortum narrat Turrecremata) qui

Sedul. in notis ad vitam S. Franc. pag. 103.

hoc

Anno Christi 1522.	Adriani VI. anno 1.	Caroli V. Imp. anno 4.	Religionis Minorum anno 315.

hoc ipſo anno ad novæ Hiſpaniæ littora pervenerunt, & provinciam Tlaxcalenſem luſtrantes, demum in urbe Provinciæ præcipua, a qua etiam nomen accepit, pedem fixerunt. Urbs illa loco, a natura egregie munito, condita erat, circiter viginti gradibus ab Aequatore verſus Arctum in præruptis montibus, & arduis atque aſperis rupibus, marzii ſive grani Indici ubertate, & commeatuum abundantia, quam aprici colles, & rigui valles ingenti copia ſubminiſtrant, ea regione percelebris. Habitabant hic Hiſpani a Corteſio conſtituti, ut ſuppetias ferrent, & commeatum mitterent exercitui, quem in Mexicanos, Tlaxcalenſium hoſtes ducebat; & quidem horum potiſſimum auxiliis & fœdere Mexicanum imperium evertit. Dum ultra tunc progredi, bello undique circumſtrepente, rebuſque Mexicanis adhuc incompoſitis, non licebat, in hac Civitate cœperunt Fratres Deum unum & verum annunciare, multos & inanes, quas gens illa colebat, deteſtari, impiis pœnam comminari, bonis præmia polliceri; atque hæc quidem modo ſignis, modo verbis, modo per unum vel alterum imperitum interpretem Hiſpanum, tanto ſpiritus fervore in plateis proferebant, ut primum inſanire putarentur; ſed paulatim victus parſimonia, veſtis humilitate, morum honeſtate, rerum mundanarum contemptu, ita omnes in ſuum pellexerunt amorem, ut facile pleriſque perſuaſerint a tot tantiſque erroribus reſilire. Dedit poſtea Dominus verbum evangelizantibus virtute multa; concurrentibus turmatim populis ad Baptiſmum, qui ſumma in veneratione hebebant primos & fervidos hos ſuæ fidei magiſtros. Huic populo ſive Reipublicæ (erat enim regimen ariſtocraticum) erudiendæ ſolerter inſtiterunt, donec ad Mexicanam urbem maximam, & nationem innumeram erudendam evocati, incredibili animarum fructu Martino Valentino & ſociis, de quibus anno ſequenti, ſuas operas adjunxerunt. Multam hi deinceps adminiſtrabunt dicendi materiam.

Torquem. l. 2. Monarch. Ind. c. 19. Urbs Tlaxcalenſis.

Quid illi præſtiterint.

VII. Circa hunc annum deceſſit magna ſanctitatis opinione Petrus Melgarius laicus, de quo non ſemel egimus annis ſuperioribus; cui etiam tribuimus magna ex parte exordia provinciarum ſancti Gabrielis in Caſtella, & Pietatis in Luſitania. Vir fuit nobilis in ſeculo, ſed virtute nobilior in Religione. Deceſſit Borbæ in Luſitania, in Cœnobio ſanctæ Mariæ de Conſolatione, etſi Gonzaga videatur aſſerere, eum in Africa martyrio fuiſſe coronatum.

Moritur Petrus Melgarius. *Marc. 3. p. l. 9. c. 18. Gonz. in provin. Piet. Conv. 4.*

VIII. Ruffini Lupati Patavini, hoc anno defuncti, ſubjungo ex Bernardino Scardeonio coævo iſtud elogium: *Inſigne*, inquit, *& celebre nomen fuit ævo noſtro Ruffini Lupati Minoritæ, quod in prædicatione ſacroſanctæ Evangelii ſuæ ſibi doctrinæ, longe lateque in univerſa Italia comparavit: & propterea non eſt hic a nobis ullo pacto tacendus. Is enim præter humanarum divinarumque litterarum peritiam, & vitæ ſanctitatem, qua maxime præſtabat, extitit etiam in Eccleſia Dei concionator egregius, tantaque in concionando facundia, & tanto aſſerendæ veritatis ſtudio in docendo, & in reprehendendis vitiis tanta acrimonia præditus, ut quamplurimos a peccatis ad pœnitentiam, & a ſecularibus curis & voluptatibus evocatos, ad tranquillam vitam, & verum Dei amorem, & religionem deduxerit. Atqui tamdem ab Adriano Pontifice Max. Archiepiſcopus Acconitanus electus, cum eſſet tunc nimio concionandi labore attritus, & corpore invalido, ætate tamen adhuc robuſta, & in dies pro Dei Eccleſia meſſem uberiorem pararet, hinc ab hominibus ad ſuperos feliciter demigravit, ut illius ſanctæ ſeminis fruges, quod abunde cum lacrymis in terris ſparſerat, contemplam in cœlo cum gaudio & exultatione demeteret. Obiit anno ſalutis* MDXXII. Sepultus in tem-

Et Ruffinus Lupatus. *Scard. de reb. Patav. l. 2. claſſ. 7.*

plo Sancti Antonii; in quo etiam hoc anno ſepeliri voluit in habitu Franciſcano Chriſtophorus Longolius, flos ille Belgarum, præſtanti ingenio, & litterarum notitia adoleſcens, qui Reginaldo Card. Polo conſtanter adhæſit. Obiit apud Petrum Bembum, cujus erat hoſpes, a quo etiam tumulum accepit, & nobile Epitaphium.

IX. Hoc ipſo anno, quo deceſſit, graviter offendit prædictus Ruffinus clariſſimos Conſules Venetos, aliquanto liberius objurgans quoſdam regiminis abuſus: quapropter extra Statum exulare juſſus, paulo poſt in patriam revocatur, ubi, ut dictum eſt, in pace quievit.

Fr. Chriſtophorus Epiſc. Iſernien.

X. Fratri Chriſtophoro Numajo Cardinali tituli ſanctæ Mariæ de Aracœli, olim Ordinis Miniſtro Generali, collatus eſt hoc anno Epiſcopatus Iſernienſis in regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Capuano, per obitum Maximini, die XXVI. Septembris. Hæc eadem collatio repcritur in libris conſiſtorialibus repetita anno ſequenti ſub diem XVII. Aprilis: fratri Hieronymo de Carpo, Scutarenſis, ſub Archiepiſcopo Antibarenſi, per obitum Petri de Cardona, die X. Octobris.

Fr. Hieronymus Scutaren.

Saxones, & Boemi ad concordiam reducuntur.

XI. Magna orta controverſia inter Patres provinciæ Saxoniæ, & provinciæ Boemiæ circa Conventus duarum Cuſtodiarum, Vratislavienſis ſcilicet, & Aurei montis, miſſus eſt Commiſſarius & Judex, Benedictus Benchavich provinciæ Dalmatiæ, qui auditis partibus, re collata cum Ludovico Hungariæ & Boemiæ Rege, adjudicavit prædictos Conventus provinciæ Boemiæ, prolata ſententia coram Ladislao Epiſcopo Agrienſi, multiſque proceribus. Eam approbavit patentibus litteris Miniſter Generalis; ſed & ſuo diplomate, quod ſubjungo, Ludovicus Rex amplius confirmavit hoc anno, & ſequenti Clemens VII. *Romani Pontificis providentia*. die XIX. Decembris, expreſſis amplius nominibus Conventuum; atque hoc ipſum iterum confirmatum eſt anno ſequenti in Capitulo Geoerali Burgenſi, & anno MDXXIX. in Capitulo Parmenſi.

NOS LUDOVICUS Dei gratia Hungariæ & Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgen. & Sileſiæ, Marchio Luſatiæ &c.

Reg. Ciſm. gener. hoc anno.

XII. *ANnuntiamus noſtram gratiam, omneque bonum Reverendiſſimo, Illuſtribuſque Principibus noſtris Domino Jacobo Epiſcopo Vratislavienſi, Friderico Duci Legnicen. & Bregen. Capitaneoque inferioris Sileſiæ, & Carolo Duci Monſterbergen. Advocato ſuperioris Luſatiæ, necnon magnificis, honorabilibuſque, providiſque Magiſtris, Civium Conſulibus, Judicibus, Juratis, Civibus, & Communit. Civitatum Vratislavien. Sucydnicen. Norinslavien. Nonoforen. Bregen. Nizen. Monſterbergen. Strelen. Sorormen. Sagornen. Croſnen. Caturcen. Legnicen. Goltbergen. Lombergen. Lombenen. Gorlicen. Loboucen. Budiſſen. & Sittamen. Quum dilecti fideles noſtri, inter cetera incumbentia ardua nimis negotia provinciarum noſtrarum, hoc non minimum ducimus tenendum, quod oblongo tempore ad honorem Dei, ſalutem animarum ordinatum ſit, ne hoc tempore periculoſo, variamque mutationem rerum minanti, ſua primæva inſtitutione privaretur: Ad hoc que prædeceſſorum noſtrorum etiam tum, præcipue amantiſſimi olim Patris noſtri & Domini Uladislai Regis claræ memoriæ, nedum ſunum, verum atque noſtrum inſtitutum in ſuo robore inviolatum permaneret. Cum itaque Monaſteria Ordinis Minorum in præfatis Civitatibus & locis ſub duabus Cuſtodiis, Uratislavienſi ſcilicet & Aurei montis ſita, contra primævam*

Anno Christi	Adriani VI.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 3. 5.
1522.	anno 1.	anno 4.	

vam ordinationem ſubducta, eaque ratione non citra magnum moleſtumque gravamen ſub duobus Provincialibus poſita ſint: Nos ex regia noſtra facultate & poteſtate, ut Dux Sileſiæ, noviter ordinavimus & ſtatuimus, & virtute litterarum præſentium ordinamus & decernimus, quod Monaſteria rurſum regni noſtri Boemiæ ſubjici & uniri debeant uni Miniſtro regni noſtri Boemiæ, quemadmodum in prima fundatione fuerit, ut ex relatione fide digna accepimus, atque hoc ſufficientiſſime probatum fuiſſe in Generaliſſimo Capitulo Romæ celebrato ſub Leone Papa X. Tam prævenire cupientes ob diverſitatem Miniſtrorum plura ſcandala atque damna orinnda, & cum præhabito conſilio Regentium regni noſtri Boemiæ, nulla via commodior inveniri potuerit: Nos una cum regio noſtro Miniſtro Generali in ſcriptis votum noſtrum aperuimus, qui in regnum noſtrum Boemiæ Commiſſarium in plenitudine poteſtatis ad pronunciandam definitivam ſententiam inter differentias Patrum provinciæ Boemiæ, & Patrum Saxoniæ habitas, miſerat. Quæ utique cauſa quando Uratislaviæ cum ſcriptis utriuſque partis propoſita a prædicto Commiſſario tum diligenter, tum prudenter diſcuſſa, in ſententiam ultimam & jaſtam accipiendam properaverit; Nos cauſam ita pendentem Pragam verſus advocavimus, volentes conori ad hoc, ne cuiquam partium injuria fieret, abi jam dicta cauſa præſentibus Reverendiſſimo Epiſcopo Ladislao Agrienſi, regni noſtri Hungariæ Cancellario, Reverendoque Domino Adminiſtratore, ceteriſque Prælatis ac Doctoribus collegii ſive Eccleſiæ Pragen. ſufficienter perpenſa & examinato fuit. Præmiſſa hac diligenti examinatione, pronunciare fecimus ultimam ſententiam in præſentia ambarum partium, præſentibuſque magnificis Baronibus fidelibus noſtris, Petro Grabio, & Chriſtophoro de Suvemberg in Bore, Prælatiſque Eccleſiæ Pragen. aliiſque multis Dominis militaribuſque viris. Quam ſententiam & digne & jaſte poteſtate Regiæ Majeſtatis noſtræ confirmamus & roboramus: volenteſque, ſemoto omni impedimento, prorſus executionem ſuam habeat & finem: quodque Fratres redacantur in ſuam poſſeſſionem in quiete & pace hujuſmodi Conventuum poſſidendorum perpetuo: qua gratia, nos poteſtate noſtra regia omnes & ſingulos litteras prædictorum Fratrum Minorum de Obſervantia, hanc cauſam concernentes deinceps ſive a prædeceſſoribus noſtris, ſive a nobis conceſſas, cujuſvis formæ vel tenoris ſint, confirmamus, roboramus, approbamus, ſtatuimus & decernimus, volentes omnes jam dictas litteras profecto perinde, ac ſi de verbo ad verbum hic inſerta eſſent, in ſuo robore permanſuras irrevocabiliter & ſine impedimento. Proinde ſerioſe ſub indignatione noſtra graviqae pœna mandamus & committimus, quod omnes Civitates & loca, Monaſteria præfati Ordinis ad unum tantummodo provincialem Miniſtrum regni noſtri Boemiæ pertinere debeant: omnibuſque Principibus noſtris, ceteriſque fidelibus ſubditis noſtris, ſi jam dicti Fratres, quos in defenſionem protectionemque Regiæ noſtræ Majeſtatis ob virtuoſam eorum vitam, morumqae præſtantiam ſuſcipimus, ad manutentionem commiſſionis noſtræ, vos omnes ſimul, vel unamquemque veſtrum ſeorſim, ſi vos requiſituri ſint, brachio ſeculari, quoadcunque neceſſitas poſtulaverit, efficaci conſilio & auxilio, quoties opus fuerit, nulla ratione eos deſeratis, non attentis cujuſvis litteris jam datis, vel in futurum dandis contra hanc commiſſionem finalemque voluntatem noſtram: quas omnes nunc ſicut pro tunc, tunc ſicut pro nunc, omnis tenoris & expreſſionis caſſamus, ſuſtollimus, & prorſus inefficaces facimus. In cujus rei fidem hoc Regni noſtri ſigillum noſtrum appendimus. Datum Pragæ in vigilia Petri & Pauli Apoſtolorum, anno Chriſti MDXXII. *Regnorum Hungariæ & Boemiæ* VII.

XIII.

Torella de Trivultiis. To. 14. an. 1482. n. 59.

XIII. Torella de Trivultiis, conſanguinea beati Franciſci de Trivultiis, de quo ſuo loco egimus, Domicella nobiliſſimæ ſtirpis (ex qua tot prodierunt Heroes toga, & ſago clariſſimi, & qui nunc vivunt Theodorus Cardinalis de Trivultiis, primum Aragoniæ, deinde Siciliæ, mox Sardiniæ Prorex, modo apud ſanctiſſimum Dnminum Innocentium X. extraordinarius Orator, ejuſque filius legitimo thoro ante Cardinalatum progenitus, Hercules Theodorus Trivultius, ſacri Imperii Princeps, Aureo Vellere tenera condecoratus ætate, Regii exercitus apud Inſubres imperator, ac Mariæ Annæ Hiſpaniarum Reginæ ad eumdem Innocentium Legatus) apud Montem Clericuli * ſuæ ditionis, diœceſis Parmenſis, prope Apenninum, Conventum ſub nomine ſanctæ Mariæ de Gratiis Apoſtolica auctoritate ante biennium inchoavit, Fratreſque induxit, quos ſuis ſumptibus alebat. Sed dum fabricam non proſequitur, Patres Provinciæ Bononienſis, quibus Cœnobium erat ſubjectum, illud derelinquere decreverunt. At fervidis precibus piiſſimæ Heroinæ inclinatus Miniſter Generalis, reaſſumi juſſit, nullatenus deinceps dimittendum. Ejus litteras patentes in tantæ fœminæ memoriam, debitumque honorem ex regeſto ejuſdem Generalis Miniſtri hic exſcribam, ex quibus qualis illa fuerit, lector perſpiciet. Fabricam promovit ſub annum MDXXX. Marſilius Torellus, Torellæ fortaſſis filius, ex Clementis VII. conceſſione: locus eſt amœnus, commodus Fratrum habitationi, ab hominum frequentia ſemotus, ad quem Paulus Piſottus Parmenſis poſt depoſitum Generalatus officium ſeceſſit. En litteras Soncinatis.

Conv. Montis Clericuli. * al. Chirucult ſive Chiruguli.

Vide an. 1530.

Univerſis & ſingulis præſentes inſpecturis. Frater Paulus de Soncino Ordinis Minorum Miniſter Generalis & ſervus, ſalutem &c.

Ex Reg. citato fol. 41.

CUm Illuſtris Domina Domicella Torella de Trivultiis, Divini cultus ſitibunda, Religionis fautrix, & virtutum omnium ſpeculum & norma, noſtrique Seraphici Ordinis ſingularis & præcipua benefactrix, annis nuper tranſactis pro ſuæ argumento devotionis obtinuerit ab Apoſtolica Sede per litteras in forma Brevis auctoritatem conſtruendi locum pro Fratribus noſtris Regularis Obſervantiæ apud terram ſuam montis Chiruguli, & in provinciali Capitulo hujus Bonon. provinciæ apud Burgum novum celebrato vigeſima prima die Aprilis MDXX. *per vocales ipſius Capituli fuerit locus ipſe receptus, cum hoc tamen, quod ipſa Illuſtris Domina juxta promiſſionem factam, locum ipſum conſtrueret. Noviſſime autem cum in provinciali Capitulo apud Cotignolam celebrato, fuerit concluſum per Patres Definitores, quod locus ipſe jam receptus, & in quo ſumptibus ipſius Illuſtris Dominæ jam plures degebant Fratres eum conſolatione totius regionis, relinqueretur: & prædicta Illuſtris Domina Ordinis honorem zelans, cognoſcens non vulgare ſcandalum propter hoc in tota regione ſuſcitatum, ad me recurſum habuerit, ut hujuſmodi ſcandalo opportuna remedia adhiberem. Idcirco de omnibus per provinciæ Miniſtrum, & plures ipſius provinciæ Patres certificatus & informatus, volens, ut teneor, quoad poſſum, ſeecularium ſcandalis obviare, ac tantæ Illuſtris Dominæ ardentiſſimæ devotioni, & ſanctis deſideriis, piiſque petitionibus morem gerere, auctoritate, qua fungor, de novo, non obſtantibus quibuſcumque provincialibus conſtitutionibus factis, vel in poſterum per quemcumque me inferiorem faciendis, recipio dictum locum montis Chiruguli, & in Bononienſi provincia incorporo, receptumque & incorporatum denuntio per præſentes: mandans in virtute ſanctæ obedientiæ tam provinciali Miniſtro, quam ipſius provinciæ Patribus nunc & pro tempore exiſtentibus, ut dein-*

deinceps dictum locum nullo modo relinquere audeant vel præſumant; ſed in provincialibus Capitulis ſemper, ſicut & in aliis provinciæ locis, de Guardianis idoneis & Fratribus, ut moris eſt, providere ſatagant, viſitando ipſum, & de neceſſariis providendo, ſicut conſuetum eſt. Scio enim quod Illuſtris Domina ſupradicta pro Fratrum inibi degentium ſubventione & proviſione, necnon pro ædificii conſtructione diligentiſſima erit, prout & mihi & provinciæ promiſit. In cujus receptionis, determinationis & præcepti fidem, præſentes officii mei majori ſigillo munitas, & propria manu ſubſcriptas tradi mandavi. Datum in loco noſtro apud Regium die XIX. *Junii, anno* MDXXII.

Conv. Peſciottæ. *Gonz. in Provin. Princip. Conv. 21.*

XIV. Non diſſimilis Torellæ Joanna Aragonia, pietate illuſtriſſima & ſanguine, quæ in oppido ſuo Peſciottæ in Regno Neapolitano Conventum Fratribus hoc anno ſub invocatione ſancti Franciſci ædificavit. Ibidem ipſa ſepulta, Turcis oppidum deprædantibus, ejuſque ſepulcrum in quo integro permanſit corpore, barbare violantibus, tantum terrorem incuſſit, ut ab injuria, quam meditabantur inferre, pavidi abſtinuerint. Celebris eſt memoria fratris Franciſci Peſciotani, qui Hieroſolymis rediens, nautis ſereno cœlo prædixit fœdam tempeſtatem, naufragium, omnium incolumitatem, ſui tantum interitum. Ita evenit, navę ad ſcopulos alliſa, univerſi periculum evaſerunt, ſolus ille periit.

Franciſcus e Peſciotta.

Conv. Noyæ; *Idem in Provin. S. Jacobi Conv.* 30.

XV. Ad tertium ab oppido Noyæ in regno Gallæciæ, loco aſpero, ſalebroſo & valde incommodo, ab anno MCCCLVI. uſque ad præſentem habitarunt Fratres in Conventu ſub titulo ſancti Franciſci. Accepta numeroſa pecunia a nobili fœmina Joanna Guizmonda, alium comparavit Syndicus Apoſtolicus ſitum, vendito priori, & domicilio, Suero Gomez a Figueroa: ex illius publiciſque & privatis Noyenſium eleemoſynis novum & commodum ædificarunt Fratres Conventum ſub eadem invocatione ſancti Franciſci. Sacellum præcipuum conſtruxerunt Garſias a Camanno, & Conſtantia Sanchez ab Avendanno, reſervato ſibi ſuiſque poſteris jure patronatus. Templi reliquum & Sacellum ad ſummi Altaris ſiniſtram fabricaſſe Rodericum ab Acoſta, ejus gentilitia inſignia præ foribus Eccleſiæ inciſa demonſtrant. Hic Minoribus nomen dedit inſignis ille Eccleſiaſtes Joannes a Pontevedra, qui in ſeparatione provinciæ ſancti Gabrielis ab ea, quæ nuncupatur ſancti Jacobi, in illa permanſit.

Joannes a Pontevedra.

Conven. Portus Læti. *Idem in Provin. Pietat. Conv.* 9.

XVI. Circa hunc annum Fratres provinciæ Pietatis aliquanto longius a Civitate Portus Læti, Luſitanice *Portalegre*, Cœnobium ſub invocatione ſancti Antonii de Padua conſtruxerunt. Multa ibidem paſſis incommoda Andreas a Noronha, Epiſcopus illius urbis, aliud cœnobium propinquiori loco & ſalubriori conſtruxit.

Conven. Bracearen. *Indid. Conv.* 25.

XVII. S. Fructuoſus, Braccarenſium Archiepiſcopus, prope eam urbem ad annum DCCLIX. humilem ædificavit Eccleſiam, in qua etiam ſepultus eſt. Giraldus ejus ſucceſſor, anno MCII. ejus corpus Compoſtellam ad celeberrimum ſancti Jacobi templum tranſferri curavit, majori colendum veneratione. Ne vero tanti Præſulis memoria deperiret, aut locus, in quo tot annis jacuerat, neglectus corrueret, eum hoc anno refecit Didacus a Souſa, prædictæ Braccarenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, domumque adjecit Fratrum ſtrictioris Obſervantiæ prædictæ provinciæ Pietatis. Ita commemorat hæc inſcriptio lapidi inciſa in fronte templi, ad oſtii ſiniſtram: *Didacus Souſa, Archiepiſcopus Braccarenſis, hanc Eccleſiam a Divo Fructuoſo antequam Hiſpania a Maurîs expugnaretur, conditam, cum ædificiis adjacentibus a ſe conſtructis, in Monaſterium redegit, anno Chriſti* MDXXII. *die* XII. *menſis Decembris.*

Cunha de Arch. Braccaren. To. 2. cap. 71.

XVIII. Hoc

Anno Christi	Adriani VI.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno
1522.	anno 1.	anno 4.	315.

Conv. Rioncll. *Gonz. in Provin. Aquit. antiq. Conven.* 28.

XVIII. Hoc anno Minorum Conventualium extra Rioncium, Aquitaniæ oppidum, conſtructus Conventus, translatus eſt ad Obſervantes, ita curante Franciſco Valeſio Rege Galliarum, qui a Leone obtinuerat facultatem, ut domus Minorum in eo Regno Obſervantibus traderentur. Ex hoc loco egreſſus Joannes Petrus Sacerdos, Superioris mandatum peracturus, in crudeles incidit hæreticos, qui poſt aurium abſciſſionem eum gladio confoderunt.

Mon. Populæ de Montalbano. *Idem in Provin. Caſtel. Mon.* 310.

XIX. Joannes Pachecus, oppidi de la Puebla de Montalban, diœceſis Toletanæ, Dominus, cum nullam ex Eleonora Chacconia conjuge prolem ſuſcepiſſet, eamque a Domino inſtantiſſime petiiſſet, viſus eſt ſibi filiam a ſe prognatam, ſanctæ Conceptionis habitu indutam conſpexiſſe, eaque viſione ſignificatum cœlitus, ut hujus Inſtituti Monaſterium conſtrueret. Aggreſſus itaque hoc anno fabricam, coadjuvante ſuo genitore Alfonſo Telles, tamdem abſolvit. Dum autem opus proſequeretur, uxor enixa eſt filiam Ludovicam Faxardam, quæ juxta prædictam viſionem in hoc Monaſterio habitum ſuſcepit. Prima fundatrix fuit Maria Calderonia, ex Monaſterio Turrigiano hujus Inſtituti, cum aliis ſeptem Sororibus evocata, quam etiam eodem tempore ſibi concedi petebat Comes Oropeſanus pro inchoando ſimili Monaſterio. Hic illa deceſſit magna ſanctitatis opinione, & proinde ex choro ad alabaſtrinum & pretioſum ſepulcrum in majori Sacello a ſe conſtructum eam transferri curavit Petrus Pachecus Epiſcopus Seguntinus, & S. R. E. Cardinalis, qui Eccleſiam ædificavit, & multa beneficia Monaſterio contulit, annuoſque reditus adauxit. Jus-patronatus proinde ſibi, Comitumque prædictorum ſucceſſoribus reſervavit, quaſdamque leges præſcripſit de recipiendis gratuito novem puellis per patronos præſentandis.

Maria Calderonia.

Mon. Ruthenen. *Gonz. in Provin. Aquit. antiq. Monaſt.* 7.

XX. Leonis X. facultate inchoatum Monaſterium Ruthenenſe Sororum Annunciatarum ab Helione Geofrerio, J. U. Doctore, Eccleſia Albienſis Præpoſito, & Cathedralis Ruthenorum Canonico, atque ab eodem honeſtis ſuiſſe reditibus dotatum, ſcribit Gonzaga. Sed ad annum uſque MDLXXIV. differt adventum primarum Sororum, octo ab Albienſi Monaſterio, & duarum ex Bituricenſi. Credibile eſt, vel non inchoatum fuiſſe ſub hoc tempus ex Leonis aſſenſu, vel errorem eſſe in numeris, quibus deſignatur adventus primarum incolarum.

A R-

Anno Christi 1523.	Adriani VI. an. 1. & 2.	Caroli V. Imp. anno 5.	Religionis Minorum anno 516.

ARGUMENTUM.

Celebrantur Comitia Generalia Obſervantum, & Franciſcus Quinnonius procreatur Miniſter Generalis. Sua itidem celebrant Conventuales. Quinnonius multa decernit & peragit in Ordinis beneficium. Mittit duodecim viros inconfuſibiles operarios in vineam Mexicanam. Rebus Hiſpanis proſpicit prudenter. Moritur Adrianus Pontifex. Succedit Clemens VII. Inſtanter agitur de canonizatione beati Joannis Capiſtrani. Corpus ſancti Thomæ Apoſtoli transfertur ad urbem Goanam. Franciſcani Poloni ſe opponunt Lutheranis, a quibus male habentur in Sileſia & Lituania. Moritur Franciſcus Brixienſis. Defuncto Domino Cardinali Grimano, Ordinis Protectori, ſuccedit Andreas Cardinalis de Valle. Pelluntur Fratres ab inſula Rhodiana a Turcis capta. Joannes Baptiſta Puppienſis inſtituitur Commiſſarius Pontificius. Creantur Epiſcopi, inter quos egregie reſplendet Paulus Tomorius Archiepiſcopus Colocenſis. Fabricantur religioſa Domicilia.

I. EXPLEVERUNT terminum ſexenii, quem Leo X. officio Generalatus, ad Obſervantes translati, præſcripſit, tres Miniſtri Generales Chriſtophorus Numajus, qui poſt paucos a ſua electione menſes aſſumptus eſt ad Cardinalatum; Franciſcus Lychetus, qui poſt biennium Generalatus mortuus eſt Budæ; & Paulus Soncinas, qui partim in Vicariatu, partim in Miniſteriatu Generali tempus complevit; ita ut demum juxta conſtitutionem Leonis, quam ſuo loco exſcripſimus, jam transferenda eſſet dignitas hæc Ordinis ſuprema in unum ex Ultramontanis. Indictis itaque Comitiis ad pervigilium Pentecoſtes in Cœnobio Burgenſi in Hiſpania, dum eo omnes electores confluunt, Soncinas Miniſter Generalis, relicto in Italia Commiſſario Generali ſuper provincias familiæ Ciſmontanæ fratre Seraphino de Mantua, in itinere apud Avenionem infirmatur, & Commiſſarium, qui ſuo loco præſideat, amandat, pauloque poſt moritur. At neque Commiſſarius ſtatuto tempore pervenit, neque ultra dies octo electionem licuit protrahere. Decretum proinde fuit, ut per ſcrutinium ſecretum eligeretur, qui Capitulo deberet præeſſe, & feria quinta infra octavam Pentecoſtes renunciatus eſt Præſes Franciſcus ab Angelis Quinnonius, tunc Commiſſarius Generalis Ultramontanus. Præmiſſis electionis præludiis, feria ſexta idem Quinnonius in primo ſcrutinio nonaginta tribus ſuffragiis cooptatus eſt in Miniſtrum Generalem, & ſecundo ſcrutinio Hylarion Sachettus in Commiſſarium Generalem Ciſmontanum. Procurator Ordinis Bernardinus de Salzedo provinciæ Burgenſis: Commiſſarius Curiæ pro familia Ciſmontana, Andreas Alamannus Florentinus inſtituti ſunt. Definitores autem deſignati ſunt, pro parte Ultramontana, Bernardinus de Salzedo prædictus, Miniſter provinciæ Burgenſis. Petrus de Montibus de Occa Miniſter provinciæ ſancti Jacobi. Guillelmus ..... Miniſter provinciæ Angliæ. Ambroſius Cablei Miniſter provinciæ Saxoniæ. Arnoldus de ſancto Felice Miniſter provinciæ Aquitaniæ. Gabriel Maria provinciæ Turoniæ. Pro Ciſmontana, Franciſcus de Penthoma Cuſtos provinciæ ſancti Bernardini. Franciſcus Georgius Venetus Miniſter provinciæ ſancti Antonii. Anſelmus Miniſter provinciæ Auſtriæ. Nicolaus ..... Cuſtos provinciæ Siciliæ. Hieronymus de Spoleto Miniſter provinciæ ſancti Franciſci. Bernardinus de Saulyo Cuſtos provinciæ Hungariæ. Attamen poſt horum deſignationem protinus

An. 1517. n. 23.

Soncinas Miniſter Generalis moritur.

Celebratur capitulum Generale Obſervantum 4.

Quinnonius fit Miniſter Generalis.

declaratum fuit juxta Capituli determinationem, & antiqua ſtatuta, nullam eis deberi præcedentiam, neque in menſa, neque in alio loco propter hujuſmodi officium. Quæ tamen temporis ſucceſſu longe aliter obſervantur.

Diviſio & inſtitutio aliquarum Provinciarum.

II. Decretum eſt, ut provincia Etruriæ divideretur in provinciam Tuſciæ, & alteram Senarum, & provincia Saxoniæ in ſancti Joannis Baptiſtæ, & Turingiæ provincias diſtingueretur. Ut provincia Hungariæ, quæ olim dicebatur *de Familia*, vocaretur provincia ſancti Salvatoris, & quæ appellabatur *Reformatorum*, diceretur ſanctæ Mariæ. Cuſtodia Flandriæ erecta eſt in provinciam. Provinciæ Boemiæ adjudicati ſunt novem Conventus, uti dictum eſt anno præcedenti. Omnia hæc clarius conſtabunt ex ſubjiciendis litteris partim Miniſtri Generalis, partim ſummi Pontificis.

Inſtituuntur Inquiſitores contra Lutheraniſmum.

III. Deſignati ſunt Inquiſitores contra Lutheranam pravitatem, per Germaniam, & vicinas provincias in dies ſe latius diffundentem, Gabriel Maria ſupradictus & Miniſter provinciæ Argentinæ. Miniſtro conceſſa eſt facultas conjunctim cum Gabriele; ſed huic, utpote viro graviſſimo, alias Commiſſario Generali Ultramontano, ſejunctim & in ſolidum, ut ſi quempiam ex Fratribus, vel ullam ex Sororibus invenirent truculenta hac hæreſi infectos, graviſſime & ſeveriſſime punirent, & libros ubique comburerent.

IV. Præceptum eſt ne Magiſtri Theologiæ crearentur, aut doctoratus laurea deinceps conferretur, niſi tantum in ſtudiis Generalibus. Hoc ſexennio mortui ſunt MDCXCVIII. Fratres in ſola familia Ultramontana; Sorores Moniales CCCXXXVII. In actis hujus Capituli valde commendatur pietas & liberalitas Ducis de Nazera, qui abunde ſumptus miniſtravit Comitiis celebrandis. Proxime habendis anno MDXXVI. conſtitutus eſt Conventus ſancti Franciſci a Vinea Venetiis provinciæ ſancti Antonii.

Sententia diviſionis Provinciæ Etruriæ.

Reg. gener. Ultram. fol. 58. Provincia Tuſciæ dividitur in duas.

V. *IN nomine Domini. Amen. Nos frater Franciſcus Angelorum, totius Ordinis Minorum Generalis Miniſter & ſervus, Patreſque Definitores, & totum noſtrum Generale Capitulum in Conventu noſtro ſancti Franciſci apud Civitatem Burgenſem congregati anno Domini* MDXXIII. *die vero* VII. *Junii; viſis, auditis & cognitis nonnullis controverſiis & turbationibus in provincia Tuſciæ noſtri Ordinis nuper exortis, cauſiſque earum diligenter inquiſitis & examinatis, volenteſque de opportuno remedio providere, non ad alicujus ſuggeſtionem vel inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & libera auctoritate noſtri præfati Generalis Capituli, pro pace, & regulari obſervantia in præfata provincia reformanda, & ad ſcandala, quæ quotidie emergebant, evitanda, omnibus mature examinatis, ſalubrius remedium aliud adhibere non poſſe perſpicientes, præfatam provinciam Tuſciæ, Spiritu ſancto nobis ſuggerente, in duas dividendam diſtribuendamque decrevimus atque judicavimus: & ſic, accedente nihilominus conſenſu ſummi Pontificis, illam per præſentes dividimus, diviſamque decernimus, definimus & declaramus tali modo & forma, videlicet: Ex omnibus Conventibus ſeu locis tam Fratrum, quam Monialium ſanctæ Claræ, ac Sororum Tertii Ordinis, in toto dominio Florentino exiſtentibus, provinciam unam facimus & ordinamus, quæ nomen antiquum* provinciæ Tuſciæ *una cum conſueto ſigillo ejuſdem, videlicet imaginem ſacrorum ſtigmatum cum Seraphim, & locum pariter in ordine provinciarum, & in aliis agendis retineat, & ſic de cetero ab omnibus vocetur ac nominetur. Quam quidem provinciam ſic diſpoſitam & ordinatam, ſubmittimus pro nunc curæ & regimini Commiſſarii ordinarii provinciæ Tuſciæ,*

ſcia, videlicet venerando Patri fratri Cherubino Malegonello, quouſque per Capitalum provinciæ electus fuerit Miniſter. Mandantes per præſentes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus & ſingulis Fratribus tam ſubditis, quam prælatis, tam Monialibus, quam Sororibus in præfatis locis commorantibus, ut prælibato Commiſſario, tanquam legitimo Miniſtro, in omnibus pareant & obediant. Aliam inſuper diſponimus & ordinamus provinciam, quam provinciam Senenſem *vocari volumus & jubemus: videlicet, ex omnibus Conventibus ſeu locis tam Fratrum, quam Monialium & Sororum Tertii Ordinis exiſtentibus in dominio Senenſi; necnon ex omnibus aliis Conventibus ſeu locis tam Fratrum, quam Monialium & Sororum Tertii Ordinis præfatæ provinciæ Tuſciæ antiquæ ubique exiſtentibus extra dominium Florentinum; adeo quod antedictam provinciam Tuſciæ Senenſem comprehendere volumus & continere omnes & ſingulos Conventus tam Fratrum, quam Monialium atque Sororum in antiqua provincia Tuſciæ reſpective extra dominium prædictum Florentinum exiſtentes. Sigillum eidem aſſignamus imaginem ſacratiſſimæ Aſſumptionis beatæ Virginis, vel aliud ad libitum Patrum ejuſdem eligendum. Quam quidem provinciam ſic diſpoſitam & ordinatum, eum omnibus præfatis Conventibus ac locis, per præſentem noſtram ſententiam ab omni juriſdictione, ſummiſſione & obedientia Miniſtri ſeu Commiſſarii provinciæ Tuſciæ abſolvimus, abſolutamque decernimus, eiſdemque in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus de cetero directe & indirecte de præfatis locis ac Fratribus, Monialibus & Sororibus nullo quæſito colore ſe intromittant: Per præſentes enim prælibatam provinciam Senenſem committimus curæ & regimini venerandi Patris fratris Chriſtophori Gabrielis de Senis, Guardiani loci ſancti Bernardini apud Senas, Commiſſarii inſtituti a fratre Paulo de Soncino Generali Miniſtro ſuper omnes Conventus & Fratres, Moniales & Sorores in dominio Senenſi exiſtentes, ac nonnullos alios, quouſque per provinciale Capitulum præfatæ provinciæ Senenſi de provinciali Miniſtro fuerit proviſum. Mandantes per præſentes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus ac ſingulis Fratribus tam ſubditis, quam prælatis, necnon tam Monialibus quam Sororibus in præfatis locis commorantibus, & per hanc ſententiam deputatis, ut præfato Commiſſario diligenter pareant & obediant. Mandans nihilominus prædictis Commiſſariis, videlicet provinciæ Tuſciæ, & Senenſi, ne ad celebrationem Capituli provincialis procedant quouſque per me Generalem Miniſtram aliud decretum fuerit. Et ne aliqua diſputatio ſeu diſſenſio inter Fratres vel de Fratribus oriatur, ſtatuimus, ordinamus & declaramus, quod omnes Fratres intelligantur eſſe de illa provincia, qui ex terminis vel quæſtis ejuſdem provinciæ reſpective oriundi ſunt: Fratres vero advenas vel adventitios, videlicet, qui ex altera provinciarum non ſunt oriundi, illi provinciæ applicamus, in qua habitum religionis aſſumpſerunt. Quibus omnibus & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, ut infra menſem a præſentium notitia ad ſuam provinciam, omni appellatione poſtpoſita, ſe transferant: & contra facientes pœna apoſtaſiæ puniuntur. Jubemus inſuper per eamdem obedientiam utriuſque provinciæ Prælatis, ne contra hanc noſtram ſententiam & determinationem aliquem Fratrem alterius provinciæ retinere, ſeu recipere præſumant, ſub pœna privationis actuum legitimorum. Et quia Reverendus Pater frater Paulus de Soncino Generalis Miniſter præteritus, de menſe Julii proxime præteriti, in prælibata provincia Tuſciæ præſentialiter fuit, determinavit ac diſpoſuit nonnulla ad pacem & quietem ipſius provinciæ, advocando omnes*

nes causas illius ad præsens nostrum Capitulum Generale: ideo, si quid forte a recessu ipsius Patris ab eadem provincia attentatam vel innovatum fuerit, per præsentes cassando & annullando, illam restituimus ac reponimus in eodem statu, in quo præfatus Reverendus Pater ia suo recessu illam dimisit. Et hæc est nostra, imo omnium nostrum suprascriptorum opinio, sententia & determinatio, quam inviolabiliter observari volumus & jubemus sub aliis gravioribus pœnis & censuris, a nobis illis, qui in aliquo contrafeceriat, infligendis. In quorum omnium fidem præsentes fieri jussimus, & manus propriæ subscriptione sigillique appensione manivimus. Datum in Conventu Burgen. anno, mense dieque superius annotatis.

Confirmatur dicta divisio.

VI. Divisionem hanc provinciæ Etruriæ, quam Patres Capituli Generalis Carpensis constanter negarunt Dominis Florentinis, qui eam vehementer urgebant, missis etiam Nunciis ad Capitulum, tamdem PP. Capituli Burgensis, uti diximus, concesserunt, & Adrianus Pontifex his litteris confirmavit.

Dilectis filiis Guardianis, & Fratribus domorum Ordinis Minorum Regularis Observantiæ in dominio Florentino consistentibus.

Reg. Cisn. fol. 36.

AD hoc circa Regularis Observantiæ professores eo diligentius paternæ sollicitudinis vices impendimus, quo facundius illorum Religio fructum in eos afferet salutarem, & laudabilibus in Domino possint jugiter proficere incrementis, & quæ pro sacræ Religionis augmento, & personarum religiosarum felici directione, ac pace & quiete provide facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo, & illibata perstistant, libenter, cum a nobis petitur, Apostolico munimine roboramus. Exponi nobis nuper fecistis, quod in proximo Generali Capitulo Ordinis Minorum in Regno Hispaniæ celebrato, causa divisionis & separationis domorum vestrarum, provinciæ Tusciæ, juxta morem dicti Ordinis, in dominio Florentino consistentium, ab aliis domibus dicti Ordinis dominiorum Senen. & Lucen. ac aliorum locorum dictæ provinciæ, proposita & mature discussa, ac rationibus hinc inde addactis, & diligenter examinatis, tamdem placuit ipsi Capitulo, quod provincia ipsa Tusciæ in duas provincias separaretur & divideretur; quarum una ex domibus vestris in dominio Florentino hujusmodi consistentibus, alia vero ex reliquis domibus dictæ provinciæ Tusciæ, de cetero provinciæ essent, & esse ac creatæ & constitutæ censerentur: Ita quod domus, & provincia ex domibus in dominio Florentino hujusmodi consistentibus erectæ, per vos duntaxat regi & gubernari, & alii Fratres aliarum domorum Senensis & Lucensis dominiorum, ex quibus alia provincia constituta existit, ut præfertur, nullum commerciam vobiscum habere deberent, & de domibus vestris nullatenus se intromittere possent; reservato tamen in præmissis nostræ & Apostolicæ Sedis beneplacito; prout in decreto ipsius Capituli dicitur plenius contineri. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut separationi & divisioni hujusmodi provinciæ Tusciæ, & aliis in decreto seu litteris Capituli hujusmodi contentis, robur Apostolicæ confirmationis adjicere, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ex injuncto nobis, licet immeritis, Apostolicæ servitutis officio, sinceris desideramus affectibus, ut per nostræ operationis ministerium Religiones omnes, præsertim Regularis Observantiæ, votiva suscipiant incrementa, decreti sea litterarum hujusmodi formas & tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent præsentibus, pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, provinciæ Tu-

Taſciæ ſeparationem & diviſionem, ac alia circa id in Capitulo hujuſmodi ſtatuta & ordinata, dummodo ſacris canonibus non ſint contraria, rata & grata habeatis, illa auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, eaque perpetuis futuris temporibus per vos vel alios Fratres dicti Ordinis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna inviolabiliter obſervari debere decernimus atque mandamus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus tam juris, quam facti, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & Statutis ac conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiiſque & indultis, ac litteris Apoſtolicis dicto Ordini forſan conceſſis; illis præſertim, quibus inter alia caveri dicitur expreſſe, quod diviſiones & ſeparationes provinciarum in dicto Ordine infirmitatarum fieri non debeant, & factæ non teneant; quibus, etiamſi ad illorum derogationem, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas id importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die ultima Julii MDXXIII. *Pontificatus noſtri anno* I.

Sententia diviſionis provinciæ Saxoniæ.

VII. *IN nomine Domini Amen. Cum in noſtro Generaliſſimo Capitulo, in provincia & Conventu Burgen. in die ſancto Pentecoſtes, anno Domini* MDXXIII. *celebrato, nonnulla provinciæ Saxoniæ ſanctæ Joannis Baptiſtæ facta diviſio, nunc & Patribus dicti Capituli noſtri Definitoribus propoſita fuerit examinanda: Hinc eſt, quod ego frater Franciſcus de Angelis, totius Ordinis Minorum Miniſter Generalis, ſimul cum omnibus præfatis Definitoribus definimus & declaramus, omnia quæ a parte, vel a partibus illius provinciæ hucuſque circa illam diviſionem geſta ſunt, nulla penitus eſſe, & pro nihilo habemus, tanquam facta ab iis, qui nullam in hujuſmodi habebant auctoritatem. Attendentes autem ad magnitudinem provinciæ, & diſtantiam locorum, & moram varietatem, adeo ut non poſſint Fratres nec viſitari, nec ſervare illam pacem, quam tantam commendavit Redemptor noſter; hinc, accedente Summi Pontificis auctoritate, dijudicavimus opportunam & expedire dividere ipſam provinciam in duas, in Saxoniam videlicet inferiorem & ſuperiorem; & Saxonia inferior de cetero vocetur* provincia Saxoniæ ſancti Joannis Baptiſtæ, *illa vero quæ ſuperior dicitur, delaſcepi* provincia Turingiæ *vocabitur: quarum provinciarum loca & Conventus tam Fratrum, quam Sororum, ſanctæ Claræ videlicet, & Tertii Ordinis, erunt, prout aſſignabuntur per Commiſſarium vel Commiſſarios a nobis mittendos; & ſic illa loca & Conventus ex nunc, prout ex tunc habemus pro aſſignatis, & utramque provinciam pro provincia erecta judicamus. Et quia Pater Gerardus Fandi eſt electus a Vocalibus provinciæ ſuæ, ſemper proteſtans nolle diviſionem, habeatur pro vero & legitimo Miniſtro, cum de culpa aut præſumptione minime actuſetur, nec privatio, aut pœnitio aliqua fieri debet, ſine præcedente culpa. Pater autem Petrus de Fontino, cum fuerit electus a Vocalibus provinciæ nondum adhuc erectæ, & conſenſerit diviſioni fiendæ a non habentibus auctoritatem, ideo judicamus, ut nullo modo habeatur pro Miniſtro, & electionem ejus penitus faiſſe nullam. Sed, ne illi Conventus & Fratres in eis*

Ibid. fol. 62.

Diviſio Provinciæ Saxoniæ.

cis habitantes ſint ſine capite, auctoritate Capituli Generalis & mea inſtituo ipſum Patrem fratrem de Fontino Commiſſarium meum, donec habita licentia a Sede Apoſtolica, celebrabitur Capitalam, fietque nova electio, aut per me, vel per Commiſſarios meos aliter fuerit decretam. Fratres vero omnes maneant in ſuis Conventibus aſſignatis per ultimam eorum Capitulum, & Guardiani omnes, ceterique alii Officiales auctoritate noſtra fungantur officiis ſuis, donec, at diximus, per nos, vel per Commiſſarium aut Commiſſarios noſtros, ſive per Capitula celebranda in provinciis illis, aliter fuerit ordinatum. Contradictiones, appellationes, & alias juris allegationes præfatibus contravenientes perpetuo caſſantes penitus & annullantes, perpetuum ſilentium hac in re partibus imponendo, ſub pœna privationis omnium actuum legitimorum & officiorum ipſo facto incurrenda. In hujus autem ſeparationis, ſcatentiæ & erectionis provinciarum accedente, ut præmittitur, Apoſtolica auctoritate. In fidem autem & teſtimonium ego frater Franciſcus de Angelis qui ſupra, ſignum meum manuale, ac officii mei ſigillum præſentibus duxi apponendum. Datum in Conventu noſtro Burgenſi tempore celebrationis noſtri Generaliſſimi Capitali in ſolemnitate Penteceſtes, anno Domini MDXXIII.

Sententia concordiæ ineundæ inter Provincias Hungariæ.

Ibid. fol. 65.

Concordia provinciarum Hungariæ.

VIII. *IN nomine Domini, Amen. Has noſtras inſpecturis pateat qualiter Reverendiſs. Pater Fr. Franciſcus de Angelis totius Ordinis Minorum ſancti Franciſci Miniſter Generalis, una cum Rev. Patre Fr. Hilarione de Florentia provinciæ Tuſciæ, totius Italiæ & familiæ Ultramontanæ Commiſſario Generali, & ceteris Reverendis Patribus Definitoribus præſentis Generalis Capituli in Civitate Burgea.* XXVIII. *Maii* MDXXIII. *in Conventu ſancti Franciſci celebrati, conſtituerunt nos, videlicet fratrem Andream Mamanum de Florentia, Commiſſarium in Romana Curia, & Patrem Fr. Marcum de Salodio provinciæ Candiæ Miniſtrum, ac Patrem Fr. Franciſcum de Prato, Socium & Scribam Reverendiſs. Generalis, Commiſſarios & judices ordinarios ſuper quibuſdam cauſis vertentibus nunc inter Fratres provinciæ* Hungariæ Salvatoris, *& Fratres provinciæ* Hungariæ ſanctæ Mariæ *cum plenitudine poteſtatis, audiendi, interrogandi, judicandi, terminandi, ac quæcumque alia ad hoc ſpectantia faciendi. Nos igitur prænominati cum omni Dei timore & reverentia, ac veritatis & juſtitiæ inſpectione, juxta rationis noſtræ rectam dictamen, auditis ambabus partibus, earumque rationibus hinc diſcuſſis & examinatis, pro majori utriuſque partis pacis conſervatione, & fraternalis amoris vinculo ſtatuimus & ordinamus, decernimus & ſententiamus particulatim & circulate in hunc modum, videlicet.*

In primis, quod Patres provinciæ Hungariæ Salvatoris ad Civitates & oppida Albæ-regalis, Lippæ, Debrichiimi, ac Poſonii, in quibus Patres provinciæ Hungariæ ſanctæ Mariæ habent Conventus, ad prædicandum non accedant, niſi aliquando per ſpectabilem Dominum Wayvodam præſentialiter in oppidis ſuis exiſtentem, vocarentur. Tunc enim coram ipſo dumtaxat prædicare licebit.

Secundo, liceat utrique partium Fratribus pro eleemoſynis petendis ad Civitates, oppida & villas, in quibus loca alterius partium exiſtunt, accedere, & ſuas neceſſitates diſponere, abſque tamen alterius partis præjudicio pro eleemoſynarum illi jam legataram ablatione, excepta Civitate Poſonien. ad quam Fratres de Zacolka quæſtionis gratia accedere non præſumant: lici-

licitum tamen erit ipſis in villis adjacentibus prædicare & eleemoſynas petere.

Tertio, quod Fratres provinciæ Hungariæ Salvatoris *in Civitatibus, Quinqueeccleſiorum, Albæ-regalis, ac etiam in oppidis prædictis, dum, ut præfertur, per Prælatos vocantur, certas perſonas ipſis confiteri volentes audire poſſint, non tamen indifferenter in Eccleſiis parochialibus, ut hactenus ſolitum erat. Et hoc idem intelligitur de Patribus alterius Provinciæ, quando contigerit accedere ad terras & Civitates aliorum Patrum; non poſſint tamen ſtare in eiſdem terris niſi per octo dies: & ſi forte eis neceſſe eſſet ultra etiam tempus protrahere, fiat de conſenſu Guardiani locorum præfatæ terræ.*

Quarto, quod ſicut ordinatum eſt in definitorio, Patres Provinciæ Hungariæ beatæ Mariæ *reſtituere debent pecunias auctoritate Apoſtolica ad beati Patris Fr. Joannis de Capiſtrano canonizationem ordinatas, dum canonizatio fiet.* *Vide an. 1521. n. 18.*

Quinto, quod Patres provinciæ Hungariæ ſanctæ Mariæ *habebunt digniorem locum in proceſſione Waradien. ad pacem inter partes componendam, & ſcandala evitanda.*

Sexto, quod Miniſtri utriuſque Provinciæ teneantur quamprimum inſimul convenire, & ſimul ea tractare, ordinare & concludere, quæ pro communi pace, unitate & concordia eis videbuntur ordinanda; quæ omnia Generale Capitalum confirmat, & ex nunc approbat, præcipitque quod inviolabiliter cum omnibus ſupraſcriptis obſerventur..

Mandantes poſtremo præcepto & ordinatione Reverendiſſimi Patris Generalis ambabus partibus, omnibuſque & ſingulis prædictarum Provinciarum Patribus & Fratribus per obedientiam ſalutarem in virtute ſancti Spiritus, necnon ſub excommunicationis pœna, ut prænotata omnia & ſingula ſine exceptione aliqua, & ſine gloſſa, ſimpliciter, & ſine aliqua fraude vel dolo adimpleant & effectualiter obſervent, earumque Provinciarum Miniſtris ſub eiſdem pœnis, ut eadem diligentiſſime & integraliter adimpleri faciant. In quorum omnium præmiſſorum fidem & teſtimonium præſentes Ordinis ſigillo munitas, & per manus Reverendiſſimi Patris Generalis, omniumque noſtrum ſubſcriptione ſignatas tradi mandavimus.. Datum in Conventu noſtro Burgenſi, anno, menſe & die ſuperius annotatis..

Sententia erectionis provinciæ Flandriæ..

IX. *IN nomine Domini, Amen. Cum in noſtro Generaliſſimo Capitulo, in Provincia & Conventu Burgen. Regni Caſtellæ, anno Domini* MDXXIII. *in ſolemnitate Pentecoſtes celebrato, provinciæ Franciæ magnitudo exceſſiva, nationum diverſitas, & Conventuum ſeu Monaſteriorum tam Fratrum, quam Sororum multitudo, productæ fuerint examinandæ, & ad finem debitæ proviſionis habendæ fuerunt deſuper allegatæ: hinc eſt, quod ego frater Franciſcus de Angelis, totius Ordinis Minorum Miniſter Generalis, Miniſtri Provinciales, & Provinciarum omnes Cuſtodes cuſtodum Generaliſſimi Capituli vocales, in unum capitulariter congregati, magnitudine, diverſitate Conventuum, ac perſonarum multitudine præmiſſis, præfatæ provinciæ Franciæ Pariſien. etiam, & Provincialium Miniſtrorum magnis gravaminibus, ac viſitationis tempore laboribus mature diſcuſſis & conſideratis; ad tantam Provinciæ amplitudinem reſtringendam, ordinariorum videlicet Provincialium Miniſtrorum exceſſivum laborem relevandum, vitæque regularis ad obſervationem, a præfata provincia Franciæ Pariſienſis Conventus* *Ibid. fol. 60.*

cu-

cuſtodiæ Flandriæ, accedente ſummi Pontificis auctoritate, ſeparare, eamdemque Flandriæ cuſtodiam in Provinciam erigere decrevimus, & ex nunc, prout ex tunc, ulteriori abſque dilatione præfatam Flandriæ Cuſtodiam de Conventibus & Fratribus, olim de familia *nuncupatis, dumtaxat, in provinciam Flandriæ erectam & nominatam definitive ſententiando, omnibus, quorum intereſt, intererit, vel quomodolibet intereſſe poterit, denuntiamus per præſentes. Cui quidem provinciæ Flandriæ annes & ſinguli Conventus tam Fratrum Minorum olim* de familia *dictorum, qui videlicet ſunt Conventus ſancti Audomari, Brugen. Ganden. Tprenſis, Sluſenſis, Namurcen. Dunkerken. Athenſis, Dixmuden. Hulſten. ſancti Franciſci ſuper Sambram, Aveſnen. Bergen. Leodien. & locus de Convivio; quam Sororum ſanctæ Claræ, beatæ Mariæ Annuntiatæ, ac Tertiariarum, ſcilicet Griſearum, Hoſpitaliariarum, Nigrarum, ſeu de Cella nuncupatarum, & ſanctæ Catarinæ in terminis noſtrorum præfatorum Conventuum, Provinciali Miniſtro Franciæ Pariſienſi aduſque ſubjectarum in dominiis, juriſdictionibus Flandriæ, Honnoniæ, Arteſiæ, terræ Leodienſis, & Comitatibus Namurcen. videlicet, & ſancti Pauli ſituatis, prædictæ provinciæ Flandriæ ad ejus integritatem aſſignantes. Itaque Provincialis Miniſter ſæpefatæ provinciæ Flandriæ noſtra determinatione præfatos Conventus loca & Monaſteria tam Fratrum, quam omnium prædictarum Sororum, ac Fratres & Sorores, ac quaſcamque mihi ſubditas perſonas in illis degentes, viſitare, regere, & ut verus & indubitatus ordinarius per omnia gubernare poterit & teneatur. Præterea Conventus, loca & Monaſteria tam Fratrum, quam Sororum, Communitates, Fratres ſcilicet & Sorores, & quaſcumque perſonas olim obedientiæ Reverendi Patris Provincialis Miniſtri provinciæ Franciæ ſubjectas, in dictis juriſdictionibus, dominiis, villis & terris, locis, Monaſteriis & Conventibus degentes, Miniſtro Provinciali Flandriæ eligendo pro tempore de cetero ſubjicimus, & ſubjectas eſſe debere decernimus & declaramus. Ideo ſuper omnibus præmiſſis approbationem Apoſtolicam petere proponimus, quam habere ſperamus. Quare iſtam ſeperationem, & provinciæ inſtitutionem firmam & ſtabilem eſſe volumus, quam neceſſariam ad vitæ regularis promotionem judicamus. Contradictiones, appellationes, & alias juris allegationes perpetuo caſſantes penitus & annihilantes, perpetuum ſilentium hac in re partibus imponendo, ſub pœna privationis omnium actuum legitimorum & officiorum ipſo facto incurrenda. In hujus autem ſeparationis, ſententiæ, & erectionis Provinciæ, ſeu inſtitutionis fidem & teſtimonium, ego frater Franciſcus de Angelis Generalis Miniſter, qui ſupra, ſigillavi meo manuali, ac officii mei ſigillum præſentibus duxi apponendum. Datum in Conventu noſtro Burgenſi, tempore celebrationis noſtri Generaliſſimi Capituli, anno Domini* MDXXIII. *celebrati.*

X. Erectionem hanc provinciæ Flandricæ paulo poſt ſuam ad Pontificatum aſſumptionem, ita Clemens VII. hoc anno confirmavit.

Ad perpetuam rei memoriam.

Reg. Ciſm. fol. 38. Confirmatur erectio provinciæ Flandriæ.

Romani Pontificis providentia ea, quæ pro perſonarum in ſpiritu humilitatis Divinis laudibus vacantium quiete, & ſalubri ſtatu & gubernatione geſta fuiſſe reperiuntur, ut illibata perſiſtant, Apoſtolico conſuevit munimine roborare, ac deſuper opportuna ſtatuere. Exponitur pro parte dilecti filii Franciſci de Angelis Miniſtri Generalis Ordinis Minorum, quod in proximo Generaliſſimo Capitulo, nuper in Conventu Burgenſi regni Caſtellæ cele-

Anno Christi 1523.	Adriani VI. an. 1. & 2.	Caroli V. Imp. anno 5.	Religionis Minorum anno 316.

lebrato Generalis ac Provinciales Miniſtri, ac Provinciarum omnium Cuſtodes dicti Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, provide conſiderantes, quod Cuſtodia Flandriæ, quæ ſub provincia Franciæ Pariſienſis exiſtebat, propter ipſius Provinciæ nimiam amplitudinem & latitudinem, ac linguarum diverſitatem, debite non poterat viſitari, nec ſpiritualiter conſolari, prout Dei ſervitio, ipſiuſque Ordinis Fratrum tranquillo ſtatui expediebat; eamdem Flandriæ Cuſtodiam, Apoſtolicæ Sedis accedente decreto, a præfata provincia Franciæ Pariſienſis ſeparārunt, ipſamque cuſtodiam ex tunc in provinciam Flandriæ creare & erigere decreverunt, ac cuſtodiam ipſam de Conventibus & Fratribus, olim de familia *nuncupatis duntaxat, in provinciam Flandriæ creatam & nominatam, definitive ſententiando, omnibus, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe tanc poterat & poſſet in futurum, denunciavere, & eidem provinciæ Flandriæ, Conventus ſancti Audomari, Brugen. Ganden. Ypren. Sluſen. Namurcen. Athenſen. Dixmuden. Hulſten. ſancti Franciſci ſupra Sambram, Aveſnen. Bergen. Leodien. & locum de Convivio, omneſque & ſingulos alios dictæ cuſtodiæ tam Fratrum Minorum olim de familia, quam etiam Sororum ſanctæ Clarę, beatæ Mariæ Annunciatæ, ac Tertiariarum, ſcilicet Griſearum, Hoſpitalariarum, Nigrarum, ſeu de Cella nuncupatarum, & ſanctæ Catarinæ in terminis Conventuum prædictorum, & diſtrictu cuſtodiæ, ac dominiis, & juriſdictionibus Flandriæ Hannoniæ, Arteſiæ, Leodien. & comitatus Namurcen. & ſancti Pauli exiſtentes Conventus, domos, loca, Monaſteria, & in eiſdem degentes Fratres, Sorores & perſonas, olim Vicariis Provincialibus Franciæ Pariſienſis, & Miniſtris Provincialibus Franciæ Pariſienſis ſubjectas, Miniſtro Provinciali Flandriæ eligendo pro tempore ſubjecere, & ad integritatem Provinciæ aſſignavere. Ita quod Miniſter Flandriæ pro tempore eligendus hujuſmodi, de cetero domos, Conventus, loca, Fratres, Sorores, ac alias perſonas in eis degentes, ut verus & indubitatus Ordinarius in omnibus & per omnia regere, viſitare & poſſet & teneretur; prout in ipſius Franciſci Generalis, & aliorum Miniſtrorum ac Cuſtodum prædictorum deſuper confectis litteris ſententialibus, quarum omnium tenores, ac ſi nullo omiſſo verbo præſentibus inſererentur, pro expreſſis habere volumus, plenius continetur. Quare pro parte Franciſci Generalis, & aliorum Provincialium Miniſtrorum & Cuſtodum hujuſmodi, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut litteris, & in eis contentis hujuſmodi robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui eorumdem Fratrum animi quietem, pacem & commoda ſupremis deſideriis optamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula præmiſſa, necnon alia in dictis litteris ſententialibus contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus & approbamus, eiſque robur perpetuæ confirmationis adjicimus, omneſque & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, ac pro potioris cautelæ ſuffragio, omnia præmiſſa, & alia in litteris contenta hujuſmodi, de novo ſtatuimus & ordinamus, illaque perpetuo obſervari mandamus; ac prædictæ Flandriæ provinciæ Conventibus, locis, domibus, ac Monaſteriis tam Fratrum, quam quarumcumque Sororum ſive Monialium in illis degentium, Fratribus, Sororibus & perſonis quibuſcumque, quod omnibus & ſingulis privilegiis in genere conceſſis, ac gratiis, immunitatibus, prærogativis, exemptionibus, favoribus & indultis, quibus ſub Vicariarum Provincialium Franciæ, & Miniſtrorum Provincialium Franciæ Pariſienſis obedientia hujuſmodi & regimine utebantur, potiebantur & gaudebant, ſeu uti, potiri, & gau-*

& gaudere poterant quomodolibet, in futurum uti, potiri & gaudere poſſint & valeant, eiſdem auctoritate & tenore præſentium indulgemus. Et nihilominus univerſis & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, per præſentes præcipimus & mandamus, quatenus ipſi vel eorum quilibet Fratribus & Sororibus, & aliis perſonis provinciæ Flandriæ hujuſmodi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos, & quemlibet eorum, poſtquam pro parte ſua vel alicujus illorum fuerint requiſiti, per ſe vel alium ſeu alios, omnibus & ſingulis præmiſſis pacifice frui & gaudere, non permittentes Conventus, domos, loca, Fratres, Sorores & perſonas provinciæ Flandriæ hujuſmodi per dictum pro tempore exiſtentem Miniſtrum provinciæ Pariſienſis, aut quoſcumque alios ſuper præmiſſis vel aliquo eorum directe vel indirecte quomodolibet perturbari vel moleſtari; contradictores & rebelles per excommunicationis latæ ſententiæ, & alias Eccleſiaſticas cenſuras, & pœnas eorum arbitrio imponendas compeſcendo: invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis domorum & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque & indultis, ac litteris Apoſtolicis dicto Ordini forſan conceſſis: illis præſertim, quibus inter alia caveri dicitur expreſſe, quod diviſiones Provinciarum in dicto Ordine inſtitutarum, fieri non debeant, & factæ non teneant: quibus, etiamſi ad illorum derogationem, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas id importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, & aliis deſuper conceſſis, ſeu in contrarium nunc & pro tempore etiam in quibuſvis Capitulis Generaliſſimis factis concordiis & conventionibus: quibus omnibus, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die 1. Decemb. MDXXIII. Pontificatus noſtri anno 1.

Sententia de adjudicatis provinciæ Boemiæ Conventibus.

Reg. Cifm. fol. 61. XI. *IN Chriſti nomine. Amen. Cum ad Definitorium noſtrum congregatum in Conventu & Capitulo Generali Burgenſi* MDXXIII. *die* VI. *Junii delatum fuerit negotium urgens, a multis annis citra, inter Patres Saxones ſuperiores, & Patres Boemos ſuper duas cuſtodias Uratislaviæ, & Montis aurei; & viſa fuerint Brevia Pontificum, litteræ Regum, Principum & Communitatum, lectaque fuerit ſententia lata a Patre Benedicto Benchovich, viſaque fuerit appellatio Patrum de Saxonia, & auditæ pleniſſime rationes utriuſque partis; & viſa atque audita humilis ſubmiſſio earum partium, & promiſſio ſtandi ſententiæ inferendæ a Capitulo hoc noſtro Generali & viſis denique omnibus videndis, auditiſque omnibus audiendis, & bene & mature conſideratis, ut cum pace, & rationabili ſatisfactione utriuſque partis, Principum & populorum omnium deducantur; ego frater Franciſcus Angelorum, totius Ordinis Minorum Miniſter Generalis, ſimul cum duodecim Patribus Definitoribus, in eodem Capitulo Burgen. antedicto ad hoc ordi-*

dinatis, decrevimus advocare ad nos omnia iſta litigia, controverſias, determinationes, ſententias, & quævis in hac materia geſta ſunt uſque in hodiernum diem, & quæ geri poſſunt, & extinguere omnia, atque de æquo & bono, auctoritate pleniſſima determinare, ſicuti, Spiritu ſancto ſuggerente, nobis videtur opportunum ad æquitatem, pacem & quietem omnium conducendam, & ad tollendas omnes lites & controverſias, quæ in poſterum oriri poſſunt. Decernimus itaque, definimus, determinamus & jubemus, ut Patribus de Boemia aſſignetur tota cuſtodia Uratislavien. cum ſuis Conventibus tam Fratrum, quam Monialium, qui Conventus ſcilicet ſunt Uratislaviæ, Sveydvitz, Novum forum, Monſterberg. Niſereſis, Bregæ, Navislavis; necnon aſſignamus duos Conventus in cuſtodia Aurei montis, videlicet Legnitzenſem, & Aurimontenſem, ſimul cum duobus Monaſteriis Monialium ſanctæ Clarę, quæ ſunt in cuſtodia Uratislaviæ, videlicet in dicta Uratislavienſi Civitate, & in oppido Strelenſi. Quæ loca omnia prænominata aſſignamus, applicamus, & perpetuo adſcribimus ipſi provinciæ Boemiæ, & Patribus Provinciæ præfatæ habitanda, & regenda in poſterum ſine aliqua contradictione, & hoc ſimul cum omnibus calicibus, paramentis, utenſilibus, libris, & quibuſcumque pertinentibus ad antedictas domos & Conventus. Et ſi qui Fratrum habitantes in illis Conventibus, voluerint remanere cum Patribus Boemiæ, cum Dei benedictione, & merito obedientiæ remaneant: jubemus ipſis Patribus Boemis ut omni humanitate & caritate eos ſuſcipiant, & in poſterum eadem humanitate pertractent. Alia autem loca ejuſdem cuſtodiæ olim Aurei montis, nunc autem & in poſterum per hanc eamdem noſtram ſententiam dicendæ & nominandæ, relinquimus & aſſignamus perpetuis futuris temporibus Patribus olim Saxoniæ ſuperioris, S. Joannis Baptiſtæ, nunc autem & in poſterum provinciæ Thuringiæ. Qui autem Conventus ſunt Lemberg, Lambeu, Lumben. Budiſſin. Boaratz, Soraviæ, Croſſen. Sagavii, qui ea perpetuo gubernet in timore Domini & pace: mandantes Patribus & Fratribus utriuſque partis, ut in pace & caritate maneant, ſuſcipientes ſe invicem in amore & caritate, quando quis ad loca alicujus partis declinare contigerit. Decernentes & mandantes omnibus utriuſque jam ſæpius dictæ partis, tam Miniſtris Provincialibus, quam Cuſtodibus, Guardianis, & ſubditis omnibus, ut per ſanctam obedientiam, & ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, in omnibus & ad unguem obediant & pareant hinc noſtræ determinationi. Si autem aliqua prædictarum partium contra hanc noſtram determinationem contraire, aut per aliquam viam, quæcumque ſit, attentare præſumpſerit, immediate privetur Conventibus ſibi aſſignatis. Itaque ex noſtra hac determinatione ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, alteri parti intelligantur per nos aſſignati. Et ſi aliquis particularis frater contra hanc præmiſſam noſtram determinationem aliquid attentaverit, ipſo facto privamus eum, & privatum denuntiamus omnibus actibus legitimis, & ab utraque illarum Provinciarum expellendum determinamus. Datum in Conventu noſtro ſancti Franciſci Civitatis Burgen. in Generali Congregatione ibidem celebrata, anno & die quo ſupra MDXXIII. VI. *Junii.*

XII. Diviſionem hanc ſeu ſeparationem duplicis Cuſtodiæ a provincia Saxoniæ, & applicationem utriuſque ad provinciam Boemiæ, ſuis litteris Clemens VII. hoc ipſo anno, & in limine ſui Pontificatus confirmavit.

Ad perpetuam rei memoriam.

Reg. Vitramont. fol. 52. Confirmantur decreta circa provincias Saxoniæ & Boemiæ.

Romani Pontificis providentia, ea quæ pro perſonarum in ſpiritu humilitatis Divinis laudibus vacantium quiete, & ſalubri ſtatu & gubernatione geſta fuiſſe reperiuntur, ut illibata perſiſtant, Apoſtolico conſuevit munimine roborare, ac deſuper opportune providere. Exponitur pro parte dilecti filii Franciſci de Angelis, Miniſtri Generalis Ordinis Minorum, quod in proximo Generaliſſimo Capitulo, nuper in Conventu Burgen. Regni Caſtellæ celebrato, ipſe Generalis, ac Provinciales Miniſtri, & provinciarum omnium Cuſtodes Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ provide conſiderantes, quod Cuſtodia Uratislaviæ propter multas exinde exortas diſcordias, debite non poterat per ſe regi, nec ſpiritualiter conſolari, prout Dei ſervitio, ipſiuſque Ordinis Fratrum tranquillo ſtatui expediebat, eamdem Cuſtodiam Uratislaviæ, Apoſtolicæ Sedis accedente decreto, provinciæ Boemiæ perpetuo conjungere decreverunt, ac Conventus, domos & loca ipſius Cuſtodiæ tam Fratrum, quam Sororum, videlicet Uratislaviæ, Sverdenich, Novifori, Monſterbergh, Nyſenſis, Bregæ, Wratislaviæ, ac Lignicenſis, Aurimontenſis Cuſtodiæ Aurimontis; necnon Conventus Monialium ſanctæ Claræ Wratislavien. & Strelen. provinciæ Boemiæ, definitive ſententiando omnibus quorum intereſt, aut intereſſe quomodolibet tunc poterat, aut poſſet in futurum, conjunctos, & provinciæ Boemiæ unitos denuntiarunt, ac Miniſter provinciæ Boemiæ nunc & pro tempore exiſtens hujuſmodi de cetero domos, Conventus, loca, Monaſteria, Fratres, & alias perſonas in eis degentes, ut verus & indubitatus Ordinarius in omnibus & per omnia regere, viſitare & gubernare poſſit & teneatur; prout in ipſius Franciſci Generalis, & aliorum Miniſtrorum ac Cuſtodum prædictorum deſuper confectis ſententialibus litteris, quarum omnium tenores, ac ſi nullo omiſſo verbo, præſentibus inſererentur, pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Quare pro parte Franciſci Generalis, & aliorum Miniſtrorum ac Cuſtodum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut litteris, & in eis contentis hujuſmodi robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui eorum Fratrum animi pacem, quietem & commoda ſupremis deſideriis exoptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula præmiſſa, necnon alia, dummodo ſacris canonibus non ſint contraria, in dictis litterit ſententialibut contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus & approbamus, eiſque robur perpetuæ confirmationis adjeimus, omneſque & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, ac pro potioris cautelæ ſuffragio, omnia præmiſſa & alia in litteris contenta hujuſmodi de novo ſtatuimus & ordinamus, illaqae perpetuo obſervari mandamus; ac præfatis Conventibus, locis, domibus & Monaſteriis tam Fratrum, quam Sororum quarumcumque, & in illis degentibus Fratribus & Sororibus, & perſonis quibuſcumque, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis & immunitatibus, prærogativis, exemptionibus, favoribus & indultis, quibus provincia Boemiæ utitur, potitur & gaudet, ſeu uti, potiri & gandere poterat quomodolibet, in futurum uti, potiri & gaudere poſſint & valeant, eiſdem auctoritate, & tenore præſentium indulgemus. Et nihilominus univerſis & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis per præſentes præcipimus & mandamus, quatenus ipſi & eorum quilibet Fratribus & Sororibus,

& aliis

& aliis perſonis provinciæ Boemiæ bujuſmodi in præmiſſis efficacioris defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos & quemlibet eorum, poſtquam pro parte ſua vel alicujus illorum fuerint requiſiti, per eos vel alium ſeu alios, omnibus & ſingulis præmiſſis pacifice frui & gaudere: non permittentes Conventus, domos, Fratres & perſonas provinciæ Boemiæ bujuſmodi per Provincialem Miniſtrum Turingiæ, alias Saxoniæ ſancti Joannis Baptiſtæ, aut quoſcumque alios ſuper præmiſſis vel eorum aliquo directe vel indirecte quomodolibet perturbari ſeu moleſtari; contradictores ſeu rebelles per excommunicationis latæ ſententiæ, & alias Eccleſiaſticas cenſuras & pœnas eorum arbitrio imponendas, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis domorum & Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis, indultis, & litteris Apoſtolicis dicto Ordini forſan conceſſis, illis præſertim, quibus inter alia caveri dicitur expreſſe, quod diviſiones & ſeparationes Provinciarum in dicto Ordine inſtitutarum fieri non debeant, & factæ non teneant: Quibus, etiamſi ad illorum derogationes de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas id importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, & aliis deſuper conceſſis, ſeu in contrarium nunc & pro tempore, & in quibuſvis Capitulis Generalibus factis concordiis & conventionibus: quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque: Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto bujuſmodi mentionem. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIX. *Decembris* MDXXIII. *Pontificatus noſtri anno* I.

XIII. Hæc & alia pleraque inter Ordinis ſtatuta ſuo loco reponenda, in his Comitiis decreta ſunt, prudenter quidem & graviter, ita ut Miniſtri Generalis ſapientia, & ſtabiliendæ Regularis Obſervantiæ zelus maximopere in his Comitiis eluxerit. Alia vero hoc anno celebrarunt Patres Conventuales Aſſiſii Comitia, in quibus quid actum ſit, comperire non potui. Quiñonius autem poſt abſoluta Burgis negotia, perrexit ad Carolum Cæſarem, Valliſoleti hærentem, ubi die XXIII. Junii, multa cum illo peregit de protegenda & honoranda Religione. Obtinuit litteras ad ſummum Pontificem, quas Commiſſarius Generalis Romam pertulit; alias ad Ferdinandum Principem, in Germania pro Carolo fratre Regentem, alioſque illarum gentium Principes, ut impenſe faverent duobus ſupradictis Inquiſitoribus contra Lutheranam hæreſim amandatis: Ad Cardinales, & Romanæ Curiæ Magnates, ut propitii eſſent Ordinis negotiis: nihilque intentatum reliquit, quod fulciendo & promovendo Inſtituto conducebat.

Capitulum Gener. Conventu. Aſſiſii. *Rosnd. fol. 244.*

Quiñonius diligenter incumbit Ordinis regimini.

XIV. Illic ab Imperatore rogatus, pro ſacris concionibus ei deſtinavit Antonium de Guevara, ex variis doctiſque editis libris notiſſimum, Regioſque aliquot inſtituit Confeſſarios. Nomina formamque inſtitutionis placuit dare candidis ipſius Quiñonii verbis, ex quibus percipere licebit, quanta circumſpectione in his etiam concedendis utebatur, & quam procul erant Religioſi ab his miniſteriis, quæ nunc tam avide ambiuntur, appetendis, ut potius eis præcipienda fuerint, & illi penitus a Superioris voluntate pen-

Antonius de Guevara Eccleſiaſtes Imperatoris.

Reg. gen. Ultramont. fol. 91.

penderint: *Die*, inquit, XXIII. *Auguſti inſtitui in Prædicatorem capellæ Cæſareæ Majeſtatis venerabilem Patrem fratrem Antonium de Guevara, eximium prædicatorem, ab ipſo Imperatore requiſitum. Cui per obedientiam præcepi, ut ſequeretur Curiam, & in ipſa maneret, atque reſideret prædicaturus ubicumque terrarum Imperator fuerit. Cui etiam conceſſi, ut omnibus prædicatorum regalium privilegiis gaudere poſſet, atque unum noſtri Ordinis, cujuſcumque provinciæ voluntarium, ſibi conſolabilem ſocium habere. Omnibuſque Prælatis noſtri Ordinis præcepi, nullum ſibi obſtaculum ſeu impedimentum ponerent. Et ultra hoc præcepi, ut in omnibus Conventibus illorum locorum, ubi Curia reſederit, caritative & benigne cum ſocio, ut par eſt, reciperetur & tractaretur.*

Michael Serra confeſſarius Sororis Imperatoris.

XV. *Precibus Cæſareæ Majeſtatis obtemperans, mandavi per obedientiam Patri fratri Michaeli Serra, ut audiret confeſſiones Illuſtriſſimæ Dominæ, Dominæ Catarinæ, ipſius Imperatoris, & Regis Catholici Hiſpaniarum ſororis, ac maneret cum ipſa ubicumque fuiſſet, cum uno conſolabili ſocio, ab ipſo de ſua provincia Aragoniæ eligendo toties, quoties ſibi bene viſum fuerit, donec aliud per me ſibi fuerit mandatum. Si autem (quod abſit) videret ſe non poſſe in illo ſtatu & officio ſuam Regulam obſervare, & religioſe vivere, conceſſi eidem licentiam recedendi, & ad prædictam ſuam provinciam in tali caſu redeundi, quando ſibi placeret. Eadem die dedi obedientiam Patri fratri Bernardino de N. præcipiens ei ut audiret confeſſiones Potentiſſimæ Matris Chriſtianiſſimi Regis Franciæ, & maneret cum ipſa in Curia, donec ego aliud ei præcepero. Eadem die mandavi per obedientiam fratri Vincentio Neapolitano, ut audiret confeſſiones Magni Magiſtri Regis Franciæ, eique conceſſi, ut poſſet accipere unum ſocium de provincia Franciæ, vel de provincia S. Bonaventuræ. Impoſui per obedientiam fratri Bernardino de Puteo-Bonelli de Mediolano, quatenus cum ſocio per ipſum de quacumque provincia cum conſenſu Miniſtri eligendo, tempore Quadrageſimæ ſe conferret Lugdunum Italis prædicaturus, idque munus per triennium perageret.*

Bernardus N. confeſſarius Matris Regis Galliarum.

Vincentius Neapolitanus confeſſarius magni Magiſtri Regis Galliarum.

XVI. Vallisoleto abiit ad Extremam-Duræ, & provinciam ſancti Gabrielis, ubi Congregatione intermedia celebrata in Conventu de Bellovisu, confirmatoque in Miniſteriatu Franciſco de Fraxino ſeu Frexinali, *quoniam optimi mihi*, inquit, *regiminis viſus eſt*, ſtatuit ibi ſeligere viros vere Apoſtolicos, religioſos, zelum Dei & animarum habentes, quos ad repetita Imperatoris vota deſtinaret ad terras Jucatani, *Novæ* dictas *Hiſpaniæ*. Collegit itaque viros duodecim probatæ vitæ & doctrinæ, tanto muneri idoneos, Franciſcum de Soto, Martinum, & Joſephum a Corunia, Joannem Suarez, Antonium Suarez Civitatenſem, ſeu ab Urbe Roderici, Toribium Beneventanum, viros doctos, egregios concionatores, & prudentes Confeſſarios, Garciam de Ciſneros, Ludovicum de Fuenſalida, Prædicatores adoleſcentiores, Joannem de Ribas, & Franciſcum Ximenez, mere Sacerdotes; Andream de Corduba, & Bernardinum a Turre, laicos ſive converſos, omnes ferme primitus provinciæ ſancti Jacobi, a qua iſta ſancti Gabrielis nuper prodierat, alumnos. His præfecit Cuſtodis titulo Martinum de Valentia Joannis, oppido tractus Campenſis in Caſtella prope Legionis urbem, domoſque per illam regionem, ſive jam diſperſas, ſive in poſterum ædificandas, *Cuſtodiam* juſſit vocari *ſancti Evangelii*. Illi autem lætiſſime ad iter ſe accingentes, ſpem omnem in mittentis reponebant virtute. Conſiderabant Prælatum ſuum, non tamquam hominem, ſed loquentem in ipſo Chriſtum, pro cujus amore ſe illi ſubjecerunt: *Hæc eſt propria hominis obedientia, quam homini debemus, qui homini ſubditi ſumus.*

Seligit Quiñonius duodecim Fratres mittendos in novam Hiſpaniam.

Illi læti ſe accingunt ad iter.

Bern. vel auctor ſerm. de obedien.

mus. Communis eſt iſta inter Deum & hominem, quia quidquid obedientiæ Prælatis exhibetur, ei exhibetur, qui dicit. Qui vos audit, me audit. Licet ad novum belli genus deſtinarentur, & inſolitum præliandi morem penſitarent, cum illos Prælatus abſque ullis ſubſidiis humanis ad efferas gentes, & longinquas regiones *nudos mitteret, una indutos tunica, ſine calceis, abſque virga, & abſque zona & pera, & ab exeipientibus, imo a contradicentibus ali prætenderet*, & amplius cogitarent ſe inermes, imparatos, injuriis quibuſque obnoxios, mitti ſicut oves in medio luporum, non tamen animum deſpondent, nec Superioris ordinationi reſiſtunt: *Avida eſt periculi virtus, & quo tendat, non quid paſſura ſit, cogitat, quoniam, & quod paſſura eſt, gloriæ pars eſt.*

Luca 10. 16.

Chriſoſt. hom. 34. *in Matth.*

Seneca lib. 4. *de Provid. c.* 4.

XVII. Videns autem Quiñonius adeo promptos & hilares ad ſubeundos longiſſimæ transfretationis certiſſimos labores, neque moras ullas ſubtexere, ſtatim dedit eis obedientiæ peragendæ inſtrumentum, & miſſionis ſubeundæ piam & ſinceram inſtructionem, in qua non ſemel ſuam infelicem deflet ſortem, quod itineris comitem, laboris ſocium, & meriti non liceat eſſe participem. Opus hoc concupiiſſe, & ſubeundo ſe paraſſe ſuperius narravimus: licuit itaque hoc aliis imperare, quod ipſe prius voluit exercere: *Si ego*, inquit ſanctus Franciſcus, *miſi Fratres meos ad longinquas provincias, ad laborem & verecundiam, famem & ſitim, & quamplurimas alias neceſſitates ſuſtinendas, juſtum & bonum mihi videtur (prout humilitas ſancta requirit) ut & ego ſimiliter vadam ad aliquam remotam provinciam, maxime ut Fratres ſuas neceſſitates & tribulationes magis patienter valeant ſuſtinere, cum me illud idem audierint tolerare.* Acer quidem eſt militis ſtimulus Ducis exemplum. Facta præeuntis, calcaria ſunt ſubſequentis. Do hic iſtorum documenta.

An. 1521. *n.* 1.

Vide Tom. 1. *an.* 1217. *n.* 1.

Quam efficax Superioris exemplum.

XVIII. *In Chriſto ſibi cariſſimis, venerandis Patribus fratri Martino de Valentia Confeſſori ac Prædicatori, ac aliis duodecim Fratribus Ordinis Minorum ſub ejus obedientia ad partes infidelium, in terris de Yucatan degentium deſtinandis, ceteriſque omnibus ſimili recipiendis, vel in futurum mittendis Fratribus, frater Franciſcus Angelorum, totius ejuſdem Ordinis Minorum Generalis Miniſter & ſervus, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.*

Inter aſſiduas curas, quæ in quotidiana emergentium mihi negotiorum inſtantia mentem meam occupant, ea præcipue me ſollicitat & angit, ut cum Apoſtolico viro, ac Seraphico Patre noſtro Franciſco animas Chriſti pretioſo ſanguine redemptas, a Sutanica calliditate deceptas, in umbra mortis degentes, & vanitatibus Idolorum detentas, tota viſcerum commotione, aſſiduiſque cordis ſingultibus a faucibus draconis exeerpere coner, & ſub Crucis vexillo militare, & jugo Chriſti collum ſubmittere faciam, præſtante Altiſſimo. Per vos cariſſimos Fratres meos, quia aliter ſitibundi Franciſci de ſalute animarum zelum ad portam cordis mei inceſſabili ictu, die noctuque pungentem, fugere nequibo, & quod per multorum dierum curricula optavi, de veſtrum videlicet numero fieri, & conſequi a ſuperioribus non merui, ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te, *ipſo præſtante, in veſtrum perſonis confidenter obtinere ſpero. Cum igitur eumdem Seraphicum Chriſti vexilliferum Patris æterni benignitas pro ſui nominis attollenda gloria, & fidelium procuranda ſalute, ruinamque quam minabatur, Eccleſiæ impediendam, & ipſam ad primævum ſtatum erigendam, inter perſonas plurimas Divinis obſequiis deputatas, in Eccleſia ſua ſancta, eum prole ſua conſtituit: viros videlicet conſpicuos, qui vitam & merita beatiſſimi Pauli contemplantes, gloriantur in ſola cruce*

Inſtrumentum Miſſionis. *Reg. gener. Ultram. fol.* 99.

Matth. 16. 26.

Galat. 6. 14.

Do-

Domini, ſperuendo mundi ſolatia pro delitiis paradiſi. Ipſe igitur vir Dei ſuæ vocationis non immemor, per ſe, ſuoſque filios ad gremium militantis Eccleſiæ tam fideles, quam infideles conabatur redaccre. Illi vero ſemper affectum ad amorem cœleſtium erigentes, virtutem Divini nominis per orbem terrarum aſſidue adhuc publicant, & circa Chriſtianæ religionis cultum vigili attentione deſudant. Quid ultra? certe profligando hereſes, & contra alias peſtes mortiferas extirpandas, voluntariæ abjectioni ſe dedicarunt, & ſanguinem proprium anhelantes evertere, Chriſti amoris incendio inflammati, ad partes infidelium martyrii palmam ſitientes, Pater prædictus, cum aliquibus filiis per univerſas mundi partes ſe contuleruns. Nunc autem cum inclinata eſt jam dies, hora XI. *vocati vos eſtis a Patrefamilias, ut in ejus vineam eatis, non pretio aliquo conducti, ſicut ceteri, ſed ſicut tanti Patris veri filii, non quæ veſtra, ſed quæ Jeſu Chriſti ſunt, quærentes, ſine mercedis promiſſione ad vineam, poſt Patrem curratis filii, qui ſicut appetiit, noviſſimum ſic & obtinuit, fieri virorum; vos ceteroſque ejus veros filios noviſſimos eſſe voluit, mundi gloriam calcantes, vilitate dejectos, ecclſitudinis paupertatis poſſeſſores, & tales, quos mundus habuiſſet in derifionem, & ſimilitudinem improperii, & vitam veſtrum aliqui exiſtimarent inſaniam, & finem ſine honore, ut ſic ſtulti mundo facti per ſtultitiam prædicationis appareatis mundum convertentes. Nec, quia non pretio conducti, imo potius ſine mercedis promiſſione miſſi, turbemini, quoniam vir Dei interna ſpiratione a Patre luminum illuſtratus, non obnubilato oculo, quod de noviſſimis vos faceret, primos firma tunc certitudine conſpexit. Ad vos igitur, o filii, extremo jam inſtante ſeculi feneſcentis interitu, clamito Pater, atque veſtras excito mentes, ut Regis aciem jam labentem, jam jamque ab hoſtibus fugientem defendatis, & certamen victorioſum triumphatoris ſuperni verbis & actibus contra hoſtes aggredientes præliemini; & ſi hue uſque quæſiſtis eum Zacheo in Sicomoro, crucis ſaetum ſugentes, videre Jeſum, quis eſſet; nunc feſtinantes deſcendite ad activam vitam; & ſi quam ex animabus hominum in crucis geſta contemplando defraudaſtis, reddite per activam ſimul & contemplativam quadruplum proximis, pro Chriſti nomine, & eorum ſalute ſanguinem proprium (quod in quadruplum præponderat ſoli contemplationi) fundentes; & videbitis per amplius tunc quis Jeſus ſit, cum ad id peragendum de vobis ipſis diffidentes, receperitis congaudentes in cordibus veſtris, quoniam faciet vos ſtatura puſillos de hoſte captare triumphum. Sic ergo feſtinantes currite, ut comprehendatis vos ipſi, quos juxta veſtræ ecliſitudinem profeſſionis zelus comedit animarum, & in odorem unguentis currere unguentorum illorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti, & pro ejus amore ſanguinem ſuum fuderunt: & ideo juxta Regulæ veſtræ tenorem ad partes infidelium inſtanter petiiſtis vos mitterem, ut ibi pro fide Chriſti, & fidelium converſione certantes, proximorum & veſtras Chriſto lucrifaceretis animas, parati pro eo, & ipſorum ſalute in carcerem & in mortem ire. Ea propter, quia ex probitate vitæ veſtræ, diverſis indiciis & probationibus intellexi, imo & ex geſtis cognovi, idoneos vos eſſe ad vexillum Regis gloriæ, quod procul levare geſtitis, uſque ad mortem tenendum, publicandum & defenſandum; ideo de Divina bonitate confidens, ad gentes, quæ Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum non cognoverunt, & idolatriæ cæcitate detinentur ſub Sathanicæ captivitatis jugo in Indiis, quæ vulgo* Yucatan, *ſive* Nova Hiſpania, *aut* Terra firma *dicitur, degentes convertendas verbo & exemplo, auctoritate mei officii in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti vos deſtino & mitto; & ad meritum ſanctæ obedientiæ injungo pariter & mando, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter*

ſter maneat: & vos duodecim, & quoſcumque alios in futurum veſtro adhæſuros gremio, tibi præfato venerabili Patri fratri Martino de Valentia, tamquam Paſtori, & vero ipſorum Prælato, & tuis ſucceſſoribus in officio ſubmitto, & te in ipſorum verum Prælatum conſtituo. Similiter & tuos ſucceſſores in officio, juxta inſtructionem a me vobis de modo vitæ & converſationis veſtræ tradendam, teque Cuſtodem voco, nomino & inſtituo ipſorum, & Cuſtodem te vocari volo & mando; & mihi ſoli, meæque obedientiæ, & ſucceſſorum meorum in officio repono & ſubmitto, & Commiſſarii etiam Hiſpaniæ in his, in quibus ad ipſum recurſum habueris tu ipſe, aut ſucceſſores tui cum majore parte Fratrum per terras veſtras, uſquequo tibi aut ſucceſſoribus tuis aliud in mandatis a Capitulo noſtro Generali conſtiterit. Vobis præterea duodecim, & veſtro in futurum aggregandis conſortio, & cuilibet veſtrum & ipſorum, ad meritum ſanctæ obedientiæ injungo pariter & mando, ut eidem præfato fratri Martino de Valentia, tamquam vero & indubitato veſtro Prælato & Cuſtodi, & ejus ſucceſſoribus in officio in omnibus obediatis, in quibus Generali Miniſtro juxta Regulæ tenorem tenemini, ceteriſque Prælatis veſtris obedire. Et quia tam ſubditis, quam Prælatis, ex injuncta mihi officii cura, quod occupo immeritus, debitor ſum, pluraque pro tempore circa Cuſtodiam tibi commiſſam poſſint occurrere meum officium concernentia, pro quibus efficaciter providendis mea foret præſentia requirenda: Hinc eſt, quod tibi prædicto fratri Martino de Valentia, de cujus religionis fervido zelo, & laudabili maturitate, ſcientia & diſcretione præcipua, & idoneitate multiplici, pleniùs in Domino confido, & cuilibet ex ſucceſſoribus tuis in officio, tenore præſentium vices meas pleniſſime committo, quoad omnes ſubditos tuos, qui modo ſunt, & pro tempore in futurum erunt, & quoad omnes & ſingulos Conventus, ſi qui modo ſunt noſtri Ordinis, & in futuram erunt in prædicta nova Hiſpania, ſive terra de Yucatan; *dans tibi & illis auctoritatem & facultatem omnimodam in utroque foro tam exteriori judiciali, quam interiori, conceſſione nedum ordinaria, quæ mihi competit ex officio, verum etiam ex indultis Apoſtolicis mihi cum poteſtate ſubdelegandi conceſſa; videlicet publice & privatim viſitandi, monendi, corrigendi, puniendi, inſtituendi, deſtituendi, ordinandi, prohibendi, & diſponendi, ligandi & abſolvendi, & diſpenſandi in quibuſcumque pœnis, irregularitatibus & defectibus, & circa quæcumque ſtatuta Ordinis, & circa quæcumque præcepta, in quibus ego ipſe poſſem quoad utrumque forum, ac per cenſuras Eccleſiaſticas, & alias pœnas canonicas coercendi & compellendi, interpretandi & declarandi dubia, & generaliter omnia & ſingula officium & auctoritatem Miniſteriatus Generalis quomodolibet concernentia, ſpecialiter faciendi & perficiendi, quæ, & quemadmodum ego ipſe perſonaliter tam ex mea ordinaria poteſtate, quam ex commiſſione Apoſtolica facere & perficere poſſem, etſi talia forent, quæ propter ſui arduitatem expreſſa & ſpecifica indigerent expreſſione. Quæ omnia & ſingula haberi volo præſentium ſerie pro ſufficienter expreſſis, duobus dumtaxat demptis caſibus, quos mihi ipſi reſervo. Primus eſt, recipiendi mulieres, ſive virgines ſive viduas aut nuptas ad Ordinem & obedientiam Regulæ ſanctæ Claræ tam primæ, quam ſecundæ, vel ad Tertium Ordinem, quos beatiſſimus Pater noſter Franciſcus, quemadmodum & Minorum, noſcitur inſtituiſſe. Secundus, abſolvendi ab excommunicationis vinculo illos, quos propter eorum inobedientiam contumacem me contigerit viva voce & in ſcriptis excommunicare. Poſſis præterea has vices meas & auctoritatem in toto vel in parte uni vel pluribus, quoties tibi viſum fuerit expedire, committere, & commiſſas ad libitum revocare. Et ut labores magni, cum crebris vigiliis,*

Martinus de Valentia Miſſionis Præfectus.

Et Fratrum Cuſtos.

quos per temporum incrementa paſſurus es, in hujus tantæ rei implemento & executione, tuum animum non emolliant, ſed indefeſſum potius, & quotidie renovatum inveniant, & per ampliùs cedant ad meritum, in virtute Spiritus ſancti, & diſtricte per obedientiam tibi præcipio, quatenus prædictæ curæ paſtoralis & commiſſionis officium fideliter ac diligenter exerceas, & ſecundum gratiam tibi a Domino datam, & in futurum augendam expedias. Abite ergo dilectiſſimi cum Patris benedictione filii, impleturi vobis injunctum mandatum, & armati ſcuto fidei, lorica juſtitiæ, gladio ſpiritus, ſalutis galea, & haſta perſeverantiæ, pugnate cum antiquo ſerpente, qui ſatagit animas, Chriſti pretioſiſſimo ſanguine redemptas, obtinere; & Chriſte inerifacite; ita ut Catholicis univerſis fidei, ſpei & caritatis augmenta proveniant, ac perfidis veritatis via pateat, & hæreticæ pravitatis inſania evaneſcat, & ſua gentibus ſtultitia pateſiat, & Catholicæ Fidei lux in eorum cordibus fulgeat, & accipietis regnum æternum. Valete in Chriſto Jeſu, & orate pro me. Datum in Cœnobio ſanctæ Mariæ de Angelis provinciæ Angelorum, III. Kalendas Novembris, ſalutiſque anno MDXXIII.

Frater Franciſcus Angelorum Generalis Miniſter & ſervus.

Inſtructio pro eiſdem Miſſionariis. *Reg. gener. Ultram. fol. 103.*

XIX. *Frater Franciſcus Angelorum, totius ſacri Ordinis Minorum Generalis Miniſter & ſervus, venerabili ac devoto Patri fratri Martino de Valentia, Cuſtodi Cuſtodiæ ſancti Evangelii in nova Hiſpania, & terra de Yucatan exiſtenti, ceteriſque Religioſis illic commorantibus per me miſſis, pacem ac paternalem benedictionem. Cum Altiſſimi manus circa ſuarum creaturarum miſerationes non ſit abbreviata, non ceſſat ſuprema illa Paterfamilias Deus noſter, atque plaſmator hanc ſuæ Eccleſiæ vineam ſollicitare, nec uſque in finem deſiſtet novos ei operarios mittere, ut ab ipſa colligere valent laborum fructus, quos Chriſtus Jeſus ejus unigenitus benedictus meruit in cruce. Et quoniam in hac de Yucotan, novaque Hiſpania jam dicta ampliſſima regione, a carne & dæmone vindemiata, Chriſtus, quas ſuo pretioſiſſimo ſanguine emit, animabus non gaudet, dignum mihi ac rationabile viſum eſt, cum illic Chriſto non deſint injuriæ, mihi illarum dolores non deeſſe. Maxime cum juſte & juſtius regali ipſo Propheta, cum ipſo illud habeam ſentire ac premere dictum:* Zelus domus tuæ comedit me, *&* opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. *Cujus quidem rei interiori tactus dolore, glorioſiſſimique Patris noſtri Franciſci, qui ſuos ad infidelium oras deſtinabat Fratres, inhærens veſtigiis, te duodecim per me nominatis aſſociatum Fratribus, ad illas mittere partes patrem religioſum decrevi, tibi atque ipſis ad ſalutaris obedientiæ meritum mandans, quatenus hanc laborioſam acceptetis peregrinationem illius amore, quam, ut bene noſtis, Dei Filius ſumpſit pro nobis, ad memoriam revocantes, quod ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum mitteret in ſummo cælo uſque ad terram, ut per ipſum mundus ſalvaretur; qui poſt hæc in terris viſus eſt, & per triginta trium annorum ſpatium cum hominibus converſatus eſt, Dei Patris ſummi honorem, & perditarum animarum ſalutem quærens: quibus de duabus cauſis in laboribus & paupertate ac miſeriis multis vitam duxit, obediens factus uſque ad mortem, mortem autem crucis; & pridie antequam pateretur, Apoſtolis ſuis dixit.* Exemplum enim dedi vobis, *ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis: quod quidem poſt opere & verbo Apoſtoli docuerunt per univerſum mundum, fidem evangelizantes paupertate nimia, laboribus, anguſtiis atque injuriis plurimis inter gentes, quæ Deum improperabant, vexillum crucis levantes, in quo conflictu lætanter vitam perdiderunt, & gaudentes ibant a con-*

Pſal. 68. 12.

1. Jo. 3. 16.

Jo. 13. 15.

conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro Dei & proximi amore contumeliam & mortem pati; indubitanter ſcientes, quod in his duobus mandatis univerſa lex pendet & prophetæ: Quem quidem modum viri ſancti eorum ſucceſſores ſemper obſervare conati ſunt, & hac duplici, Dei ſcilicet & proximi dilectione inflammati, quaſi duobus pedibus univerſum circuibant mundum, non ſuam, ſed Dei gloriam, non propriam, ſed proximi requiem procurantes. Quod profecto, ut a Chriſto, & diſcipulis beatiſſimus Pater noſter Franciſcus didicit, ſic & vos opere docuit, dum non ſolum ad diverſas mundi partes prædicationis cauſa ipſe ibat, ſed etiam ad gentium populos, ſuos deſtinabat Fratres, ut Apoſtolicæ & Evangelicæ Regulæ, quam firmiter promiſimus, veram nobis & puram manifeſtaret obſervantiam. Quapropter Vide an. 1521. n. 1. *ipſe ego, Fratres in Chriſto Jeſu dilectiſſimi, per multorum temporum curricula procuravi, deſideravi, & ſummo deſidero affectu illis in partibus commorari & mori, ut meos opere potius quam verbo Evangelii obſervantiam ſubditos docerem. Attamen vinctus, ac ſummo ipſius memoratæ Regulæ obedientiali carceri reclusus, quod ſumme deſidero deſerens, quod amplectior odio, facere cogor: & eum mea non permiſerint peccata iſtis me exponi laboribus, decrevi vos mittere, in Chriſto ſumme confidens, quod obedientiæ virtute, qua iſta duplici Dei & proximi dilectione, quaſi duobus pedibus inceditis, poteritis ſic currere, quod cum Apoſtolo dicere poſſitis: Sic curro non quaſi* 1. Cor. 9. 26. *in incertum, quia Dei mandatorum viam curritis, ſic pugno non quaſi aerem verberans, quia veſtra vigilantia non circa cæremonias, & hominum conſtitutiones erit, ſed circa Evangelii & Regulæ, quam voviſtis, integram obſervantiam. Et ut in tam ſpirituali & ſublimi ædificio humilitatis fundamentum non deſit, præ oculis illud ſemper habete: Non ſumus ſufficientes aliquid* 2. Cor. 3. 5. *cogitare ex nobis tamquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Et ne hæc humilitas, & propriæ vilitatis cognitio memoratos duos pedes ad Dei mandatorum viam currendam pigros efficiat, dicentes, non ſumus ſufficientes; recordamini, Fratres mei in Chriſto amantiſſimi, quod etſi ſic ſit, quod neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus; ſed* 1. Cor. 3. 7. *ſufficit nobis, quod in nobis eſt, facere: & Apoſtolus non gloriatur de profectu, ſed de labore; quoniam etſi nullum convertatis infidelem, ſed quod in ipſo marino curſu morte præoccupemini, aut homines vos morti tradant, aut feræ peſſimæ vos devorent; veſtrum nihilominus peregiſtis officium, & ipſe Deus, qui juſtus eſt, peraget ſuum. Hæc ſimplicia, plana & pauciſſima verba volui vobis Fratribus meis cariſſimis in Chriſto Jeſu dicere, potius ut mei officii debitum ſolverem, quam ut veſtrum ſupplerem animum, in quo potius, quam in meo potiorem fiduciam habeo: & infraſcripta, obſecro, notate pro nunc, iſtis in principiis practicanda puncta; donec ipſa experientia vos doctiores efficiat.*

Primum, quod ſe offert pro veſtra conſolatione, notandum eſt, quod ad hoc ſanctiſſimum opus obedientiæ ſanctæ merito, & ſtrictiſſimo eſtis vinculo miſſi, & non ſolum a me, tamquam a totius Ordinis Generali Miniſtro, & A quibus mittuntur. *Franciſci ſucceſſore immerito atque Vicario; ſed etiam ipſe ſummus Pontifex in quodam ad me directo Breve dicit, quod illos, quos ipſe ego nominavero & miſero, ipſemet eos nominat & mittit Apoſtolica auctoritate tamquam Vicarius Chriſti. Et ideirco pro nunc duodecim cum uno omnium Prælato tantummodo mitto, quoniam hic fuit numerus diſcipulorum Chriſti pro mundi converſione, & numerus ſociorum ſanctiſſimi Patris noſtri Franciſci pro Evangelicæ vitæ publicatione.* Quare mittuntur duodecim cum Superiore.

Secundum, & non oblivi ſcendum eſt, quod cum in illorum infidelium

cordibus ſacrum Evangelium planta turi properetis, ſumme elaborandum eſt, ne ab ipſo Evangelio veſtra vita & converſatio aliquo modo declinet; & hoc

Commendatur eis Regulæ Obſervantia. Sine gloſſa.

facilliter fiet, ſi circa veſtræ Regulæ, ſupra ipſum Evangelium fundotæ obſervantiam, maximam habueritis vigilantiam, ipſum obſervantes pure & ſimpliciter ſine gloſſa aut diſpenſatione; prout in provinciis Angelorum, ſancti Gabrielis, & Pietatis obſervatur, & prout glorioſiſſimus Pater noſter Franciſcus cum ſuis ſociis ipſam obſervaverunt. Poteritis tamen illis uti declarationibus, quæ Regulam declarant & non relaxant, dummodo ipſas pure & ſane intelligatis, omnia deſerentes extrema, quæ majorum periculorum ſolent adducere cauſas.

Superior vocandus Cuſtos Cuſtodiæ S. Evangelii.

Tertium obſervandum eſt, quod videlicet Prælatus Fratrum ad illas partes de Jucatan in poſterum mittendorum vocabitur Cuſtos Cuſtodiæ ſancti Evangelii, *& omnes Fratres erunt illi ſubditi tamquam Miniſtro Generali, cujus auctoritatem in utroque foro pleniſſimam habet, & ipſe Cuſtos erit ſubjectus Miniſtro Generali immediate, & non alteri, nec alterum recognoſcet ſuperiorem, niſi Generalem Miniſtrum, vel Commiſſarium per ipſum miſſum. Eſt tamen advertendum, quod non eſt mea voluntas, quod aliquis frater illis maneat in partibus, niſi ſe vobiſcum in modo & forma vivendi præfata voluerit conformare: & ſi aliqui jam ſunt, vel ierint in poſterum Fratres, veſtrum præfatum nolentes ſequi modum vivendi; mando per obedientiam ſanctam, ad provinciam Indiarum ſanctæ Crucis remittantur, & nullo pacto illis in partibus permittantur commorari.*

Ut remeantes ad ſuas Provincias paterne recipiantur.

Quartum, & rationabile eſt, ne labor propter obedientiam ſumptus, aliorum privilegio vos privet, præſentium ſerie ſtricte mando, quod quando aliquis veſtrum, aliqua urgente cauſa, a ſuo Cuſtode fuerit ad illas Provincias remiſſus, in ſua, a qua exivit Provincia, tamquam ejuſdem verus filius recipiatur, nec ſibi ullo modo denegari poſſit. Et quando, Deo permittente, veſter obitus fuerit, veſtris in Provinciis nunciatus, idem pro vobis fiat officium, quod pro Fratribus in eiſdem commorantibus ex more fieri conſuevit.

Cuſtodis electio qualiter facienda.

Quintum, & neceſſarium eſt, quod quando veſter morte præventus fuerit Cuſtos, vel ſuum finierit triennium, ſui ſucceſſoris modo infraſcripto fiet electio. Sacerdos antiquior loci illius, in quo Cuſtos mori contigerit, convocabit ad Capitulum omnes Sacerdotes, qui infra triginta dierum ſpatium poterunt inſimul convenire: qui omnes in Cuſtodis præfati electione habebunt vocem, & fiet electio per ſcrutinium juxta Ordinis ſtatuta; & donec præfatus Cuſtodis defuncti ſucceſſor ſit electus, ille memoratus antiquior Sacerdos omnimodam Cuſtodis habebit auctoritatem: qui electus ipſo facto erit confirmatus, & aliorum verus & legitimus Prælatus & Cuſtos habitus.

Cuſtos debet venire ad Capit. Generale.

Sextum, & non omittendum eſt, quod præfatus Cuſtos tenebitur ad Generalia Capitula venire vel mittere, non ad ea, quæ de triennio in triennium celebrantur, ſed ad ea quæ de ſexennio in ſexennium pro Generalis Miniſtri electione celebrantur: in quibus præfatus Cuſtos non habebit vocem, donec Generali Capitulo videatur, ſed tantummodo veniet, ut negotiorum ſuæ Cuſtodiæ det Generali Miniſtro, & Capituli Patribus notitiam veram, & ut neceſſarias pro ſuæ præfatæ Cuſtodiæ regimine ſecum deferat proviſiones.

Hortatur ut quiſtum licuerit cohabitent Fratres.

Septimum, & vobis valde profiecuum eſt, quod ſapienter & caute ambuletis, ne, dum aliorum ſalutem quæritis, veſtræ propriæ negligiores reperiamini. Quapropter ſi inſimul una in Civitate ſtare poſſetis, laudarem quidem, quoniam veſtræ vitæ mortificatio, perſonarum abjectio, vivendi modus, & converſandi exemplum tantos & forte plures converteret infideles, quam ipſa verba, atque prædicatio, & ſi hoc bono modo fieri non poterit, ad minus ſem-

ſemper bini & bini, aut quaterni & quaterni eritis diviſi, & hoc in tali diſtantia, quod in qualibet quindena ſemel ad minus cum veſtro Prælato neceſſaria practicaturi, infimul congregari poſſitis.

Item beatiſſimi Patris noſtri Franciſci ſectantes veſtigia, qui ut ſub obedientiæ vexillo ſemper ſtaret, proprium itineris ſocium, ſuum per viam ſuſtinebat Prælatum; quando præfatus Pater Cuſtos aliquos aliquo mitteret Fratres, etiamſi duo tantum ſint, ſemper unum inſtituat alterius Prælatum, ut in eis meritum, & religionis honeſtas ſemper reluceat, & in omnibus, quæ veſtræ peregrinationi & negotiationi ſanctæ non contradicunt, per omnia Ordinis ſtatuta & ordinationes ſerventur: memoriæ commendantes, quod non venit Chriſtus ſolvere legem, ſed adimplere. Multa alia ſe offerunt circa veſtram converſationem, & infidelium converſionem exhortanda, quæ tamen omnia omitto, donec Deo opitulante, ad Generale veniatis Capitulum, in quo veſtra edoctus experientia, largius omnia providebo. Interim vero hoc ſanctum onus veſtræ committo diſcretioni, plurimum in omnia vobis a Chriſto communicanda pientiſſime confidens, qui vos confortare, conſervare & conſolare in ſuo ſancto amore dignetur. Amen. Datum in hoc noſtro devotiſſimo Cœnobio, & provincia Angelorum, ipſo beatiſſimi Patris noſtri Franciſci die, anno MDXXIII.

Semper in itinere ſit aliquis Prælatus.

Obſervantur Ordinis ſtatuta.

Fr. Franciſcus Angelorum Generalis Miniſter & Servus.

XX. Eſt quod hic obſervem, miſſionem hanc parari ad provinciam Yucatanæ potiſſimum, ſive ad novam Hiſpaniam. Cum vero Yucatanæ provincia Peninſularis, & novæ Hiſpaniæ pars, ad Orientem ſita, nonniſi anno MDXXVII. penitus & ex inſtituto luſtrari cœperit a Franciſco de Montoya, etſi quidem ante decennium ſub annum MDXVII. Fernandus Corteſius in prima expeditione quidquam illic peregerit, atque ante illum Franciſcus Hernandez de Corduba, deinde Joannes de Griſalva, poſterius tamen ex integro eſt ſubjugata, & imperio ſubjecta Hiſpanico, quam Civitas & circuitus Mexicanus, pro quibus in fide erudiendis Corteſius toties ad Carolum Hiſpaniarum Regem ſcripſit, ut operarios mitteret Evangelicos. Prius porro fama detectæ, non tamen integre ſubjugatæ provinciæ Yucatanæ pervenit in Hiſpaniam, quam expeditio facta ſit Mexicana. Ad illas autem partes, quas Hiſpani explorarunt, & in quibus ſedes, & ſi non firmas, poſuerunt, tranſierunt ſtatim Fratres ex provincia ſanctæ Crucis, quæ ex inſula Hiſpaniolæ aliiſque inſulis conflabatur, & ex Hiſpania alii, licet pauci, adnavigarunt. Quotquot illi erant, ſubjectos voluit Quinnonius Martino Cuſtodi, utque vitæ & conſervationis normam ab illo acciperent, ſin aliter, ut abſque mora redirent, vel ad provinciam ſanctæ Crucis, ſive ad partes ex quibus erant profecti, *excepto*, inquit, *Patre fratre Joanne de Tello, ejuſque duobus ſociis*, quos diximus nos anno ſuperiori ad Indias profectos. Miſit etiam ante delectos hos Apoſtolicos viros Commiſſarios Franciſcum de Soto, & Joannem Suarez ex provincia ſancti Jacobi, qui viſitarent provinciam prædictam ſanctæ Crucis, & partes illas Yucatanæ, in quibus Fratres reſidebant, & regreſſi referrent in Comitiis Generalibus proxime celebrandis ſtatum rerum, qualitates gentium, neceſſitates operariorum, fructuſque uberioris ſperandi fundamentum. Subjecit demum omnes Fratres, ſive ad Indias proficiſcentes, ſive illinc regreſſos, obedientiæ Guardiani Hiſpalenſis, dum in ea Civitate commorarentur, ſerio injungens illi, ut bonorum overet zelum, & minus idoneos a miſſione repelleret.

Layet. in deſcript. Amer. l. 5. c. 26. & 27.

Yucatana Prov. a Mexicana diſtinguitur.

Num. 6. Miſſi alii ante hos 12. ad Provinc. Yucatanæ. *Reg. gener. Ultram. pag. 79. & ſeqq.*

XXI. Inter hos Yucatanæ provinciæ primos inſtructores Minoritas unus fuit,

Indus 300. annorum.

fuit, qui cum montana peragraret, ut barbaros principia religionis Chriſtianæ doceret, retulit vidiſſe virum, quem, ſi rationes vicinorum, atque ipſiuſmet non fallerent, ad minimum trecentos annos natum fuiſſe oportuerit. Erat autem ita incurvus, ut genua ore contingeret; & cute adeo dura, cum ſemper nudus egiſſet, adeoque ſcabra, ut ſquamis tectus videretur. Narrat Herrera, & alterum a pluribus viſum, qui centeſimum, & quadrageſimum ætatis annum attigerat, prout ex iis quæ accurate meminerat, erat colligere. Tanta eſt enim ſalubritas aeris illius provinciæ, in regionibus præſertim excelſis, ut incolæ maxime ſint longævi.

Alius valde longævus.

XXII. In Indiis Orientalibus ſimile quid refertur a graviſſimis auctoribus: Maffæi præ ceteris verba ſeligo, quibus rem brevius & ſolidius enarro. *Poſt celeberrimam illam Dienſem victoriam a Luſitanis, Prætore Nonnio Acunia anno* MDXXXVII. *partam, & Sultani Badurii trucidationem, hærente in ipſo Dienſi portu claſſe: quidam e Gangaridum gente, quam hodie Bengalam vocant, ad Prætorium adiit, natus, ut ferebatur, annos trecentos triginta quinque, neque mendacii ſuſpicio ſuberat: nam & ſeniores, qui tum erant, ſe de hoc eodem grandævo ajebant a majoribus accepiſſe, & ipſe filium habebat nonagenarium; & eum litteram noſſet nullam, quæ referebantur ab eo de veterum geſtis rebus, ad fidem annalium optime congruebant. Huic aliquoties jam deciderant dentes, aliis continuo ſubnaſcentibus; & barba ubi prorſus incanuiſſet, in atrum denuo colorem, idque paulatim ſemetipſa vertebat. Ante centeſimum annum idola coluerat: inde æque miſerabili errore ad nefariam Mahometis tranſierat ſectam. Is propter miraculi novitatem Sultani Elipendiis alii conſuetus, idem vitæ ſubſidium a Nonnio petiit. Nonnius haud gravate aſſignavit.* Anno MDCVI. adhuc viventem vidit, & allocutus eſt Andreas Epiſcopus Coccinenſis, intra cujus diœceſim Bengala comprehenditur, & examen juridicum ætatis, qualitatis, rerum geſtarum, & patriæ hujus hominis fieri curavit, atque ad Regem Catholicum Philippum III. & Archiepiſcopum Uliſſiponenſem eodem anno MDCVI. tranſmiſit.

Maff. l. 11. hiſt. Roman. l. 3. c. 12. Caſtagneda l. 8. c. 116. Vaſconc. in Joa. 3. n. 25. Indus Orientalis annotum 335.

Dora 4. p. l. 1. c. 55.

XXIII. Orta magna turbatione & ingenti ſciſſura in provincia ſancti Jacobi propter imprudentiam Michaelis Serræ Commiſſarii, & Præſidentis in Capitulo Villalpandenſi, qui introduxerat novum modum electionis per ſortes, per conſtitutiones Ordinis ſemper reprobatum, & deſtituto injuſte Miniſtro provinciali fratre Franciſco de Zafra, atque inſtituto fratre Joanne de Argomanez: Quinnonius pacis conſequendæ cauſa, comitia indixit in Conventu Albæ Tormenſis, in quibus eligi curavit in Miniſtrum Petrum a Montibus de Occa, Commiſſarium, uti diximus, nationis Hiſpanicæ. At hic paulo poſt officio renunciavit, id ægre ferente Quinnonio, & XIV. Septembris iterum vocatis ad Capitulum electoribus in Conventu Legionenſi, electus fuit in Miniſtrum Antonius de Guzman, vir gravis, pius, & nobilis proſapiæ. Multa utiliter pro pace & bono regimine provinciæ conſtituit Quinnonius, quæ in ejus regeſto habentur: potiora delibo. Cum indifferenter in omnibus ferme Conventibus reciperentur Novitii, juxta tres nationes, quas numerabant in illa provincia, inſtituit pro tironibus educandis Conventus Salmanticenſem, Zamorenſem, & Taurenſem pro natione Caſtellæ; Compoſtellanum, Crunienſem, & Aurienſem, pro natione Gallæciæ; Cacerenſem, Zafrenſem, & Seguranum, pro natione Extremæ-Duræ: Studio etiam Theologico deſtinavit Conventum Salmanticenſem, Philoſophico Taurenſem, & Villalpandenſem, Grammaticæ Conventus de Gratia, Villæ-veteris, & ſanctæ Marinæ. Pro unaquaque natione ſuum deputavit Commiſſarium; pro Caſtellana Guardianum Salmanticenſem, pro Gal-

Reg. gener. Ulr. fol. 91.

Quiñonius ſedat turbas Prov. Sancti Jacobi.

An. 1520. n. 23. & An. 1521. n. 4.

Gallæca Compoſtellanum, pro Extrema-Durana Cacerenſem. Pro celebrandis Capitulis in poſterum Conventum Salmanticenſem. Diſcretos perpetuos provinciæ declaravit Guardianos pro tempore Salmanticenſem, Zamorenſem, Taurenſem, pro Caſtellanis; Compoſtellanum, Crunienſem, Aurienſem, pro Gallæcis; Cacerenſem, Zafrenſem, & de Truxillo, pro Extrema-Duranis.

XXIV. Refert, tunc in illa provincia virorum Cœnobia fuiſſe triginta ſeptem, & incolas Fratres ſeptingentos; fœminarum Monaſteria quatuordecim, & ex his duodecim ſubjecta Miniſtro, duo vero Commiſſario alterius provinciæ, atque in omnibus fuiſſe Moniales ſexcentas; *regulariter*, inquit, *& eum omni obſervantia & honeſtate viventes*. Erant tunc in eadem provincia homines docti, quorum opera recenſemus in noſtro de Scriptoribus catalogo: Antonius del Rincon, Alfonſus de Caſarubios, Joannes de Argomanes, & alii. Subſcripſerunt ſententiæ a Quinnonio pro ſedandis controverſiis prolatæ, dum adhuc eſſet Commiſſarius familiæ Ultramontanæ, Petrus de Montibus Occæ Commiſſarius nationis Hiſpanicæ, Joannes de Zuniga provinciæ Commiſſarius, Andreas de Ecixa Miniſter provinciæ Caſtellæ, Dimas Terræ Miniſter provinciæ Aragoniæ, Joannes de Zumarraga Miniſter provinciæ Conceptionis, Bernardinus de Salzedo Miniſter provinciæ Burgenſis, Franciſcus de Inojoſa Miniſter provinciæ Angelorum, Didacus de Ciſneros Guardianus Cœnobii Salicetani, ſive de Salzeda; omnes viri virtute & regimine præſtantes. Placuit hæc in gratiam graviſſimæ provinciæ (cui tot ego beneficiis obſtringor, & ex cujus præcipuo Conventu Salmanticenſi, & ſacræ Theologiæ lectoratus miniſterio in hanc Curiam pro ſancta Virginis Conceptione propugnanda & promovenda deſtinatus ſum) ſub compendium referre; ut quanta & qualis etiam ſub Obſervantiæ refloreſcentis primordiis fuerit, quouſque ſuos palmites extenderit, quam doctos viros habuerit, poſteris innoteſceret. Quales autem emiſerit ad longinquas regiones alumnos, quot provincias inchoarit, quot domos & filios aliis jam erectis maternæ caritatis ubertate, in qua ſemper excelluit, liberaliter conceſſerit, ex ſequentibus annis apparebit.

Status illius Provinciæ.

Varii hujus temporis Miniſtri Hiſpaniæ.

XXV. Die XXVII. Julii in Conventu Valliſoletano proſpecturus Quinnonius fervori & pietati Fratrum, qui arctiorem, ſolitariam & magis tranquillam ab hominum turbis remotam, & a tædioſis muneribus liberam vitam ducere cupiebant, quorum plurimi tunc in hoc ipſum conveniebant, deſignavit his excipiendis domos quinque, ſub titulo Recollectionis, Aquileræ, de Tribulo, ſive del Abrojo, Vallis de Scopezo, Villæ ſillorum, & Calagurræ, quorum incolis has regulas ſtrictim obſervandas præſcripſit, quas per quatuor capita diſtinxit.

Ibid. fol. 86.

Vita & regula Recollectorum.

CAPUT PRIMUM.

Circa receptionem Fratrum Profeſſorum & Novitiorum.

XXVI. *IN primis præcipimus, quod hujus provinciæ Conceptionis Miniſter, ſive qui in poſterum futurus eſt, nullo modo ad aliquem iſtorum Conventuum fratrem aliquem iſtorum Conventuum mittat, ſeu ab eo amoveat, ſine ejuſdem Conventus Guardiani atque Diſcretorum conſenſu: excepto quod ſi pro multitudine Novitiorum, Conventum a Fratrum ſuperabundantia gravari aliquando contigerit; tunc prædictus Miniſter poterit amovere, quos Guardianus, etiam ſine Diſcretis amovendos ſignaverit, atque ſponte*

ſponte exire volences : taliter tamen quod Conventus maneat ſemper bene proviſus , ac ſuum numerum habeat complecum , qui numerus pro unoquoque Conventu erit XV. *Fratrum , duobus dempcis vel addicis , abſque Novitiis , de quibus numerus prædictus non intelligitur . In Conventu tamen del Abrojo , volo poſſint eſſe viginti Fratres profeſſi .*

Item ſemper inſtituantur pro iſtis Conventibus Guardiani de eorum habicatoribus , ita quod nullus efficiatur alicujus iſtorum Conventuum Guardianus , quin prius fuerit habitator eorumdem ; nec etiam poterunt aliquem fratrem iſtorum Conventuum in Guardianum alterius loci extra loca prædicta accipere in Capitulo provinciali , nec extra , ſine ipſius fratris voluntate .

Item in tribus tantum iſtarum domibus Novicii recipiancur , in Conventibus ſcilicet del Aquilera , Abrojo , & Val de Scopezo , circa quorum receptionem ſtatuta generalia , & provinciæ ordinationes ſtricte ſerventur .

CAPUT SECUNDUM.

Circa Divinum officium , orationem & ſilentium .

XXVII. *PRimum , quod in iſtis ſupradictis domibus officium Divinum non cantetur , ſed dicatur in mediocri tono , ita ut omnes poſſint officium perſolvere ; & hora ſecunda officium Matutinale finiatur , ut cempus reliquum maneat orationi & devocioni dedicandum .*

Item , Fratres excitabuntur ad Matutinas & Veſperas per quartellum unius horæ ante principium officii , uc valeant devotius ſua corda Domino Deo ſuo præparare .

Item , quoniam in Divino Matutinali officio dicitur benedictio illa : Cujus feſtum colimus , *ſi feſtum fuerit Domini noſtri Jeſu Chriſti , ſeu B. Virginis , Fratres genuflectant ; ſi vero alterius Sancti , faciant inclinationem , ſicuc in* Gloria Patri .

Item , quoad Nocturnum defunctorum poſt prandium , & cetera ad Divinum officium pertinentia , obſervetur modus & ordinarium Provinciæ . Modus autem pulſandi ad horas , & cempus ordinandi , ponitur in fine harum conſtitutionum .

Item , habeatur omni die totius anni una hora orationis poſt Completorium , & dimidia poſt Tertiam .

Item , a feſto Exaltationis ſanctæ Crucis , uſque ad Reſurrectionem Domini habeatur una hora orationis poſt Matutinale officium ; a Reſurrectione vero uſque ad feſtum ſanctæ Crucis dimidia hora poſt Nonam . Diebus autem jejuniorum teneatur hæc oratio ante prandium , quando Guardiano videbitur , & fiat ſignum pro dicta oratione magna campana . In iſto autem tempore orationis , Novitiis , & ſub Novitiorum magiſtro exiſtentibus exceptis , ceteri omnes Fratres poterunc eſſe in choro vel in Eccleſia , vel in clauſtro , vel in oratorio , & non alibi ; quod Prælati diligenter inquirant . Et ſi quis contrarium facere fuerit repertus , maneat octo diebus in oratione cum Novitiis in loco Novitiorum .

Et nullus frater audeat habere in cella candelam , ſine Prælati ſpeciali licentia .

Ab Exaltatione ſanctæ Crucis , uſque ad Reſurrectionem habeatur ſemper lectio brevis , Completorio & Matutinali officio dicto , ante orationem , & per totum annum eadem habeatur devotionis lectio poſt prandium , lotis utenſilibus Conventus .

Item

Item, cum ſilentium ſit quaſi clavis animæ, in iſtis domibus erit perpetuum ſilentium; ita quod nullus loquetur cum ſecularibus, nec cum hoſpitibus Fratribus, nec etiam cum ejuſdem Conventus habitatoribus, nec alicui penitus humanæ creaturæ, ſine Prælati ſpeciali licentia.

Et quia duplex eſt ſilentium, ſcilicet principale, de quo habetur in conſtitutionibus generalibus capitulo ſecundo, & aliud cæremoniale; quicumque fregerit principale ſilentium, dicat ſuam culpam, ut volunt ſtatuta; ultra quod Novitii, & Fratres juvenes portabunt unum baculum in ore ante totam Communitatem pro ſua pœnitentia, & culpæ ſatisfactione: qui vero fregerit ſilentium cæremoniale, pœnitentietur & reprehendatur a Prælato juxta delicti ſui defectus exigentiam; non intelligitur tamen frangere ſilentium, quando neceſſaria loquitur ſubmiſſa voce & breviter, ſcilicet per ſpatium unius Ave Maria. *Et quando Fratres cum licentia ad invicem loquuntur, etiam ſubmiſſe & breviter loquantur. Cetera autem quæ ad ſilentium ſpectant, obſerventur, ut in conſtitutionibus generalibus & provincialibus habentur. Nulli tamen concedatur generalis licentia loquendi.*

CAPUT TERTIUM.

Circa paupertatem interiorem & exteriorem.

XXVIII. *Primum, quod Fratres iſtorum Conventuum habitatores induantur ſacco, hoc eſt, panno Hiſpano vocabulo* Sayal, *intus & foris; ſemper tamen quoad colorem uniformitas ſervata Provinciæ. Si vero aliquis in iſtorum aliquo Conventuum fuerit neceſſitatus, nimia ſenectute confectus, poterit quoad tunicam cum eo diſpenſari propter ſuam neceſſitatem. Sotularia omnino & pro poſſe evitentur: poterunt tamen Fratres calceamenta lignea, ſeu cordarum ſecundum uſum portare.*

Non recipiantur in iſtis domibus ullo modo Miſſæ pro ſecularibus pretio dicendæ: ſed omnes dicantur pro intentione, quam Chriſtus habuit in erace, & generaliter pro vivis & defunctis, ut Deus novit nos obligari. Licebit tamen aliquando pro aliqua noſtri Ordinis benefactrice perſona ſingulari Miſſam aliquam celebrare, ſi ad hoc multum moleſtati fuerint Fratres, & non poterunt hoc ſine ſcandalo renuere; & tunc gratis, nullo modo pecuniam aliquam, ſeu aliud quodcumque pretium pro ipſa Miſſa recipientes. Et hoc ſtricte ſervetur, ita quod uſus recipiendi Miſſas quovis modo numquam intromittatur. Si Fratribus tamen aliquando aliqua fuerit eleemoſyna gratis data, poterunt ipſam recipere, ſicut & ipſi gratis pro ipſis celebrarunt.

Item, nullo modo habeant perſonam aliquam, pecuniam pro ipſis recipientem, nec pro ipſis recipiatur; & ſi aliquando aliqua pecuniaria eleemoſyna eis fuerit oblata, illam penitus non recipiant; nec permittant alicui pro ipſorum neceſſitatibus dari, ſed omnino illam renuncient, & nec per ſe nec per alium, quovis modo ipſam recipiant; ſed Prælatus videat neceſſitates Conventus præſentes & imminentes, & illas manifeſtet benefactori offerenti pecuniam, ſcilicet exigentiam olei, piſcium, ceterorumque ſimilium; & ſi talis benefactor prædicta dederit, poterunt Fratres, cum Dei benedictione ipſa recipere, ſed nullo modo pecuniam recipiant.

Quoad proviſionem vero corporalem, Prælati ſollicitam curam gerant circa duo, ſcilicet circa puritatem Regulæ, & Fratrum neceſſitates; & neceſſaria pro Dei amore ſibi oblata non reſpuant, ſed cum omni benevolentia recipiant; quando vero non habuerint, recurrant ad menſam Domini, pe-

tentes eleemoſynam confidenter. Sed nullo pacto poterunt petere muſtum in vindemiis, nec triticum ſeu hordeum tempore Auguſti per campos. Nec habeantur in aliquo Conventu pluret beſtiæ, ſed tantummodo una parva & humilis beſtiola.

Fratres non recipiant ornamenta de aureo panno, non de velnto ſeu ſerico, nec de floreto curioſo ſen pretioſo. Culcitræ nullo modo in dormitorio habeantur, niſi fuerint in cella alicujus debiliſſimi, ſeu antiquiſſimi fratris, in qua & in omnibus aliis cervicalia habeantur cooperta de aliquo rudiſſimo & pauperrimo panno.

CAPUT QUARTUM.

Circa converſationem interiorem & exteriorem.

XXIX. *Primo, circa Fratrum puram converſationem obſerventur ſtatuta, & Provinciæ mores; ſed quia in aliquibus iſtorum Conventuum ſunt aliquæ laudabiles & antiquæ conſuetudines, ut ab omnibus uniformiter obſerventur, ponuntur hic, & ſunt quæ ſequuntur.*

Fratres reſpiendeant paupertate, aſperitate, oratione, & paucis contententur, ſuperflua evitantes. Quapropter non habebunt mappas in refectorio, ſed tantum parva manutergia, & nuſquam cœnabunt veſpere carnes; cum aliquo vero antiquo & debili valde poterit diſpenſari.

Moneantur & animentur Fratres ad jejnnia Quadrageſimarum, Benedictorum *ſcilicet*, & Spiritus ſancti:

Modus etiam eſt & laudabilis conſuetudo in iſtis domibus, de licentia Prælati vigilias feſtivitatum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & beatiſſimæ Virginis Mariæ, Patris noſtri ſanctiſſimi Franciſci, omnium Sanctorum, aliarumque principalium feſtivitatum, pane & aqua jejnnare.

Item, eſt devotus & antiquus modus jejunare pane & aqua omnes Fratres, ac comedere in terra omnibus ſextis feriis majoris Quadrageſimæ.

Fiat diſciplina in communitate omnibus diebus majoris Quadrageſimæ, Dominicis diebus, ac feſtis duplicibus exceptis. Alio vero tempore totius anni ter in hebdomada fiat in Communitate diſciplina, diebus videlicet Lunæ, Mercurii, & Veneris, exceptо quando die ſequenti fuerit duplex feſtum: diſciplina vero die Veneris nullo modo omittatur, niſi fuerit feſtum valde principale.

Fratres dicant culpas ſuas ter in hebdomada in refectorio vel in capitulo, ſcilicet die Lunæ, Mercurii, & Veneris.

Item, eſt laudabilis conſuetudo, quod Fratres, maxime juvenes, ad exercitium ſuæ humilitatis aliquando faciant aliquas pœnas in refectorio de mandato Prælati, utpote comedere in terra, oſculari pedes Fratrum, portare baculos in ore, jacere in terra ad oſtium refectorii, ut omnes Fratres tranſeant ſuper eos, & ſimilia, quæ non faciliter ſunt omittenda, quia laudabilia.

Utenſilia equinæ in Communitate ab omnibus laventur cum cantico Graduum. Finitis itaque gratiis, quando Nocturnum dicitur, vel Non-tempore ſuo, vadant Fratres laici ad locum ſignatum pro utenſilibus lavandis, & præparent aquas, & cetera neceſſaria, incipiantque cum devotione & humilitate utenſilia lavare, donec ceteri omnes veniant, & tunc inſimul perficiant prædictum humilitatis opus.

Sit una certa hora diſpoſitione Præſidentis ad labores ſignata, in qua quan-

quando aliqua fuerint facienda, omnes Fratres conveniant ad ipſa expedienda; quando vero non fuerit neceſſitas laborandi, non occupentur in aliqua Fratres, juvenibus laicis atque Novitiis exceptis, quibus labor & occupatio valde utilis eſt.

Mulieres nullo modo permittantur intrare interiora Conventus, niſi fuerint perſonæ regales, vel Domina terræ, ubi talis Conventus exiſtat. Ceteræ vero mulieres nullo pacto intrent, etiamſi habeant Prælatorum licentiam, niſi per obedientiam Fratribus ſeu Guardiana fuerit mandatum.

Toties, quoties Fratres intrant vel tranſeunt ante ſanctiſſimum Sacramentum, genu flectentes deoſculentur terram, & hoc idem faciant in adoratione tempore Miſſæ, & hoc quando erunt in aliquo iſtorum Conventuum: quando vero alibi fuerint, conforment ſe ceteris.

Item noverint Fratres omnes iſtius vitæ præſentes & futuri, omnia ſecularia negotia, parentum viſitationes, amicorum fabulationes, atque diſcurſus omnes ſibi omnino eſſe interdicta.

Item, iſti Fratres obſervent ſtricte ne facto vel verbo vel quovis alio modo deſpiciant vel parvipendant alios Fratres, ſive ſint iſtius provinciæ Conceptionis, ſive alterius.

Poterit venerandus Pater Miniſter Provincialis hujus Provinciæ viſitare has Recollectianis domos, quando ſibi placuerit, ut reliquas ſuæ Provinciæ; non poterit tamen minuere vel addere, quæ in iſtis ordinationibus ſcripta ſunt, circa hunc modum vivendi, quæ omnia inviolabiliter in iſtis quinque domibus volo obſervari. Non intendo tamen Fratres ad peccatum obligare, niſi ipſi ad aliqua iſtorum per Regulam, vel per jus Divinum aliter obligentur.

Item, harum ſerie prohibeo, ne aliquis me inferior audeat vel præſumat iſtius vitæ Fratres quovis modo moleſtare ſeu conturbare, ſeu ſuam vitam impedire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, ſciat ſe contra voluntatem Dei, beatiſſimi Patris noſtri Franciſci, & mei pauperculi fratris Franciſci Angelorum Miniſtri Generalis, & ſervi veſtri feciſſe. Quæ omnia ſupradicta in ſcriptis prædictis Conventibus tradi mandavi XXVII. *die menſis Julii* MDXXIII. *anno, in Conventu Valliſoleti prædictæ Conceptionis provinciæ, ſub manu mea, officiique mei majori ſigillo.*

XXX. In provincia Caſtellæ Patres Conventuales elegerunt in Magiſtrum Provincialem fratrem Petrum de Artiaga: orta vero controverſia circa modum confirmationis obtinendæ a Miniſtro Provinciali Regularis Obſervantiæ ejuſdem diſtrictus, vel provinciæ Caſtellæ, uti ſtatutum erat in Bulla concordiæ, per Leonem X. edita, ſub his verbis: *in ſingulis Provinciis deputati ad regimen Fratrum Conventualium de cetero Magiſtri Provinciales Fratrum Conventualium etiam in ſuis ſigillis vocari, & a Miniſtris Provincialibus Regularis Obſervantiæ in Provinciis juxta morem dicti Ordinis reſpective pro tempore exiſtentibus confirmationem electionum de eis pro tempore factarum, eo modo quo Vicarii Provinciales olim de familia nuncupati a tunc Miniſtris Provinciarum Fratrum Conventualium petere tenebantur, etiam petere teneantur.* Quinnonius deputatis tribus cauſæ Judicibus, tandem decrevit, omnia peragi debere juxta Leonis ordinationem, eamdemque ubilibet obſervari debere, donec aliter per Sedem Apoſtolicam fuiſſet conſtitutum.

Ibid. fol. 74. Confirmantur Provincial Convent. ab Obſervantibus.

XXXI. Obiit hoc anno bonorum omnium dolore & mœrore Adrianus Summus Pontifex, longiori quidem dignus vita, qui diuturniori regimine languenti Reipublicæ Chriſtianæ videbatur conſulturus. Ætas forte ſufficiens

Moritur Adrianus Pontifex.

ciens ei contigit annorum ſexaginta fere quinque, ſed Pontificatus valde brevis anni unius, menſium octo, dierum ſex. Ut laudem & æſtimationem apud omnes haberet, hac ſublimi gloria non indigebat. Etenim omnino majorem honorem in minori ſortuna conſecutus eſt, quam cum altiſſimum Pontificatus gradum tenuit. Appoſite proinde primo, quo conditus eſt apud Vaticanum ſepulcro inſculpta fuit hæc inſcriptio: *Hadrianus VI. hic ſitus eſt, qui nihil ſibi infelicius in vita, quam quod imperaret, duxit.* Nihil autem orbi Chriſtiano infelicius obtingere poterat, quam quod cito imperare deſierit. Deſiit porro importune XVIII. Kal. Octobris, ſive ex renum dolore, quo valde afflictabatur; ſive, ut nonnulli ſuſpicati ſunt, ex veneno; cum etſi vir bonus, moribus ſanctus, vita integer, doctrina illuſtris, nemini malus, niſi malis, habuit tamen ſuos oſores, quibus omnia ingrata erant, quæ Adrianus bona mente, non ex priſtino corrupto uſu faciebat. Tanto capite orbata Eccleſia, quinquageſimum poſt diem, XIII. Kal. Decembris Rectorem accepit Julium Mediceum, S. R. E. Vicecancellarium, in Pontificatu nuncupatum Clementem VII. ad valvas Baſilicæ ſancti Petri de more coronatum, VI. Kalend. Decembris per manus Marci Cornelii Veneti S. R. E. Archidiaconi.

Succedit Clemens VII.

XXXII. Non prius pervenit in Hungariam notitia aſſumpti Clementis ad Pontificatum, quam Ludovicus Rex ad eum ſcripſerit, ut dignaretur cauſam reaſſumere canonizationis beati Joannis Capiſtrani, eumque tot titulis de republica Chriſtiana, & maxime de ſuo Hungariæ Regno benemeritum, Sanctorum adſcribere catalogo. Ut ſuas etiam preces conjungerent Sigiſmundus Poloniæ Rex ipſius patruus, & proceres, ac Prælati Hungarici, provide curavit. Plurimi ſcripſerunt, ſed paucæ ex illorum litteris ad meas manus pervenerunt. Do utriuſque Regis, Ludovici hoc anno, Sigiſmundi ineunte ſequenti datas, binaſque alias litteras hujus rei poſtulatorias.

Supplicant multi pro canonizatione B. Joan. Capiſtrani.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino, Domino Clementi Divina providentia Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici, Domino meo clementiſſimo &c.

Supplex epiſtola Ludovici Regis Hungariæ.

XXXIII. *Beatiſſime Pater & Domine, Domine mi clementiſſime, poſt oſcula pedum Sanctitatis veſtræ beatorum. Floruit Joannes Capiſtranus ſexto fere ab hinc & ſexageſimo anno ex Minorum ſancti Franciſci familia, vir ſanctitate & religione clarus, qui cum ita tutiorem illam contemplandi vitam eſſet amplexus, ut hanc quo magis laborioſam, publicæ ſalutis cauſa non averſaretur: eſſetque pari doctrina ac facundia præditus, ut quammaximum Eccleſiæ fructum faceret: Non contentus ſuos tantum populares pulcherrimis vitæ exemplis & eruditione ad meliorem frugem revocaſſe, in meum ſe Regnum contulit, & eas nationes, quibus ego Dei munere ac benignitate nunc impero, tanta caritate, & animi fervore docuit, ut eum perinde atque Apoſtolorum aliquem omnes & colerent & admirarentur. Nec id fiebat immerito, nam & futura, ut accepi, certiſſimo ſemper eventu prædicebat, illuſtria virtute Chriſti edebat miracula, quæ pauci, & Divini tantum homines potuere. Et illud quoque Dei Omnipotentis maxima providentia factum exiſtimo, quod vir ille difficillimis Reipublicæ Chriſtianæ temporibus in Pannonia, tamquam e cælitus mitteretur, cum Mahumetes, qui tiranno Amurati ſucceſſerat, opibus, ac rerum geſtarum magnitudine ac felicitate elatus, Nandor-Albam, aream mei Regni munitiſſimam, incredibili ho-*

hominum multitudine coactam ſummis viribus expugnaturus, tanta ſpe obſidebat, ut auderet jam non Pannoniam ſolam, ſed Germaniam, Italiam, Galliam, ſua imperio & prædæ militum deſpondere: quo tempore tantum Joannis Capiſtrani virtus profuit, tantum ardens valuit exhortatio, tantum preces potuere, ut Chriſtiani, cum nec viribus, nec militum numero pares eſſent, inſperatam de Turcis victoriam, ſecundum Deum beato Patri acceptam retulerint. Fuit dum vixit inter homines, militanti huic Eccleſiæ maximo & ornamento & præſidio: Nunc quantum in ſuperna illa & triumphante poſſit Eccleſia, declarant miracula, quæ ejus meritis ad communem bonorum conſolationem fieri ſæpe dicuntur. Quæ omnia ad S. V. eorum diligentia ac fide exactius præſcribentur, quibus recognoſcendorum miraculorum hujuſcemodi provincia fuit anno ſuperiore demandata. Igitur cum omni judicio cœlum, & immortalem ſit gloriam virtute ac benefactis conſequutus, ſæpius apud Prædeceſſores S. V. per litteras atque Oratores meos, quam potui diligentiſſime laboravi, & nunc Sanctitatem veſtram ſupplex ora, dignetur ex veteri ſanctæ Eccleſiæ, ac Pontificum inſtituto nomen Joannis Capiſtrani in cœleſtium ac Sanctorum referre numerum. Eſt enim hoc Divorum albo dignißimus, ſi vitæ innocentia, fortitudine, continentia, paupertate ſpontanea, Fide, Spe, Caritate, & ſanctiſſimis quibaſque virtutibus, homines in cœlum, tamquam gradibus, ſolent conſcendere. Angebit Sanctitas veſtra mirifice tum univerſæ plebis Chriſtianæ, tum meorum ſubditorum religionem, quem dum in terris adhuc eſſet, & poſtquam cœlo receptus eſt, ad hunc uſque diem, ſancti Patris appellatione proſequuntur. Deus Opt. Max. Sanctitatem veſtram in Chriſtiani nominis augmentum ſervet & tueatur felicißimam, cujus tutelæ & protectioni me etiam atque etiam commendo. Datum Poſonii, III. Decembris anno MDXXIII.

E. S. V.

Devotus filius
Ludovicus Rex manu propria.

Sanctiſſimo ac beatiſſimo in Chriſto Patri & Domino
D. Clementi VII. Divina &c.

Alia Regis Poloniæ Sigiſmundi.

XXXIV. *Sanctiſſime & beatiſſime in Chriſto Pater & Domine, Domine clementiſſime &c. Poſt humilem mei Regnique & Dominiorum meorum commendationem, & oſcula pedum beatorum. Non dubito natam eſſe V. Sanctitati famam Divi Joannis Capiſtrani, Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, qui cum in dies majoribus claream miraculis, & Hungaria olim inſignem ejus ope & meritis udepta fuerit e Turcis triumphum, cuperet Sereniſſimus nepos meus, & Optimates illi eum in numerum Sanctorum adſcribi; ut cujus virtutem adhuc in humanis adverſus Turcas cognoverunt, eam in cœlis tanta efficaciorem experiantur. Supplica itaque V. Sanctitati, ut his, qui hoc negotium agent, ſe facilem & benignam præbere dignetur: Quo rem dignam & piam, religionique conducibilem faciet, & Sereniſſimum nepotem, Regnumque illius Hungariæ, & me una plurimum conſolabitur. Feliciſſime valeat V. Sanctitas, & me devotiſſimum filium ſua paterna benignitate complectatur. Datum Cracoviæ, die* III. *Aprilis anno* MDXXIV. *Regni mei* XII.

E. S. V.

Obſequentiſſimus filius
Sigiſmundus Rex Poloniæ.

San-

Sanctiſſime Pater & Domine Clementiſſime.

Epiſcopi Chanadien.

XXXV. *Poſt devotam mei ſubjectionem ad pedum oſcula beatorum. Sereniſſimi Regis noſtri, ac ceterorum affectus & deſideria potuit jam Sanctitas veſtra clare ſufficienterque intellexiſſe, pro bonæ memoriæ Patris Joannis de Capiſtrano canonizatione. Cui quidem beato Viro nec ipſe favorem in hujuſcemodi re poſſum denegare: utpote qui non ſolum in iſto Regno Hungariæ, ſed etiam in Italia, Germania, Boemia, Polonia, quinimo in aliis mundi partibus certamina paſſionum, nedum ipſe appetiit, ſed ad hæc toleranda etiam alios accendit; fortis Dei præliator exiſtens, intra clauſtra teneri noluit, ſed duri certaminis campum, atque pro fide Chriſti mortis ſubire periculum non formidavit. Eapropter Præſul clementiſſime, S. V. quambumiliter ſupplico, ut præfatum Virum, qui in vita & morte, ac etiam poſt mortem miraculis claruit claretque, cuique pro laboribus multis, pro moribus eaſtis, pro actibus ſtrenuis celſioris loci præmium debetur, pro meritis pie recommendatum ſuſcipere, atque ut vivens in carne, ſuis induſtria & labore Chriſti Eccleſiam & fidem augmentavit; ita mortuum cœlitolarum numero aſcribere, preceſque noſtras, ac dicti Domini Regis in hac parte exaudire dignetur. Quam Sanctitatem veſtram largitor omnium Deus, pro fidei Eccleſiæque ſuæ ſanctæ conſervatione ac regimine, necnon felici incremento incolumem confirmare conſervareque dignetur ævo longiore. Ex arce Pathak, die* XXII. *Octobris anno* MDXXIII.

E. S. V.

Veræ obedientiæ filius
Franciſcus Electus Chanadien.

Sanctiſſime Pater.

XXXVI. *Poſt devota pedum aſcula beatorum. Multa Divi Joannis Capiſtrani, & quidem præclara inſignia, virtutumque monimenta extare, tum ſacri Ordinis Divi Franciſci de Obſervantia fide oculata, tum etiam complurium devotorum fide dignorum relatione in dies accipio, qui noſtram paulo ante ætatem vitæ ſanctimonia, religionis obſervantia, ac virtutum ſplendore, ita floruiſſe fertur, ut omnibus Chriſtianæ religionis cultoribus exemplo habeatur, ſatiſque ſit imitandus. Hujus ſiquidem Divi Capiſtrani longe lateque diffuſa miracula adeo in lucem prodierunt, ut etiam apud ſanctiſſimos Pontifices V. S. prædeceſſores, de illius in Sanctorum inſcriptione ſit laboratum, & ad Sedem Apoſtolicam illa ſunt delata, in quibus & ego memini illius canonizationis gratia ſupplicaſſe. Cum autem V. S. Illorum loco præſideat, ac Dei optimi nutu Summum agat Pontificem: Supplico V. Beatitudini humiliter, dignetur, perſpecta illius ſanctitate, in Sanctorum cataloga aſcribere; ut qui in numerum cœlicolarum eſt certo adſcriptus, inter quoque mortales in terra, honore beatorum a Chriſtiana plebe mereatur venerari. Quod V. S. opus multis Chriſticolis ſacris operibus vacare cupientibus, futurum eſt incitamento. Et eam Deus Opt. Max. felicem, & in SS. Eccleſiæ Romanæ profectum longævam conſervare dignetur. Datum Poſonii in feſto beatæ Eliſabethæ viduæ,* MDXXIII.

E. S. V.

Servus humillimus
Joannes Comes Seepuſcen. & Wayvoda Tranſilvaniæ.

XXXVII. Sub

Anno Christi	Adriani VI.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 316.
1523.	an. 1. & 2.	anno 5.	

XXXVII. Sub hunc annum inventæ ſunt in littore Coromandelio Indiæ Orientalis, & inter ruinas nobiliſſimæ Urbis Meliaporis, Reliquiæ ſancti Thomæ Apoſtoli (licet partem earumdem Meſopotamia ſibi vendicet) opera Emanuelis Friæ Præpoſiti Coromandeliæ oræ, cui tanti theſauri perquiſitionem, Luſitani Regis nomine, ſtudioſe commendavit Eduardus Meneſius Prætor Indiarum. Conditæ erant in templo ab ipſo Apoſtolo conſtructo intra ſeptum quadratum, primo lateritiæ, poſtremo lapideæ ſtructuræ, pedum circiter novem altum. Adhibiti ad movendum operculum Luſitani duo, qui noxis per ſacram confeſſionem expiatis, & reconciliato per Euchariſtiam Deo, immiſta calci & arenæ candidiſſima ſpecie oſſa, & appoſitam lanceæ cuſpidem, ac viatorii baculi fruſtum, itemque vas fictile invenerunt, & ſubtus hæc cadaver cujuſdam ſancti Apoſtoli diſcipuli. Arculis duabus arte Sinarum affabre factis, e proximo emporio Paleacatæ confeſtim allatis, repoſitæ ſunt; in una eximii operis argento cælata ipſius Apoſtoli, in altera diſcipuli reliquiæ, præmiſſa ſolemni ſupplicatione, ingentique pompa totius populi præ ſummo gaudio exultantis. Propoſitis deinde in Altari arculis, adhibitoque cuſtode, claves depoſiti utriuſque Frias Cocinum detulit Meneſio. Biennio deinde poſt eadem oſſa intra ipſam aram occulto loco, duobus tantum conſciis Luſitanis abdita, ac poſtremo Goam Conſtantino Brigantino Prorege, qui D. Thomæ templum ea in urbe conſtruebat, a quodam Minorita translata fuerunt, cujus induſtriæ nobiliſſimum illud emporium tantum theſaurum fatetur acceptum.

Inventio Corporis S. Tho. Apoſt.

Maff. lib. 8.

Minoritæ Induſtria Goam tranſferuntur Reliquiæ.

XXXVIII. Diffundente ſe per propinquas regiones Lutherana illa peſtifera doctrina, vehemens perſecutio ſuſcitata eſt contra Minoritas Wratislaviæ in Sileſia per cives hæreſi iſta intoxicatos, qui Fratres e clauſtro ejecerunt, & ſacrilegas manus in templum ſacroſque homines miſerunt. In Lituaniam etiam hæc perniciosiſſima peſtis penetravit, cui ſe viriliter oppoſuit Uriel de Grabovo Miniſter provinciæ Poloniæ, conſtitutis in confiniis viris doctis, diſertiſque Prædicatoribus, qui obrepentem comprimerent, & lenociniis illitum hoc venenum, propinantibus veritatis Evangelicæ antydotum præferendum eſſe, conſtanter edoceret. Adhibuit etiam in præcipuis Conventibus peritos ſpeculatores, qui ſolerter curarent, ne quid contagioſum ad ipſos Fratres perveniret. Intentarunt aliqui tunc abſcindere Lituaniæ Conventus a Poloniæ provincia, fautore Palatino Vilnenſi Gaſſoldo, viro Principe: ſed prudentia prædicti Urielis, & conſtantia Bernardini Caliſſiani Guardiani Vilnenſis, adverſariorum conatus in caſſum abierunt.

Monum. Polon. MSS. ad hunc annum.

Minoritæ in Polon. reſiſtunt Lutheranis.

Et Lituani.

XXXIX. Hoc anno XXVI. Auguſti, uti habet Jacobillus, ſive IV. Junii, uti monumenta MSS. provinciæ ſancti Franciſci commemorant, Franciſcus Brixienſis ex humanis abiit in Cœnobio ſancti Bartholomæi extra Fulgineum, uti alias indicavimus. Natus anno MCCCCLX. in adoleſcentia cœpit Deo ſervire ſub Inſtituto ſancti Franciſci, eique placere profunda humilitate, aſſidua oratione, ferventi erga proximos caritate. Valde dolebat, quoſdam in ſacra confeſſione rem remiſſius agere, & læviter pœnitere. Cumque ſæpius dolorem lacrymis exprimeret, a Conſodale interrogatus cur tantopere ad alterius impœnitentiam cruciaretur? reſpondit, nihil magis Divinum converſione peccatorum, opuſque eſſe homine cœleſti dignum; & nihil magis proprium probo Franciſcano, dum Franciſcum ſuum inſtitutorem velit æmulari: *Unicuique*, dicebat, *de proximo ſuo mandatum eſt*, maxime vero Minoritæ, qui populi comedit peccata. Præfectum agebat Eremitorii Cæſienſis, & in magna annonæ caritate confluebant ad eum catervatim pauperes, panem accepturi. Ille quantum erat edulii miniſtrabat, nihil

Decedit Franciſcus Brixienſis.

Jacobil. de SS. Fulg. fol. 172. Mon. Prov. ſancti Franciſci. Tom. 9. an. 1406. n. 110.

nihil Fratribus relicto. His autem egentibus, mirabiliter providebat, ſola oratione præmiſſa, acceptis abunde pro Fratrum victu, & pauperum ſubſidio rebus neceſſariis. Impetravit a Miniſtro Generali Franciſco Lycheto, item Brixienſi, facultatem vivendi in provincia ſancti Franciſci, tamquam omnium religioſiſſima; ibique deputatus eſt anno MDXXII. excipiendis confeſſionibus Sororum Monaſterii ſanctæ Luciæ Fulginatis: quo munere dum per annum fungitur, ea, qua par eſt, caritate & vigilantia, ad præmia vocatur æterna ætatis anno LXIII.

Moritur Ordinis Protector Grimanus. Inſtituitur Card. de Valle.

XL. Defuncto hoc anno Dominico Cardinali Grimano, diuturno & optimo Religionis Protectore, Clemens Pontifex in ipſo Pontificatus limine, Protectorem inſtituit Andreani de Valle Romanum, tit. ſanctæ Priſcæ presbyterum Cardinalem, virum prudentem, Religioni addictiſſimum. Inſtitutionis, quod ſubjicio, inſtrumentum difficultates evacuabit, quas excitavi circa titulum Protectoris modo Bernardino Carvajalio, modo Julio Mediceo Cardinalibus attributum. Quod ſi vere Protectores officio, non nomine aut affectu fuiſſent, non diceret Pontifex, per obitum Dominici Religionem Protectore carere, ſed potius per ſuam ad Pontificatum aſſumptionem. Ita porro habet diploma.

An. 1519. n. 16. & ſeqq. An. 1521. n. 9.

Dilecto filio noſtro Andreæ tit. ſanctæ Priſcæ presbytero Cardinali.

Reg. Curiæ Ciſm. fol. 37.

XLI. *Dilecte fili &c. Cum ſacer Ordo Fratrum Minorum, cujus bonæ memoriæ Dominicus Epiſcopus Portuenſis, dum viveret, Protector, Gubernator & Corrector exiſtebat, per obitum ejuſdem Dominici Epiſcopi, qui apud Sedem Apoſtolicam debitum naturæ perſolvit, Protectore, Gubernatore & Correctore careat ad præſens: Nos præfato Ordini uberes in agro Domini fructus aſſidue afferenti, quem in viſceribus gerimus caritatis, de idoneo & utili Protectore, Gubernatore & Correctore providere volentes, ad circumſpectionem tuam, prudentia & caritate eximia præditam, animum noſtrum convertimus, ſperantes dictam Ordinem ſalubre in Domino ſub tua protectione incrementum ſuſcepturum. Mota igitur proprio te univerſi præfati Ordinis Protectorem, Gubernatorem & Correctorem, cum auctoritate, facultate, poteſtate, honoribus & emolumentis, aliis Protectoribus dicti Ordinis dari & concedi ſolitis, facimus & conſtituimus & deputamus: ac dilectis filiis Generali, & aliis Miniſtris, Guardianis & Fratribus dicti Ordinis, & quibuſvis aliis ad quos ſpectat, ut te in eorum, & totius Ordinis prædicti Protectorem, Gubernatorem & Correctorem recipiant & admittant, & tibi tamquam Protectori, Gubernatori & Correctori pareant & obediant, ac obſequia alias Protectoribus, Gubernatoribus & Correctoribus impendi ſolita exhibeant, diſtricte præcipiendo mandamus. Hortantes eamdem circumſpectionem tuam, ut præfatum Ordinem, velut cupimus & ſperamus, pro bonitate tua, proque officii debito, ita protegat, gubernet & corrigat, ut apud Deum bonorum operum retributorem præmium, & apud Nos commendationem mereatur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XI. *Decembris, Pontificatus noſtri anno* I.

Minoritæ expulſi inſula Rhodiorum.

XLII. Ingenti rei Chriſtianæ jactura, poſt longam & duriſſimam obſidionem, redacta hoc anno, magno fidelium mœrore in Turcarum poteſtatem inſula Rhodiorum, antiqua ſede, & tutiſſimo Militum Hoſpitalis ſancti Joannis munimento; Minoritæ, qui propugnandis arcibus, & repellendis ſæviſſimis hoſtibus ſuas operas poſuerunt, & inſtar Rhodiorum militum fortiter pugnarunt, non ſine nece forte aliquorum Chriſtianorum, qui in Tur-

ca-

carum exercitu militabant, abſolutionem ab irregularitate, aliiſque cenſuris & pœnis quibuſcumque petierunt, & impetrarunt juxta ſequentes litteras. Ab iis vero paramenta, ornamenta, jocalia, & bona quæque Conventus ſanctæ Mariæ de Victoria illius inſulæ, ad Cœnobium ſancti Franciſci inſulæ Cretenſis translata, illi loco Pontifex applicavit, nullatenus illinc extrahenda, niſi in caſu quo recuperari Rhodium poſſit, vel Fratribus liceret ad deperditum redire domicilium.

Dilecto filio Commiſſario Generali Ciſmontano Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ.

XLIII. *Dilecte fili &c. Exponi nobis feciſti, quod dum his non longe exactis diebus Rhodiana Civitas ab imaniſſimis Chriſti hoſtibus fuiſſet obſeſſa, quamplures Fratres tui Ordinis in conflictu obſidionis pro ipſius Civitatis conſervatione, & Fidei exaltatione, contra coſdem hoſtes, cum quibus etiam Chriſtiani homines erant, dimicarunt, & tormentorum, & aliorum inſtrumentorum belli machinas excreuerint, ubi quamplarimæ hominum cædes, & membrorum mutilationes, & plura ſuppliciorum genera, etiam eorum Fratrum manibus ſubſecuta fuerunt; ex quo fortaſſe irregularitatis maculam, & alias pœnas contra ſimilia perpetrantes, incurrerint. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ex Sedis Apoſtolicæ clementia deſuper abſolutionis beneficium impertiri, ac alia opportuna concedere dignaremur. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi & Commiſſario Romanæ Curiæ Ciſmontano quod præfatos Fratres ab omnibus & ſingulis cenſuris & pœnis, præmiſſorum occaſione quomodolibet incurſis, ac irregularitate contracta abſolvere, omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam ex præmiſſis inſurgentem abolere, eoſque ad omnia & ſingula primæva naturæ jura, ac ſi præmiſſis non interfuiſſent, reſtituere, ac cum eis etiam quoad Ordinum ſacrorum promotionem, & illorum executionem diſpenſare poſſis & valeas, auctoritate Apoſtolica indulgemus: ac Miniſtro provinciali Cretenſi, & Guardiano Hieroſolymitano dicti Ordinis, & per eos, ſeu ab eis in provinciis ſuis deputandos, in partibus illis nunc & pro tempore exiſtentibus, at ergo omnes & ſingulos Fratres ejuſdem Ordinis ad eaſdem partes, & Sepulcrum Dominicum obedientiæ cauſa peragrantes, ſeu inibi manentes, qui pro tempore, & Altiſſimi nominis exaltatione, & humanæ ſalutis conſervatione contra eoſdem Chriſti hoſtes dimicare coacti fuerint, & in hujuſmodi conflictibus homicidia & ſupplicia hujuſmodi, ac alii exceſſus ſubſecuta, & forſan per eos perpetrata extiterunt, ſimilem abſolvendi & diſpenſandi, ac alia præmiſſa faciendi, harum ſerie elargimur facultatem & poteſtatem: Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Sacrorum Canonum, & dicti Ordinis conſtitutionibus & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctam Petrum ſub anulo Piſcatoris, die* XVI. *Decemb.* MDXXIII. *Pontificatus noſtri anno* I.

Ex reg. Ciſm. citato.

XLIV. Pauli Soncinatis Miniſtri Generalis, de quo ſupra diximus, collector & ſubdelegatus in Commiſſariatu fabricæ ſancti Petri in Urbe, erat hoc anno frater Joannes Baptiſta de Puppio, quem eadem in Urbe Adrianus Pontifex ſuum conſtituit pro eodem munere Commiſſarium. Do ipſius Pontificis conſtitutionem.

Joannes Bapt. de Puppio Commiſſarius Apoſtolicus.

Dilecto filio Joanni Baptiſtæ de Puppio Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ profeſſori, Commiſſario noſtro.

Ex origin.

Dilecte fili, ſalutem &c. Fide dignorum relatione percepimus, te Indulgentiarum & facultatum in favorem fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, per prædeceſſores noſtros conceſſarum, loco Generalis Miniſtri Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, Nuncii & Commiſſarii Apoſtolici ad id deputati, negotium in Urbe bene & fideliter geſſiſſe & adminiſtraſſe, variaſque pecuniarum ſummas apud domos & profeſſores dicti Ordinis ex indulgentiis & facultatibus prædictis collectas dimiſiſſe. Volentes itaque opportunitati dictæ fabricæ conſulere, ſperanteſque, quod de bono continuabis in melius, tibi præſentium tenore collectionem, exactionem & receptionem omnium & ſingularum pecuniarum, ac rerum & bonorum, vigore dictarum facultatum & indulgentiarum collectarum, & apud quamcumque domum & perſonam veſtri Ordinis (etiam provinciales Miniſtros) exiſtien. committimus & demandamus cum omnimoda facultate & poteſtate detinendi, quoſcumque ad illa tibi ſolvendum & conſignandum cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ac aliis juris & facti remediis opportunis cogendi & compellendi, ac deinceps quietandi & abſolvendi in forma juris valida, cum clauſulis neceſſariis & opportunis: necnon omnia & ſingula faciendi, gerendi & exercendi, quæ in præmiſſis quomodolibet fuerint neceſſaria ſeu opportuna. Volumus autem ut quidquid ex præmiſſis collegeris ſeu exegeris, ad noſtras, vel deſcitu dilecti filii noſtri Franciotti Cardinalis de Urſinis dictæ fabricæ Præfecti, ad depoſitariorum dictæ fabricæ manus deducas. Verum, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca deferri, volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod præſentium tranſumptis, manu alicujus notarii ſignatis, & ſigillo alicujus Prælati in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti munitis eadem fides in judicio vel extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ: contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XV. *Junii* MDXXIst. *Pontificatus noſtri anno* 1. T. Tezius.

XLV. Hi promoti ſunt hoc anno ad infulas Pontificias. Ad Archiepiſcopalem Colocenſem in Hungaria, frater Paulus Zomon * Regularis Obſervantiæ per obitum Georgii de Frangepanibus, IV. Februarii. Ad Scarenſem in Svetia, ſub Archiep. Upſalenſi, frater Joannes de Potentia, olim, uti diximus, Ordinis Procurator, & Miniſter provinciæ Baſilicatæ, per obitum Vincentii, die XV. Maii. Ad Nicopolitanam in Armenia, ſub Arch. Sebaſtenſi, frater Petrus de Biſquariis, ſuffraganeus Antonii de Zonda Epiſcopi Belvacenſis, die XVII. Junii. Ad Agrenſem ſive Agaren. ſub Archiep. Cretenſi, frater Franciſcus de Molendina, die XXIV. Julii. Ad Cyrenenſem, ſub Archiep. Athenienſi, & ſuffraganeus Crotonienſis Epiſcopi, frater Franciſcus Marturanus, die XIX. Decembris.

Fr. Paulus Archi. Colocen. * al. Thomorius.

Fr. Joann. Epiſc. Scaren. An 1518. n. 14.

Fr. Petrus Nicopolitan.

Fr. Franciſcus Agren.

Fr Franc. Cyrenen.

XLVI. Primus horum Antiſtitum Paulus (non Petrus, uti Bilſcium hiſtoricum Polonum eum appellaſſe, alibi diximus) Archiepiſcopus Colocenſis, vir fuit inſignis, & ſtrenuus adverſus Turcas bellator, antequam Minoritis nomen daret. Illuſtre habetur de hoc homine in appendice rerum Hungaricarum teſtimonium, quod hic exſcribimus; ex quo item inferius referemus, quam ſtrenue ſe geſſerit adverſus eoſdem inſenſiſſimos Chriſtiani nominis hoſtes, etiam poſt ſuſceptum Archiepiſcopatum. Referens itaque quales, & quam præclaros habebat Ludovicus Rex ſui Regni Gubernato-

Tom. 14. Ann. 1491. n. 69. Paulus Thomorius qualis vir.

Broderthh. in deſcript. Ungar. ad anno 1526.

res,

res, & provinciarum Præfectos, ita de Paulo ſubjungit: *Sirmio, & ei regni parti, quæ inter Savum & Dravum per ripam Danubii jacet, Paulus Thomorii, Archiepiſcopus Colocenſis præerat, ex Ordine eorum, quos Fratres Minores de Obſervantia vocamus: vir ſtrenuus, & qui antequam eam Religionem intraſſet, plurima exhibuerat nec modica ſuæ virtutis documenta, eum hoſte ſæpius congreſſus. Vacante poſtea Archiepiſcopatu Colocenſi, eum ea bona, amiſſo paulo ante Bellagrado, non minus defenſore, quam ſacrorum miniſtro indigere viderentur, poſtulatum fuit in publico Regni conventu ab omnibus, ut Paulus e Religione, ſi exire abnueret, etiam vi & auctoritate ſummi Pontificis Romani extractus, illi Eccleſiæ, illiſque locis ab hoſte defendendis præficeretur. Diu multumque, ac vere, non ſimulate reluctatum, tamdem voluntati regiæ, ac Regni parere coegerunt. In qua Præfectura, confeſſione omnium, perperam etiam de eo judicantium (ut nulla excellens virtus ſine invidia eſt) ita ſe geſſit, ut nihil penitus prætermiſerit, non ſolum quod ad ſtrenuum militem & Imperatorem, ſed etiam quod ad virum religioſum & bonum Archiepiſcopum pertineret: nihil de priore vitæ auſteritate, neque in cultu corporis, neque in ulla alia re remittens aut immutans.* Tales quidem oporteret eſſe Eccleſiarum Præfectos ex Regularibus aſſumptos, qui Epiſcopale onus conſtanter ſuſtinerent, & primam ſtationem non deſererent, neque a ſacramento publice præſtito ſub blanda honoris ſpecie reſilirent.

Iſtuanf. l. 7. rerum Ungar. Dubrav. l. 33. Cadam. lib. 7.

XLVII. Ab oppido Collis in Piceno per CCC. P. diſtat Cœnobium Regularis Obſervantiæ, pulchro opere conſtructum ab illuſtri viro Mariotto Sajano, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Miſericordia, amplis hortis, & fulto nemore peramœnum. Condendi facultatem dedit hoc anno Adrianus VI. & complendo operi omnes ſuas facultates moriturus legavit Mariottus.

Conv. Collis: Gonz. in prov. March. Con. 44.

XLVIII. Communitas terræ Corzani Vallis Balneæ, diſtrictus Civitatis Florentinæ, quamdam parvam domum, cum ædificiis, & terræ portionibus adjacentibus in Burgo ſancti Petri, & loco de Lama Pontis ſanctæ Mariæ, diœceſis ſancti Sepulcri, libere donavit Fratribus Regularis Obſervantiæ, ut illic hoſpitium cum oratorio, & officinis neceſſariis pro hoſpitio Fratrum Cœnobii Montis Alvernæ conſtruerent. Donationem cum ſingulis clauſulis in inſtrumento expreſſis Clemens VII. hoc anno in ipſo Pontificatus limine confirmavit: *Cum ſicut nobis.* XXIX. Novembris. Poſtea Balneenſes ſub Miniſteriatu Generali Aloyſii de Puteo, ad juſtam Cœnobii formam ſuis ſumptibus hoſpitium evehere decreverunt. Eccleſiam conſecravit N. Salaminenſis Epiſcopus Minorita, ex conſenſu Sarzinatis Epiſcopi, & Abbatis Balneenſis, dedicato majori Altari S. Conceptioni Virginis Mariæ, & reliquo templo in honorem ſancti Franciſci. Conſecrationis anniverſarium celebratur Dominica prima Septembris.

Conv. Corzani. Idem in prov. Tuſciæ Conv. 50.

XLIX. Conventum Pampilonenſem cum ipſo fere Ordine incepiſſe, facile quiſquis ſuſpicabitur, ſi quæ de prima ejus translatione a loco ſancti Petri de Ripis, in quo nunc habitant Moniales Ordinis ſancti Auguſtini, ad alium ſalubriorem extra portam ſancti Laurentii ad annum MCCXLV. enarravimus, & fidem præſtare velit dicentibus, ab ipſo Ordinis Inſtitutore fundatum fuiſſe, quando peregrinationem ſubivit Compoſtellanam. Quidquid ſit de hoc poſtremo, de quo nihil certum auſim affirmare, Fratres perſtiterunt in ſecundo loco ad portam ſancti Laurentii in pulchro & commodo habitaculo uſque ad hunc annum, quo, dum exciſum eſt, uti diximus, propter bella Cœnobium, translati ſunt intra urbem, ubi amplum in loco opportuno receperunt domicilium. Jacent hic duo Viri piiſſimi, multis vir-

Conv. Pampilonen. transferur. Gonz. in prov. Cantabr. Conv. 50. Tom. 3. an. 1245. n. 35.

Martinus de Omegno. Bernardinus de Aguero.

tutibus illuſtres, eodem contumulati ſepulcro: frater Martinus de Omeño laicus, qui anno MDCXV. die XIX. Novembris, & Bernardiuus de Aguero Miniſter provinciæ Burgenſis, ad quam nunc iſte ſpectat Conventus, qui anno ſequenti MOCXVI. in pervigilio Nativitatis Dominicæ deceſſerunt. Multa de illorum ſanctimonia referuntur in monumentis illius Provinciæ apud me MSS. quæ ſuo tempore fortaſſis ſcribentur.

Con. Eſcamillæ. *Idem in prov. Caſtel. Conv. 21. Salaz. l. 4. c. 22.*

L. Circa hunc annum Ferdinandus a Silva Centifontanus Comes, & oppidi Eſcamillæ, Conchenſis diœceſis, Dominus, non longe ab illo oppido Conventum ſanctæ Mariæ Angelorum fabricavit, & anno MDXXV. Franciſco Quiñonio Miniſtro Generali aliis ſibi ſubjectis connumerandum conceſſit. Locus eſt devotus & ſolitarius, ſed aeris ſeverioris. Omnia tamen Fratribus abundant, tum patronorum, tum oppidanorum benevolentia.

Conv. Cochinii. *Idem in prov. S. Thomæ in Ind. Con. 2.*

LI. Sereniſſimus Luſitaniæ Rex Joannes, qui hoc tempore regnabat, religionis Chriſtianæ propagandæ per Indiæ Orientalis regiones cupidus, Franciſcanis indefeſſe in idipſum incumbentibus, domum ædificari præcepit in urbe Cochinii, ex qua ad alias facilior fieri poſſet aſcenſus. Ita tunc pro rerum anguſtiis, & inſtabili adhuc Indiarum ſtatu, utcumque factum. Sed circa annum MOLXXX. domus in ampliorem & auguſtiorem formam abiit ipſorum Fratrum induſtriis.

Mon. Monfortii. *Idem in prov. Algarb. Mon. 16.*

LII. Sorores tres ſumma pietate, & religionis ſtudio cum Fratre germano Sacerdote ſeculari viventes, conjunctis patrimonii facultatibus, circa hunc annum Monaſterium Clariſſarum ſub Jeſu nomine condiderunt in Monfortii oppido, diœceſis Elvenſis. Eodem ferme tempore domus ſanctæ Mariæ de Puliolis, in qua ſanctum Franciſcum hoſpitio diximus a Bononienſibus exceptum, commutata eſt in Monaſterium inſigne Clariſſarum, ſub invocatione ſancti Bernardini, evocatis ex Monaſterio corporis Chriſti ejuſdem Civitatis, auctoritate Quiñonii Miniſtri Generalis, quinque Sororibus, quæ talia poſuerunt religionis & pietatis fundamenta, ut in magnam molem domus excreverit, & magno numero Sorores adventarint, eaque ſint opinione, ut ad illarum conſortium nobiliſſimæ virgines ſemper aſpirent.

Mon. de Puliolis. *Idem in prov. Bonon. Mon. 6. Tom. 1. an. 1240. n. 10.*

Domus Sororum Gorneji. *Idem in prov. Franc. Pariſien. Mon. 17.*

LIII. Duces Gorneii Normanniæ oppidi, ante aliquot annos domum ædificarunt ſub titulo Salvatoris Sororibus Tertiariis in oppido prædicto. Illinc exturbatæ Caroli VII. Francorum Regis edicto, ſed ſub hunc annum Franciſci Regis decreto reſtitutæ, religioſe perſeverant. Eccleſia conſecrata eſt incerto anno a quodam Epiſcopo Hipponenſi.

Domus Grinionii. *Idem in prov. Caſtel. Mon. 25. Salaz. l. 7. c. 23.*

LIV. Hoc anno Rodericus de Bivar presbyter U. J. D. proprias ædes Grinionii, quod Toletanæ diœceſis oppidum eſt, in domum Sororum Tertii Ordinis convertit, opuſque diligenter ſub titulo Annuntiationis B. Mariæ Virginis ſub biennium abſolvit, domumque rebus omnibus neceſſariis inſtructam, Andreæ de Ecixa provinciæ Caſtellæ Miniſtro conſignavit. Adductæ ſunt ex Monaſterio Dominæ noſtræ de Planitie Almagri duæ Sororum inſtitutrices, quarum una Franciſca a ſancta Anna, quæ in domo Toletana Joannis de Pœnitentia Abbatiſſam egit, idque ipſum munus hoc in loco prima ſubivit, & Iſabella a ſancto Raphaele egregie aliaa inſtruxit, regulas ſive conſtitutiones ſecuta fundatoris. Religioſiſſime hic vivitur; omnes colloquia fugiunt exterorum, etiam parentum, & per omnem ferme Hiſpaniam maxime commendantur.

Domus S. Clementis. *Idem in prov. Carib. Mon. 15.*

LV. Vidua quædam oppidi ſancti Clementis, frequentis & locupletis in Hiſpania, habitum ſibi, duabuſque piis fœminis obduxit Tertii Ordinis ſancti Franciſci, domumque ſuam in collegium Sororum hujus Inſtituti com-

commutavit. Subjecit ſe regimini Miniſtri provinciæ Carthaginenſis, qui domui præfecit Sororem alteram a ſe accerſitam ex Monaſterio Villæ novæ Infantium. Id ægre tulit vidua operis inceptrix, protinuſque omnes ſuis ædibus ejecit; atqui Miniſter illam religioſa veſte ſpoliavit. Expulſis in paupercula domo commorantibus, Martinus Ruizius a Villa-Mediana domum ſuam & facultates legavit hoc anno die VIII. menſis Octobris. Poſt aliquot annos, cum plures aliæ virgines & honeſtæ acceſſiſſent matronæ, nobilis quædam vidua Eliſabetha a Pidrola aliquot prædia & poſſeſſiones cum capaciſſima domo, quam Aſſumptioni beatæ Mariæ dicatam, triginta & ultra Sorores inhabitant, ex teſtamento eiſdem legavit. Monui alias, errorem irrepſiſſe in notas numerorum apud Gonzagam, & pro anno hoc MOXXIII. irrepſiſſe MCCXXIII. quod conſtare non poteſt, tum propter rationes, quas tunc adduximus, tum quia prima Soror ad regimen vocata venit ex Monaſterio *Villæ novæ*, quod poſt annum MO. initium accepit. *Tom. 2. an. 1213. n. 29.*

ARGUMENTUM.

Martinus de Valentia cum ſociis ad oras Mexicanas profectus, honorifice & reverenter a Prætore Corteſio excipiuntur. Diſtributi per varias Provinciæ partes opus injunctum ferviſſe exequuntur. Lutheranis in Saxonia ſe opponunt Minoritæ, inde multa mala perpeſſi. In Polonia id majori faciunt profectu. Fratribus provinciæ ſanctæ Crucis Indiarum ſalutares præſcribuntur conſtitutiones. Quiñonius indefeſſe rebus proſpicit Hiſpanis. Pii viri huic ſeculo valedicunt. Multiplicantur Epiſcopi & Cœnobia.

I. MARTINUS Valentinus a Miniſtro Generali Quiñonio cum duodecim ſociis miſſioni Indicæ, uti diximus, deputatus, ſtatim ſe itineri accinxerat, & valedicto ſuper Provinciæ Patribus in Conventu Beli-viſus * recta perrexit Hiſpalim, ubi omnes ſub initium Decembris convenerunt, excepto Joſepho Corunenſi, ad Cæſarem deſtinato, ut cum eo circa rem tanti momenti præſens conferret, & opportuna Principis mandata ad Miniſtros Indiarum impetraret. Protracta mora in urbe Hiſpalenſi, e comitatu reſiliit frater Bernardinus a Turre laicus, timens fortaſſis longiſſimæ navigationis incommoda, vel etiam corpore dolens, ſive ſpiritu tepeſcens, in ſuam rediit Provinciam. Ejus loco ſuffectus eſt Joannes de Palos provinciæ Bæticæ, vir ſimplex, purus & timens Deum, qui & locum meruit duodecimum poſſidere. Quam verum illud eſt, quod *ex duobus molentibus in mola, unus aſſumetur, & alter relinquetur*. *Turrec. l. 15. Monarch. c. 9. Gomera in hiſt. Mexic. fol. 140. Herr. dec. 3. l. 2. cap. 9. An. 1523. n. 16. * Al. Belviſii.*

Miſſionarii Indici iter aggrediuntur.

Matth. 24. 41.

II. Die porro XXV. Januarii hujus anni, a converſione ſancti Pauli memoranda, hi Apoſtolici viri converſioni multarum gentium deſtinati, in portu ſancti Lucaris Baramedæ ſolverunt, & ad Gomeræ inſulam ex Fortunatis unam, pervenerunt pridie nonas Februarii, & V. nonas Martii ad eam, quæ S. Joannis de Portu locuplete nuncupatur; atque inde navigantes, feria IV. majoris hebdomadæ Hiſpaniolam tenuerunt; mox Aprilis ultimo illam Cubanæ inſulæ partem, quæ *Trinitatis* appellatur; & demum pridie Idus Maii in vigilia Spiritus ſancti, cujus afflatu hoc opus purgandarum mentium perficiendum erat, portum apprehenderunt ſancti Joannis de Ulva, novæ Hiſpaniæ ſtationem fidiſſimam, a Mexicano Emporio leucis ſexaginta diſtantem. *Puerto rico.*

Ad Indiam perveniunt.

III. Quamprimum Corteſius Prætor illos appuliſſe percepit, miſit, qui ſuo

ſuo nomine adventui gratularentur, & per infidas adhuc gentes illos ſecure deducerent ad potiſſimam trituræ aream, ex qua triticum mundum Chriſti horreis erat invehendum. Ex præcurſoribus unus Joannes de Villa-Gomez primus occurrit, primuſque horum Patrum pia facinora obſervavit & ſcripſit, a quo ad noſtros pervenerunt. Narrat, Corteſium regulos omnes, potiſſimoſque viros Mexicani circuitus convocaſſe, ut his ſtipatus obviam procederet Del Miniſtris, tamquam ab eo miſſis, ut illuminarent ſedentes in tenebris, & in umbra mortis. At illi tranſeuntes per Tlaſcallam, urbem magnam & populoſam, in frequentiſſimis nundinis viderunt tantam hominum multitudinem, quantam numquam conſpexerunt, uno loco congregatam; & gratias Deo habentes, quod abundantiſſimam eis præparaverit meſſem, in foro ſignis & nutibus, quod voce non poterant, cœperunt Dei majeſtatem in cœlis præfigurare, atque inde bonum omne deſcendere, & mox idola deteſtari, in ea paſſim conſpuere, & inania dæmonum eſſe ſimulacra conſtanter aſſerere. Admirati Barbari tantam rerum novitatem; incultum vitæ genus, veſtem ſegmentitiam, facies macilentas, pedum nuditatem; pars ridere, pars flere, & miſereri cœpit, & attente conſiderare, quæ faciebant. Sæpe repetebant plurimi hanc ſuæ linguæ voculam *Motolinia*; cujus interpretationem dum a quodam Hiſpano accepit Turibius Beneventanus, & nonniſi *pauperculum* ſignificare, exultans dixit: *Hoc quidem mihi erit deinceps inter Indos cognomen: id ſciant ſummopere cupio, nos Chriſti* pauperculos *eſſe, neque quidquam bonorum ipſorum appetere, ſolas animas in pretio habere, cetera contemptui.* Ita quidem factum eſt, ut in poſterum Turibius *Motolinia*, ab omnibus nuncuparetur.

Honorifice recipiuntur.

Prædicare incipiunt.

IV. Appropinquantes urbi, cruces manibus gerentes, magno excepit Hiſpanorum & Indorum comitatu Corteſius, ſtratoque pallio ſub pedibus Martini Præfecti, omnium manus flexis genibus oſculatus, ab omnibus voluit benedici. Prætorem æmulati id ipſum fecerunt proceres Hiſpani, & militum Tribuni, neque permiſerunt, ut quidquam obſequii aut humiliationis Fratres rependerent, monentes ut ad majorem conciliandam Indorum reverentiam, ſtarent in gradu ſuo, & omnem illam ſibi exhiberi venerationem patienter permitterent. Pium hunc occurſum, prudentemque Chriſtiani Principis actionem, ſcriptis commendavit Raphael a Trexo vir nobilis, & præclarus multarum regionum conquiſitor, qui tunc adfuit; eamque in pleriſque locis publicis Mexicani imperii graphice depictam licet adhuc intueri. Converſus autem ad Indos Corteſius: *En*, inquit, *homines a Deo miſſos, quos nos reverenter colimus, & qui nobis imperat, Hiſpaniarum Monarcha pie veneratur. Hi ſalutis animarum ſitibundi, neque aurum appetunt, neque pecuniam quærunt; cæleſtia aſſidue meditantur, terrena prorſus deſpiciunt. Veniunt Deum verum vobis annunciaturi, & falſos profligaturi. Vos, non veſtra quærunt: pro veſtra ſalute tot maria terraſque emenſi impendent, & ſuperimpendent ſe pro omnibus vobis. Religio & pietas Chriſtiana urget eos, ut a crudeli dæmonis ſervitute ad perfectam Chriſti vos transferant libertatem; ac pro cruenta & ferali hominum carnificina ſacrificium proponant mundum Agni immaculati. Hos itaque vobis damus fidei magiſtros, natorum veſtrorum pædagogos, patriæ tutelares, noſtræ erga vos benevolentiæ fidejuſſores, fidoſque apud potentiſſimum noſtrum Imperatorem eaduceatores. Apud illum magna pollent auctoritate, & apud Deum plurimum valet aſſidua illorum deprecatio.*

V. His dictis, religioſos hoſpites magna reverentia & comitiva in regiam duxit, ſummoque habuit honori, præſertim in publicis locis & Indo-

rum

rum conſpectu. Poplite flexo, capite detecto, ſemper eis loquebatur, in principio & in fine colloquii oſculata veſte religioſa. Magnam ingenerarunt hæc barbaris ſacrorum hominum venerationem, quos ſupra omnes videbant a Prætore honorari, fidemque auxit rerum omnium contemptus, paupercula veſtis, oris modeſtia, ſermonis manſuetudo, ciborum parcimonia, pſalmorum gravis concentus, & aſſidua Numinis veneratio. Confluebant undique avide turmatimque viſuri homines veluti cœlo delapſos, quibus potentiſſimi rerum domini, & fortiſſimi Indorum domitores ſe committebant. Interim pii viri prædæ impatienter inhiantes, ægerrime ferebant dies inaniter elabi, qua lingua, quibuſve modis rudes gentes edocere poſſent neſcientes. Inito ſæpius cum Prætore conſilio, ſtatuerunt Cacicos populorum Præfectos, gentiſque Primates ad cœtum convocare; ſui adventus, adhibito interprete, cauſam exponere, eamque ſolam eſſe, omnium ſalutem. Hanc vero magno aſſequendam compendio, ſi a pueris ſumatur exordium, quibus facilius fidei inſtillantur rudimenta, tenacius inhærent, & germina producunt uberiora. Eam proinde ſibi inditam mentem, plures efformare ſtationes, ſcholas frequentes aperire, pueros inſtruere, & cum illis pueraſcere, donec in Chriſticolas abeant perfectos, qui aliis quam acceperunt, infundere poſſint doctrinam. Filios itaque per ſingulas mittant familias ad loca tyrociniis deſignanda, ſi animabus, ſi rebus, ſi vitæ velint conſultum. Patres autem & adoleſcentiores ſe minime neglecturos, ſed omnium pro viribus curam acturos, ut omnes Chriſto lucriſaciant. Scholas aperiunt.

VI. Diebus tranſactis quindecim in præparatione Evangelii, advocatis aliis quinque Minoritis, Belgis tribus, a nobis expreſſis, qui in urbe Tetzcucenſi idioma apprehendebant, & puerulos pro modulo docebant, biniſque aliis, qui ex Hiſpaniola cum claſſariis transfretarunt; Martinus omnium Præfectus comitiali more leges tulit, facienda præſcripſit, regiminis modum inſtituit, ex quo quis loco huic operi incumberet, deſignavit. Etſi vero a Generali Miniſtro Quiñonio ſuerit omnibus in ea regione degentibus prælatus, attamen religioſa humilitate ſubeſſe malens, liberam fecit poteſtatem alterum præficiendi, vehementer rogans, ut laboris ſocium admitterent, non tenelli, & quidem electi, gregis Primicerium inclamarent. Illi porro a Quiñonio decretis inhærentes, & viri virtutem ponderantes, concordi voce voluerunt Superiorem; in funiculo deinde diſtributionis ſe diviſerunt per urbes propinquas. Martino cum quatuor ſociis commiſſa moles præcipua urbis Mexicanæ, alii totidem abierunt Tlaxcalam; quatuor Tetzcucum, reliqui Huexotzincum, civitates maximas, populi feraciſſimas, in circuitu Mexicano præcipuas. Mexicano Præſuli incumbebat cura Vallis Tolucanæ, regni Mechuacani, Quauhtitlani, Tullæ, & Xilotepeci, cum montanis altis, & minoribus (nunc Patrum Auguſtinianorum curæ ſubjectis) uſque ad Meztitlanum. Tetzcucano provinciæ Otumbæ, Tepepulci, Tullamtzinci, cum reliquis quæ ab illa parte vergunt ad mare Aquilonare. Tlaxcallenſi commiſſa ſunt Zacatlanum, & omnia illius partis montana, uſque ad mare, & provincia Xalapæ, & Cempoalæ, per quam primitus ingreſſi ſunt Hiſpani, cum omnibus populis, & provinciis uſque ad fluvium Alvaradi. Huexotzincano urbs magna Cholulæ, altera Tepeacæ, Tecamachalcum, & univerſa Mixteca ſuperior & inferior, & Quauhquecola, & Chietla, quæ vergunt ex illa parte ad meridiem. Advenientibus aliis quatuor, uti dicemus anno ſequenti, deſtinatum eſt oppidum frequentiſſimum Cornu-Vaccæ, caput ſeu emporium Marchionatus de Valle, cujus viſitationi & doctrinæ ſuberant provinciæ de Ocuila Malinalei, & tota illa calida regio, quæ ad meridiem ver- *Torquem. lib. 15. c. 25.*

vergit uſque ad mare Auſtrale, quæ ampliſſimas terras, & diverſæ loquelæ varias nationes comprehendit.

VII. Poſitis utcumque ſibi ſedibus, domos addiderunt ampliſſimas, in quibus per aulas capaciſſimas lectulos ſtraverunt, adhibitis per latera officinis neceſſariis, erectis in capite Altaribus, & pietatis incentivis pictis Chriſti, Mariæ, Sanctorum Apoſtolorum imaginibus, & Dominicæ paſſionis myſteriis. His Seminariis intulerunt optimi quique ſuos filios; ſed multi inviti, Prætoris timentes indignationem, & multi quidem fraudulenter pro natis ſervulorum filios ſubmittebant. At decepti ſunt in iniquitate ſua, dum hi artes quaſque bonas a Fratribus diſcebant, per quas ad præcipua Reipublicæ munia poſtea pervenerunt, dominorum filiis antelati. Puerorum numerus erat immenſus, aliquando ſexcentis, aliquando octingentis, ſæpe mille per hæc Seminaria congregatis. Diſciplina & inſtructionis cura erat perquam exacta, adhibitis per claſſes & aulas, ſecundum puerorum numerum, & aulæ amplitudinem viris grandævis, qui in officio continerent, & neceſſaria quæque a parentibus miniſtrata porrigerent; præſidente ſemper, & accurate invigilante uno ex Minoritis. Alternatis vicibus hi legere, ſcribere, cantare docebant, difficulter quidem in initio, donec ex aſſidua exercitatione, & intelligi cœperunt & intelligere, facti puerorum diſcipuli & præceptores.

VIII. Præcipuum adhibuerunt ſtudium & laborem circa pietatem, & Dei venerationem infundendam; atque hinc illis conſuetudo, omnia quæ huc ſpectabant, in conſpectu puerorum faciendi. In capite aulæ maximæ, e quo per aulas minores conſpiciebantur, ſacra peragebant, Divinum pſallebant officium, orationi & meditationi vacabant, in crucis formam brachia extendebant, flagris ſe cædebant in tenebris, aliiſque ſe macerabant corporis cruciatibus. Neque inſructuoſus fuit omnis iſte magiſtrorum labor, dum numeroſo proventu correſpondebant pueri, litteris, moribus, pietate, muſica, aliiſque artibus brevi tempore, ultra quam credi poteſt, exculti. Eam inſuper conceperunt erga ſuos inſtructores fidem & amorem, ut quidquid genitores in rem Chriſtianam peccabant, ad ipſos deferrent, & idola ſecretis commiſſa latibulis, comminuenda propalarent. Nulli parcebant labori boni viri, die noctuque vigilantes ſuper tenellum ſuum gregem, cupientes, ut quamprimum ex ſcholis iſtis prodirent, qui alios edocerent.

Cogit Martinus Fratrum Præfectus ſynodum.

IX. Corteſius Prætor videns cuncta recte diſpoſita, apertumque ampliſſimum oſtium fidei Chriſtianæ propagandæ, cum Martino Romani Pontificis vicario (hæc ei a Clemente conceſſa poteſtas) egit, ut ſenticoſo colendo agro eas traderet regulas, per quas a ſpinis & tribulis expurgari, & bono poſſet ſemine fœcundari. In eam itum eſt ſententiam, ut communi hæc fierent conſilio, & proinde Synodus cogeretur, in qua errores eliminandi cenſerentur, & opportuna remedia juxta ſacros canones potuiſſent ſanciri. Hoc ipſo anno indicta eſt omnium illarum partium prima, paucis quidem ſuffragiis circumſcripta, ſed bonis legibus abſoluta. Convenerant Martinus Præſes, presbyteri ſeculares quinque, novemdecim Minoritæ, Juris Canonici doctores laici ſex, interveniente etiam pro rei majeſtate Corteſio. Inter reliqua ſynodalia decreta, abrogata cohabitantium mulierum multitudine, ſancitum fuiſſe, ut qui ex Gentilibus ad Chriſti fidem accederent, una eſſent contenti, ſelecta ex omnibus, quas ſuperinduxerant, quæ magis placeret, eamque ſibi inſolubili matrimonii vinculo deſponderet, narrat Franciſcus Lupus Gomara. Sed rem aliter narrat Turrecremata, dicitque ob linguæ & rituum ſponſalium ſeu contractuum matrimonialium,

Gomara in hiſt. Mexicana fol. 240. Turrecr. lib. 16. cap. 23.

lium, quibus Indi utebantur, imperitiam, nihil tunc ibi fuiſſe decretum; & ſæpe ſucceſſivis temporibus miſſos in Hiſpaniam & Romam, qui rem valde perplexam & dubiam exponerent, & tamdem ſub Paulo III. fuiſſe deciſam.

X. Prima hæc iſtorum Patrum geſta commentariis excepit frater Bernardinus Sahaguntinus, vir doctus, & diſertus concionator, qui paucos poſt annos huic excolendæ vineæ auxiliarius acceſſit, & per annos ſexaginta in hoc miniſterio deſudavit. Præſens hæc vidit, & brevi compendiolo recenſuit Franciſcus Lupus de Gomara, univerſæ expeditionis Mexicanæ, rerumque a Corteſio geſtarum fidus hiſtoricus. Laurentius Surius, candidus auctor, hæc diſciplinæ Chriſtianæ inter Indos primordia, tunc exorientibus peſtilentiſſimis Martini Lutheri hæreſibus, in hunc modum oppoſuit. *Sur. in comm. ad an. 1558.*

XI. *Anno ſalutis* MDXXIV. *venit in Civitatem Mexicanam frater Martinus Valentinus, cum duodecim Monachis, tamquam Vicarius Papæ, a Carolo Cæſare illuc cum auctoritate ejuſdem Pontificis miſſus; eodemque anno prædicavit ille in novi Orbis terra continente Evangelium Chriſti, & magnos illic progreſſus, magnaque incrementa fides Chriſti accepit; & quidem ea ipſa fides, quam Germani, & plerique alii Europæi a Martino Luthero, & aliis Sectariis male perſuaſi, ut Papiſticam rejiciunt. Baptizabantur illic multa hominum millia: & cum antea plures ſimul uxores habuiſſent, dubitareturque, quam ex omnibus retinere deberent, eodem anno Mexicana habita eſt ſynodus ſolemnis, cui tamquam Papæ Vicarius præſedit Martinus Valentinus, in qua tamdem definitum eſt, quod qui fidem Chriſtianam cum omnibus Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ ritibus complecterentur, ex omnibus uxoribus unam tantum, quam vellent, ducerent ritu Chriſtiano. Idola omnia ex templis exturbabantur, Crux Chriſti, & ſanctiſſimæ Virgini Mariæ imago in templis ponebantur, Euchariſtia populis oſtendebatur, Miſſæ ſacrificium a Martino & collegis duodecim pateſiebat, Evangelium Catholico more pie & pure annunciabatur. Inde vero paucis annis tot baptizabantur in ea novi orbis plaga, ut alii ſeptiesdenacentena millia, alii quater deciesdena centena hominum millia in ſolo illo Mexicano regno baptizata retulerint. Magna etenim in eo novi orbis tractu eſt hominum copia, adeo ut in inſula Fani Divi Dominici quindecies centena hominum millia fuiſſe reperiantur, & quandoque in proceſſione centum millia hominum ſe Chriſtiano more cæciderint virgis. Eodem anno* MDXXIV. *miſit Corteſius ex Mexico Carolo Cæſari per Diegonem de Soto ſeptuaginta millia Caſtellanorum ducatorum aureorum, unamque colubrinam argenteam, quadraginta novem millibus aureorum Carolinorum æſtimatam.*

Et, o Divinam providentiam, o terribilem Deum in conſiliis ſuper filios hominum! ſeptimo anno poſt natum in Germania dogma Lutheranum, in novo orbe Martinus Valentinus vitæ ſanctitate, & miraculorum operibus inclaruit, & cæcis gentibus Evangelii lucem ſinceram, quam Germani Martino Lutbero apoſtata, infami duce, faſtidivit, invexit. Qua de re Catholici quidam hos verſus ſtripſere.

Invito potuit Romano Præſule Luther
Sacramenta Dei vellere, non premere.
Septem poſt annos validus Martinus in orbe
Illa tuo repetit, Maxime Carle, novo.
Iſte duodenis ſociatus Fratribus ipſum
Prototypum ſequitur legis Evangelicæ.
Hunc ſequitur (quemnam ſequitur Germania?) Cæſar.

XII. Brevem adnecto doctiſsimi viri inter utrumque Martinum comparationem. Is eſt Florimundus Remundus, qui unius erga Apoſtolicam doctrinam veramque religionem inſanias & furorem, & alterius zelum, miramque ſanæ fidei propagationem paucis his verbis exponit: *Unus Martinus tonat, fulgurat, ignem & flammas vomit; hoc denique omnibus modis agit, ut Eccleſiam in Europa ſubvertat: alter Martinus Franciſcani Ordinis Monachus, & primus Univerſalis Vicarii apud Indos Vicarius, Evangelium in novo Orbe diſſeminat, & novam quaſi, maximo cum labore ædificat Eccleſiam.*

Remund. l. 1. de ortu & progreſſu &c. hæreſ. c. 3. n. 5.

XIII. Notandum autem quod pernicioſiſſima illa Lutheri hæreſis ibi majora protulit damna, ubi potiora recepit auxilia. Nemo tam favit impio huic Apoſtatæ, quam Fridericus Saxoniæ Dux; neque alibi tot pullularunt mala, cædes & turbæ ex inſani hujus hæreſiarchæ doctrinis, quam in Saxonia. Etiam hoc ipſo anno id probarunt Minoritæ illius provinciæ, qui, dum ſerpenti, ſeu potius inundanti malo ſe opponunt, furentemque tot inſaniis populum cohibere pertentant, cæduntur, variis modis affliguntur, & tandem partim mactantur, partim ab univerſa pelluntur Saxonia. Quo factum eſt, ut quæ paulo antea floreſcere cœpit ſanctæ Crucis provincia, in ipſo ſuo ortu pene fuerit extincta. Videntes Poloni vicini ignis creviſſe incendium, ſuamque rem tunc agi, paries cum proximus arderet, in congregatione provinciali ſub Nativitatem beatæ Mariæ Virginis Vartæ celebrata, decreverunt ubique in urbibus, pagis & oppidis veram doctrinam Catholicæ fidei, ſtilo concionatorio ad concertatorium redacto, animoſe prædicare, Officia Divina ſolemnius celebrare, Miſſas privatas multiplicare, ſeptenarium Sacramentorum numerum aſſerere, Pontificis Romani auctoritatem tueri, eaque ſtudioſius defendere, quæ impudentius Lutherus cum aſſeclis impugnabant. Valde hoc populis profuit, & Eccleſiarum Prælatis magnopere complacuit.

Hæreſis ipſo fautoribus quam pernicioſa. Gonz. in Prov. Saxon. S. Crucis.

Minoritæ multa patiuntur a Lutheranis Saxoniæ. Monum. MSS. Prov. Saxoniæ.

XIV. Venerunt anno præterito ad Comitia Generalia Miniſter provinciæ ſanctæ Crucis inſularum Indiæ Occidentalis Petrus Mexia, & Cuſtos Andreas Ordoñez, qui ſub initium hujus anni e Bæthica regreſſuri, poſtquam ſtatum provinciæ Generali Miniſtro Quiñonio expoſuerunt, has ab eo receperunt conſtitutiones.

In Chriſto ſibi cariſſimis, venerabilibus Patribus Miniſtro Provinciali, ac Guardianis, ceteriſque in Chriſti caritate amatiſſimis Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ provinciæ Indiarum ſanctæ Crucis Maris Oceani, frater Franciſcus Angelorum totius præfati Ordinis Generalis Miniſter & ſervus, ſalutem ac paternalem Benedictionem.

Reg. gener. Ultram. pag. 122. Inſtitutiones pro Fratribus Provinciæ S. Crucis in India.

XV. *Tanto magis veſtræ ſpiritualis conſolationis ac religionis cura & obligatio me excitat, quanto a mea præſentia remotiores vos eſſe conſpicio; ne (quod abſit) tamquam filii orphani patris abſentiam deploretis, & paſtore abſente, tamquam oves errantes paſcua deſideretis, nullo reperto ductore: quapropter etſi diverſis hinc inde diſtractus negotiis, vix præſentibus mihi Fratribus intendere ſufficio, vobis nihilominus abſentibus pro poſſe in omnibus poſſibilibus intendere ſatago, & præſentium ſerie aliqua veſtræ provinciæ neceſſaria fideliter obſervanda mitto, quæ ex fideli relatione venerandorum Patrum fratris Petri Mexia veſtri Miniſtri provincialis, ac fratris Andreæ Ordoñez veſtri Cuſtodis, maxime circa veſtræ provinciæ manutenentiam, & officiorum proviſionem eidem plurimum convenire cognovi: quæ omnia*

omnia inviolabiliter obſervetis volo, donec aliud per Generale Capitulum, vel per meum ſucceſſorem in officio, vel per meum ſpeciale mondatum vobis commendatum fuerit; & ſunt quæ ſequuntur.

Primo, volo quod deinceps veſtra Indiarum ſanctæ Crucis provincia tantummodo intra ſuos limites & juriſdictionem includat & comprehendat inſulam Hiſpaniolam, inſulam ſancti Joannis, inſulam de Cuba, inſulam de Jamaya, & inſulam de Guadalupe, ceteraſque parvas & magnas circumſtantes inſulas, ita quod in terra firma, ſive in nova Hiſpania, nullam penitus portionem nec partem habeat; & hoc infallibiliter obſervetur, donec per Generale Capitulum aliud demondatum fuerit.

Secundo, concedo & mando, quod Miniſter Provincialis ipſius veſtræ provinciæ ex nunc eligatur per Vocales ejuſdem provinciæ, ſicut fit in omnibus aliis provinciis Ordinis: in qua electione habebunt vota Guardiani, Præſidentes, atque Diſcreti Conventuum, & omnes Fratres ſacerdotes habitatores illius Conventus, ubi Capitulum & electio celebrabitur; & hoc conceditur ob paucitatem Fratrum, & conſequenter vocum provinciæ.

Tertio, volo quod Miniſtri Provinciales veſtræ præfatæ provinciæ, nunc & deinceps habeant per quatuor annorum ſpatium ſuum officium: ita quod de quatuor in quatuor annis celebretur Capitulum provinciale, & de duobus in duobus celebrabitur Congregatio Miniſtri Provincialis, & Definitorum Capituli præteriti tantum. Et concedo, quod deinceps qui fuerint Definitores Capituli, ſint & Diſcreti provinciæ, nec oporteat facere Diſcretorum provinciæ electionem: & in ceteris omnibus volo obſervetur forma per me præfatæ provinciæ data in Conventu Valliſoleti provinciæ Conceptionis, xx. Julii anno MDXXIII.

Quarto, habita conſideratione, quod longa & perquam periculoſa via ſit per aquas & per terram inter veſtram provinciam, & loca celebrationum Generalium Capitulorum, volo quod veſter Miniſter Provincialis non teneatur venire ad Capitula Generalia, quæ celebrantur de triennio in triennium: & ſi forte aliquis Miniſter vellet ire, volo quod non poſſit, niſi ſpecialiter fuerit a toto Capitulo, ſeu a Generali Miniſtro vocatus. Ad Capitulum vero, quod celebratur de ſexennio in ſexennium pro electione Miniſtri Generalis, tenebitur ire cum ſua Cuſtode, ſicut & ceteri Miniſtri Provinciales. Tamen ſi provincia habuerit aliqua magnæ importantiæ negotia in Capitulo Generali triennio expedienda, tunc poterit, ſi voluerit, ſuum Cuſtodem tantum ad Capitulum Generale mittere.

Sexto, concedo veſtræ præfatæ provinciæ, quod deinceps Miniſter Provincialis ejuſdem, poſtquam ſuum in officio perfecerit quadrienniuum, poſſit ſemel, bis, terque quaterque reeligi in Capitulis provincialibus, ſi provinciæ veſtræ videbitur expedire. Et ſi Commiſſarius Miniſtri Generalis fuerit præſens, erit per ipſum confirmandus: ſin autem, volo, quod quando fuerit rite & canonice electus, ipſo facto ſit & confirmatus.

Septimo, conſiderata paucitate Fratrum veſtræ provinciæ, eidem concedo, quod Definitores unius Capituli provincialis poſſint in primo ſequenti, & in ſecundo & tertio Capitulis provincialibus etiam in Definitores reelegi, qui &, ut ſupra dictum eſt, erunt Diſcreti provinciæ: nec oportebit aliorum Diſcretorum facere electionem, quam qui erunt in Definitores electi, ipſo facto & Diſcreti erunt provinciæ.

Octavo, concedo, quod toto tempore meæ ſervitutis veſter Miniſter Provincialis præſens & futurus, ſit in ipſa provincia meus Commiſſarius cum plenitudine poteſtatis in utroque foro: quapropter poterit laicos ad Ordinem re-

recipere, prædicatores & confessores instituere, & ad ictus legitimos restituere, dummodo fiat cum consilio Guardiani seu Præsidentis, & aliquorum Patrum illius Conventus, ubi talia occurrerint expedienda. Quando vero meus Generalis Commissarius fuerit in ipsa provincia, tunc vester Minister Provincialis hac mea præfata non poterit uti commissione.

Nono, volo quod quando meus Generalis præfatus Commissarius fuerit in ipsa provincia, non possit facere nova statuta, nec facta mutare nec deragare, nisi in Capitulo provinciali, & cum consensu majoris partis Capituli: nec etiam poterit aliquem Guardianum seu Præsidentem suspendere ab officio extra Capitulum provinciale, nisi cum consilio & consensu majoris partis Fratrum Conventus ejusdem, excepto in Congregatione intermedia, quia tunc non oportebit habere consilium nec consensum Fratrum illius Conventus. Et quando justas invenerit causas deponendi vestrum Ministrum Provincialem: volo possit convocare Congregationem ubi & quando sibi videbitur, licet per notabilem quantitatem, tempus duorum annorum anticipetur.

Decimo, considerato quam magna sit distantia inter ipsius provinciæ Conventus, concedo vobis quod quando extra Conventus fueritis, & conscientiæ necessitate urgente, nostri Ordinis non habebitis confessorem, nec infra trium dierum spatium illum poteritis bono modo habere, confiteri possitis cuilibet alterius Ordinis religioso confessori, & deficiente alterius Ordinis confessore, etiam cuilibet sacerdoti confessori.

Supra notata visa sunt mihi vestræ provinciæ conservationi perneccssaria, quæ vobis practicanda, & omnino observanda in scriptis tradi mandavi. Necessitates vero vobis de novo occurrentes, poteritis ad Generale Capitulum Venetiis in festo Pentecostes anno MDXXVI. *celebrandum mittere, ubi de vestro remedio, & horum supradictorum decem articulorum confirmatione seu annihilatione largius tractabitur. Interim vero quæ vobis sunt superius commendata, observate, & pro ipsorum infidelium salute (vestram non oblivisccntes) fideliter laborate, æternam pro iis & aliis piis laboribus recepturi mercedem. Valete in Christo Jesu, & ipsum pro me orate. Datum in hoc nostro Cœnobio Ubetensi provinciæ Bæticæ, in ejusdem provinciæ Capituli provincialis expeditione,* XIII. *Januarii anno* MDXXIV.

Regest. fol. 113. Indefesse perlustrat Quiñonius omnes Hispaniæ Provincias. Status Provinciæ Bæthicæ.

XVI. Magna cura & solertia vigilabat super gregem sibi commissum prædictus Minister Quiñonius. Omnes Hispaniæ provincias ipse visitavit, omnium vel Capitula vel Congregationes intermedias celebravit, & ubi opus erat, peculiares constitutiones præscripsit. Ineunte hoc anno a provincia Bæthicæ inchoavit, & celebratis Comitiis in Conventu Ubetensi, depositio Petro de Valcaçar ad regimen parum idoneo, omnium suffragiis substituit die XII. Januarii Joannem de Medina; multisque prudenter statutis, Artium & sacræ Theologiæ studia primus invexit, vocatis etiam magistris externis. In triginta uno Cœnobiis erant mille Fratres, non computata Canariæ Custodia, quæ erat illius provinciæ. In triginta Monasteriis Monialium erant Sorores mille sexcentæ.

XVII. Die 11. Februarii in Cœnobio Murciæ habita Congregatione confirmavit in Ministeriatu Petrum de Limpias, optimi regiminis virum. Multa hic decrevit pro puriori Regulæ observantia, juvenum educatione, vestimentorum reformatione, & triennali termino officiorum, quæ a quibusdam longa annorum serie occupabantur. Die XI. Aprilis in Conventu Barcinonensi, absoluto triennio fratris Dimæ Terræ, electus est Minister provinciæ Aragoniæ Antonius de Calcena, de quo sæpe sermo recurret; & Custos Custodiæ Cataloniæ Antonius Sichart, quem præcessit in Custodiatu Petrus Ter-

Terræ, Dimæ conſanguineus. Præter varias ordinationes factas deſtinavit novem Conventus pro recollectione, qui ita nominantur in regeſto. In Cuſtodia Cataloniæ, Conventus de Figueras, de Tortoſa, de Ylla. In Cuſtodia Aragoniæ, Conventus ſanctæ Catarinæ, S. Chriſtophori, & Belchit. In Cuſtodia Valentiæ, Conventus S. Mariæ de Oliva, de Onda, & Chelva; pro quibus datæ ſunt eædem conſtitutiones, quæ pro domibus recollectis provinciæ Conceptionis anno præterito ſunt exſcriptæ. Die vero XXII. ejuſdem menſis in Conventu ſanctæ Mariæ de Jeſu urbis Cæſarauguſtanæ electus eſt Cuſtos Cuſtodiæ Aragoniæ Joannes Ynicus, & præceptum rigoroſe Guardianis Conventuum Darocca, & Sangueſſæ ejuſdem Cuſtodiæ, ut ſine ulla mora ant tergiverſatione exterminarent, quas habebant vineas; & Guardiano Tafallæ, ut inſra ſpatium quatuor horarum removeret a templo cippum ſeu truncum pecuniæ recipiendæ.

XVIII. In feſto Trinitatis celebravit Comitia provinciæ Caſtellæ in Conventu ſancti Joannis Regum Toletano, & Miniſtrum dedit Joannem de Marchena ſucceſſorem Andreæ de Ecija, tunc electi Cuſtodis. Irrepſerat hoc tempore per illam regionem blanda quædam, ſed pernicioſa peſtis hæreſeos, nuncupatæ *Illuminatorum*, ſeu *Vie illuminativæ*, aut Dimittentium ſe Divinæ diſpoſitioni, nihil volentium facere, niſi quod ultro per Divinas inſpirationes aut revelationes ſibi ſuggeri facile & erronee credebant. Ne in religionem irreperet (infecerat enim hæc ſtulta ſuperbia, & æmulatoria fatuitas quoſdam ex clero & religioſis) ſumma cura invigilari præcepit Quiñonius: & ſi quis deprehenderetur per hanc viam incedere, *& admonitus ſtatim immediate ſine reſiſtentia & contradictione ab ea non recederet, & ab hujuſmodi ſtultitia non deſiſteret, ipſo facto ſine dilatione & miſericordia carceri mancipparetur*. Æqua quidem ſententia, ut qui proprio ſpiritu per imaginariam illam *viam illuminativam* ad interitum tendebant, Superioris judicio per tenebroſos carceres in viam rectam revocarentur. Abſolutis porro Fratrum negotiis, Quiñonius ædes domicellarum ſancti Joannis de Pœnitentia in eadem urbe Toletana, & alteram ejuſdem nominis & Inſtituti villæ Complutenſis, magni Ximenii opera præclara, de quibus nos ſuis locis diſſeruimus, viſitavit, optimiſque legibus ſtabilivit; necnon collegium Minorum intra univerſitatem Complutenſem ab eodem Ximenio fundatum, *pro quo ordinauit novas conſtitutiones maturo conſilio digeſtas, & ſolerti cura examinatas, quas inviolabiliter obſervari præcepit*. Invenit autem in ea provincia novemdecim tantum Regularis Obſervantiæ Conventus, atque in eis Fratres quingentos; Monaſteria vero fœminarum viginti quinque, & Sanctimoniales ultra numerum milleſimum.

Ibid. fol. 114. Status Provinciæ Caſtellæ. Secta pernicioſa Illuminatorum.

To. 15. an. 1504. n. 57. & 1511. n. 11.

XIX. Inde progreſſus Abulam, pridie Kal. Junii in Patrum Congregatione confirmavit Alfonſum de Salva-terra Miniſtrum provinciæ Conceptionis, atque Antonium de Inſula * Monialium in ea provincia multarum Viſitatorem. Conſentientibus autem ipſis Patribus Congregationis, & Procuratore provinciæ Caſtellæ, ab iſta provincia ad Caſtellanam tranſtulit Fratrum Conventus quinque; ſancti Ludoviſii, Gormaſii, ſancti Stephani ibidem, ſancti Franciſci Atienſæ, & ſancti Franciſci Sorianum, ſive Numantinum; necnon Monaſteria Clariſſarum Almaſanum, & Numantinum; narraturque in regeſto, abſciſſis ab ea provincia his domibus, adhuc remanſiſſe Fratrum viginti novem, atque incolas ultra nongentos; & Sororum viginti quinque, Moniales vero pluſquam mille ducentas. In quinque autem ex his Sororum Monaſteriis totidem fuiſſe collegia Fratrum ſtudentium, quos illæ magno provinciæ commodo alebant; illud rependentes beneficium haud

* *Al.* de Isla. Status Provinciæ Conceptionis.

haud vulgare pro continuis Fratrum obsequiis, & necessariis, quæ fraterne exhibebant, ministeriis. Quod autem ad prædictam domorum translationem attinet, vel tunc suspensa est, vel aliunde prohibita, aut postea revocata; omnes enim prænominatæ hodie Ministri provinciæ Conceptionis regimini subduntur.

Ibid. fol. 139. XX. Ad Lusitanos profectus, in Cœnobio sancti Francisci prope Oliventiam die XI. Julii præfuit Congregationi provinciæ Portugalliæ, in qua Antonius Ulyssiponensis Minister in suo regimine commendatus, & confirmatus fuit. Ut ignorantiam & otium propelleret, studia Philosophiæ & Theologiæ instituit, & manualia opera introduxit. Tironibus probe docendis peculiares domos, pioſque deputavit magistros. Vineas quatuor, ex quibus vinum colligebatur, radicitus jussit dissipari; quod si Conventuum patroni vel alii potentes id fieri non permitterent, præcepit ut Fratres statim ad alios Conventus abirent, suam Regulam observaturi. Quatuor destinavit Cœnobia recollectam vitam acturis. Pacem & concordiam stabilivit inter provinciarum Portugalliæ & Pietatis alumnos, quos variæ perturbabant controversiæ circa Conventuum intra mutuos districtus constructiones. Dominica III. Julii Congregationem alteram habuit in Conventu sancti Francisci de Elvas, in qua confirmatus fuit N. Minister provinciæ Pietatis, & prohibita multiplicatio Conventuum, eorum præsertim in quibus ad minus decem Fratres non possent cohabitare. Destinatæ sunt peculiares domus Novitiis educandis, & infirmis curandis, legesque præscriptæ huic novitiæ provinciæ, adhuc in incertum fluctuanti.

XXI. Provinciæ Angelorum, cujus erat Quinnonius alumnus, VI. Augusti confirmatus est Minister Thomas a sancto Ludovico, vir vere religiosus, & prudentis regiminis. Die prima Septembris in Congregatione provinciæ sancti Jacobi, & Conventu Salmanticensi, Antonius de Gusman jussus est prosequi suum Ministerium, & Alphonsus de Castro, qui tunc legebat Salmanticæ, electus est Custos. Debetur hoc singulari virtuti & meritis Castrensis, quod solus ille in Congregatione intermedia fuerit electus Custos; in reliquis enim Congregationibus nullus deputatus est huic ministerio fereodi suffragium in Comitiis Generalibus, quia aote illorum indictionem celebrandum erat provinciale Capitulum, in quo Custos erat eligendus. Prima hæc occurrit tanti viri memoria.

Alphonsus a Castro.

XXII. Regressus Quinnonius Vallisoletum, die XVI. Septembris controversiam exortam ioter Patres provinciæ Conceptionis circa uniooem Custodiæ Domus Dei cum provincia ista, de qua nos suo egimus loco, an scilicet recte & legitime fuerit peracta, emissis his litteris sopivit.

Ao. 1518. *n.* 10.

Frater Franciscus Angelorum, Generalis Minister, & servus totius sacri Ordinis Minorum, præsentes litteras inspecturis, salutem & pacem in Domino.

Ibid. fol. 145. Componitur controversia Prov. Conceptiooi.

Cura regiminis recepti me admonet, & auctoritas Ministerialis officii me inducit, ut magna cum sollicitudine intendam circa illa, quæ competunt, ut status Religionis in sua quiete conservetur, & pax caritasque subditorum, amota omni occasione discordiæ, augmentetur. Volens igitur obviare adversario istud impedienti, cum multoties audiverim & viderim discordias, quæ oriebantur inter Fratres hujus provinciæ olim dictæ de Santoyo, *nunc vero* de Conceptione Virgiois *nominatæ, & Fratres qui erant de Custodia olim dicta* Domus Dei, *& hoc propter causam unionis inter utrosque*

que factæ ; quibuſdam dicentibus ſuas conſcientias non eſſe quietas, ex eo quod prædicta unio non fuerit legitime facta inter Cuſtodiam olim Domus Dei, *& provinciam olim* de Santoyo, *ceteris vero contrarium affirmantibus. Ut ergo finem litibus, & conſcientiis meorum ſubditorum quietem tribuerem, ex officio meo decrevi ſicut judex & paſtor, hanc cauſam ad plenum examinare, & præcepi utriſque ut ante me afferrent ſcripturas & titulos quibus pro ſuo favore inuitebantur. Quo facto, & omnibus hinc inde examinatis per me magna eum ſollicitudine & maturitate : habito etiam ſuper hoc conſilio cum perſonis litteris & virtutibus refertis, inveni quod unio inter domos prædictæ Cuſtodiæ, & præfatæ Provinciæ fuit rite & canonice facta : & ad removendum ſcrupulos voluntarios aliquorum, declaro, quod prædicta unio fuit per auctoritatem Pontificis Maximi Leonis X. omnibus defectibus ſuppletis, ſufficienter confirmata, & quod non poſſunt nunc, nec in perpetuum ſine auctoritate Apoſtolica domus a domibus ſeparari. Quapropter, ut determinatio Apoſtolica ſuum ſortiatur effectum, declaro, quod dicta unio inter domos olim de Cuſtodia* Domus Dei, *& domos provinciæ olim* de Santoyo, *eſt bona, & juridice facta, & pro tali debet haberi & conſervari, & ab omnibus obediri. Et mando in virtute ſanctæ obedientiæ, ut inviolabiliter ab omnibus obſervetur : ita ut nomen Cuſtodiæ ex toto ſepeliatur, & conformiter ad litteras Apoſtolicas totum ſimul vocetur provincia* Conceptionis. *Et nullus deinceps audeat dicere, allegare, aut petere aliquid contra præfatam unionem, aut partem illius, ſub pœna quod contrarium faciens, ſicut inquietus & turbator pacis graviter puniatur. Item volens pacem continuari, & ſeminatorem zizaniæ radicitus expelli, & in omnibus intus & foris veram eſſe incorporationem : præcipio ut deinceps, quouſque per Capitulum Generale, vel per aliud fuerit ordinatum, nullus Fratrum, qui erant de Cuſtodia, inſtituatur Guardianus in aliquo Conventu illorum, qui erant de Cuſtodia ; ſed in illis Conventibus inſtituantur Guardiani Fratres de provincia. Si vero aliqui Fratres illorum, qui erant olim de Cuſtodia, fuerint inſtituendi Guardiani, inſtituantur in Conventibus illis, qui ſunt de antiqua provincia. Et hoc volo, quod fiat tam in electione, quam in inſtitutione, ut magis radicitus affigatur caritas & pax, & nomen Cuſtodiæ totaliter expellatur. Et pro majori iſtorum omnium firmitate & perpetuitate dedi præſentes litteras approbationis, declarationis & mandati, ſubſcriptas nomine meo, & officii mei majori ſigillo munitas. Quam ſententiam ego in præſentia utriuſque partis pronunciavi, & ut ad notitiam omnium deveniat, præcipio, ut in omnibus Conventibus hujus dictæ provinciæ Conceptionis legatur in Communitate coram omnibus Fratribus. Data, & per me promulgata in noſtro Conventu Vallisoleti præfatæ provinciæ Conceptionis,* XVII. *Septembris anno Domini* MDXXIV.

XXIII. In Conventu de Brivieſca, die XIX. Octobris celebratis Comitiis provinciæ Burgenſis, Jacobus Bidaveri Miniſter confirmatus eſt, & modus præſcriptus eſt in quæſtibus, genere calceorum, pretio veſtimentorum, & forma jejunii. Erant tunc in hac provincia viginti novem Fratrum Conventus, Monialium duodecim Monaſteria, ſtudium unum Grammaticæ, alterum Theologiæ. Sub anni vero finem diſceſſurus ab Hiſpania Quinnonius, convocavit provinciarum Superiores in Conventu de Tribulo provinciæ Conceptionis, cum quibus integre collato ſtatu religionis in Hiſpania, unicuique illorum mandavit de provincia ſua ; utque haberent ad quem recurrerent, quemque appellarent Commiſſarium totius nationis Hiſpanicæ, inſtituit Franciſcum de Inojoſa, a prudentia & pietate, & religionis zelo commendatum. Interfuerunt huic Congregationi Miniſtri provinciarum Con-

Reg. gener. Ultram. fol. 146.

Conceptionis, ſancti Jacobi, Burgenſis, Carthaginenſis ſancti Gabrielis, Guardianus Toletanus pro Miniſtro provinciæ Caſtellæ, & Guardianus de Eciia pro Bæthicano. Pro Miniſtris Angelorum & Aragoniæ ſubſtituti ſuerunt Jacobus de Ciſneros, vir gravis provinciæ Caſtellæ, & Antonius de Guevara Cæſareus concionator.

Moritur Petrus a Corduba. *Marc. 3. p. l. 9. cap. 45.*

XXIV. Deceſſit hoc anno in Conventu ſanctæ Mariæ Angelorum, provinciæ ſancti Gabrielis in Hiſpania, Petrus a Corduba, profunda humilitate, & aſſidua oratione inſignis. Multis horis in Odeo remanebat, & cum interrogaretur, ut quid adeo illic hærebat? dicebat: *Corpore chori ſedile occupo, ſed mente vagabundus diſcurro: non in choro eſſe, ſed in choro cum Deo eſſe dixerim commendabile.* Et quidem ille adeo cum Deo erat conjunctus, ut circa mundana deſiperet, & quid manducabat, aliquando neſciret. Graves paſſus tentationes, & immiſſiones per Angelos malos, vehementer cruciabatur, pœnamque dicebat graviorem, quam decem poſſent homines ſufferre: ſe tamen omnem tolerare in eo, qui confortat Chriſtus. Animarum lucrandarum perquam cupidus, nullum reſpuebat laborem, qui in proximorum tenderet ſalutem. Dies integros ad ſacrum ſedebat tribunal, vel confeſſiones excipiens, vel ſalutaria monita adminiſtrans. Quacumque noctis hora vocabatur pro infirmis juvandis, ſive moribundis confortandis, lætiſſimus ibat, neque noctis incommoda, neque ſomni curans detrimentum. Ea qua obiit nocte, paſtores in vicinis paſcuis montanis viderunt lumen ſplendidiſſimum, noctis tenebras depellens, & montium illuminans cacumina.

Joannes e Ponte veteri. * *Al.* Ponteveda.

XXV. Paulo ante ipſum obierat in eodem Cœnobio Joannes e Ponteveteri * Gallæcus, vir magnæ perfectionis, & erga ſacratiſſimam Virginem devotionis. In cibo & potu parciſſimus, ſolebat antequam menſæ accumberet, conſcientiam ſacra confeſſione expiare, cauſam hanc quærentibus reddens, animam plus eſſe quam corpus, & proinde hoc ſalutari Sacramento prius cibandam eſſe, quam corpus. Pauper & humilis peccata fletibus abſtergebat, erga ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumme devotus. Magno fervore prædicabat, ad animarum ſalutem ſemper dirigens ſermonem, & ante devictam Granatam non ſemel licentiam petivit Mauris prædicandi. In oppidis & pagis, per quæ tranſibat, per viros pios curabat inveſtigare, ſi qui eſſent, qui ſua peccata vellent confiteri, omniumque qui accedere vellent, accuſationes patienter audiebat. Supradictus Petrus, & hic Joannes comites fuerunt & amici, provinciæ ſancti Jacobi, antequam illam, quæ ſancti Gabrielis dicitur, produceret, alumni.

Ludovicus Anhaltinus. *Reuſner. in genealog. Imp. fol. 425.*

XXVI. Moritur etiam hoc anno frater Ludovicus, in ſeculo appellatus Guillelmus, filius Alberti Principis Anhaltini, & Comitis Aſcaniæ, atque Eliſabethæ, Guntherii tertii Comitis Mansfeldii filiæ, qui habitum ſuſcepit Minorum in Conventu Halenſi, ex quo tranſiit ad Vimarienſem, deinde ad Marpurgenſem, in quo diem clauſit extremum.

Maria Suarez. *Marc. citat.*

XXVII. Sub hoc tempus vitæ curſum conſummavit Maria Suarez, quæ viro valde mundano matrimonio conjuncta, piis monitis eum ad meliorem frugem convertit, & Minoritam effecit, tranſeunte etiam illa ad Religionem Clariſſarum. Habitum ſuſcepit in Monaſterio ſanctæ Claræ Salmanticenſi, in quo rigoroſam ſubivit pœnitentiam, aſpera vilique veſte contenta, ſubtus rude gerens cilicium, nudis incedens pedibus, ſuper aſſerem dure procumbens, & leviter dormitans. Cibus erat panis arctus, & ex legumine juſculentum, potus aqua, amaro Aloes ſucco commixta. Etſi vero ſemper ferme vel dolebat vel languebat, rigorem in nihilo remiſit. In oratione & choro

choro aſſidua lacrymarum profluviis Deum exorabat, & hoſtes occultos profligabat. Humilitate & caritate erga Sorores, præſertim infirmas, inſignis, multas habuit cœleſtes revelationes, diemque mortis, quæ incidit in Kalendas Martias, horamque, quæ fuit prima poſt meridiem, præſcivit, acceptа a Deo nocte præcedenti plena remiſſione peccatorum.

XXVIII. Generalis Miniſter Quiñonius cupiens obviare paſſionibus delatorum, & malis, quæ proveniebant ex inconſiderata quorumdam Inquiſitorum animadverſione in ſuos ſubditos, obtinuit a Clemente confirmationem privilegii a pluribus anteceſſoribus conceſſi: ne ſcilicet Inquiſitores deinceps quidquam circa eorum cauſas agerent, ſed punienda delicta Fratrum Superioribus relinquerent. Monui tamen, hæc & ſimilia privilegia jam eſſe revocata, & ſi quæ ſunt in fidem peccata, ad Sanctum illud Tribunal deducenda eſſe. Do tamen Clementis diploma, ut videatur quoties iſthæc Minoritis ſint conceſſa.

Ad perpetuam rei memoriam.

XXIX. *EX debito paſtoralis officii ad ea libenter intendimus, per quæ jurisdictio Eccleſiaſticarum perſonarum, præſertim religionis jugo aſtrictarum, quibus eſt per Apoſtolicam Sedem tributa, permaneat libera & immunis, & his quæ propterea facta fuiſſe noſcuntur, ut illibata perpetuo perſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis munimine roboramus, & alias deſuper providemus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter convenire. Dudum ſcl. rec. Leo Papa X. prædeceſſor noſter Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, tunc pro tempore Apoſtolica vel quavis alia auctoritate, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter in quibuſvis mundi partibus deputatis, ſub excommunicationis ſententia, ac privationis omnium & ſingulorum beneficiorum & officiorum Eccleſiaſticorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda, & aliis pœnis in litteris piæ mem. Clementis IV. & Innocentii VIII. etiam Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum in ſimilibus contentis, quas contrafacientes incurrrere voluerunt eo ipſo, præcepit & mandavit, ne ex tunc de cetero contra quoſcumque perſonas Ordinis Fratrum Minorum ſuper hæreſi, vel aliis quibuſcumque cauſis ad officium Inquiſitorum quomodolibet pertinentibus ſe intromittere, teſtes examinare, ſeu proceſſus agitare præſumerent, & ſi forte jam tunc aliquos Fratres vel perſonas aliquas dicti Ordinis capi fecerant, aut teſtes examinaverant, ſeu proceſſus agitaverant, illa necnon dicta teſtium ſive principaliter, ſive acceſſorie, ſive incidenter examinatorum, & quoſcumque proceſſus habitos, & illas quomodolibet concernentes, Miniſtris & Vicariis Prælatis Ordinis Fratrum Minorum, in locis illis, in quibus dictos Inquiſitores reſidere contingeret, nullis apud ſe coplis ſeu tranſumptis vel notis retentis, infra ſpatium ſex dierum, poſtquam notitiam dictarum litterarum quomodolibet habuiſſent, realiter & cum effectu reſtituerent; & Fratres & perſonæ aliæ dicti Ordinis delinquentes, ſi qui forent, juxta ſuorum exceſſuum ac delictorum exigentiam per Prælatos ejuſdem Ordinis caſtigari deberent: univerſis & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis & Decanis, aliiſque exequutoribus deſuper deputatis, prout in dicti Leonis prædeceſſoris noſtri litteris deſuper in forma Brevis confectis, plenius continetur. Cum autem dilectus filius modernus Miniſter Generalis dicti Ordinis cupiat litteras Leonis hujuſmodi pro illarum firmiori robore innovari & approbari; pro parte ipſius Miniſtri Generalis nobis fuit*

Ex Reg. Litt. fol. 52. Jubetur ne Inquiſitores procedant contra Minoritas.

humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſingularum litterarum prædictarum tenores de verbo ad verbum pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, litteras Leonis prædeceſſoris noſtri, ac omnia in eis contenta, & inde ſecuta quæcumque, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & innovamus, illaſque, quatenus ad univerſum Ordinem prædictum, & illius Fratres & Sorores, & quaſcumque alias dicti Ordinis perſonas nunc & pro tempore exiſtentes extendimus, illaſque firme & inviolabiliter ſub ſententiis & pœnis prædictis obſervari mandamus, ac quoslibet contrafacientes, eiſque ad hoc auxilium, conſilium vel favorem quovis quæſito colore præſtantes, cujuſcumque conditionis, dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis & præeminentiæ ſint, cenſuras & pœnas hujuſmodi ipſo facto incurrere: ſicque per quoſcumqae etiam ordinarios & delegatos, ac mixta auctoritate fungentes judices & perſonas ubique judicari, ſententiari, definiri & declarari debere, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, ſententiandi, definiendi & interpretandi facultate & auctoritate: ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca univerſis & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis & Decanis ſupradictis per hæc ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel eorum duo aut unus eorum, per ſe vel alium vel alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando expedierit, ac quotics ex parte prædicti Miniſtri, aut cujuſvis alterius Fratris Ordinis hujuſmodi fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eos & eorum quemlibet litteris noſtris hujuſmodi, ac omnibus & ſingulis in eis contentis pacifice frui, potiri & gaudere, non permittentes eos aut eorum aliquem per quoſcumque deſuper quomodolibet indebite moleſtari. Contrafacientes, auxilium, conſilium vel favorem præſtantes, ultra prædictas cenſuras & pœnas, per Eccleſiaſticam cenſuram, vel alias etiam pecuniarias pœnas eorum arbitrio imponendas, & applicandas, ac irremiſſibiliter exigendas, aliaque juris opportuna remedia, appellatione poſpoſita, compeſcendo: invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Et nihilominus legitimis per eos ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas per eos pro tempore latas, illos, quos eas incurriſſe conſtiterit, iteratis vicibus aggravare procurent. Si vero per ſummariam informationem per eos ſuper his habendam eis conſtiterit, quod ad loca, in quibus vigore præſentium citandos, morari contigerit, pro citationibus de eis fiendis tutas non patcat acceſſus, eiſdem citationibus hujuſmodi per edicta publica in locis affigendis publicis, & ipſis citandis vicinis, ex quibus ſit veriſimilis conjectura, quod illæ ad citandorum eorumdem notitiam valeant probabiliter pervenire, facientes, eorumdem tenore præſentium concedimus facultatem: decernendo, ut citationes hujuſmodi ſic pro tempore factæ, ipſos citatos perinde arctent, ac ſi eis perſonaliter intimatæ extitiſſent. Non obſtantibus recolendæ mem. Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, conſtitutione, qua cavetur, ne qui extra ſuam Civitatem & diœceſim, niſi certis tunc expreſſis caſibus, & in illis ultra unam dietam ſede deputati, extra Civitatem vel diœceſim, in quibus deputati fuerant, contra quoſcumque, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, & aliis Apoſtolicis, ac in provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus; necnon quibuſvis privilegiis, indultis, & litteris Apoſtolicis Inquiſitoribus præfatis, & eorum officio per quoſcumque Romanos

Pon-

Anno Christi 1524.	Clementis VII. an. 1. & 2.	Caroli V. Imp. anno 6.	Religionis Minorum anno 317.

Pontifices prædeceſſores noſtros, & Nos, ac Sedem Apoſtolicam etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſub quibuſvis verborum formis vel clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis irritantibuſque, etiam aliis decretis, etiam talibus, quod illis nullatenus, aut nonniſi ſub certis caſibus expreſſis modo & forma derogari queat conceſſis, confirmatis, approbatis, & etiam ſæpius innovatis: quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, illorumque totis tenoribus de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas idem importantes, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua mentia, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque; aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, quod tranſumptis præſentium manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides ubilibet adhibeatur indubia, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVIII. *Januarii* MDXXIV. *Pontificatus noſtri anno* I.

Evangeliſta.

XXX. Inſtituti ſunt hoc anno Epiſcopi, Algarenſis (cui Eccleſiæ unita eſt Ottanenſis) in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Turritano, frater Franciſcus de Barchonovo, ſive de Barrinovo, die XI. Januarii. Viſenſis in Portugallia, ſub Archiepiſcopo Braccarènſi, frater Joannes N. Regularis Obſervantiæ, Confeſſarius Joannis Regis Portugalliæ, per ceſſionem Alphonſi Cardinalis Portugallienſis, die XII. Septembris. Sarſinatenſis, ſive Saſſenatenſis in Romandiola, ſub Archiepiſcopo Ravennate, frater Raphael de Alexiis, ſive Alexandrinus Carpenſis, ejuſdem Regularis Obſervantiæ, per obitum Joannis Antonii, die IX. Decembris. Clerum doctrina & ſingulari pietatis exemplo reformavit. Obiit anno MDXXX. Deceſſit hoc anno in urbe Senonenſi frater Joannes de Medina, Conventus Senonenſis, uti alias diximus, alumnus, Epiſcopus Suden. ſive Sunen. in Media, ſub Archiepiſcopo Soltanien. ſepultus eſt Senonis apud ſuos Conſodales.

Fr. Franciſcus Epiſcop. Algarenſis.

Fr. Joann. Viſenſis.

Fr. Raphael Sarſinaten.

Tom. 5. an. 1281. n. 21.

XXXI. Clemens Pontifex dum Cardinalis eſſet, inſtituit Confraternitatem pro caritatis operibus erga egenas & miſerabiles perſonas exercendis; ut vero haberent Confratres locum ubi iſta peragere poſſent, ita volenti & petenti Pontifici Fratres Obſervantiæ provinciæ Romanæ ceſſerunt Conventum ſancti Hieronymi in regione Regulæ ſitum, qui deinceps cœpit vocari domus ſancti Hieronymi de Caritate: *Dum intra mentis noſtræ.* x. Kal. Octob. De hoc Conventu alibi ſumus locuti.

Conv. S. Hieronymi de Urbe tranſit ad ſeculares.

Tom. 15. ann. 1512. n. 7. & ſup. an. 1519. n. 17.

XXXII. Provinciæ ſancti Petri in Monte aureo Fratrum olim Amadeorum nuncupatorum, Pontifex hoc anno univit domos tres beatæ Mariæ de Angelis extra muros Florentinos, beatæ Mariæ Gratiarum oppidi Collis Vallis Elſæ, nullius diœceſis, & ſancti Petri martyris oppidi ſancti Geminiani Volaterranæ: *Cum alias tempore.* die II. Aprilis. Conventum Barrafrancæ pauperem & humilem provinciæ Siciliæ & Cuſtodiæ Meſſanenſis Patrum

Conv. de Angelis Florentin. Collis Vallis Elſæ & S. Geminian.

Conv. Barrafrancæ.

Rad. fol. 280. & 281. Con. Musmolis.

trum Conventualium hoc anno conſtructum ſcribit Rodulphus, necnon alterum Muſmolis ejuſdem Provinciæ, & Cuſtodiæ Agrigentinæ, ſub titulo ſancti Franciſci. Variant autem circa nomen, Cuſtodiam, & fundationis annum Philippus Cagliola, qui hiſtoriam provinciæ Siciliæ Conventualium nuper emiſit, & Rochus Pyrrus in notitia tertia Eccleſiæ Agrigentinæ. Cagliola Montiſmellis, Maſmellis, vel Meſilimelis ſcribendum, & Cuſtodiæ Panormitanæ aggregandum putat. Pyrrus Meſuniellis appellat, & in diœceſi collocat Agrigentina, ſed valde poſteriorem facit; quippe fundatum a Damiano de Tula Panormitano anno MDLXXXII. quod Cagliola non admittit. Utcumque ſit, locus eſt humilis & incultus. Locum inſuper ſupradictum Barrafrancæ Cagliola in Cuſtodia reponit Agrigentina.

Cagliol. pag. 105.

Pyrrus pag. 371.

Conv. Aſtenſis. *Gonz. in provin. Gen. Conv.* 34.

Brit. fol. 62.

XXXIII. In meditullio urbis Aſtenſis, (quæ in Ciſalpinis ad Tanari fluvium ſub ditione Ducum Sabaudiæ bellorum incommodis in varias abiit formas) Monaſterium Clariſſarum ex indulto Pontificis, & civium votis datum eſt Fratribus Obſervantibus, Sororibus alio translatis. Paulus Britius ex Minorita ejuſdem urbis nunc digniſſimus Epiſcopus, qui nuper monumenta provinciæ ſancti Thomæ, cujus fuerat alumnus, docte & copioſe collegit, aſſerit aliud præceſſiſſe Obſervantum domicilium extra urbem ad partem occiduam, & radices feraciſſimorum collium, qui exigua plantitie ab urbe dividuntur. Quod modo eſt, fabrica, Fratrum numero, & ſpecioſo templo ſub ſancti Bernardini invocatione conſtructo, magnum accepit incrementum, induſtria præſertim poſtremorum ædis Præfectorum, & pia Aſtenſium liberalitate.

Conv. Montis Corvini. *Idem in prov. Principatus Con.* 11.

XXXIV. In ea parte Regni Neapolitani, quæ Principatus dicitur, pagi omnes, qui in circuitu Montis Corvini ſunt, ſæviebant adeo inhumane in alternas cædes, ut nullo habito perſonarum delectu, nulla perquiſita cauſa, ſe invicem homines occiderent, & barbara feritate hoſtium carnes in macello venderent, cogerentque occiſorum conſanguineos eas magno pretio comparare. Illuc profectus quidam Minorita vir pius, egregius Prædicator, adeo efficaciter dixit, ut perſuaſerit ad avertendam hanc feritatem, & nefandam barbariem, templum conſtruerent beatæ Mariæ de Pace. Id illi hoc anno ſe facturos voto firmarunt; deinde impetrata a Clemente facultate & Templum ædificandi, & Conventum Minorum ad Montis Corvini oppidum (quod pagorum erat meditullium) adjungendi, manus operi admoverunt: atque ita protinus inhumana hæc carnificina ceſſavit: *Cum Communitas*. Die VI. Junii. Hic natum aſſerit Gonzaga Nicolaum a Monte Corvino, quem ad Cayrum Babyloniæ cum aliis glorioſum ſubiiſſe martyrium enarravimus. In Apulia Daunia eſt & alius Mons Corvinus: utri aſcribenda ſint ejus natalitia, non auſim affirmare.

Tom. 2. an. 1358. *n.* 4.

Conv. Squillacen. *Reg. Ciſm. fol.* 41.

Tom. 13. *anno* 1419. *n.* 45.

Ubi ſupra.

XXXV. Scripſit hoc anno Pontifex ad Syndicos & Communitatem Civitatis Squillacenſis, ut de proventibus hoſpitalis omnium Sanctorum, a quondam Petro Sicheta, cive Squillacenſi, ſub eorum adminiſtratione fundati, darent per decennium certam pecuniarum ſummam, ſingulis annis pendendam Fratribus Conventus ſancti Antonii de Padua ejuſdem urbis Regularis Obſervantiæ, de quo nos ſuo loco habuimus ſermonem: quandoquidem a quadraginta annis, quibus dictum hoſpitale fuit fundatum, cum onere miniſtrandi eiſdem Fratribus quolibet anno gratuitum ſubſidium, nihil acceperint; & nunc ſummopere domus indigeret reparatione, & fabricæ augmento, ad repellendam nimiam humiditatem, & nocivi aeris intemperiem. Hinc liquet, ad illud ferme tempus, quod nos alias diximus, reducendam eſſe hujus Cœnobii fundationem.

XXXVI.

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 317.
1524.	an. 1. & 2.	anno 6.	

XXXVI. In ipſo hujus anni limine Miniſter Generalis Quiñonius Conventum Giennenſem in Bæthica reformavit hoc modo, quem ex ipſius Regeſto hic tranſcribo: *Die* v. *Januarii hujus anni* MDXXIV. *veni in Civitatem de Jaen, in qua erat notabilis Conventus noſtri Ordinis Fratrum Conventualium, ſub obedientia fratris Petri de Arquellada Magiſtri Provincialis provinciæ Caſtellæ, in quo erant Fratres dumtaxat tredecim, computatis etiam ipſo Magiſtro & Guardiano. Omnes ego viſitavi, & capitulariter congregatos in Chriſto admonui ſecundum Ordinis conſuetudinem juxta ea, quæ judicavcram neceſſaria. Tandem Dei operante virtute, tota Communitas ſponte rogavit, ut Conventus reformarctur, & incorporarctur Obſervantiæ. Oblationem admiſi juxta Bullas unionis & concordiæ, Conventum acceptavi & reformavi, conſtitutis in eo Guardiano & Fratribus vitæ probatæ & religioſæ converſationis, & provinciæ Bæthicæ incorporavi. Omnia ſolemniter peracta ſunt in præſentia Judicis ac Notarii Apoſtolici, & plurimorum Dominorum, & Eccleſiaſticorum virorum.*

Conv. Giennen. reformatur. *Reg. gener. Ultram. pag.* 112.

XXXVII. Magnis querelis excitatus Clemens laxioris vitæ aliquorum Religioſorum variorum Ordinum Conventualium, juſſit ut illorum domus reformarentur in regno Navarræ & Caſtellæ; ſed hæc præſertim Minorum Conventualium, de Tudela, de Stella, de Piedrola, de Olite, de Ramos in regno Navarræ, Metbymnæ del Pomar, & ſancti Franciſci de Frias in regno Caſtellæ; necnon Monaſteria Tudellæ, Stellæ, & Pampilionis Ordinis ſanctæ Claræ, & domus una villæ ſanctæ Crucis de Campeſo Tertii Ordinis, a Conventualibus gubernata, omniaque ſub regimen Obſervantum reducerentur. Huic exequendo mandato præfecit Miniſtrum provinciæ Burgenſis Regularis Obſervantiæ: *Cum ſicut accepimus* XXII. Junii. Cœnobia autem iſta, & Monaſteria ſecundum varias provinciarum partitiones, quæ factæ ſunt, variis etiam obtigerunt provinciis.

Reformantur Conventuales Navarræ.

XXXVIII. Diximus, in oppido Naxaræ Fratres Regularis Obſervantiæ primas ſedes conſtituiſſe in quodam horto, deinde in xenodochio extra oppidum, in quo per paucos annos conſtiterunt. Id verum eſſe probant litteræ Clementis Pontificis hoc anno datæ; in quibus refert magnas & moleſtas, quas paſſi ſunt Fratres contradictiones ab Abbate & Monachis Monaſterii ſanctæ Mariæ de Naxera, Ordinis Cluniacenſis, & a Rectore Eccleſiæ parochialis ſanctæ Crucis: & licet Fratres loco ab Epiſcopo Calagurritano, & Antonio Manriquez de Lara in ſuburbiis pro conſtruendo Conventu conceſſo, pacis obtentu ceſſerint, nihilominus ab inferendis moleſtiis adverſarii non deſiſtebant. Pontifex Fratrum miſertus, cauſam ad ſe retraxit: *Plit fidelium votis*. die 11. Septembris. Alias, quarum in primis meminit, litteras dedit ad Ferdinandum Marinum Abbatem ſupradicti Monaſterii, in quibus ferme eadem repetit, præcipitque ut quamprimum totius rei ſeriem ſibi remittat.

An. 1521. *n.* 28. Conv. Naxaræ. *Reg. Ultr. fol.* 14.

XXXIX. Ludovicus de Ixar, hæres nobilis heroinæ Timoris Capraríæ hoc anno v. m. ab oppido Ixarenſi, diœceſis Cæſarauguſtanæ, Conventum Fratribus Regularis Obſervantiæ ſub titulo *Dominæ noſtræ Angelorum* conſtruxit ex legatis a prædicta heroina facultatibus pro ædificando ſacrarum Virginum Monaſterio. Commutationem hanc domiciliorum fieri, legatricis affines, & populus Ixarenſis inſtanter petierunt, & Clemens Pontifex emiſſo diplomate conſenſit. Duces Ixarenſes ſunt Conventus patroni, & ſepeliuntur in ſacello majori. Ædificium eſt religioſe completum, bibliotheca, & ſacrarium bene inſtructa, horti ampli & amœni. Habitabant hic viginti duo Fratres recollecti.

Conv. Ixaræ. *Gonz. in Prov. Arag. Conv.* 17. *Monum. MSS. hujus Prov.*

XL. Joan-

Anno Christi 1524.	Clementis VII. an. 3. & 2.	Caroli V. Imp. anno 6.	Religionis Minorum anno 317.

Conv. Oſſunæ. *Idem in Provin. Bæticæ Conv. 22.*

XL. Joannes Tellex Gironius Comes Ureñæ, in ſuo Oſſunæ oppido hoc anno eiſdem Fratribus Cœnobium poſuit, ſub invocatione Matris Dei, converſo in templum oratorio, quod ejuſdem tituli præextiterat, adjectis ex ſuis facultatibus neceſſariis ſumptibus ad ea, quæ in hoc opus ſimul cum ſuis ædibus legaverat Agnes Cherinos, Ludovici Perniæ nobilis militis relicta. Infra quadriennium conſummatum ædificium tradidit Miniſtro provinciæ Bæticæ, ea adjuncta conditione, ut illic inſtitueretur & conſervaretur ſtudium Philoſophicum & Theologicum, duoque ex Patribus in Academia publica a ſe inſtituta Philoſophiam & Theologiam juxta ſancti Bonaventuræ doctrinam edocerent. Sexaginta habet incolas Cœnobium, quorum magna pars eſt ſtudioſorum.

Conv. Averil. *Idem in Provin. Piet. Conv. 26.*

XLI. In Luſitaniæ oppido frequenti & locuplete Averio, Ducatus titulo inſigni, Cœnobium hoc anno conſtructum eſt ſancto Antonio ſacrum, ad avertendam luem peſtiferam, quæ vehementer ibi graſſabatur, & Fratribus provinciæ Pietatis conceſſum. In altera ejuſdem regni regione Tranſtagana, diœceſi Eborenſi, & oppido Arcis ſalis (Luſitanice *Alcaçere do ſal*) eidem Divo aliud ex collectis piorum ſubſidiis erectum eſt templum hoc eodem anno, & adjectum Cœnobium pro Fratribus provinciæ Portugalliæ, quæ tunc erat ſola Regularis Obſervantiæ, nunc vero provinciæ Algarbiorum. Petrus Maſcarenius generoſus hæres, nobile hic extruxit ſacellum, quod multis, iiſque egregiis ſacravit Sanctorum Reliquiis.

Conv. Arcis ſalis. *Idem in Provin. Algarb. Conv. 2.*

Conv. Garacicl. *Idem in Provin. Canar. Conv. 6.*

XLII. Chriſtophorus a Fonte Genuenſis ſtrenuam operam cum aliis poſuit expugnandæ inſulæ Tenariſæ inter Fortunatas celebri. Rebus fortunate geſtis, in animum induxit obſequium aliquod Deo præſtare, & ex facultatibus ab eo liberaliter ſibi conceſſis Conventum Fratrum Minorum illius cultui conſecrare. Id præſtitit hoc anno in oppido Garacici, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Angelis, cui nobile poſuit templum, pulcherrimis ſacellis condecoratum. In eo jacent Ludovicus Lerma ſacerdos, & Michael laicus, religioſis virtutibus & vitæ ſanctimonia memorabiles.

Ludovicus Lerma. Michael N.

Conv. Kermendi. *Reg. Ciſt. fol. 39.*

XLIII. Sub Leone X. Thomas, tituli ſancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis Strigonienſis, obtinuit diploma Apoſtolicum pro removendis a loco ſeu domo de Kermend, Veſprimienſis Diœceſis, Fratribus Eremitis Ordinis ſancti Auguſtini, & introducendis Fratribus Minoritis Regularis Obſervantiæ: quibus ægre domum incultam & ſemidirutam acceptantibus, promiſit ſe totam refecturum; quod morte præventus non potuit perficere. Cum autem nulla aliunde ſupereſſet ſpes domus perficiendæ, Miniſter & Fratres provinciæ Hungariæ ſancti Salvatoris, quibus a Cardinale tradita fuerat, impetrarunt hoc anno a Clemente Pontifice facultatem domum hanc, & alia ſimilia loca incommoda & oneroſa libere dimittendi in manibus Ordinariorum, vel Dominorum, ad quos ſpectabant, translatis ad alios Conventus ſuppellectile & Eccleſiaſticis ornamentis, quæ ad privatos Dominos pertinere non dignoſcuntur.

Monaſt. Cuellaris reformatur. *Reg. gener. Ultram. pag. 146.*

XLIV. Die XXVII. Septembris Miniſter Generalis facultatem conceſſit Franciſco Inſulano, ſive de Illa, quem diximus, Viſitatori Monialium provinciæ Conceptionis, ut Monaſterium de Cuellaris, de quo ſuo loco diximus, ad obedientiam Superiorum Regularis Obſervantiæ admitteret, ſuppoſita inſtantia continua majoris partis Sororum, & licentia habita a ſuo Magiſtro provinciali.

Monaſt. Pontis Ferrati.

XLV. Alvarus Perez Oſorius militiæ ſancti Jacobi Eques auratus, & Brianda Quiroſia conjux hoc anno Monaſterium conſtruxerunt, ſub titulo Conceptionis Virginis Mariæ pro Sororibus Conceptionis immaculatæ ejuſdem

dem Dei Genitricis ad oppidum Pontis Ferrati in Regno Gallæciæ. Eidem ſacratiſſimæ Virginis Conceptioni aliud fabricatum Monaſterium pro Clariſſis Urbaniſtis virginibus a quodam Notario in oppido Caſtellonii de Planitie Regni Valentini, hoc anno, ex conceſſione Clementis Pontificis ab Epiſcopi juriſdictione ad regimen Minoritarum, & anno MDXL. a ſupradictis Clariſſis ad Sorores ſanctæ Conceptionis translatum eſt.

Gonz. in Provinc. S. Jacobi Mon. 17.

Monaſt. Caſtellonii da Planitie.

Idem in Provin. Valent. Mon. 7.

XLVI. Fratribus provinciæ ſancti Salvatoris Hungariæ deputavit hoc anno Pontifex Archiepiſcopum Strigonienſem in Conſervatorem privilegiorum: *Dudum ſiquidem.* die antepenultima Februarii. Conceſſit inſuper, ut legata Fratribus, ſeu Conventibus facta, admittere, & extinguere poſſent per anticipatas ſolutiones: de quo videnda eſt nupera conſtitutio Innocentii X. circa hujuſmodi privilegia: *Dudum per fel. rec.* die VII. Martii.

Privilegia Pontificia.

ARGUMENTUM.

Miſſis auxiliaribus operariis ad provinciam Mexicanam, profligatur idololatria. Sedant Minoritæ Hiſpanorum diſcordias, & opem ferunt Corteſio Prætori. In regno Valentino Mahumetanos ſacris aquis intingunt. Committitur Epiſcopis inquiſitio miraculorum beati Jacobi Piceni. Quiñonius Cifuentanam viſitat, & prudenter regit familiam. Decedunt aliquot Viri illuſtres. Matthæus a Baſſio Congregationem exorditur Capuccinorum, non tamen ſine contradictione. Pontifex quibuſdam indultis propitiatur Religioni. Reformantur Conventus Gallicani. Promoventur aliqui ad Epiſcopatus, & conſtruuntur Cœnobia.

I. Carolus V. Imperator percipiens magnam fieri regnorum acceſſionem ad ſuam coronam Caſtellæ in Indiis Occidentatibus, quibuſdam nationibus ſponte ſe committentibus illius imperio, aliis bello ſubactis, multiplicandos duxit Evangelicæ doctrinæ miniſtros, qui commendatos ſibi populos juxta Sedis Apoſtolicæ præſcriptum, Fide imbuerent Chriſtiana. Scripſit itaque ad Quiñonium Miniſtrum Generalem, ut nuper a ſe miſſis numeroſiſſimæ gentis magiſtris alios ſubmitteret; erat enim meſſis multa, & operarii pauci; & proinde multiplicandos cenſebat, ne aliquando vitio verteretur, quod in populis ſuæ ditioni ſubjectis parvuli petierint panem, & non erat, qui frangeret eis. Reſpondit Quiñonius ſe quamprimum alios amandaturum; id autem ſciri cupiebat, non omnes huic miſſioni idoneos eſſe: Verumtamen nuper transfretaſſe quoſdam laxioris vitæ, & exilioris doctrinæ, qui jacturæ potius eſſent, quam lucro. Hos itaque monebat prorſus revocandos, ne puſillis animis poneretur offendiculum, & quod unus ædificat, alter deſtrueret. Hæc audiens Imperator, protinus ſcripſit, nullum niſi probatiſſimum virum per ſuos claſſiarios tranſvehendum, monuitque Indicos Prætores, ut in Hiſpaniam remitterent cujuſcumque Inſtituti Conventuales, neque deinceps admitterent præter reformati inſtituti profeſſores, a ſuis Superioribus deſtinatos: quos eo cupiebat zelo & pietate vigere, quæ infidelibus perſuaderet, illos argentum aut aurum non quærere, ſed animarum ſitire ſalutem. Quiñonius autem protinus amandavit quatuor probos viros & doctos ex eadem provincia ſancti Gabrielis, ex qua anno præterito tredecim Apoſtolicos illos operarios præmiſerat: videlicet, Antonium Maldonatum, Antonium Ortizium, Alphonſum de Herrera, & Didacum de Al-

Agitur de multiplicandis Miſſionariis Indiæ.

Herr. dec. 3. l. 6. c. 1.

Indid. c. ult.

Mittuntur quatuor viri probi.

Anno Christi 1525.	Clementis VII. an. 2. & 3.	Caroli V. Imp. anno 7.	Religionis Minorum anno 318.

Almonte, qui felici curſu infra paucos menſes Mexicum pervenerunt, ſuamque operam & auxilium prioribus addiderunt.

Torquem. lib. 15. c. 19. & 20. Profligatur idololatria.

II. Interim Martinus de Valentia, & qui cum eo præerant, impigre laborabant in converſione infidelium, quam ſe minime perfecturos prudenter judicarunt, ſi materia & libertas ſupereſſent idololatrandi. Inito itaque conſilio, Corteſium rogarunt, ut manifeſtas & graviſſimas Dei tolleret injurias, ut ſacrificandi quotannis hominum myriades, & cum horrore libandi profluvios ſanguinis humani libertatem omnino proſcriberet. Annuit optimus Præfectus, præcepitque miniſtris, ut ne quid hujuſmodi publice fieri permitterent. At illi vel timentes populorum impetus, vel aggregandæ rei familiari magis intenti, opus Dei faciebant negligenter. Etenim non ſolum in privatis laribus, ſed in templis nocturno tempore Indi conveniebant, immolabant, orabant, ſuas orgias occinebant. Ægerrime hæc ferentes ſervi Dei, ad inſtar Moyſis decreverunt idola comminuere, altaria & templa diruere, nulloque idololatriæ relicto veſtigio, in perpetuam oblivionem diabolicos, quibus Indi erant aſſueti, ritus adducere. Ineunte itaque hoc anno, ducentes ſecum quos habebant præcipuos diſcipulos, magnatum filios, inceperunt a Zetzcuci urbe & regno, in quibus templa erant magnifica, & cultus ſolemnior. Admoto undique, & per quatuor angulos igne, delubra combuſſerunt, ſpectante partim & obſtupente, partim ingemente & vociferante populo, qui pulchras turritaſque ædes a majoribus magno ſtudio conſtructas, dolebant in favillas reduci, nec audebant in adverſum ire, timentes Præfecti indignationem. Idipſum fecerunt in Mexicana, Tlaxcallatenſi, & Huexotzincana Civitatibus, imbellibus pueris, tamquam fortiſſimis militibus, ſolis adhibitis, ad profligandas tot ſcelera, & debellandas aereas poteſtates. Et quidem feliciſſime per omnes illas provincias triumpharunt contra ſpiritalia nequitiæ, occulta Dei virtute: *nam arma militiæ ipſorum non erant carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentes ulciſci omnem contra Deum inobedientiam.* Præceperat Deus: *Non habebis Deos alienos coram me: Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, neque eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes.* Iſtam inobedientiam ulti ſunt ſervi Dei, ſuperatis & deſtructis præcipuis diaboli arcibus, & munimentis, & mox converterunt ſe ad alia loca publica, & compita viarum, ex quibus abſtulerunt omnes abominationes idolorum, & inanium Deorum ſimulacra. Etenim tamquam ſibi dicta reputabant illa verba Excelſi: *Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas poſſeſſuri eſtis, Deos ſuos ſuper montes excelſos, & colles, & ſubter omne lignum frondoſum. Diſſipate aras eorum, & confringite ſtatuas: lucos igne comburite, & idola comminute: diſperdite nomina eorum de locis illis.* Per hos itaque viros Apoſtolicos adimpletum eſt quod idem Dominus ſe facturum prædixit: *Deſtruam omnes munitiones tuas, & perire faciam omnia ſculptilia tua, & ſtatuas tuas de medio tui, & non adorabis ultra opera manuum tuarum.*

Deuter. 12. 3. Deſtruitur templa idolorum.

2. Cor. 10. 4.

Exod. 20. 3.

Deuter. 12. 2.

Mich. 5. 11.

Id improbant aliqui.

III. Etſi vero hæc feliciter & rite peracta ſint, non defuerant, qui tam inſigne facinus calumniarentur, temeritatem objicientes & imprudentiam. Etenim inde (dicebant) exoriri poterat ſeditio & commotio univerſæ gentis in pauculos, qui reſiſtere non poterant, Hiſpanos: & ſpecioſa templa cum pretioſis, quæ inerant ornamentis, ſatius erat reſervare in veri Dei cul-

Anno Christi 1525.	Clementis VII. an. 2. & 3.	Caroli V. Imp. anno 7.	Religionis Minorum anno 318.

cultum nobiliorem. At qui eradicandæ iniquitatis infundit voluntatem, dedit & faciendi poteſtatem: ipſe dedit & conſtanter velle, & feliciter perficere. *Certamen forte dedit illis ut vincerent.* In proſpero operis progreſſu, & timore Indis incuſſo ne moverentur, oſtendit Deus, a ſe ad Indias miſſos illos duodecim inermes & imbecilles, conſtantes tamen & audentes veræ fidei magiſtros, & idololatriæ profligatores, non aliter quidem, quam cum *Hieroſolymis duodecim viri numero in mundum exierunt, iique ignari & idiotæ, nullaque facultate dicendi præditi, vi Divina omni hominum generi expoſuerunt, miſſos ſe a Chriſto, qui verbum Dei docerent.* Qualiter enim hi pauperes fraterculi, nonniſi puerulis in partem vocatis, tantam longe lateque propagatam inferorum potentiam deſtruere, & munitiones arceſque dæmonum in medio & conſpectu numeroſiſſimæ gentis ab his tenebrionibus tot ſeculis obcæcatæ, debellare potuiſſent, niſi Deus eſſet cum illis, & Divino agitante caleſcerent igne? Quod vero idolorum templa in primitiis Indicæ converſionis dejecerint, & in Eccleſiarum uſum noluerint convertere, æmulati ſunt ſtrenuos illos fidei athletas, primitivæ Eccleſiæ magiſtros, qui loca dæmonum indigna exiſtimarunt, in quibus Deo vero cultus religionis exhiberetur: *qui* enim potuit eſſe *conſenſus templo Dei cum idolis*? Proinde ſpecioſiſſima licet dæmonum delubra, idolorumque fana, uti erant mirifica illa templa Serapidis Alexandriæ, Marnæ Gazæ, Jovis Apameæ, Cæleſtis Carthaginis, Jovis Capitolini Romæ, aliaque innumerabilia, quæ ob ingentem ſtructuram videbantur miracula mundi, exciderunt, & ſolo æquarunt. Atque ita fieri debuiſſe, Gregorius Anglorum Regem paulo antea ad fidem converſum, & Hieronymus Lætam docet diſcipulam: præterquamquod imperatoriis legibus deinde cautum eſt, ut hujuſmodi templa everterentur. Theodoſius junior ſancivit, *ut cuncta idolorum fana, templa, delubra, ſi qua etiam reſtarant integra, præcepto magiſtratuum deſtruerentur.* Quod vero tempore Phocæ Imperatoris Bonifacius IV. expurgato Deorum omnium veteri Fano, quod *Pantheon* vocabatur, illud in honorem beatæ Mariæ Virginis, & omnium Martyrum dedicarit, recte judicavit Cæſar Cardinalis Baronius Divina diſpenſatione factum, ut inter tot idolorum fana proſtrata, & in anathema oblivionis verſa, Pantheon velut inſigne quoddam ac perenne trophæum de expugnatis hoſtibus permaneret, cederetque triumpho omnium Martyrum, qui omnes Gentilium Deos Chriſti cruce ſubegerunt. Recte itaque religioſi illi, religionis Chriſtianæ præceptores, demoliti ſunt idolorum aras & templa, & ſimulacra confregerunt, *ut ſic diſperderent nomina idolorum de terra, & ultra non memorarentur.*

Sed immerito.

Sap. 10. 12.

Juſtin. in Apolog. 2. ad Anton. poſt med.

2. *Cor.* 6. 16.

Greg. ep. 60 *l.* 9. *Indict.*

Hieron ep. 7. *ad Lætam.*

L. ult. de Pagan. Cod. Theod.

Zach. 13. 2.

IV. His inter Gentiles magno labore peractis, multo magis laborandum erat in pacificandis Chriſtianis, & cohibendis a cæde & bellis civilibus ipſis Hiſpanis. Quos etenim Ferdinandus Corteſius præfecit Mexicanæ urbis regimini, dum ipſe ad *Hibueras*, quas nunc *Honduras* appellant, proficiſceretur, effrænis invaſit dominandi libido; ſed prævaluerunt qui Corteſium e gradu dejicere conſpirabant; & qui partes ejus ſuſtinebant, partim occiſi, partim fuga elapſi, ad Fratrum domicilia ſubſtiterunt. Adverſæ factionis capita, ſacra violantes refugia, illinc extractos e medio tollere ſtatuebant, niſi Martinus qua pollebat Pontificis auctoritate, Sacris, igne, aqua interdixiſſet, & extractos ſacro reſtitui curaſſet aſylo. Multis etiam modis digladiantium furores reſtinxit, uſus inſuper generalis Inquiſitoris poteſtate in puniendis illis, qui Chriſtiano nomine cenſebantur, & contra fidem peccabant Chriſtianam. Ejus fidei & prudentiæ in tanta rerum commotione, urbis ſalus, & ſervata Regi Catholico provincia debetur. Habuit etiam

Diſſenſiones inter Hiſpanos Mexicanos.

Herr. cit. c. 21. & 22.

Anno Christi 1529.	Clementis VII. an. 2. & 3.	Caroli V Imp. anno 7.	Religionis Minorum anno 318.

Corteſio adhærent Minoritæ. *Turrecr. lib. 20. cap. 18. An. 1522. n. 6.* Joannes de Teco. *Herr. cit. l. 8. c. 7.* Petrus Altamiranus.

ſecum Corteſius alium Minoritam, de quo ſuperius diximus, virum optimum, Joannem de Tecto, qui in hac expeditione non dubitavit pro eo animam ponere; hoc anno, in itinere ſola inedia defunctus. Tertius hujus Inſtituti vir partes ejus viriliter in Mexico ſuſtinuit Petrus Altamiranus, ipſius patruelis, qui longum & periculoſum iter emenſus, ad longinquam, in qua longiorem ſeceſſum Corteſius meditabatur, regionem profectus, periculi perdendæ urbis & poteſtatis admonuit, utque poſthabitis omnibus, reditum acceleraret, perſuaſit. Quartus pro eo efficaciter apud Imperatorem hoc ipſo tempore in Hiſpania exoravit Petrus Melgarejus, cui concredita ſunt adaucti honoris & ſtabilitæ poteſtatis inſtrumenta, ad Corteſium deferenda. Sed & ipſi Petro ob præſtita Regi fidelia miniſteria collati ſunt tituli honorarii Concionatoris Cæſarei, & Conſiliarii Indiarum.

Petr. Melgarejus. *Indid. l. 7. c. 4. & l. 8. c. 14. & 15.*

V. Aliorum etiam Franciſcanorum, qui in comitatu erant Corteſii, quando ad Hibueras profectus eſt, occurrit memoria; eorum ſcilicet, qui idolorum ſacerdotibus prædicarunt in Tavitlatano, præſente Corteſio, & duorum ab eo miſſorum cum navarcho Joanne de Avalos, & Hiſpanis ſexaginta, qui naufragio periere ad promontorium ſancti Antonii inſulæ Cubanæ. Obiit ſub hunc annum Joannes de Aora, ſupradicti Joannis de Tecto ſocius, venerandus ſenex, & canus Sacerdos, qui omnem poſuit operam in docendis pueris in Civitate Tetzcucenſi in domo cujuſdam nobilis viri, in qua deceſſit, & ſepultus eſt in Sacello ſeu Oratorio, quod Fratres in iiſdem ædibus habebant ſacris peragendis. Translatus eſt poſt aliquot annos ad Conventum ſancti Antonii de Padua, ea in urbe conſtructum, Guardiano Turibio Beneventano Motolinia, qui translationem fieri curavit.

Idem l. 7. c. 8. & l. 8. c. 4.

Joan. de Aora. *Turrecr. citat.*

VI. Nongentis ferme annis aliqua ex parte gemuerunt Hiſpani ſub gravi & inhumano Maurorum jugo; etſi vero paulatim ſe in priſtinam aſſeruerunt libertatem, a devictis nihilominus inimicis ſemper erat timendum. Ne itaque hi timerentur, aut foverentur in ſinu ſerpentes, decretum fuit ante aliquot annos ut Mauri omnes, vel in alienas terras migrarent, vel fidem profiterentur Chriſtianam. Illi exilium declinaturi, Baptiſmum ſuſceperunt, ſed nihil prioris vitæ depoſuerunt, clam & ubicumque licebat, ritus exercentes Mahumetanos. Graſſabatur hæc Chriſtianæ religionis injuria in regno potiſſimum Valentino, in quo Maurorum copioſior erat numerus, & obſtinatior perfidia. Monuerunt Prælati Eccleſiaſtici Clementem VII. & Carolum V. periculi, quod proxime imminebat regni perdendi, & fidei Chriſtianæ ſubvertendæ: nihil enim non excogitabant occulti hoſtes in perniciem Chriſtianorum, quorum plurimos etiam ſuis ritibus infecerunt. Clemens datis litteris XII. Maii anni præteriti Cæſari perſuaſit, ut tantis malis occurreret, & conſultis Inquiſitoribus, curaret mitti prædicatores per Aragoniam, Valentiam, & Cataloniam, qui Agarenis fidem explicarent Chriſtianam, & terminum præſcriberent ſuſcipiendi baptiſmi; quem ſi neſpuerent, vel ab univerſa exularent Hiſpania, vel haberentur pro mancipiis. Re matura conſiderata, & perpenſo periculo tantæ multitudinis compellendæ, executionem aliquantiſper diſtulit Cæſar, tum bello Italico, tum funeſtis Germaniæ motibus diſtractus; donec tandem hoc anno Madriti præcipuos Regni Conſiliarios, & viros doctos rei amplius examinandæ & perficiendæ congregavit. Kalendis Martii in Cœnobio ſancti Franciſci coierunt Conſilium Regium Caſtellæ, Aragonicum, ſanctæ Inquiſitionis, Ordinum militarium, & Indiarum, atque undique vocati Theologi famæ celebrioris. Inter hos non parum emicuiſſe Antonium de Guevara Minoritam, Cæſareum hiſtoricum, & Eccleſiaſten, recenſet Prudentius Sandovalius, Guevaræ in ſcriben-

Maurorum perfidia in Hiſpania.

Coerceri jubet Pontifex.

Modum Cæſar excogitat.

Anno Christi 2525.	Clementis VII. an. 2. & 3.	Caroli V. Imp. anno 7.	Religionis Minorum anno 318.

bendis geſtis Carolinis ſucceſſor. Protracta eſt conſultatio per dies viginti duos, & poſtremo ad conſeſſum venit ipſe Carolus, auditurus ab Alphonſo Manriques, Archiepiſcopo Hiſpalenſi, ſummo in cauſis fidei Præſide, quæ in re tanti momenti erant decernenda. Ea fuit omnium ſententia, ut qui ſacris aquis fuerant intincti, ad Chriſtianæ fidei profeſſionem compellerentur; & qui Baptiſmum nondum ſubierant, circa fidei myſteria inſtruerentur, & mox baptizarentur; ſi qui vero pertinaciter renuerent, vel extra regnum fierent, vel intra regnum ſervilibus deputarentur miniſteriis.

Sandov. in hiſt. Caroli V. l. 13. §. 28. Bleda de Mauris Hiſp l. 5. c. 29. Fonſeca de exp. Maur. lib. 1. c. 2. Et qualem.

VII. Delecti ſunt ardui operis Commiſſarii Gaſpar de Avalos, Epiſcopus Guadicenſis, cui prædictus Guevara in Pontificatu ſucceſſit: N. Eſcatmierus Cataloniæ Conſiliarius, Joannes a Salamanca Ordinis Prædicatorii, & Guevara Minorita. Magnas illi paſſi difficultates, Mauris detrectantibus Cæſaris obedire mandatis; donec tamdem poſt aliquot menſes in montanis Spadani & Berniæ quo confugerant, debellati, ad Baptiſmum ſuſcipiendum ſunt adſtricti. Solus Guevara viginti ſeptem millia familiarum (adeo numeroſa erat illa impia colluvies) baptizavit, uti ipſe refert in Epiſtola ad Garziam Sanchez, quæ habetur in ſecunda parte familiarum. Ita conſultum fuit hoc anno regno, Mauriſque Valentinis: ſed & anno ſequenti non diſſimiliter conſulendum fuit Granatenſibus, qui licet Baptiſmum ante annos viginti ſeptem cura & induſtria Franciſci Ximenii, Archiepiſcopi Toletani, uti alias narravimus, ſuſceperint, pauci in fide perſtiterunt. Ad hos etiam miſſi ſupradicti Epiſcopus Guadicenſis & Guevara cum aliis duobus, quorum conſilio indictus fuit graviſſimus Prælatorum conſeſſus Granatæ, ubi tunc erat Imperator, cautumque fuit optimis præſcriptis Legibus, ut qui Chriſti charactere in Baptiſmo fuerunt inſigniti, etiam fidem ab eo traditam profiterentur; & reliqui ad religionis Chriſtianæ conſortium, quibus liceret modis, attraherentur.

Sandov. l. 14. §. 18.

Tom. 15. Ann. 1499. n. 7. ſeqq. & an. 1501. n. 6.

VIII. Factum hoc ſortaſſis non approbabunt omnes, præſertim violentam illam Maurorum ſuſcipiendi baptiſmi coactionem. Etſi enim univerſi conveniant Theologi, & Canonici Juris interpretes, in illa Concilii Toletani doctrina, quam Innocentius III. graviſſima decretali, Arelatenſi Archiepiſcopo ſequendam præſcripſit, circa compellendos ad Chriſtianæ Fidei profeſſionem eos, qui Baptiſmum quantumvis coacti, ſed volentes ſuſceperunt; ægre tamen plurimi admittent primam illam coactionem ad baptiſmum; quam per ejuſdem Concilii, prædicti Innocentii, & repetita Juris Canonici decreta cenſent interdictam. Attamen alii non infimi nominis viri, neque lege Divina, neque naturali eam prohiberi, imo perſuaderi exiſtimant: quam etiam lege civili plurium Imperatorum, quos Ambroſius & Auguſtinus collaudant, dicunt fuiſſe præſcriptam. Et quidem Wiſigothi in Hiſpania ſeveriſſimas tulerunt leges in Judæos nolentes ſe vel filios aut famulos baptizari. Sed & Liſebutus Rex, qui flagellis, decalvatione, exilio, & bonorum mulcta coegit Judæos, ut ad Fidem venirent Chriſtianam, *Religioſiſſimi Principis* encomio celebratur a Patribus prædicti Concilii Toletani, neque ullo verbo indicatur ejus decretum fuiſſe iniquum: quod viri docti peculiariter obſervarunt. Videndus Auguſtinus in illa verba Domini: *Exi cito per ſepes, & vias, & compelle intrare ut impleatur domus mea*: quæ licet de hæreticis exponat, pari tamen ratione ad alios infideles poſſunt extendi. Conſulendus etiam eſt epiſtola citata, & magnificienda iſta ejuſdem, quam ſubjungo, doctrina: *Melius eſt quidem ad Deum colendum doctrina homines duci, quam pœnæ timore, vel dolore compelli. Sed non quia meliores ſunt, ideo illi, qui tales non ſunt, negligendi ſunt: multis enim profuit (quod expe-*

An cogi poſſint infideles ad baptiſmum. *Toletan. 4. can. 56. ſeu 57. C. Majores de Baptiſmo.*

Lorca in 2. 2. q. 10. ar. 8. diſp. 36. & alii quos citat. Ambroſ. ep. 30. Aug. epiſt. 48. & 50. Cod. de Paganis l. Qui poſt ſanctum. Cod. de Jud. & calicolis Calicolarum l. de Hæreticis, & Manichæis. Lorca cit. n. 8. Scot. in 4. diſt. 4. q. 9. Aug. ſerm. 13. de verb. dom. Luca 14. 23. Aug. ep. 50.

experimentis probavimus, & probamus) prius timore, & dolore cogi, ut poſtea poſſint doceri. Legendus Ambroſius citatus, & Gregorius lib. 3. epiſtol. 26. ad Calaritanum Epiſcopum, quem reprehendit, quod Paganos in ſua diœceſi pateretur, jubetque ut ad fidem modis omnibus, etiam pœnis & exactionibus illos adducat. Sufficientiſſime tamdem Caroli factum commendari poteſt, tum ex circumſtantiis graviſſimis periculi rebellionis, regni perdendi, & fidei ſubvertendæ, tum maxime ex Clementis VII. quod ſupra diximus, conſtituto; & demum ex conſilio celeberrimorum totius Hiſpaniæ virorum. Rem omnem diſerte narrat, riteque factam probant duo Viri docti Ordinis Prædicatorum, Jaimius ſive Jacobus Bleda, & Damianus Fonſeca, ille in chronicis Maurorum Hiſpaniæ, iſte in Hiſtoria expulſionis eorumdem ſub Philippo III. docteque reſpondent iis, quæ objici poſſunt ſive ex doctrina ſancti Thomæ, ſive ex Jure Canonico. Inter Scholaſticos videndus præ reliquiis Petrus de Lorca Ciſtercienſis, qui pro more ſuo difficultatem iſtam doctiſſime expendit.

Tom. 9. ab anno 1415. & ſeq. Inquiruntur miracula B. Jacobi Piceni.

IX. Beatus Jacobus Picenus, de quo plurima diximus, continuis collucebat miraculis, animoſque movit Neapolitanorum, apud quos requieſcit, ut Carolum Imperatorem ſuum Regem obſecrarent, vellet apud Clementem Pontificem intercedere, quatenus dignaretur eum catalogo Sanctorum adſcribere. Annuit Pontifex, deditque ſequentes litteras ad Epiſcopos Aſculanum & Camertem. Similes etiam dedit ad Epiſcopos Brixien. & Famaguſtanum, & ad Archidiaconum Eccleſiæ Brixien. ut inquirerent de miraculis, quæ Vir Dei operatus eſt in Civitate Brixienſi, & tota provincia Lombardiæ.

Venerabilibus fratribus Aſculano, ſeu ejus in ſpiritualibus Vicario generali, & Camerinenſi Epiſcopis.

Ex originali.

Venerabiles fratres, ſalutem. Vices illius, qui ſupra Petram ædificavit Eccleſiam ſuam, meritis licet indignis, gerentes in terris, ad id conſiderationis noſtræ oculum retorquemus, per quod Chriſtifideles conſiderantes, quo amici Dei decorentur honore, eorum veſtigia imitando, ad quam creati ſunt, gloriam pervenire valeant. Sane pro parte Cariſſimi in Chriſto Filii noſtri Caroli Romanorum, & Hiſpaniarum Regis Catholici, in Imperatorem electi, nobis expoſitum fuit, quod corpus Jacobi de la Marca, *Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, dum in humanis ageret, Profeſſoris, viri paupertatis, humilitatis, caſtitatis, vigiliarum, jejuniorum, reliquarumque corporis fatigationum, hilari animo pro Dei amore cultoris, mandatorumque ejus, in cujus via ambulavit, vigilanter imitatoris, apud Eccleſiam domus beatæ Mariæ Novæ Neapolitanæ dicti Ordinis humatum, pluribus claruit miraculis, & in dies claret; adeo ut Divina clementia illum inter beatos ſuos retuliſſe pie credatur: Et propterea ſummopere deſideraret, ob ſingularem devotionem, quam ad dictum Jacobum gerit, per Nos mandari generalem inquiſitionem fieri de vita, moribus, & fama, humilitate, continentia, caritate, patientia, ceteriſque virtutibus, ac vitæ ſanctimonia, & miraculis, quæ illic, eo intercedente, operatus eſt, & quotidie operatur Altiſſimus, ut ad canonizationem ipſius procedi poſſit. Nos moti inſtantiſſimis ipſius Caroli Regis ſupplicationibus, ac iis, quæ de doctrina, & vitæ ſanctitate ipſius Jacobi crebro dicuntur per graves viros; habito ſuper hoc venerabilium Fratrum noſtrorum Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & deliberatione, fraternitati veſtræ, de qua in hit & aliis plurimum*

in

in Domino confidimus, per præſentes committimus & mandamus, ut ſi per generalem hujuſmodi inquiſitionem videbitur, & conſtiterit, ſuper quo veſtram conſcientiam oneramus, probationes eſſe tales, ut per eas poſſit ad ſpecialem inquiſitionem procedi & deveniri, nobis aliter non conſultis, cum de doctrina, fide & religione veſtra plurimam in Domino fiduciam habeamus, ad ſpecialem inquiſitionem ſuper præmiſſis, in provincia iſta Marchiæ, de qua oriundus eſt, & in qua multos annos vixit dictus Jacobus, ac aliis adjacentibus provinciis deveniatis, articuliſque & interrogatoriis datis, promotoreque Fidei adhibito, citatione legitima præcedente, teſtium productorum juramenta recipiatis, & juxta interrogatoriorum & articulorum formam examinari diligenter curetis, & eorum dicta in actis fideliter redigi mandetis, juraque & monumenta recipiatis, quæ ad negotium hujuſmodi facere videbuntur, omniaque alia accuratiſſime perſcrutemini, quæ neceſſaria & opportuna eſſe, & ad omnem & plenam hujus rei ſcientiam facere cognoveritis. Quæ cuncta in ſcriptis fideliter redacta, veſtro ſigillo clauſa, ad Nos mittere ſtudebitis, ut ad Dei laudem, & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ exaltationem, Divina inſpiratione illuminati, quæ Eccleſiam ſuam errare non finit, cum eiſdem Fratribus noſtris, quid faciendum in ea re ſit, mature deliberare poſſimus: Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, conſuetudine, ac ſtylo, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIII. *Julii* MDXXV. *Pontificatus noſtri anno* II.

Be. Ol. Ravenn.

X. Franciſcus Quinnonius Generalis Miniſter, ſub finem Martii ab Hiſpania diſceſſit, familiam viſitaturus Ciſmontanam, celebratis prius in Conventu Scalonæ *Excalceatorum* nuncupato, comitiis provinciæ Caſtellæ die III. Februarii. Etſi enim paulo antea Toleti alia fuerint habita, & in eis electus Miniſter Joannes de Marchena; tamen tanto conatu inſtitit, ut hoc onere levaretur, quod tamdem fuerit exaudiendus, & ejus loco de electorum Patrum ſuffragiis, ſubſtituendus Jacobus de Ciſneros. Diſplicebat Cæſari Quinnonii receſſus, & quibus poterat modis iter retardabat, monuitque poſtremò ſcriptis litteris die XX. Februarii, paratas ei inſidias. Nihilominus ille abire decrevit, ſpretis periculis maris, & terræ inſidiis, itineris incommodis, & Cæſaris poſthabitis mandatis. Prudentes & ſalutares admonitiones univerſæ reliquit familiæ. Vicarium Generalem ſecundum Bullæ *Unionis* præſcriptum, deputavit Arnoldum de ſancto Felice Gallum: Commiſſarium inſtituit ſuper provincias Saxoniæ ſanctæ Crucis, & ſancti Joannis Baptiſtæ, Argentinæ, Coloniæ, Hiberniæ, Scotiæ, Datiæ, Angliæ, Flandriæ & Turingiæ, Matthiam Antuerpienſem, & Franciſci de Inojoſa commiſſionem ſuper omnes Hiſpaniæ provincias confirmavit & ampliavit. Hos autem Commiſſarios propterea ſe deputaſſe declaravit, quia bellis inter Franciſcum Galliæ Regem, & Cæſarem ſævientibus, Cæſaris ſubditi non poterant adeo facilem habere recurſum ad Vicarium Generalem in Gallia commorantem, neque illi licebat in Hiſpaniam penetrare: idque ipſe probavit hoc iter aggreſſus, dum tranſitum per Occitaniam, etſi bis petierit, non potuerit impetrare.

Quiñonius tranſit ad familiam Ciſmontanam. *Reg. gen. Ultram. pag.* 151.

Prudentes diſpoſitis rebus Ultramontanis.

XI. Tamdem Romam die ultima Julii pervenit, & a Pontifice perhumaniter exceptus, controverſias quaſdam inter Commiſſarium Generalem familiæ Ciſmontanæ Hilarionem Sacchettum, & Franciſcum Georgium Venetum, de quo ſæpe locuti ſumus, provinciæ ſancti Antonii Miniſtrum, intervenientibus Franciſco de Frangipanibus, provinciæ Romanæ, Petro de Monte Corvino, provinciæ Terræ Laboris Miniſtris, & Angelo Hiſpano Cœ-

Romæ quid egerit.

Cœnobii Aracœlitani Guardiano, prudenter ſopivit. Abuſus contra paupertatem e medio ſuſtulit, & in colle Janiculi vineam Cœnobii ſancti Petri in Monte aureo congregationis Amadeorum radicitus exterminavit. Ab Urbe receſſurus, tria petiit a Pontifice: ut Fratrum cauſæ & controverſiæ non committerentur Rotæ Romanæ Auditoribus, ſed audirentur ab aliquibus piis & probatis viris, & terminarentur abſque ſtrepitu judicii. Quod Moniales Fratrum regimini ſubjectæ non tenerentur ad ſolvendas decimas de iis, quæ pro ſui Monaſterii neceſſitatibus colligebant. Et quod non crearentur amplius Commiſſarii Fabricæ ſancti Petri ad exigendas pecunias, ut excuſarentur tot incommoda, quæ Religio paſſa eſt propter hujuſmodi exactiones. Cuncta Pontifex ſe conceſſurum benigne promiſit.

Neapolim proficiſcitur.

XII. Neapolim profectus, comitia habuit provinciæ Terræ laboris die XXII. Septembris, in quibus Miniſtrum ſupradictum confirmavit, & pleraſque ſecundum temporis & rerum exigentias edidit conſtitutiones. Similiter fecit in Conventu Potentiæ provinciæ Baſilicatæ die XVIII. Octobris, ubi quaſdam præſcripſit regulas ſtrictius & recollectim vivere volentibus, duaſque domos dari præcepit, & in provincia ſancti Nicolai in Cœnobio Barolitano, latis quibuſdam legibus pro meliori regimine Monaſteriorum Tranenſis, Licienſis, & Vigiliarum. Miſſis ad provincias Calabriæ & Siciliæ Commiſſariis, qui Capitula celebrarent, ipſe in urbe Theatina die XII. Novembris Aprutinum, ſive ſancti Bernardi alterum convocavit, & reſecanda reſecuit, pro inſtruendis juvenibus pleriſque prudenter inſtitutis. Ingentem ſilvam cæduam, ex qua ſingulis annis ſumma proveniebat pecuniarum Cœnobio Urſoniæ, vel totaliter excidi, vel omnino alienari ſeu dimitti, & ex Conventu Terminorum tolli oliveta, atque ex aliis alvearia, tamquam paupertati Franciſcanæ contraria, præcepit. E provincia Marchiæ, habito Capitulo in Conventu Recinetenſi die XXIII. Novembris, ablegavit legata perpetua, quæ religioſo modo, & Minoriticæ paupertati conformi non poterant retineri, quæſtus grani ſuperfluos, fabricas ſumptuoſas, cantum Fractum, ſeu quem vocant organi, & receptionem immaturam juvenculorum; atque ex his quædam prohibuit in provincia Bononiæ die IX. Decembris, proſcriptis etiam lineis (quas vocant) petiis, ſeu parvis induſiis, & cingulis ſeu chordis albis & curioſis, quas ex ſolo canapo volebat retortas; famulos inſuper ſeculares præcepit undequaque dimitti. In Conventu ſancti Ludovici Riperii provinciæ ſancti Antonii die XVII. Decembris, punitis, qui erant culpabiles in controverſia ſeu lite, quam diximus, mota contra Commiſſarium Sacchetum, multa utiliter ſtatuit, prohibito etiam graviter acceſſu ad Monialium Monaſteria.

Inde in Marchiã Anconitanam.

Mox in Lombardiam.

Ibid. pag. 152. Joannes de Olmillus.

XIII. Memorat autem in ſuo regeſto Ultramontano, Joannem de Olmillos, Guardianum Conventus de Scalona, virum fuiſſe religioſiſſimum, & obedientiæ virtute inſignem, qui cum frequenter extra ſe raperetur, & ſenſibus ſopitis multa in Dei laudem, etiam inter Miſſarum ſolemnia diceret, & aliqua prædiceret, ab ipſo Quinnonio juſſus prompte obedierit, & deinceps ab hujuſmodi ſermonibus abſtinuerit, neque amplius tales extaſes habuerit, pro quibus aliud majus occultum beneficium ſe a Deo recepiſſe Quinnonio revelavit, dum regeret provinciam Caſtellæ, obiitque Madriti anno MDXXIX. magna pietatis opinione. Sub hoc tempus quidam reponunt obitum Alphonſi Sartoris Hiſpani, Compluti, ſicuti alias diximus, defuncti. Summæ ſanctitatis virum, & integerrimum vocat Franciſcus Gonzaga, & ſpiritu prophetico illuſtratum prædixiſſe Alphonſo Carillo, Archiepiſcopo Toletano, ejus ſucceſſorem fore Petrum Gonzalez a Mendo-

Salaz. lib. 1. de Prov. Caſtel. c. 12

Barez. l. 1. Chronic. c. 44. Alphonſus Sartor.

Tom. 12. anno 1456. n. 211. Gonza. in Prov. Caſt. Conv. 2. & pag. 92. Piſa in hiſt. Tolet. lib. 4. cap. 14. & 17.

doza, Epiſcopum Siguntinum: quod ille quidem nollet, quippe ſibi inviſum. Vere autem prædixiſſe, rei exitus probavit, translato ad Toletanam Eccleſiam anno MCCCCLXXXII. Mendozio.

XIV. Vivebat autem hoc anno Matthæus a Meſſuraca Calaber, cui magnum pietatis, & Cœnobiorum incrementum provinciæ debet Calabriæ. Conventum Cotronii eidem aggregavit, alios refecit & reformavit. In patria dum hoc anno prædicaret præ ſoribus Eccleſiæ, propter populi multitudinem, & moleſte nimis cicadæ in propinquis arboribus obſtreperent, præcepit ut ſilerent, donec concionem abſolveret. Protinus illæ obſecutæ, nonniſi finito ſermone concentum reſumpſerunt. Ibidem refecturus fornacem calcis, quam operi præſtruendo fecerat accendi, intrepide per medios ignes ingreſſus, illæſus exivit. Lapides duros & informes ſigno Crucis mollivit, dolavit, & opportunis fabricæ locis adaptavit. Pietate, abſtinentia, humilitate, paupertate, promptaque obedientia inſignis, deceſſit prope Laverinum, Calabrorum oppidum, apud ſuos Conſodales ſepultus. Statim poſt obitum Fauſtinam Dodonicam a paralyſi liberavit, aliſque plurimis infirmis ad ejus ſepulcrum accedentibus deſideratam reſtituit ſanitatem.

Matthæus a Meſſuraca. *Idem in Provin. Calab. Conv. 5. 14. & 16.*

XV. Hoc anno die VI. Aprilis deceſſiſſe apud Montem Leonis in Umbria, diœceſis Spoletanæ vicum, Ambroſium ſeu Ambroſinum a Mediolano, uti habet Jacobillus, ſeu a Miliano, uti Gonzaga, magiſtrum Raphaelis a Nurſia, viri religioſiſſimi, dum illic ſermones haberet quadrageſimales, quidam referunt. Sed alii ejus mortem differunt uſque ad annum MDXLI. ubi ejus acta diffuſius proſequenda judicavi. Hoc etiam anno, VIII. Junii ſatis conceſſiſſe apud Lovanienſes Amandum Zierixienſem, habent Monumenta MSS. provinciæ Flandriæ, & Auctarium Sanctorum Belgii. Videndum tamen dubium, quod nos in libro de ſcriptoribus expoſuimus. Vir fuit doctus & humilis, qui poſtquam Miniſtri provincialis Coloniæ officium abſolvit, Lectoris Theologici non minus humiliter quam obedienter ſubivit, & in eo uſque ad mortem nullis gaudens privilegiis, perſeveravit. Aliquoties ſuperius ejus incidit memoria. Floruit hoc anno Gaſpar Salgerus Germanus, vir doctus, de quos nos agimus in eodem catalogo ſcriptorum, & dicemus anno ſequenti.

Moritur Ambroſius Mediolanen. *Jacob. de SS. Umbr. ad 6. April. Gonza. in Prov. S. Franc. Can. 26.*

Amandus Zierixienſis. *Raiſſe ad 8. Junii.*

Gaſpar Salgerus.

XVI. Matthæus e Baſſio, Comitum Carpeniæ vico, in Umbria, & confinibus Montis Feltrii, ſuſcepto habitu in Conventu Montis Florentini, provinciæ Marchiæ, ad Inſtituti regulas vitam religioſe compoſuit. Ferventi ſpiritu, magnoque zelo paupertatis exæſtuans, dum aliquando videret capitium ſancti Franciſci acuminatum, aliud ſimile ſibi formavit hoc anno, ſimplicique habitu, & nudis pedibus cœpit incedere. Paſſus tamen aliquas perſecutiones propter capitii novitatem, ad Clementem Pontificem in Urbem venit, facultatem petiturus, ut ſibi liceret illam habitus formam, ſimilem ei, quam ſanctus Franciſcus induerat, geſtare. Annuit Pontifex, ipſi ſoli & ſocio facta hac poteſtate. Ita rem breviter narrat Marcus Ulyſſipponenſis; ſed multas præceſſiſſe viſiones & monitiones Divinas, atque ſubſequuta miracula liberi acceſſus ad Pontificem, angelico miniſterio, ac ſanationis repentinæ ab ardentiſſima febre, narrat Abrahamus Bzovius, totiuſque narrationis fidem regerit in Ulyſſipponenſem, hoc ſolo auctore citato. Diffuſius multiſque pagellis uno atque altero anno MDXXIV. ſcilicet & MDXXV. hiſtoriam proſequitur R. P. Zacharias Boverius in Annalibus Capuccinorum. At quidem tametſi verus Ulyſſipponenſis nihil habeat hujuſmodi, licet tamen ſcriptores hos excuſare: inciderunt enim in fictum quem-

Matthæus a Baſſio ad vitam & habitum aſpirat auſteriorem.

Marc. Lipon. l. 3. c. 36.

Bzov. hoc anno.

Ann. 1524. n. 56. ann. 1525. n. 22.

Marcus Ulyſſipponenſis corruptus.

quemdam Ulyſſipponenſem, apud quem hæc omnia leguntur. Sciendum itaque eſt auctorem hunc tertiam partem ſuorum Chronicorum lingua patria Luſitana ſcripſiſſe anno MDLXVIII. quæ lingua Caſtellana prodiit Salmanticæ anno MDLXX. Italica Venetiis anno MDXCI. in hoc idioma traducta per Horatium Diolam Bononienſem, & per ejus fratrem germanum Alexium, dedicata Gregorio XIV. Summo Pontifici: in quibus editionibus, nihil quod ad Baſſium attinet, habetur, præter illa paucula, a nobis relata. Apparuit tamen quarta, neſcio cujus ſtudio, fœcundior editio in eadem urbe Veneta apud Eraſmum Viottum anno MDXCVIII. ubi plurima addita ſunt & mutata, & magno auctario per multa capita a XVI. uſque ad XXIX. diffunduntur geſta Matthæi, ortus progreſſus, & incrementum Patrum Capuccinorum. Auctor hujus numeroſæ mutationis oullibi ſe prodit, neque unde prodierit tam ſpecioſum additamentum, potuit hactenus ad plenum inveſtigari.

Diſcordia auctorum. *Bover. an. 1524. num. 59 & an. 1525. n. 12. Chron. cit. lib. 9. c. 27. & 28.*

XVII. Sed neque cum ipſa hac ficta hiſtoria concordat ubique Boverius. Baſſium ait anno præterito hoc veſtis genus aſſumpſiſſe, & ad Pontificem ineunte hoc anno in menſe Januarii cum eadem veniſſe. Codex ille additicius refert illo menſe, adhuc apud Obſervantes in ſolito habitu hærentem, a Conventu Verucæ prope Montem Falconem ad funebria officia proficiſcentem, ſubditicios pannos Chriſto, ſub mendici forma latenti; porrexiſſe, & nonniſi multa præmiſſa oratione, cœleſtique voce monitum poſtea caputium illud quadratum habitui aſſuiſſe. Bis ad Franciſcum Fanenſem, ſive a Cartoceto, in eremo ſancti Jacobi latentem abiiſſe, antequam a Miniſtro Piceno carceri manciparetur, affirmat Boverius. Semel ad eum acceſſiſſe narrat Marcus confictus, idque poſtquam a vinculis evaſit. Qualiter autem ab iis evaſerit, non eodem modo uterque recenſet. Novam illam habitus formam Matthæo dumtaxat & ſocio a Pontifice permiſſam, habet Marcus; ad quoſcumque volenies, Pontificis indultum extendit Boverius. Alia his ſimilia utramque hiſtoriam conferenti occurrent, etſi in illa Boverii pro his ipſis paſſim in copioſiſſimo Indice præliminari citentur chronica Ordinis Minorum, illius poſtremæ ſcilicet editionis; neque enim in pfioribus quidquam horum licebit aſpicere: fortaſſis aliter iſta habentur apud illos quatuor Scriptores, quos incorrupta fide, ait Boverius, primum collegiſſe & narraſſe res omnes iſtius religioſiſſimi Inſtituti. Nomina horum auctorum, volumina quæ ſcripſerunt, ſed nuſquam hactenus prodierunt, tempus quo vixerunt, refert ille in prædicti Indicis proœmio.

Ut defendatur Baſſius totus Ordo culpatur.

XVIII. Id porro cordatos viros male habet, & univerſum Inſtitutum Obſervantum graviter offendit, quod pro defendendo uno Matthæo, omnes illius viæ viros Boverius ſevere damnaverit, & pro illo ſolo liberando a culpabilis fugæ prætenſo reatu, univerſos, e quorum cœtu prodierat, gravi & univerſali noxa violatæ Regulæ, & neglectæ profeſſionis voluerit irretitos. Matthæus quadratum caputium, quod in tabula viderat delineatum, vili & obſoletæ veſti, quæ ad media crura (uti habent citata Chronica) pertingebat, conſuerat, & ſingulari hoc indutus veſtimento, e Conveotu, nullo ſalutato, fugit nocte intempeſta. Fuit, qui dubitaret, an ob id apoſtaſiæ notam incurrerit? & quidem illius Miniſter tamquam talem plectendum eſſe non dubitabst. Boverius ut crimen hoc procul faceret, talem effinxit Religionis ſtatum, qualem nullus vir bonus vellet profiteri: *Et proinde univerſa* (inquit) *tam Divina, quam humana jura ab hoc vitio Matthæum immunem eſſe decernunt*. Ut opinionem hanc laxatæ diſciplinæ, & deturpatæ religionis Lectoribus ingereret, totum Ordinem dicit a Regulari

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 318.
1525.	an. 2. & 3.	anno 7.	

lari Obſervantia exciditſe. Hujus Inſtituti honorificum uſitatumque nomen, *Obſervantiam Regularem* paſſim & ubique vocat *Inobſervantiam Regularem*, vel *Irreguiarem Obſervantiam*, *atque Ordinis naufragium*; & proinde perfectam vitæ reformationem in Ordine conſequi non potuiſſe Matthæum aſſeverat. Addit, veram beati Franciſci habitus formam in Ordine periiſſe, & cum ea Regulæ quoque obſervantiam. Adjungit, non ſatis tutam in ea viam eſſe ad ſalutem: adeo ut inter tentationes diaboli numeret cujuſdam reditum ad Obſervantes. Regularem Obſervantiam tam in capite, quam in membris ſuiſſe dilapſam affirmat, totumque corpus Religionis eſſe corruptum, & univerſum Ordinem eſſe maculatum. Alibi: *Obſervantium communis eſt lapſus, contemptibilis vita*. Increpatoria illa Chriſti verba: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia claudiris regnum cælorum, vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare*: Obſervantum Superioribus accommodat.

Ann.1528. n.2. Ann. 1530. n.2. & alibi.

Ann.1533. n.15. Ann.1528. n.2.

Ann.1536. n.19. Matt.23. v.13.

XIX. His & ſimilibus improperiis paſſim, & ad ſingulas ferme paginas ſcatet uterque, primus præſertim tomus Boverii; ita ut plus ferme operis inſumptiſſe videatur in deprimendo Obſervantum Inſtituto, quam in extollenda Capuccinorum ſodalitate. Et quidem ego de his tempeſtive monui religioſiſſimum & prudentiſſimum virum Hieronymum Narnienſem, tunc hujus Sodalitii Vicarium Generalem, ut antequam typis committerentur, curaret expungi, nec in publicum prodire permitteret tot ſemina diſcordiæ mox orituræ. Ille, uti erat vir bonus & pacificus, inito conſilio cum Definitoribus, ingruente tunc Congregatione Generali, decrevit ut hujuſmodi graves offenſas tolleret Boverius, neque adeo male haberet Religionem, ex qua ſua exciſa eſt, ex qua prodierunt, qui prima dederunt exordia, & ex qua deinde ſucceſſerunt per temporum vices, qui adoleſcentem provexerunt, & aliquoties fluctuantem firmaverunt. Id tamen conſequi non potuit, obſiſtente ægro iſtius hominis animo, qui ingenito ardori uſque adeo temperare non poterat, ut indicta vellet, quæ dixit; ingratumve ſubire laborem corrigendi, mutandi, mutilandi tot pagellas, quæ magno ſtudio ſibi antea conſtiterant: labor eſt renovare laborem, nec cuiquam facile diſplicet ſui partus ingenii, præſertim infirmi. Quod autem tunc impetrare non poterant Obſervantes, ſe nunc ſperant conſecutos ab Eminentiſſimis Cardinalibus Præfectis Congregationi Indicis librorum, in qua tantæ ſui nominis jacturæ remedium adhiberi impetrarunt per utriuſque tomi prohibitionem, donec corrigantur.

Qualiter præcaveri remedium.

XX. Neque certe huc illos cogendos fuiſſe prudentes viri dijudicarunt, ſed æquo temperamento leniendos potius, quam gravi ulcere exacerbandos; qui aliunde fortaſſis ægre ferebant ſcindi Religionem, paulo antea magna Leonis Pontificis induſtria coagmentatam, & ſibi præripi viros virtute & doctrina excellentes, aperto iſto latiſſimo oſtio quotidianis hujuſmodi jacturis. Ejuſdem ſunt parentis filii Obſervantes, & Capuccini, ejuſdem Regulæ profeſſores; fratres ſunt, ſi non gemelli, ſaltem germani, eadem exciſi petra, eodem utero progeniti. Unde tanta colluctatio? unde tam vehemens diſſenſio? Ideo fraterne monuerim cavendum eſſe, ne quod Matthæo ejuſque æmulatori, Ludovico Foro-ſemproniano undequaque licuiſſe tanto ſtudio, etiam cum aliorum offenſione, Boverius contendit, trahatur in exemplum, ſi quando ſeneſcente hoc religioſiſſimo Inſtituto, idipſum intendent alii, & novello germine ſibi perſuaſerint eſſe reformandum. Nihil tam vegetum, quod non ſeneſcat; nihil tam ſervidum, quod non tepeſcat: quæ creſcunt, ſingula decreſcunt; quæ naſcuntur, omnia de-

Cavendum ne hæc aliis tranſeant in exemplum.

naſcuntur; nihil unquam in eodem ſtatu permanſit. Univerſa ſenſim tendunt ad interitum. Quodnam illud in Eccleſia Dei Inſtitutum, cujus fervor non deſerbuit; quodque vel penitus exſcindendum, vel aliunde non fuerat renovandum? Sub ipſos ſancti Franciſci oculos multorum ſpiritus elanguit, & paulo poſtquam deceſſit, plerique ab ejus præceptis reſilierunt. Fœcundiſſimum illud Regularis Obſervantiæ germen paulatim a ſeverioris diſciplinæ ardoribus declinavit, atque hi ipſi ferventiſſimi Capuccinorum anteſignani, Matthæus, & Ludovicus, a præſcripto ſibi aliiſque aperto tramite deſciverunt; utque vir doctiſſimus Cardinalis Baronii continuator Appamiarum Epiſcopus, ex Boverio notavit: *Uterque poſtea caputium illud quadratum, majori levitate deſeruit, quam maturitate ſuſceperat: Ludovicus quidem odio in ſodalitium, Matthæus amore liberioris prædicationis.* Alias etiam paſſa eſt hæc Religio viciſſitudines, nec defuerunt, qui ante ſeculum unum expletum cauſarentur Conſodales ſuos a præſcriptis ſemitis deflexiſſe, ipſique vellent per alias incedere; quorum importuni conatus non ſemel, neque inerti ſtudio fuerant comprimendi. Semper in hujuſmodi hominum conſortiis, qui ambulant vias difficiles, & vitam ſectantur auſteriorem, ſive ex quorumdam fervore, ſive ex aliorum tepore, aut quod frequentius eſt, ex multorum inſipienti zelo, *ſervatur ſub tunica una, & veſte ſimili, cor varium, & omnino diſſimile.*

Spondan. anno 1525. n. 27.

Rich. a S. Vict. de grad. car. c. 4.

XXI. Erat tunc Obſervantum Generalis Miniſter Franciſcus Quiñonius, ſive ab Angelis, *Vir omni virtutum genere* (teſte Boverio) *ornatus, ob præclara merita a Clemente Pontifice deinde in Cardinalium numerum cooptatus*, qui indefeſſo ſtudio, improboque labore Provincias ferme omnes perambulavit, & quotquot vidit irrepſiſſe abuſus, præſertim contra paupertatem, diligenter eliminavit; uti plane videre eſt ex iis, quæ hoc anno, & præcedentibus enarravimus. Plurimæ aggregatæ ſunt Conventualium domus huic familiæ Obſervantum, & turmatim ex illis Patribus ad iſtos, auſterioris vitæ cupidi confluxerunt. Adjunctæ ſunt integræ provinciæ Reformatorum, qui Conventualibus parebant. Acceſſerunt inſuper variæ Congregationes aliarum Sodalitatum, quæ in Bulla *Unionis*, a nobis ſuo loco relata, recenſentur. Omnia hæc flumina intrarunt ſimul in mare magnum Obſervantiæ: nihil mirum ſi præcipiti rapidoque curſu ſordiunculas aliquas invexerint, quæ diſciplinæ a ſanctis Patribus Bernardino Senenſi, Joanne Capiſtranenſi, eorumque adjutoribus traditæ, turbarint puritatem. Non adeo facile fuit hominibus laxiorem vitam profeſſis, veterem hominem protinus exuere, neque Superioribus omnes ſtatim reſcindere abuſus, quos repentini hoſpites intruſerant. Attamen viſum eſt eos diligenter obſtitiſſe, & paulatim univerſa eliminaſſe, quæ Evangelicæ videbantur paupertati adverſari. Poſſeſſiones omnes ante unionem abdicatæ; dominium tunc omne rejectum; & ſi quæ poſtea comperta ſunt ſub ſpecie honeſti & liciti fuiſſe retenta, quæ tamen adamuſſim Regulæ non adeo aperte videbantur adaptari, fuerunt penitus ablata. Ubi ex vineis vinum, ex ſilvis ligni pretium, ex alveariibus copia mellis poterat obvenire, omnia reſciſſa ſunt; eoque proceſſit zelus Quiñonii, qui hoc ipſo anno regebat, ut paulo antea in Germania inferiori, dum Commiſſarium ageret familiæ Ultramontanæ, remotis e menſa ſtanneis, fictilia dumtaxat vel lignea adhiberi voluerit utenſilia, & vitreas præſertim depictas, prohibuerit etiam in templis haberi feneſtras. Ferendum tamen in illa regione & ſtannum & vitrum, gentis conſuetudo, & contumelioſa utriuſque abundantia perſuadebat; nec tamen apud rigidum paupertatis zelotem quidquam obtinuit.

Qualis vir Quiñonius. *An. 1526. n. 19.*

Unde irrepſerit abuſus in Obſervantiam.

An. 1517. n. 23.

XXII. Ubi

Anno Christi 1525.	Clementis VII. an. 2. & 3.	Caroli V. Imp. anno 7.	Religionis Minorum anno 318.

XXII. Ubi ergo tantus erat ardor retinendæ, & undequaque reſtituendæ paupertatis, locus adhuc relictus erat obſervandæ volentibus, neque adeo exterminata erat a cœtu Obſervantum, ut etiam nocturna fuga, nulla Superiorum petita venia, apud alios eſſet perquirenda. Joannes demum Fanenſis, Miniſter provinciæ Picenæ, qui tam vehementi ſtudio Matthæi & Ludovici conatibus obſiſtebat, eoſque e fuga, incertiſque ſedibus ad clauſtra revocare contendebat, non adeo vituperandus, neque tam acri calamo toties per longas annorum ſeries, multaſque narrationum paginas pungendus; ſed vel exinde maxime excuſandus, quod cum (vel ipſo Boverio teſte) *Vir fuerit eruditus, auctoritate clarus, conſilio ac rerum agendarum prudentia ſingularis, cui & in dicendo vis, & animi acrimonia, quæ Religionis in eo zelum fovebat, abundantius inerat*; non adeo facile nondum explorato Matthæi & Ludovici conſilio, Religioni univerſæ (uti non imprudenti judicio ſuſpicabatur) pernicioſo, abduci debuerat, ut fugas illas nocturnas perpetuo omnium judicio condemnatas, ſuo ſilentio vel permiſſu approbaret. Neque vero (uti Boverius admittit) *Matthæus aut Ludovicus eam ſibi in Ordine auctoritatem aut prudentiæ nomen comparaverant, ut iis de reformatione agentibus, ſtatim factum commendandum, ac eorum ſpiritus, necdum ullo rerum ſucceſſu probatus, a Paſtore eſſet ſequendus*. Ut de Matthæo pacatioris naturæ viro taceam, Ludovicum refert Boverius *e vita militari ad Ordinem acceſſiſſe*; *virum fuiſſe ardentioris ingenii, natura audacem, ſagacem, & ad dura quæque toleranda idoneum*; & cum fugam arripuit *necdum trigeſimum annum attigiſſe, neque ulla in Ordine dignitate, aut concionatorio munere effuiſſe*: & proinde Miniſtrum Generalem, cum ejus Epiſtolam circa reformationis ſtudium accepiſſet, *cum eum animi potius levitate, quam ſolido ſpiritu ductum ſuſpicaretur, ejus concitatum animum rerum politicitatione compeſcendum, & lenibus potius verbis demulcendum, quam illius votis obſequendum cenſuiſſe*. Qualiter demum his turbidis initiis infelix ejus finis, & miſerabilis e ſacro cœtu receſſus correſpondent, perquam late, nimiſque diffuſe hic ipſe hiſtoricus enarrat.

Excuſandus ardor Fanenſis in revocandis primis Capucinis.

An. 1526. *n.* 48.

Ibid. n. 49.

Ibid. n. 14. *& ſeq.*

An. 1536. *& ſeqq.*

XXIII. His adde communem, ſtatutamque Canonum & Theologorum doctrinam circa clancularium egreſſum e ſeptis Monaſterii, excuſſionemque jugi religioſi, ſpreta obedientia Superiorum; quam late doctiſſimeque expendit nuperrime eruditus religioſuſque vir Theophilus Raynaudus, ſcripto integro volumine *De Apoſtaſia a religioſis Ordinibus*, cujus principia ſeu axiomata univerſa huic fugæ videntur contradicere. Sacris legibus noverat Fanenſis interdictum ſevere hujuſmodi abitum, nulla Superioris obtenta vel petita licentia; quænam vero poſſent hujuſmodi egreſſum e cœtu religioſo, cui erant emancipati, cohoneſtare, non videbat: tenebatur itaque ſui muneris ratione errantes, uti judicabat, ſuas oves ſive leni ſibilo revocare, ſive paſtorali baculo ad caulam compellere. Et quidem eos in neceſſariis defeciſſe, declarant aperte litteræ Leonis X. hoc ipſo anno a Clemente renovatæ, in quibus ita habetur: *Ceterum, eadem auctoritate, motu & ſcientia ſimilibus ſtatuit & ordinavit* (Leo X.) *quod in quibuſcumque litteris ad ipſorum Fratrum inſtantiam, ſive ſub anulo Piſcatoris, aut ſub Plumbo, vel per Pœnitentiariam, ſuper præmiſſorum aliquo, & inobedientiæ regularis derogationem, etiam ſuper quibuſvis ſupplicationibus ab eodem Leone aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente, etiam de mandato ſpeciali, & abſolute ſignatis, vel impetratis eatenus & impetrandis, ſemper & indeficienter ſubintelligeretur clauſula hujuſmodi*: & de licentia Superioris, & ea durante: *decernens litteras Apoſtolicas hujuſmodi clauſula carentes*,

Unde honeſtari potuit eorum fuga?

Raynaud. c. 2.

tes, nullas, nulliusque roboris vel momenti fore, in illisque indifferenter dictam clausulam, etiamsi non foret apposita, semper tacite intelligi debere, ejusdem prædecessoris intentionis fuisse &c. Idque ipsum habent aliæ ejusdem Clementis, quibus etiam alteras Leoninas ad Ministros Generales & Provinciales Cismontanos & Ultramontanos Regularis Observantiæ, ceterosque Prælatos ejusdem Ordinis, & ad eorum quemlibet directas, confirmat. Atqui in istis, *auctoritate Apostolica statuitur & ordinatur, quod nullus Ordinis & Observantiæ hujusmodi professor, ex tunc de cetero exemptionem aut indultum Apostolicum sub quavis forma & expressione verborum obtinere posset, nisi prædictorum Superiorum aut Commissariorum ipsorum in Romana Curia existentium, ad hoc expressus accederet assensus: & si illa impetraret, nullatenus sibi suffragarentur, quominus illorum obtentu, a Prælatorum suorum jurisdictione, & coram regulari disciplina exemptus censeretur.* Atque in ipsa hac istorum Fratrum causa amplius & manifestius doctrinam hanc observavit Laurentius Card. Puccius, Episcopus Prænestinus, summus Pœnitentiarius, in diplomate per quod Ludovico, Raphaeli germano fratri, & Matthæo ex speciali mandato Clementis Pontificis anno sequenti concessit, ut vitam extra domos Ordinis agerent eremiticam, dum eos etiam jam extra claustra positos, incertaque sede vagantes, teneri voluit, *ut Superiorum suorum licentiam per semetipsos, vel per alium, aut alios ipsorum nomine peterent, licet non obtinerent*, ut novum hoc vitæ genus inirent: quam utique licentiam omnium nomine postea ipse postulavit Ludovicus. Consulendæ sunt binæ illæ a nobis citatæ Clementinæ, in Regesto ad hunc annum a nobis exhibendæ. Illæ docebunt, quod quæcumque hujusmodi licentiæ a Boverio prætensæ, *etiamsi bene retteque impetratæ essent, in foro conscientiæ dumtaxat, non in foro contentioso, nec contra Religionis jura, consuetudinem aut voluntatem valebant.*

XXIV. An non hæc religiosissimæ Congregationis Capuccinorum initia tam mirabilia, quam humilia & despicabilia recenseri poterant absque tanta integræ, & numerosæ familiæ injuria? An non horum ortus explicari, si non præmittatur in spiritu vehementi tam magnæ multitudinis miserabilis interitus? Sed & felices Ordinis progressus, & nobilissimum incrementum longa illa serie ingentique voluminum mole explicari potuit absque perpetua admixtione alienæ offensionis. Non adeo deprimendi alii, ut tu extollaris: exilis illa gloria, quæ aliorum acquiritur contumelia. Vera illa laus est, quæ non indigne quæritur, sed propriis meritis tenetur. Libuit fraternam mitemque hanc quærimoniam hic oportune præmittere, per quam satisfactum iri cupimus querelis Observantum, monitosque Patres Capuccinos, ita nos rerum suarum historiam aggredi, ut in ipso narrationis vestibulo universum procul secerimus contentionis studium, & partium æmulationem. Quæ in Dei gloriam cedunt, & Franciscanum nomen attollunt, æquo omnium nostrarum Congregationum affectu scribimus: nulli suas glorias invidemus: per universam nostram historiam hucusque inoffenso decurrimus pede, nulli offensioncm præbentes, omnibus debitum ministrantes obsequium. Viros sive doctrina, sive pietate aut dignitate illustres ubique modeste laudavimus; aliorum vitia, ubi dicere oportuit, non tacuimus: illos dedimus in exemplum; hæc narravimus ad correptionem. Hanc porro narrationis seriem in referendis hujus religiosissimæ Congregationis rebus prosequemur; pressius quidem, sed accuratius, & tranquilliori animo singula per suos annos, omissis levioribus & amarulentis, pro nostro more distribuentes.

XXV. De-

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 318.
1525.	an. 3. & 3.	anno 7.	

XXV. Deſiderantes Ordinis Superiores liberari Fratres ab adminiſtratione & collectione pecuniarum pro magnifica illa fabrica vaſtiſſimæ Baſilicæ ſancti Petri, etſi honorificis gauderent privilegiis, & titulis Nunciorum ac Commiſſariorum Sedis Apoſtolicæ; non ſemel rogarunt Pontificem, ut eos hoc onere, gravi valde, populis odioſo, humilique Fratrum profeſſioni non adeo conformi, levare dignaretur, & demum eos, qui in hoc miniſterio fideliter & devote laboraverunt, a reddendis rationibus præteritæ adminiſtrationis liberare. Id hoc anno præſtitit Clemens Pontifex, rogante Commiſſario Generali Hilarione Sacchetto, conceſſo hoc diplomate: ſed & ne deinceps hac afficerentur moleſtia, rogavit Miniſter Generalis, uti paulo antea narravimus. Excuſantur Fratres a collectionibus pecuniariis.

Dilectis filiis Hilarioni Sacchetto, Generali Commiſſario, ceteriſque Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum familiæ Ciſmontanæ.

XXVI. *Dilecti filii &c. Exigunt veſtræ fidelitatis integritas, ac probata in rebus vobis commiſſis ſinceritas, ut indemnitati veſtræ ita per Nos conſulatur, ne pro bonis veſtris operibus ac laboribus, quæ pro Sede Apoſtolica ac Romana Eccleſia ſuſtinuiſtis & ſuſtinebitis, moleſtiam ſeu damnum aliquod pati poſſitis. Hoc namque ſuadet æquitas, & admonet juſtitia, ut ii, quibus adminiſtrationes, & rerum agendarum exercitia commiſſa fuerint, in quibus præſertim debitam curam & ſolertiam adhibuerunt, ac fideliter ſe geſſerunt, nullum inde gravamen ſuſtineant, ſed potius laudem in præmium conſequantur. Cum itaque felicis recordationis Julius Papa II. prædeceſſor noſter, exiſtimans, quemadmodum ipſe ſanctus Petrus Apoſtolorum Princeps habetur, ita ejus Baſilicam ædificii pulchritudine & magnificentia inter alias obtinere debere, ipſam propterea demoliendam demandaverit, ut longe ampliori ac magis admirabili ædificio reficeret & reſtauraret: videnſque ad hujuſmodi inſtaurationem Chriſtifidelium eleemoſynas plurimum neceſſarias fore, manus ad id porrigentibus adjutrices, plenariam indulgentiam, & peccatorum remiſſionem conceſſerit, & Vicarium veſtrum Generalem cum certis facultatibus tunc expreſſis, Commiſſarium cum poteſtate ſubſtituendi Fratres veſtri Ordinis in qualibet provinciarum veſtrarum, juxta morem dicti Ordinis, ad prædicandum, & truncos in Eccleſiis ponendum, & claves tenendum, & pecunias & alias oblationes recipiendum, & ad eumdem Julium prædeceſſorem pro dicta fabrica deferendum, ad certum tempus conſtituerit; prout in ipſius Julii prædeceſſoris deſuper confectis litteris, quæ tam per ipſum Julium prædeceſſorem, quam piæ memoriæ Leonem Papam X. etiam prædeceſſorem noſtrum, diverſis vicibus prorogatæ, & ad diverſa loca extenſæ fuerunt: quarum ſingularum tenores præſentibus pro expreſſis & inſertis haberi volumus, plenius continetur: Voſque grandes & varias adminiſtrationes, & negocia circa eleemoſynas procurandas, & gratias ac diſpenſationes juxta facultates vobis conceſſas non ſine ſummis laboribus, & quandoque vitæ periculis tractaveritis, & pecunias, quæ ex hujuſmodi indulgentiis, gratiis & diſpenſationibus ad manus veſtras quomodolibet pervenerunt, partim eiſdem Julio, & ſucceſſoribus, partim vero illis, quibus ipſi prædeceſſores mandarunt, perſolveritis, & conſignaveritis, dignique fitis propterea magna commendatione & laude. Nos volentes vos reddere indemnes, ne propter dictas adminiſtrationes & negocia circa dictam indulgentiam, ac pecuniarum receptionem & conſignationem, & aliat ipſarum occaſione in futurum aliquod* Ex origin. in Archivo Procur. Ord.

quod gravamen aut detrimentum ſeu moleſtiam patiamini; informati pleniſſime tam tempore, quo in minoribus eramus, quam nunc poſtquam, Altiſſimo diſponente, ad hunc apicem ſumus aſſumpti: Motu proprio, non ad veſtram vel alterius pro vobis nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ſolum ex mera deliberatione ac liberalitate, & ex debito juſtitiæ, quod unicuique reddere tenemur, & ex certa ſcientia, & relatione per Commiſſarios a Sede Apoſtolica deputatos nobis facta, reſidua pecuniaram, quæ vigore commiſſionis vobis factæ hujuſmodi obvenerunt, diligenter exacta, & per vos eiſdem prædeceſſoribus conſignata fuerint, ſi aliquid ex pecuniis prædictis apud vos, vel in domibus veſtris remanſerunt, aut in neceſſitatibus veſtris, vel domorum, vel locorum conſumptum fuerit, id totum intuitu laborum veſtrorum, & paupertatis veſtræ, loco eleemoſynæ liberaliter remittimus atque donamus; voſque & veſtrum ſingulos a dictis adminiſtratione, negociatione, & pecuniarum ſummis, quæ ad manus veſtras pervenerunt, quarum omniam quantitatem præſentibus haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, quietamus, pleniſſime liberamus, & abſolvimus in perpetuum; voſque quietatos ac liberatos & abſolutos a nobis & Camera Apoſtolica, ac Cardinalium collegio, & quibuſvis aliis decernimus & declaramus, faciemus ac volumus: Statuentes quod ſuper dictis adminiſtratione & negotiatione, ac pecuniarum ſummis, ac ipſarum occaſione a nemine nullo unquam tempore inquietari, vexari aut moleſtari in judicio vel extra, quocumque titulo vel ratione, criminaliter vel civiliter quomodolibet poſſitis: renunciantes errori calculi, & cuicumque alteri Juri naturali, canonico & civili contrarium diſponenti: adimentes gentibus Cameræ Apoſtolicæ, Theſaurario, Depoſitario, Fiſco, & Præfectis dictæ fabricæ, & aliis Officialibus noſtris & dictæ Sedis, aliiſque quibuſcumque perſonis facultatem & poteſtatem in contrarium faciendi: ita etiam ut nullo unquam tempore ab aliis ſeu aliquibus, occaſione adminiſtrationum & negotiationum, ſeu pecuniarum hujuſmodi, quovis modo res ulla aut compatum poſſit exquiri. Decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis in contrarium factis ſeu faciendis: illa præſertim, qua caveri dicitur, quaſcumque abſolutiones, liberationes, quietationes de quibuſcumque receptis & adminiſtratis fructibus, juribus & proventibus, ac bonis dictæ Cameræ, qaibuſvis perſonis cujuſcumque dignitatis & ſtatus exiſterent, per Sedem Apoſtolicam etiam ex certa ſcientia factas vel faciendas non valere, nec habere roboris firmitatem, niſi in abſolutionibus, liberationibus & qaietationibus hujuſmodi pecuniarum & aliarum rerum receptarum & adminiſtratarum ſummæ & quantitates ac qualitates ſpecificatæ exiſterent, & particulariter declaratæ, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Verum, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit deferre: volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & alicujus Prælati ſeu perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ ſigillo munitis, ea prorſus fides indubia adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIV. *Februarii* MDXXV. *Pontificatus noſtri anno* II.

De. El. Ravenn.

Alii multis gratiis Pontifex Ordinem afficit.

XXVII. Alio hoc diplomate Pontifex conceſſit Patribus Regularis Obſervantiæ omnibuſque ſub eorum regimine viventibus, multa privilegia, præſertim quoad ſolutionem quartæ funeralis, & exemptionem ab Inquiſitoribus, communicatis etiam gratiis & privilegiis, quæ tam Mendicantibus, quam

quam non mendicantibus, ſtatui & profeſsioni Minorum non contrariis, hactenus fuerunt conceſſa, adjectis inſuper Regulæ a ſancto Franciſco præſcriptæ dignis encomiis, & approbatione.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dum fructus uberes, quos Ordo ſacer dilectorum filiorum Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ in agro militantis Eccleſiæ, enm propagatione religionis, ac defenſione & augmento fidei Catholicæ, ac ſalute Chriſtifidelium produxit hactenut, & in dies produeit, diligenter attendimus, dignum, quin potius debitum reputamus, nt ejus ſtatum proſperum & tranquillum omni diligeutia procearemus, illiuſque religioſas perſonas ſpiritualibus favoribus & gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod Nos motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, tenore præſentium omnia & ſingula privilegia, immunitates, exemptiones, præſertim non ſolvendi elericis ſecularibus quartam funeralium, quoad Fratres iu poſſeſſione non ſolvendi quartam hujuſmodi exiſtentes, ac omnia & ſiugula indulta, indulgentias, peccatorum remiſſiones & gratias dicto Miuorum, & ſanctæ Claræ, ac Tertio, de pœuitentia uuneupato, Ordinibus, illorumque Fratribus, Mouialibus, Sororibus, & ntriuſque ſexus perſonis, ac Mouaſteriis, domibus, Eccleſiis, ac loeis quibuſcumque, etiam per modum exteuſionis ſeu eommuuieatiouis, quomodolibet, per quoſcumque Romanos Pont.fices prædeceſſores noſtros, ac Nos & Sedem prædictam eoneeſſa, auctoritate Apoſtoliea, tenore præſentium approbamus & iunovamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtiuere & inviolabiliter obſervari debere; ipſoſque Fratres, Moniales, Sorores, perſonas, Monaſteria, domos, Eccleſias, & alia loca hujuſmodi, omnibus & ſingulis priviteglis, immunitatibus & exemptionibus, eoueeſſionibus, indultis, iudulgentiis, peccatorum remiſſionibus & gratiis, quibuſvis Congregationibus dictorum Ordinum, aliorumque Ordinum Mendicantium quomodolibet eoneeſſis & eoneedendis, necnon etiam quibuſvis facultatibus & gratiis ſuæ profeſſioni Regularis Obſervantiæ non contrariis, aliis Ordinibus quibuſcumque non Meudicantibus quomodolibet eoneeſſis & eoneedendis, uti, frui & gaudere poſſe atque debere in omnibus & per omnia, perinde, ac ſi eis ſpecialiter eoneeſſa fuiſſent: & eouſtitutiones in ultimo Capitulo Generali dicti Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ in provincia Burgenſi Regni Caſtellæ factas, plenum roboris firmitatem obtinere, & ab omnibus, quamdiu per aliud Capitulum Generale dicti Ordinis mutatæ non fuerint, inviolabiliter obſervari debere; neeuon Regulam ipſam per ſanctum Franciſcum pro Fratribus Ordinis Minorum ſtatutam, obſervabilem, meritoriam, fundatam ſuper ſacrum Evangelium exiſtere, & quoſcumque, cujuſcumque ſtatus, dignitatis aut conditionis, ſcribentes aut aſſerentes Regulam ipſam non meritoriam vel inobſervabilem, ſen ſacro Evangelio repuguantem eſſe, in hoc eorum aſſertionem hujuſmodi non eſſe tenendam, nec admittendam, auctoritate & tenore præmiſſis decernimus, ac volumus & mandamus; ipſoſque Fratres ab Iuquiſitoribus ſub excommunicatiouis ſententia, & officiorum ſuorum privatione inhibemus, ne de dictis Fratribus, etiam ratione criminis hæreſis, quoquomodo ſe intromittere præſumant: Sicque per quoſcumque tam ordinaria, quam delegata & mixta auctoritate fungentes judices & perſonas ubique judicari, eognoſci atque deeidi debere, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judieandi, eognoſeendi & deeidendi facultate, necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoqnam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, etiam decernimus.

In orig. ibidem.

mus. Et nihilominus venerabili fratri Archiepiſcopo Florentino, & dilecto filio Vicario noſtro in Urbe nunc & pro tempore exiſtentibus, committimus & mandamus, quatenus ipſi vel alter eorum per ſe vel alium ſeu alios auctoritate noſtra faciant præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque plenum effectum ſortiri, illiſque Monaſteria, domos, Fratres, Moniales, & Sorores ac perſonas Minorum, & ſanctæ Claræ, ac Tertii Ordinum prædictorum, & alios quoſcumque, quos quomodolibet concernunt, pacifice frui & gaudere; nec permittant quemque contra tenorem præſentium modo aliquo impediri, moleſtari aut inquietari. Contradictores quoslibet & rebelles, etiam per privationem quorumcumque beneficiorum ſuorum Eccleſiaſticorum, & inhabilitatis ad illa ac alia in poſterum obtinenda, ac quaſcumque de quibus eis videbitur, cenſuras & pœnas, ac alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſeculari. Non obſtantibus ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, etiam de una, & in Concilio generali de duabus dietis edita, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, & quavis firmitate alia roboratis; necnon privilegiis, indultis & litteris Apoſtolicis, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibuſvis irritativis, annullativis, reſtrictivis, revocativis, modificativis, præſervativis, receptivis, reſtitutivis, declarativis mentis, atteſtativis, & derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis quomodolibet etiam pluries conceſſis, reformatis & innovatis: Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut exquiſita forma ſervanda foret, & eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſit; illorum omnium, necnon quarumcumque etiam in forma Brevis litterarum occaſione præmiſſorum quomodolibet confectarum, & quorumcumque in eis contentorum, tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modos & formas ad id ſervandos pro individuo ſervatis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus: necnon omnibus illis, quæ in dictis conceſſum eſt non obſtare, contrariis quibuſcumque: Aut ſi aliquibus communiter vel divisim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, manu alicujus publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXX. *Maii* MDXXV. *Pontificatus noſtri anno* II.

Evangeliſta.

An. 1518. n. 30.

XXVIII. Diximus ſuperius, Cuſtodiam de Abrojo, ſive Tribuli in Hiſpania unitam fuiſſe provinciæ de Sanctoyo, ſub nomine *Conceptionis beatæ Mariæ* deinceps appellandæ, & unionem hanc auctoritate Apoſtolica fuiſſe confirmatam. Cum vero in Capitulo provinciali Palentino quidam prædictæ olim Cuſtodiæ unionem hanc diſcindere intentarent, earumque novas allegationes Franciſcus Generalis Miniſter mature diſcuſſas rejiceret, & ſuper rem hanc perpetuum indiceret ſilentium, Pontifex hoc diplomate omnia voluit confirmata. *Ad*

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 318.
1525.	an. 2. & 3.	anno 7.	

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Miniſter provincialis, & Fratres provinciæ Conceptionis Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, quod inter alia, quæ in Capitulo Generali Lugduni celebrato anno MDXVIII. *die* X. *Julii pro eorum Obſervantiæ Regularis augmento, & Religionis tranquillitate ac pace, per Miniſtrum Generalem tunc exiſtentem, & definitores ac vocales ordinata fuerunt, decretum & ſancitum fuit ex totius Capituli aſſenſu, quod de cetero futuris temporibus Cuſtodia,* del Abrojo *vulgariter nuncupata, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ uniretur provinciæ tunc de Sancloyo ejuſdem Ordinis & Obſervantiæ; ita quod ex eis unica conſtitueretur provincia, quæ provincia Conceptionis beatæ Mariæ de cetero appellaretur, prout in tabula prædicti Capituli Generalis plenius dicitur contineri. Et ut hujuſmodi unio ampliorem vim obtineret, dilectus filius noſter Chriſtophorus tituli ſanctæ Mariæ de Aracœli ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, in prædicto Capitulo Generali Apoſtolica auctoritate præſidens, præfatam unionis conſtitutionem, de conſenſu ejuſdem Capituli Generalis confirmavit & approbavit, & eam firmiter obſervari debere ſententialiter definivit atque mandavit, litteras patentes, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus, præfata auctoritate Apoſtolica deſuper dando; & quod felicis recordationis Leo Papa X. prædeceſſor noſter prædictam ordinationem & decretum, ac litteras deſuper emanatas auctoritate Apoſtolica confirmavit & approbavit, ſupplevitque omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem; & ea omnia, & litteras hujuſmodi, ac in eis contenta quæcumque pro potiori cautela de novo ſtatuit & ordinavit, ac per Fratres & Moniales provinciæ olim de Sancloyo, & Cuſtodiæ del Abrojo olim hujuſmodi pro tempore exiſtentes, inviolabiliter obſervari debere ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcepit & mandavit. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis pactis ſeu conventionibus inter provinciam & cuſtodiam hujuſmodi, ſeu earum Prælatos factis, & quibuſvis privilegiis, indultis, ac litteris Apoſtolicis, in genere vel in ſpecie forſan in contrarium ſub quibuſvis verborum formis & clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibus, & aliis decretis conceſſis, & in poſterum forſan concedendis: quibus omnibus, etſi ad illorum ſufficientem derogationem, de illis illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio habenda fuiſſet, pro ſufficienter expreſſis & inſertis habens, ſpecialiter & expreſſe derogavit, & derogatum eſſe voluit: Etiamſi dictæ Cuſtodiæ, ſeu aliis pro ea a Sede Apoſtolica, aut per ſtatuta Ordinis præfati ſit conceſſum poſſe erigi in provinciam, vel in poſterum concedatur, certis judicibus ſeu conſervatoribus deſuper deputatis: prout in ſuis litteris ſub data Romæ die* VII. *Auguſti* MDXV. *Pontificatus ſui anno* IX. *Et quatenus vigore dictæ ordinationis Capituli Generalis, & prædictarum litterarum Cardinalis, Cuſtodia præfata realiter & cum effectu prædictæ provinciæ fuit unita & incorporata, ac omnes Fratres & Moniales, Conventus, ſeu locorum hujuſmodi, Cuſtodiæ Miniſtro olim de Sancloyo, nunc autem Conceptionis beatæ Mariæ obedientiam præſtiterunt, omneſque Fratres & Moniales præfati in hujuſmodi unione pacifice permanſerunt. Cum autem, ſicuti eadem expoſitio ſubjungebat, nonnulli Fratres olim Cuſtodiæ præfatæ volentes ſapere pluſquam oportet*

Regeſt. Ulyſſipo. fol. 64.

ſapere, & a ſpiritu, ut creditur, ſcandali & diſſidii impulſi, ab obedientia, quam promiſerunt, retrocedere, in animarum ſuarum periculum, & ſcandalum plurimorum, procurare non deſiſtunt, ac in Capitulo provinciæ ejuſdem Palentinæ celebrato, dilecto filio Franciſco de Angelis tunc Commiſſario, nunc autem Generali Miniſtro novas allegationes expoſuerunt, quominus prædicta unio valeret. Quod idem Franciſcus mature diſcutiens, ſententiam definitivam adverſus prædictos Fratres olim de Cuſtodia, dictam unionem rite & canonice factam eſſe declarando, dedit. Et ſic per eoſdem Fratres nunc & pro tempore exiſtentes inviolabiliter obſervari debere voluit, ac deſuper perpetuum ſilentium impoſuit: prout in hujuſmodi ſententia ſub datum die videlicet 1. *Septembris* MDXXIV. *plenius dicitur contineri. Quare pro parte eorumdem Miniſtri & Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus unionem prædictam, ſententiam, & litteras deſuper confectas, de benignitate Apoſtolica confirmare diguaremur. Nos igitur, qui tranquillitatem Ordinis Fratrum prædictorum ſummis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tenore præſentium unionem prædictam, & conſtitutionem hujuſmodi in dicto Capitulo Generali Lugduni celebrato factam, & litteras deſuper editas, tam prædeceſſoris noſtri Leonis X. quam dicti Cardinalis, atque ſententiam per dictum Fratrem Franciſcum Miniſtrum Generalem, ac omnia & ſingula in dictis ſententia & litteris contenta, dummodo rite lata fuerit, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari debere decernimus atque mandamus: ſupplentes omnes & ſingulos defectus tam juris, quam facti, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Ac inſuper Fratribus & Monialibus dictæ olim Cuſtodiæ* del Abrojo *in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna præcipimus & mandamus, ne faturis perpetuis temporibus per ſe vel interpoſitam perſonam, directe nec indirecte, ab Apoſtolica Sede, ſeu quovis modo, vel in ſuis Capitulis tam Generalibus, quam Provincialibus ſeparationem dictæ Cuſtodiæ a prædicta provincia Conceptionis procurare vel procurari facere præſumant; ſed tamquam veri ſuæ profeſſionis filii, in ſincera fraternitate, quæ nullo certamine violari poterit, unanimes ſub obedientia & correctione Miniſtri Provincialis provinciæ Conceptionis nunc & pro tempore exiſtentis in perpetuum maneant & perſeverent: necnon irritum & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Et nihilominus univerſis & ſingulis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis prædictæ Palentinenſis diœceſis per præſentes mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios auctoritate noſtra faciant præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque plenum effectum ſortiri, illiſque prædictos Fratres provinciæ Conceptionis pacifice frui & gaudere, nec permittant quemcumque contra tenorem præſentium, modo aliquo moleſtari, impediri aut ingnietari. Contradictores quoslibet & rebelles, etiam per perpetuæ privationis quorumcumque officiorum, & inhabilitatem ad illa & alia in poſterum obtinenda, & ulias quaſcumque, & de quibus eis placuerit, cenſuras & pœnas, ac alia juris opportuna remedia, quavis appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri etiam de una, & in Concilio generali de duabus dietis edita, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, ſeu quavis alia firmitate roboratis, etiam privilegiis, indultis, & litteris Apoſtolicis per quoſ-*

Anno Christi 1525.	Clementis VII. an. 2. & 3.	Caroli V. Imp. anno 7.	Religionis Minorum anno 318.

quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos dictæ Cuſtodiæ forſitan conceſſis, & ex motu proprio, & certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & eum quibuſvis irritativis, annullativis, caſſativis, revocativis, modificativis, præſervativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficaciſſimis, & inſertis clauſulis, etiam pluries conceſſis, confirmatis & innovatis; quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis illorumque totis tenoribus ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut exquiſita forma ſervanda foret; etſi in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſit: illorum omnium & ſingulorum, etiam in forma Brevis litterarum, occaſione præmiſſorum, quomodolibet confectarum, ac omnium & ſingulorum in eis contentorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modos & formas ad id ſervandos pro individuo ſervatos habentes, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, ac omnibus illis, quibus in dictis litteris conceſſum eſt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, v. die Julii anno Domini MDXXV. *Pontificatus noſtri anno* II.

XXIX. Narravimus ante triennium Franciſcum Gallorum Regem Chriſtianiſſimum toto conatu procuraſſe reformationem domorum, quæ Conventualibus ſuberant, earumque translationem ad Obſervantes, & ad illius inſtitutionem deſtinatos duos viros religioſos Joannem Morlinum, & Alexandrum Roſſetti, qui Conventus provinciarum Aquitaniæ, & ſancti Ludovici ad diſciplinæ regularis rectam normam revocarent. Illi non ſegniter huic operi incumbentes, plures utrobique domos reformarunt, præſertim Narbonenſem, Biterrenſem, Montis-peſſulani, Limoſii, Nemauſii, & Lunelli in provincia ſancti Ludovici; ſed non ſine magna contradictione PP. Conventualium, alterniſque litibus, & variis appellationibus ad diverſos Judices. Pontifex autem ad preces Aloiſiæ Duciſſæ Angoliſmenſis, Regnum Franciæ pro Franciſco Rege, bellis externis occupato, regentis, & Margaritæ Duciſſæ Alenconii, ejuſdem Regis ſororis germanæ, cauſas omnes ad ſe advocavit, & tandem Conventus omnes per ſupradictos reformatores in poteſtatem Obſervantum redactos, eiſdem perpetuo adjudicavit. Omnia hæc clarius conſtabunt ex duabus litteris Apoſtolicis: *Exponi nobis feciſtis.* III. Novembris, & *Illius, cujus in pace.* III. Nonas Novembris. Quas ſub hunc annum dabimus in Regeſto.

An. 1521. *n.* 22. Reformatur Conventus multi in Gallia.

XXX. Iſtos invenio hujus anni Epiſcopos: Franciſcum de Scio Crotanenſem, ſive Croyaten in Sclavonia, ſub Arch. Spalatenſi, per obitum Pauli N. XII. ſive XVIII. Januarii. Antonium Saſcolinum Florentinum, Magiſtrum Generalem Ordinis Minorum Conventualium, de quo ſuo loco diximus, Epiſcopum Minervini in Calabria, ſub Arch. Barenſi, per obitum Martini de Falconibus, die XXI. Julii. Nicolaum de Valle, ſacræ Theologiæ Magiſtrum, Epiſcopum Madaurenſem in Africa, in Numidiæ Getuliæque confinio, ſuffraganeum Melitenſis, XI. Auguſti. Ludovicum Cambonum Terrazomenſem, ſub Patriarchatu Antiocheno, per obitum Theodorici etiam Minoritæ, de quo ſuperius dictum eſt, die IV. Decembris. Hoc anno vel ſequenti occiſum ab Eccleſiæ ſuæ Archidiacono Mauritium Doranum Epiſcopum Leghlinenſem in Hibernia Minoritam, virum probum, & facundum concionatorem, ſcribit Jacobus Wareus in Cathalogo Epiſcoporum Leghlinenſium. At in actis Conſiſtorialibus Ordinis dicitur Prædicatorum,

Franciſcus Epiſc. Crotanen.

Antonius Minerv. *An.* 1519. *n.* 6.

Nicol. Madaurен.

Ludov. Terrazomen.

An. 1517. *n.* 47.

Maurit. Leghlinen.

non Minorum, renunciatus Episcopus anno MDXXIV. die XIX. Januarii, cui suffectus est anno MDXXVII. die XI. Aprilis Matthæus Sanderus.

Conv. Aquævivæ.

XXXI. Hoc anno Antonius Donatus Aquævivus de Aragonia, Johiæ Comes, & Aquævivæ Dominus, obtinuit facultatem a Clemente Pontifice, ut usui Fratrum Minorum de Observantia deputaretur Ecclesia sanctæ Mariæ majoris extra muros dictæ Aquævivæ, diœcesis Barensis sita, quæ Monasterio sancti Angeli de Celiis Ordinis sancti Benedicti, dictæ diœcesis unita & incorporata erat, & prope illam Cœnobium ædificaret: *Sinceræ devotionis affectus*, die VII. Septembris. Ita fecisse, totamque structuram ei deberi testatur Gonzaga. Hujus etiam anni partum esse, ait Conventum Annunciationis beatæ Mariæ oppidi Burgentii (vulgo Brienza) Marsicanæ diœcesis in provincia Basilicatæ, de quo nihil amplius dicendum occurrit.

Gonz. in Provin. S. Nicolai Conv. 37.
Conv. Burgentii. *Idem in Provin. Basilic. Conv. 20.*

XXXII. De templo sancti Salvatoris de Unda de Urbe, sito prope Pontem Sixti, ædibusque contiguis, habitationi Procuratoris Generalis Minorum Conventualium destinatis, alias non semel loquuti sumus, narrantes quæ circa illa varii Pontifices decreverunt. Omnia hoc anno rata & firma voluit Clemens Pontifex, emissis litteris: *Officii nostri debitum*, die XII. Junii, quas damus in Regesto.

Hospitium S. Salvatoris Romæ.

Conv. Ferrarien. *Idem in Provin. Portug. Conv. 12.*

XXXIII. Comes Maralvarius, & Beatrix Menesia conjux hoc anno in pago Lusitanico Ferrerim, diœcesis Lamecensis, ex voto Conventum Observantibus, sub invocatione sancti Antonii construxerunt, sibique reservarunt jus sepulturæ in Sacello majori, injuncto posteris hoc onere in ultimis tabulis, ut Fratrum necessitatibus diligenter providerent. Plerumque hic student adolescentes Philosophiæ.

Conven. Villæ Franc. de Campo. *Idem in Provin. Algarb. Con. 29.*

XXXIV. Inter insulas Tertias maris Oceani, quas *Asiures* appellant, una vocatur sancti Michaelis, in qua urbs erat Villæ Francæ de Campo, quæ in profesto undecim millium Virginum anno MDXXII. præcedente ingenti terræmotu, prominenti vicino monte e suis sedibus evulso, tota sepulta fuit. Excidium hoc miserabile prædixerat publice ex rostris prius quidam pater Dominicus Alphonsus a Toleto, ad cujus vocem multi, relicta Civitate, ad interiora insulæ cum ipso se receperunt. Post ruinam regressi, novæ urbi prope veterem condendæ intenti, gratificandæ beatæ Mariæ Virgini ejusque patrocinio implorando, templum ædificari curavit Alphonsus sub invocatione Dominæ nostræ de Rosario: cui sub hunc annum cives Conventum adjunxerunt Fratrum Observantum. Ab illo anno compressæ urbis, singulis professis prædictarum Virginum nocte intempesta devota fit supplicatio Dei misericordiam invocantium, & ad sanguinem usque se flagellantium; atque ita urbem universam intus & extra piis precibus, effusoque cruore lustrare, & a malis satagunt expiare.

Conv. Mexicanus. *Gonz. in Provin. S. Evan. Conv. 1.*

XXXV. In Urbe Mexicana Ferdinandus Cortesius prope suas ædes, quæ pridem erant Imperatoris Motecuzumæ, templum domumque fabricari curavit Franciscanis, certatim suas opes & operas conferentibus urbanis & rusticanis, qui Prætoris exemplo, religiosorumque virtute allecti, brevi tempore opus consummarunt. Primum hoc fuit Christianorum templum in nova Hispania, ibique primam accepit sedem Sanctissimum Christi Corpus, digno conditum sacrario, auro gemmisque pretioso. Res mira I ad Dei veri conspectum, realemque præsentiam, inanium Deorum simulacra protinus obmutuerunt, & spectra evanuerunt: quod etiam per alias contigit Civitates, in quibus primi Doctrinæ christianæ magistri sua constituerunt domicilia. Istud autem Mexicanum sub invocatione sancti Francisci constitutum, magnificum habuit Sacellum testudineum, quod suis insignibus & sepulcro

cro decoravit Corteſius. Ab ingreſſu Sacelli longo tempore abſtinuerunt Indi, decipulam ſibi præparatam ſuſpicantes; primum enim illud ſtructuræ genus apud eos viſum eſt, mirabanturque qualiter tanta lapidum, & calcis moles in aere ſuſpenſa maneret, ac proinde timebant ſe illic comprimendos, ſi turmatim aut numeroſe ſub teſtudine coirent. Poſt aliquot annos, redacta ad hanc urbis partem univerſa ferme Hiſpanorum gente, ſtabilita illic curia & ſtrepitu forenſi, ſedem mutarunt Fratres ad aliam Indorum regionem, ut erudiendis, baptizandis, & in fide ſtabiliendis opportunius adeſſent, & familiarius cohabitantes facilius moribus & ritibus imbuerent Chriſtianis.

XXXVI. Diximus alias, Conventum Nivellæ, diœceſis Leodienſis, & Provinciæ Flandriæ, anno proxime præterito, ejectis Conventualibus, translatum fuiſſe ad Obſervantes. Ita factum eſt per populum & Parlamentum tumultuarie, & propterea conqueſti ſunt vehementer apud Pontificem Patres expulſi. At intercedentibus Margarita Caroli V. amita ipſoque Imperatore, decrevit hoc anno Pontifex, ut in Conventus pacifica poſſeſſione remanerent Obſervantes: *Exponi nobis nuper fecerunt.* die III. Auguſti. Ex hoc Clementis diplomate apparebit, domum hanc a ſuo exordio non fuiſſe conſtructam ſub titulo Conceptionis, uti habet Gonzaga, ſed ſub ſancti Franciſci invocatione. *Tom. 1. an. 1148. n. 24.* Conv. Nivellanus. *Gonz. in Provin. Fland. Conv. 6.*

XXXVII. Sub hoc tempus piæ quædam mulieres decem habitabant prope Eccleſiam Lateranenſem ſub diſciplina Marinæ a Cardenas, neptis (ſeu uti habet Franciſcus Bivarius, ſororis) Alphonſi a Cardenas Militiæ ſancti Jacobi, magni, & ultimi ex ipſo Ordine Magiſtri; quæ hoc anno communibus votis Religioni Conceptionis Virginis Mariæ ſe conſecrantes, ad Capitolini montis radices recluſorium ſibi formarunt, Marinæ potiſſimum impenſis, ſub titulo *ſanctæ Mariæ libera nos a pœnis Inferni*. Habitum & ſacrum velum acceperunt e manibus Franciſci Quiñonii Generalis Miniſtri, qui Marinam inſtituit Abbatiſſam. Conſpicitur adhuc eo in loco Eccleſia, ſub hoc titulo, ſed Moniales alio translatæ ſunt ad aerem ſalubriorem. Monaſt. Conceptionis Romanum. *Idem 1. par. pagin. 24. Bivar. de Concep. par. 1. §. ult.*

XXXVIII. Comes Centifontanus (Hiſpanice de Ciſuentes) Ferdinandus a Silva, pediſſequis & ancillis ſuæ conjugis pridem defunctæ Monaſterium Tertii Ordinis, ſub invocatione *Dominæ noſtræ de Bethlehem* conſtruere cœpit hoc anno intra oppidi mœnia, ubi præerat Eccleſiuncula ſanctæ Mariæ de fonte, facultate ſibi conceſſa a Clemente Pontifice. Primæ inſtructrices vocatæ ſunt ex Monaſterio ſancti Joannis de Pœnitentia Toletano, Mencia Alvarez prima Abbatiſſa, & Franciſca a ſancto Joanne. In arcem Principis honorifice receptæ, illinc fabricæ, & diſciplinæ normam præſcripſerunt, admiſſis interim ad ſuum conſortium quibuſdam virginibus, cum quibus completo ædificio, ſolemni ritu magnoque comitatu in domum ſuam anno MDXXVII. abierunt, Miniſtro Provinciæ Didaco de Ciſneros, & Guardiano Centifontano, Alphonſo de Ocaña, qui eas ad ſolemnem profeſſionem, & Ordinis diſciplinam admiſit. Prope domum hanc puellarum conſtruxit Collegium, ita rogante Eliſabetha germana ſorore, piiſſima heroina, quæ tertiam in domo ſua profitebatur Regulam ſancti Franciſci, & ſub obitum omnes ſuas eidem Collegio legavit facultates. Comes fundator pinguiores adjunxit reditus, obtenta a Paulo III. unione aliquorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, dum Oratorem ageret pro Carolo V. Imperatore. Reguntur hæ puellæ a tribus Monialibus. Una præeſt ſub nuncupatione Matris, ſecundæ eſt Magiſtra, tertia Oſtiaria. Ubi adoleſcunt, vel nubunt, vel fiunt Moniales prædicti Monaſterii, miniſtrante Collegio pro cujuſcumque Domus Sororum Centifontana. *Gonz. in provin. Caſtel. Mon. 21. Salaz. lib. 6. c. 20.* Collegium puellarum Centifontanum.

que qualitate neceſſaria. Interim communem habent cum Monialibus Eccleſiam, & ſacrorum miniſtros; choros tamen habent diſtinctos. Religioſiſſime vivunt hæ Sorores, & domus neceſſariis quibuſque rebus abundat.

Privilegia Pontificia.

XXXIX. Binis litteris Clemens Pontifex alias totidem ſui prædeceſſoris, & patrui Leonis X. ſanctiones contra eos, qui ſub variis coloribus, extortiſque licentiis & facultatibus, etiam Pontificiis, extra clauſtra vagabantur, ſub hujus anni exordia, uti jam diximus, confirmavit, declaravitque ſuam Leoniſque mentem eſſe, ne Religioſis ulla ſuffragarentur indulta Apoſtolica, niſi Superiorum accederet conſenſus: *Dudum ſel. rec. Leoni*, die XI. Martii, & *Dudum per ſel. record. Leonem.* die XII. Martii. Ut omnem diſcurrendi præcluderet Fratribus occaſionem hoc anno Jubilæi, indulſit, ut in domibus ſuis indulgentiam plenariam, & peccatorum remiſſionem conſequi poſſent Fratres, & Sorores omnes Miniſtro Generali ſubjectæ, dummodo triceſies, ad quatuor orarent Altaria infra dies triginta; facultatemque conceſſit ad Superioris arbitrium eligendi Confeſſarium, qui ab omnibus etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis abſolveret peccatis. Teſtimonium authenticum hujus Indulti ad omnes miſit Provincias Bernardinus de Salzedo, Ordinis Procurator in Curia Romana. Frater Hieronymus de Valentia provinciæ Januenſis, regreſſus hoc anno Hieroſolymis die primo Octobris, ſimul cum Hilarione Sacchetto, Commiſſario Generali Ciſmontano, acceſſit ad pedes Clementis, multaque ab eo obtinuit privilegia pro locis & Fratribus Terræ ſanctæ; quæ ne lectori tædium pariant, hic referre ſuperſedeo. Recenſentur in Regeſto Ciſmontano Procuratoris Curiæ.

ARGUMENTUM.

Publica indicitur diſputatio cum Luthero, aliiſque Sectariis, in qua egregie ſe geſſit frater Thomas Murnerus. Urbe Gedanenſi in Pruſſia pellunt Lutherani Minoritas. Patres Dominicani apud Mexicum fraterne & peramanter recipiuntur a Franciſcanis; biſque alii accedunt auxiliares. Quiñonius, luſtratis multis Provinciis, Aſſiſii cogit Congregationem Generalem, & officio renunciat, ſed inſtant Patres, ut proſequatur. Deindo a Pontifice mittitur de pace acturus cum Carolo Imperatore. Ingens a Turcis illata clades Ludovico Regi Hungariæ, cujus culpa immerito refunditur in Tomoræum Minoritam. Moriuntur Franciſcus a Cartocceto, aliique viri pii. Inſtituuntur Epiſcopi. Accreſcunt Cœnobia.

Mire ſe diffundit per Germaniam hæreſis Lutherana.

I. PESTIS illa mortifera tot errorum a Luthero, Zuinglio, aliiſque Sectariis excogitatorum, ſe longe lateque per Germaniam, & propinquas regiones diffundebat; etſi Clemens Pontifex, Carolus Imperator, Ferdinandus frater, plerique Principes Germani, quos hæreſis non infecit, reſtinguendæ & extinguendæ omnem poſuerint operam. Clemens litteris Apoſtolicis, ſacris monitis & cenſuris, miſſiſque legatis; Imperator ſeveris legibus, Principes armis reſtiterunt: ſed apud corruptum dementatumque populum tantum prævaluit licentia vitæ, libertas conſcientiæ, & ſacrorum rapina, ut nullo modo coerceri poſſet, neque ad veritatis ſemitas reduci. Habebat impios magiſtros, qui per errorem devia ducebant, dicentes; penes ſe doctrinam reflorere Evangelicam, penes Papiſtas ſuperſtitionum pullulaſſe mala germina; omniumque contraverſiarum judicium ad nudam litteram reducebant Evangelii, nihil admittentes firmum aut ſanum, quod ver-

verbo Dei ſcripto non contineretur. Huc itaque omnes a ſe diſſidentes provocabant, avidenterque diſputationes publicas obibant, ſed aliquando declinabant, ubi viri doctrina præcellentes erant congreſſuri.

II. Præcipua factionum capita, errorumque Doctores, & miſellæ plebis ſeductores fuerunt Martinus Lutherus, Ulricus Zuinglius, & Joannes Oecolampadius; & quidem duo poſtremi religioſam & Catholicam gentem Helveticorum, ex parte jam perverterant, & non mediocre in religione diſſidium per novam Lutheri doctrinam ſuſcitaverant. Ut igitur diſſenſio turbatioque illa tolleretur, communi duodecim Cantonum, ſic vocant diſtincta dominia confœderatæ gentis, conſenſu, inſtituta eſt diſputatio percelebris, hoc anno in Baden. Helvetiorum oppido, inter Catholicos & Lutheranos: ad quam vocati ſunt e Catholicis præclari viri, Joannes Faber Conſiliarius Principis Ferdinandi, qui jam pridem grande contra Lutheri errores volumen ediderat: Joannes Eckius, qui ante ſeptem annos, cum ipſo Luthero Lipſiæ cum laude omnium publice diſputaverat; & Thomas Murnerus Minorita, quem ſuperius in hoc genere commendavimus. Hi tres præcipue parati erant ad diſputandum adverſus Zuinglium, & Oecolampadium. Quid actum ſit, & quouſque progreſſa ſit diſputatio, his verbis narrat Joannes Cochlæus diligentiſſimus rerum geſtorumque Lutheri hiſtoricus, quippe qui publice cum illo congreſſus ſit, qui facta & dicta ejus oculatiſſime obſervabat, qui multa in eum ſcripſit, & mendacia illius confutavit.

Apud Helvetios turbatur religio. *Cochl. de act. Lutheri an. 1526.*

Apud Baden. de illa diſputator.

An. 1510. n. 1.

III. *Ad hanc* (inquit) *diſputationem ſuos miſerunt oratores quatuor vicini Epiſcopi, ad quorum Diœceſes gens Helvetiorum pertinet. Epiſcopus namque Conſtantienſis Hugo miſit claros viros D. Melchiorem ſuum ſuffraganeum, eximium Theologum, D. Othmarum Luſcinium, virum diſertiſſimum, P. Antonium Pyratam, Concionatorem majoris Eccleſiæ facundiſſimum, & quoſdam alios Prælatos & Parochos, non incelebres viros. Baſilienſis vero Epiſcopus Chriſtopharus, miſit D. Auguſtinum Marium, ſuffraganeum Friſingenſem, D. Jacobum Lemp, Ordinarium Theologiæ in Academia Tubingenſi, & aliquot alios doctos viros. Epiſcopus Lauſanenſis Sebaſtianus, miſit D. Conradum Tregarium Provincialem Auguſtinianorum, & Ludovicum Loblium Decanum Bernenſem. Epiſcopus denique Curienſis, miſit D. Petrum Speiſerum, cum aliquot Canonicis Curienſibus. Aderat præterea magna eruditorum hominum frequentia. Ceterum Zuinglius, rejecta omni fide publica, ſalvoque conductu, qui ei multifariam offerebatur, nullo pacto ad eam diſputationem venire voluit. At D. Eckius multis diebus, ſub Notariorum exceptione diſputavit, nunc cum Oecolampadio, nunc cum Jacobo Imeli, nunc cum Berchtoldo Hallero, atque etiam cum Ulricco Studerio, tum de aliis rebus religionis noſtræ, tum præcipue de venerabili Sacramento Euchariſtiæ. Quanto autem illis omnibus ſuperior ſolidiorque fuerit D. Eckius, publico declaratum fuit Helvetiorum decreto. In quo Catholicorum obſervationes, Eckiique propoſitiones comprobatæ, atque plenæ ſeveritatis edicto confirmatæ fuerunt. Quarum ſane iſte fuit tenor.*

1 *Verum Chriſti Corpus, ejuſque Sanguis, præſentia ſunt in Sacramento Altaris.*

2 *Quæ & vere offeruntur in officio Miſſæ pro vivis & defunctis.*

3 *Virgo Maria, aliique Cœlicolæ, invocandi ſunt ut interceſſores.*

4 *Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Sanctorum Imagines delendæ non ſunt.*

5 *Poſt hanc vitam Purgatorius eſt ignis.*

6 *Puc-*

6 *Pueri etiam Chriſtianorum in peccato originali naſcuntur.*

7 *Baptiſmus Chriſti, non Joannis, tollit originale peccaeum.*

His ergo conformis facta eſt publici decreti ſententia, qua & Lutheri doctrina, velut perverſa, multiſque judiciis ſolemniter condemnata, per Leonem Papam X. per Carolum Auguſtum V. per præclaras Univerſitates, Pariſienſem, Lovanienſem, Colonienſem &c. Helvetiorum plebibus interdicta eſt, & antiqua Catholicæ Fidei obſervatio approbata atque præcepta: ne quid temere immutaretur de ſacra Miſſa, de Sacramentorum adminiſtratione, de ſacris ritibus cæremoniarum, jejuniorum, orationum, confeſſionum, feriarum, oblationum, invocationum, exequiarumque pro defunctis. Ut igitur hæc omnia firmius tenerentur, additum fuit in fine decreti, certos conſtitui Advigilatores, qui una cum Magiſtratibus, & Officialibus publicis diligenter huic cauſæ invigilent, ac prævaricatores denuncient, cujuſcumque ſtatus fuerint, ut juxta demerita ſua puniantur. Adeo ſane, ut reus in uno Cantone, ab omnibus aliis Cantonibus reus itidem extorriſque habeatur, nec uſpiam liceat profugis evadere pœnas.

D. Joannes Faber, cum per abſentiam & contumaciam Zuinglii, diſputare cum eo non poſſet verbis, ſcriptis protulit multa, quæ illi objecturus fuerat, ſi comparuiſſet. Ingentem enim antilogiarum illius numerum coacervavit in volumen unum, quibus ille fœdiſſime & ſibi ipſi contradixit, & ſuam Lutheriique doctrinam deſtruxit. Sed nimis longum foret omnia commemorare, quæ vir ille doctiſſimus, multijugæque lectionis, & inexhauſti laboris, ex libris Zuinglii recitavit atque redarguit, partim tamquam ſibi ipſis contraria, partim tamquam Fidei Catholicæ adverſa, & ſecundum ſe impia, abſurda, & a vero aliena. Recenſuit item ſupra CL. *mendacia ex ſcriptis Oecolampadii, quibus ille populum fallaciter decipiebat, aſſerens, antiquos Doctores Eccleſiæ itidem ſenſiſſe de Euchariſtiæ Sacramento, quod ipſe ſentiebat. Contra quem & piiſſimus atque doctiſſimus vir, Joannes Fyſtherus, Epiſcopus Roffenſis in Anglia, quinque egregios ſcripſit libros, errores & mendacia illius exacte reprobans. At Thomas Murnerus, qui Lucernæ iis temporibus verbum Dei catholice prædicabat, longe atrociſſime in Zuinglium eſt invectus; quem multiplicieter per quadraginta concluſiones infamem, propter ſcelera & ſacrilegia commiſſa declaravit: e quibus unam, quæ in ordine ſeptima eſt, hic exempli gratia recitaſſe ſatis fuerit, licet brevitatis ratione, ne ipſa quidem tota recitabitur. Ait igitur Murnerus.* Famoſus eſt, qui cenſus & reditus cultui Divino ex piis cauſis deputatos, in prophanos uſus temerabit commutare, & cum alterius detrimento ac injuria, alium facere locupletiorem, conarique plus juris in alium transferre, quam habuit ipſe. *Hanc concluſionem probat ex legibus multis, tum Conſtantini Magni, tum Juſtiniani Auguſti: & addit, quod annui reditus inter immobilia bona computantur l. Jubemus, c. de ſacroſanctis Eccleſiis.* Quæ neque alienari, neque auferri debent: qui autem hoc fecerit puniri debet, non ſolum faciens, ſed & Oeconomus Eccleſiæ & Scriba, qui ejuſmodi contractum ſcribit, & Judex hoc admittens, ea l. §. *Oeconomus.* Auditis iſta vos Eccleſiarum fures? Ideo nihil vobis aliud expectandum reſtat, quam ut calceis exutis ad patibulum proficiſcamini, *& infra.* Hinc primo conſequitur, infamem eſſe quemlibet, qui Eccleſiis & Religioſis ſuas per vim aufert hypothecas, & ab illis eos vi depellit & injuria *l. Prætor ait, §. Ne quid, ff. de vi, & vi armata, lege Julia publicorum judiciorum plectendum.* Conſequitur ſecundo, dupliciter infamem eſſe, duplicemque furem, qui cum retentis hypothecis, etiam capitalia detinet bona. Conſequitur tertio, hunc

Fr. Thom. Murnerus in Zuinglium invehitur.

hunc tripliciter esse famosum, qui ultra hypothecas, & capitalia bona, etiam eorumdem litteras & sigilla furatur, *l. non interest, ff. ad leg. Jul. de vi privata*. Consequitur, quatrupliciter infamem esse, qui ultra hæc tria, homines vi cogit sibi census & reditus afferre, cui ne obolum quidem debeant, *l. Julia, ff. ad legem Julian. peculatus*. O vos (*inquit*) tam multipliciter infames, Evangelici nequam, criminosi, ac scandalosi Ecclesiarum fures, quibus ejusmodi cum veritate objiciuntur. O quæ scandala, quas infamias, pio natali solo nostro irrogatis, vestrisque parentibus in terra sepultis! Pertingant obsecro hæc lamenta in Thronum Divinæ Majestatis, ad vestras tamdem injurias ulciscendas. *Hæc & id genus plurima Murnerus, quæ referre longum foret*.

IV. In Prussiam irruperat jam hæresis Lutherana, magnamque corruperat partem urbis Gedanensis, quæ in tantam prorupit amentiam, ut omnia susque deque agerentur, sacræ diriperentur ædes, Divina polluerentur, Sacerdotes & Monachi pellerentur; sed in Dominicanos & Franciscanos potissimum sævitum est, quod hi præ aliis constanter se opposuerint Joanni Saliceto, aliisque tot malorum auctoribus. At paulo post in urbem adveniens Sigismundus Poloniæ Rex, sumpto de sontibus supplicio, pacificata urbe, damnisque utcumque resarcitis, Religiosos ad sua ministeria revocavit.

Cadan. lib. 7. Chron. MSS. Polon. In Prussia magna pernicies hæresis.

V. Dum hæc hisque similia inaudita barbarie, & insanientis populi effræni libidine, non solum in Germania, verum etiam in vicinis regionibus, magna populorum seditione & pernicie, in odium & depressionem Fidei Catholicæ, stupente & ingemiscente universa Europa, patrantur; vastissimas novi Orbis provincias suæ fidei recipiendæ & propagandæ aperuit Dominus; iisque veritatis lumen, apud istos tanta feritate compressum, miris prosperisque incrementis expandit. Tanti operis idonei ministri missi sunt ex Hispania hoc anno Patres Dominicani duodecim, præfecto Dominico de Besanzos, viro æque pio & prudenti. Franciscanos tredecim ante biennium in idipsum munus diximus amandatos. Atqui in horum ædibus in urbe Mexicana post varios casus, immensique itineris discrimina, fraterna caritate Patres Dominicani recepti, mensibus tribus constiterunt, donec propriam domum acceperunt. Apud eosdem Franciscanos tunc etiam Ferdinandus Cortesius novi illius Orbis domitor, reversus a molesta & periculosa expeditione provinciæ Hybueranæ, habitabat, ibique novos instituit Mexicani imperii administros; ubi etiam convenerunt Cortesius, & Ludovicus Poncius, in quem postridie Cortesius imperium transtulit, ita jubente Carolo V. qui Ludovicum instituit, misitque disquisitorem & judicem, ut res Mexicanas firmius stabiliret, & contra Cortesii regimen indigne objecta discuteret. Nihil ferme tunc ponderosum magnique momenti fiebat, quod apud Franciscanos, & coram Martino Valentino illorum præfecto, Apostolico Vicario, omniumque veluti parente & patrono, non terminaretur. Accesserunt hoc anno ejusdem Instituti viri sex, in subsidium missi, præside fratre Joanne a Cruce, viro docto & religioso. Inter hos magno fuit adjutorio rebus Indicis melius habendis Joannes Suarez Guardianus Guaxalzingi, sive Guaxocingi (pagus est longe amœnissimus, fœcundissimus, & populosissimus novæ Hispaniæ, provinciæ sive districtus Tlascalensis ad radicem Montis Popocatepeci, cujus vertex ad Æthnæ similitudinem, jugiter fumat) qui Carolo & Consilio supremo Indico, in quo statu illæ versarentur, integre & sincere exposuit, & quibusdam male constitutis remedium adhiberi, Indos a gravi servitute liberari, atque adolescentes nobiles Indos,

Dominicani mittuntur in novum orbem. *Herrer. dec. 3. l. 9. c. 7. & 8. Fernand. histor. Eccl. l. 1. c. 18.*

Quanta Martini Valentini auctoritas apud Mexicanos. *Herrer. l. 10. c. 7.* Ad eum mittuntur sex confodales.

Joannes a Cruce.

Joannes Suarez. *Lact. in America libr. c. 16.* Canw Guaxocingi.

Anno Christi 1526.	Clementis VII. an. 3. & 4.	Caroli V. Imp. anno 8.	Religionis Minorum anno 319.

quos in Hiſpaniam duxit, & incolumes reduxit, bene haberi, pretioſis indui veſtibus, & honoribus ſoveri, prudenter obtinuit. Atque ipſi data a Carolo pecuniarum ſubſidia copioſa, quibus ſuo Cœnobio paramenta Eccleſiaſtica, & cultui Divino neceſſaria compararet. Secundum hunc invenio Minoritarum Conventum in nova Hiſpania; a Gonzaga tamen in provincia ſancti Evangelii, quæ regionem illam complectitur, vel penitus omiſſum, vel extra ordinem, aut ſub alio nomine recenſitum.

Herr. cap. 9.

VI. Præter hæc a Carolo Rege conſtitutum fuit, ut claſſes omnes Indicæ, novas terras exploraturæ, religioſos adveherent vitæ & doctrinæ a ſuis ſuperioribus probatæ, qui Chriſtianam fidem in novis plantarent Coloniis: factumque ſummopere Fratribus ſanctæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, quorum nonnulli ab expeditionis Indicæ primordiis transfretarunt, & hoc anno duodecim reſtitutæ diſciplinæ ſive obſervantiæ, ſub conductu Franciſci de Bovadilla ex Comitiis Generalibus Burgenſibus, ſumptibus a Carolo conceſsis, tranſmiſsi, data poteſtate, ut quotquot laxioris vitæ ad illas regiones præceſſerant, in ordinem redigerentur. Ut vero Inſularum Indicarum indigenæ in libertatem reſtituerentur, ad civilem convictum, artiumque civicarum diſciplinam, fidemque Chriſtianam facilius & commodius attraherentur, injunctum eſt Prædicatoribus & Minoritis, ut ſolerter invigilarent, eoſque legum a ſe circa iſta latarum conſtituit exequutores Imperator. Quæ autem ad incolas inſularum Hiſpaniolæ & Fernandinæ ſpectabant, fidei & prudentiæ commiſit fratris Petri Mexiæ de Trillo Miniſtri Franciſcanorum provinciæ, uti ſuperius diximus, ſanctæ Crucis ex inſulis compactæ. Mox circa plurima, quæ concernebant horum regimen, & ſecuritatem inſulæ Fernandinæ, ubi ob frequentes Indorum tumultus, res non erant adeo tutæ, ad eumdem Provincialem, & Gondiſalvum de Guzman inſulæ Gubernatorem variæ datæ ſunt inſtructiones, eorum arbitrio rebus integre commiſsis.

Patres Mercenarii in Indiam navigant.

Idem cap. 10.

An. 1520. n. 23. & 1524. n. 14.

Reg. gener. Ciſm. fol. 59. & ſeqq.

VII. Franciſcus Quiñonius Miniſter Generalis hoc anno proſecutus eſt viſitationem provinciarum Italiæ, quarum plurimas anno præterito diximus perluſtraſſe. Die XXVII. Januarii Bergomi celebravit comitia proviuciæ Brixienſis; die X. Februarii Mediolani capitulum provinciæ Mediolanenſis; VI. die Aprilis Senis in Conventu ſancti Bernardini comitia provinciæ Tuſciæ Senenſis; die XII. ejuſdem menſis, Florentiæ in Cœnobio ſanctæ Mariæ de Angelis, capitulum provinciæ ſancti Petri in Monte Aureo, quæ olim erat Amadeitarum; die XV. in eadem urbe in Conventu ſancti Salvatoris, capitulum provinciæ Tuſciæ Florentinæ: diximus enim provinciam Etruriæ ſive Tuſciæ, in duas fuiſſe diviſam. Et quidem in ſingulis iſtis capitulis multa utiliter & prudenter conſtituit, nihil eorum prætermittens, quæ ad diſciplinam regularem, & ad morum reformationem quoquo modo poterant ſpectare. Circa regimen, recollectionem, locutoria Monialium, & acceſſus ad earum Monaſteria, leges tulit rigoroſas; circa Fratrum diſcurſus, habitus formam & pretium, circa cinguli ſeu cordæ curioſitatem & materiam, circa paupertatis limites & excellentiam, Minoribus tantopere commendatam, circa moderandas domorum ſtructuras, & alia hujuſmodi, ubi res ita expoſcebant, opportunas ubique edidit conſtitutiones.

Quiñonius perluſt. et Italiæ provincias.

VIII. Proceſsit deinde ad celebrationem Congregationis Generalis in Conventu ſanctæ Mariæ Angelorum in campo ſuburbano Aſſiſiate; præmiſſiſque neceſſariis præludiis, die XXVI. Maii, ſub feſtum Pentecoſtes, ventum eſt ad electionem Definitorum Generalium, uti inolevit conſuetudo, ſenos ex unaquaque familia aſſumendi. Omnium nomina ſubjicio.

Congregatio Gener. Obſerv. Aſſiſi.

Ex

Ex Cismontana. Angelus de Porris provinciæ Mediolanensis Minister . . . . . provinciæ sancti Francisci Minister. Paulus a Parma provinciæ Bononiensis Custos. Franciscus de Frangipanibus provinciæ Romanæ Minister. Benedictus . . . . . provinciæ Marchiæ Minister. Andreas de Alamannis Florentinus, hactenus Curiæ Commissarius.

Ex Ultramontana. Matthias Antuerpiensis provinciæ Coloniæ Minister. Franciscus Meroht provinciæ Flandriæ Minister. Franciscus de Ulyssipone provinciæ Portugalliæ Minister . . . . . de Costa provinciæ sancti Ludovici Custos. Antonius de Olabe provinciæ Burgensis Custus. Guillelmus Jernigon provinciæ Britanniæ Minister.

IX. His peractis, in Aulæ medium prodiit Quiñonius Minister Generalis, & genuflexus ad omnes capitulares inquit: *Flecto genua mea coram Deo, Patre Domini nostri Jesu Christi, & coram vobis Patres conscripti; ut humiliter & sincere confitear me tanto imparem oneri, sub quo ingemisco; & culparum, quas in hoc ministerio commisi plurimas, veniam exorem. Deinde ne longiori mora conscientiæ remorsum producam, officium hoc in vobis supremum, quod invitus, ati nollit, suscepi, sponte depono, ac quibus possum precibus, suppliciter deprecor, ut huic meæ renunciationi subscribatis, & ad electionem alterius Ministri Generalis procedatis, licet tres adhuc superfint anni mei Ministerii, quibus libentissime volo interdictum.* His dictis, e conclavi recessit, ut liberius Patres suffragia conferrent. Atqui unum omnium fuit votum, non esse exaudiendum, sed rogandum, imo, si oporteret, cogendum, ut quod cum laude hactenus gessit, ad præfixum usque sexennii terminum prosequeretur officium. Revocatus itaque in medium, quod apud se illi constituerunt, Definitorii Præses exposuit, eumque suæ Sedi restituit.

Abdicat se officio.

Sed non admittitur abdicatio.

X. Itum est deinde ad electionem Commissarii Generalis familiæ Cismontanæ, omniumque suffragiis cooptatus est Paulus Parmensis supradictus, quem mox Quiñonius in collato confirmavit officio. Mox instituti Procurator Generalis Ordinis Bernardinus a Soria provinciæ Burgensis, & Commissarius Curiæ Hieronymus de Valentia provinciæ Genuensis, de quo sub finem anni præcedentis fumus locuti. Multa graviter & laudabiliter sunt in his Comitiis decreta, præsertim circa coercendam nimiam facilitatem leges condendi, & statuta multiplicandi, quibus cupiebant Patres imponi modum & finem; circa eliminanda universa, quæ paupertati in Regula præscriptæ, videbantur adversa; circa ritus Ecclesiasticos, & Divini cultus officium, & maxime circa sufficientiam & maturam ætatem admittendorum pro confessionibus secularium excipiendis. Demum circa utramque provinciam Tuscanam decretum est, ut Senensis absolute nuncuparetur provincia *Tusciæ*, altera *Tusciæ Florentinæ*; istamque illa præcederet. His insuper duabus in eadem ferme regione provinciis tertia adjuncta est *Lucensis*, sub titulo *sanctæ Crucis*, ex tribus postrema, cui adscripti sunt isti Conventus, Lucensis, sancti Cerbonii, Petræ sanctæ, Massæ Marchionis, Bargæ, Castrinovi, Fivizani, Villæ Francæ. Hic tamdem imponi finem divisioni provinciarum rigorose præceptum est, statuta pœna, inviolabiliter observanda in divisionis procuratores, ne scilicet per annos triginta quispiam illorum eligi possit in Ministrum illius provinciæ, pro cujus divisione, aut nova erectione laboraverat, sed ab illa protinus expellatur. Satis enim experientia compertum erat, hujusmodi desiderari separationes, ut facilius quas in conjuncta non poterant, in divisa impetrarent dignitates. Recte hic, etsi alibi dictum: *Divide & impera*.

Commissarius Generalis Paulus Parmensis.

Erigitur Provincia Lucensis.

Anno Christi 1526.	Clementis VII. an. 3. & 4.	Caroli V. Imp. anno 8.	Religionis Minorum anno 319.

Commiſſarii nationales.

XI. Res nova & parum conſona celebri Leonis X. conſtituto, quod *Unionis* vocant, in hac congregatione fuit ordinata; ne ſcilicet deinceps inſtitueretur Commiſſarius Generalis ſuper univerſas nationes familiæ Ultramontanæ, etiamſi Miniſter Generalis eſſet ex familia Cismontana, aut ex Ultramontana ad eamdem tranſiret, ſed unaquæque natio peculiarem ſibi eligeret Commiſſarium. Tres præcipue in hæc convenerunt nationes, ſed circa poteſtatis committendæ modum diſcreparunt. Gallica voluit, quod ſuus Commiſſarius non haberet auctoritatem ſuper aliquam provinciam aut perſonam, vel circa negotia quæcumque, niſi quando a Provincia vocaretur ſive interpellaretur; & tunc circa illud dumtaxat, ad quod fuerat vocatus, plenitudinem haberet poteſtatis. Hiſpana undecim cautelis ita ſui Commiſſarii limitavit poteſtatem, ut parva aut nulla videretur illi ſupereſſe. Germanica ſuo Commiſſario omnem abſque ulla limitatione tribuit auctoritatem. Prima ſibi elegit Arnoldum de ſancto Felice, Miniſtrum provinciæ Aquitaniæ: Secunda Dimam-Terræ, Cuſtodem provinciæ Aragoniæ: Tertia Matthiam Antuerpienſem, quos Miniſter Generalis confirmavit. Aliud etiam contra Bullam Leoninam fuit decretum; ne ſcilicet in poſterum Congregatio Generalis intermedia ab utraque fieret familia, ſed votis illius tantum familiæ, cui poſt triennium ab electo Miniſtro Generali tribuendus erat Commiſſarius Generalis juxta Leonis conſtitutionem, eligeretur. Poſtremo multæ factæ ſunt conſtitutiones pro bono regimine Studii & Conventus Pariſienſis, ſuper quem inſtitutus eſt Commiſſarius Gabriel Maria Miniſter provinciæ ſancti Ludovici, de quo toties ſuperius locuti ſumus, deſignatis etiam Guardiano, duobus Vicariis, Procuratore Conventus, & juvenum magiſtro.

XII. Lecta ſunt aliquot Brevia Apoſtolica. In primo ſubjiciebat Pontifex Miniſtro Generali Fratres omnes Indicos tam degentes in Inſulis, quam in continenti novæ Hiſpaniæ, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis & exemptionibus a Sede Apoſtolica, præſertim ab Adriano Sexto impetratis. In ſecundo concedebat indulgentiam & abſolutionem plenariam ſub certa forma & conditionibus, Miniſtri Generalis ſubditis ſexus utriuſque. In tertio confirmabat omnia in Capitulo decernenda per ſuffragiorum partem majorem. In quarto auctoritatem tribuebat Fratribus abſolvendi, & admittendi recedentes ab hæreſi Lutherana. In quinto communicabat Syndicis Ordinis, eorumque uxoribus & filiis indulgentias omnes Fratribus & Sororibus conceſſas. Lecta ſunt inſuper officia ſancti Bernardini, Compaſſionis beatæ Virginis, & legenda ſeptem Martyrum Septenſium, quæ poſt aliqualem diſcuſſionem fuerunt ab omnibus approbata. Terminata tandem Congregatione Generali, celebratum eſt in eodem Cœnobio Capitulum provinciæ ſancti Franciſci, editæque aliquot Conſtitutiones, maxime circa Monaſteria, clauſuram, & conſeſſores Tertii Ordinis Sororum.

Cæſariani Pontificem infeſtant.

XIII. Aſſiſio Romam profectus Miniſter Generalis, invenit omnia turbida, maximis exortis diſcordiis inter Cæſarianos, & Pontificem Clementem, qui fœdus contra Imperatorem ioierat cum Gallo, Veneto, Inſubre, & Florentinis. Timebant enim omnes Cæſaris potentiam, auctaſque vires & ditiones in Italia poſt devictum & captum Franciſcum Regem anno præterito in celebri illa pugna Ticinenſi. Ut Pontificem a fœdere retraherent, & Columnenſes primarios Romanos, Cæſarianæ partis ſtudioſos, quos Pontifex bello vexabat, adjuvarent, magnis copiis fines Pontificios prætergreſſi Cæſariani, Duce Hugone Moncada, urbem invadunt, & regionem Tranſtyberinam, urbem Leoninam, ac Vaticanum abſque magna difficultate oppu-

oppugnantes, Pontificem ad Arcis ſancti Angeli munimentum redegerunt. Pactæ deinde induciæ menſium quatuor inter Pontificem, & Cæſarianos, aliorum duorum menſium ad eas renunciandas ſpatio, & totidem aliis fœderatis ad eas comprobandas, conceſſo.

XIV. Ante hanc graviſſimam compreſſionem, alias, uti contendebat, perpeſſus Clemens injurias, XXVI. Junii epiſtolam acerbam, & querelis contra Miniſtros plenam, ad Cæſarem miſerat, qua ſe ad bellum contra ipſum gerendum coactum fuiſſe excuſabat. Cumque ei poſtquam miſſa fuerat, nimis acerba videretur, ſtatim de mittenda alia mitiori cogitavit. Idoneum, cui pacandi & reconciliandi Cæſaris provinciam committeret, judicavit Quiñonium Generalem Miniſtrum, a generis nobilitate, dexteritate in agendo, & morum probitate commendatiſſimum, paulo antea in Urbem reverſum. Huic ergo pacatiorem epiſtolam, & mitiorem commiſit inſtructionem communicandam Balthaſari Caſtillioneo Internuncio ſuo, cui ut priores litteras apud ſe retineret, reſcripſerat. At illæ jam traditæ Cæſari fuerunt antequam Quiñonius adveniret; nihilominus judicatum eſt expedire, ut poſteriores etiam traderentur. Cæſar vero, quamvis eodem ferme tempore, utrique ſeparatim, acerbis cum acerbitate, & mitioribus mitius reſpondit. Illas voluit per Internuncium mitti, & cum iſtis Quiñonium Romam remiſit. Ille ad Pontificem reverſus, multa de Cæſaris egregia voluntate erga eumdem ſibi reconciliandum, & de ardenti pacis ſtudio ſignificavit, eumque æquis legibus cum fœderis ſociis, Galliarum Rege circa reſtitutionem filiorum, cum Franciſco Sfortia circa res Mediolanenſes, quæ bellorum & adventus Gallorum in Italiam cauſam dedere, cum Veneris & Florentinis, in quibus par erat, conventurum, atque exercitum ſuum, ſi Pontifex & Veneti in militum vetera ſtipendia tria millia auri pondo perſolverent, extra Italiam ducturum. Ad hæc autem omnia tractanda, & æquis votis cum Gallis & Veneris concludenda, octo aut decem menſium inducias offerebat, ſeque ejus rei a Cæſare, una cum Pro-Rege Neapolitano Lanoyo, aut cum Hugone Moncada, ampliſſimam habere poteſtatem aſſerebar.

Pacando Cæſari mittitur Quiñonius.

Regreditur re feliciter peracta.

XV. Communicatis, quæ Quiñonius propoſuerat, cum Gallis & Venetis Oratoribus, eum Cajetam miſit, ut his de rebus cum Lanoyo illic degente ageret; nam neque Veneti, modo Rex Galliæ annuerer, inducias rejeciſſent. Rex vero ſe haud alienum ab his oſtendebat; imo ejus mater Laurentium Hetruſcum, ſe pacis, qua omnes comprehenderentur, ſtudioſam oſtendens, Romam miſerat: & Pontifex nullum conſilium abſque Borbonis, ſub Carolo contra Gallum ſuum conſanguineum merentis, conſenſu, ſatis tutum eſſe ratus, eaſdem ob cauſas ipſius abeleemoſynis Miniſtrum ad eum miſit in Inſubriam, quem ille paulo poſt ad eadem tractanda ad Pontificem remiſit. Eodem tamen tempore Pontificiis negantibus pacem confici poſſe cum Cæſarianis arma tenentibus, niſi pariter ab armatis, & ad bellum inſtructis pax ipſa peteretur: Vocatiſque in Italiam aliquot Germanorum millibus, & Petro Navarro, cum viginti octo Pontificiis, Gallicis, & Venetis triremibus ad Civitatem veterem, & Rentio Cere a Gallorum Rege cum quadratorum velorum claſſe miſſo, Savonam appellente, ut decretam in Regnum Neapolitanum expeditionem aggrederentur: Et ex alia parte Aſcanio Columna, & Cæſarianis urbes & oppida in ditione Pontificia occupantibus, tractatus Caetanus prolongatus; donec demum Quiñonius a Pro-Rege ad Pontificem reverſus, aliquot menſium inducias, ut interea de pace ageretur, Lanoyum dixerat conceſſurum; pecuniam vero pro ſolvendis militum

Examinantur pacis conditiones.

Omnia demum turbantur.

litum ſtipendiis, & a Pontifice Oſtienſem, ac Civitatis veteris arces, Parmam & Placentiam, a Florentinis vero Piſas, & Liburnum, cautionis gratia, petere ſubjunxit.

XVI. Ubi vero Cæſar audivit conductas in Italiam Germanorum copias, parataſque in expeditionem Neapolitanam adverſariorum claſſes, ab iis, quæ prius agitata fuerant, recedens, ut Galliarum Rex omnia Madritanæ pactionis, in ejus liberatione ſtabilitæ capita ſervaret, & Franciſci Sfortiæ cauſa jure per judices a ſe delectos, dijudicaretur, contendebat. Sic Cæſaris mente pro rerum ſucceſſu mutata, miniſtri etiam in Italia conſilium mutaverunt juſta mandata Cæſaris, ut conſilia ex temporum & occaſionum varietate caperent, aut mutarent. Itaque Lanoyus, ubi appropinquare hoſtium claſſes ſub Decembris initium, & parari omnia ad aggreſſionem regni Neapolitani conſpexiſſet, irritis, quæ per Quiñonium obtulerat, xx. Decembris Neapoli cum numeroſo exercitu verſus fines imperii Pontificii profectus, ne paucarum quidem dierum inducias, donec hujus negotii exitus videretur, voluit concedere: ſed novas & inuſitatas pacis leges explicuit: ut ſcilicet Pontifex ingentem pecuniæ ſummam numeraret; Parmam, Placentiam, & Civitatem veterem pro cautione traderet; Pompejum Cardinalem & reliquos Columnenſes, quos armis inſectaverat, redintegraret, eiſque pro damnis illatis ſatisfaceret; arma prior ipſe deponeret, & ab armatis pacem expectaret.

XVII. Cum vero hæc intoleranda Pontifici viderentur, datis propria manu ad Cæſarem litteris, Lanoyum arrogantiæ & inſolentiæ accuſavit, qui graviſſima & indigniſſima illi proponeret; proceres, & populum Romanum ad novum tumultum ciendum concitaret, omniaque in vitam & perſonam ſuam moliretur. Adjungebat, ſibi numquam, aut amicitiæ cum Cæſare colendæ, aut pacis ſervandæ ineundæ ſtudium defuiſſe aut defore; in eas moleſtias, & neceſſaria fœdera, a Miniſtris illius conjectum eſſe; multas nocendi occaſiones ſtudioſe prætermiſiſſe: a regno Neapolitano occupando, cum alioquin potuerit, haſtenus abſtinuiſſe; leges Eccleſiaſticas, Romanæ libertati, ſuæque dignitati plane contrarias, per Hiſpanias, & Neapolim latas, ut ferat, indignum eſſe; orare, ut Advocatum & Defenſorem Sedis Apoſtolicæ ſe meminerit: atque permitteret ad ſe in Hiſpaniam venire, ubi coram, arcana mentis ſuæ explicaret, & tum de Republica Chriſtiana, tum de Italiæ ſtatu una cum eo communibus conſiliis decerneret. Ita Pontifex declinante hoc anno ſcripſit ad Cæſarem, eoque ſtatu erant res Italiæ, tantaque animorum contentione certatum eſt, ut Quiñonii labores, & itinera fuerint infructuoſa. Quæ tamen egregie in obſequium Pontificis poſtea perfecit, ſingulatim per ſuos annos referemus.

Clades ingens Hungarica.

XVIII. Hoc anno accidit ingens illa, & toti Hungariæ funeſtiſſima clades Mohaciana, in qua Rex Ludovicus II. ſpecioſus adoleſcens, egregiis dotibus ſuperans ætatem, ſpes patriæ, regnique decus, infeliciter occubuit, & cum eo equitum decem millia, & peditum duodecim millia, præter primarios totius regni proceres, & Eccleſiarum Prælatos, periere. Exercitum ducebat primus imperio Paulus Tomoræus, ex Minorita, uti ſuperius diximus, Archiepiſcopus Colocenſis, ante monachatum bellator egregius. Breve illius elogium ex Stephano Broderitho Epiſcopo Vacienſi ſub appendicem rerum Hungaricarum, & finem Hiſtoriæ Bonfinianæ dedimus ſuperius, cum ad prædictum Archiepiſcopatum invitum diximus fuiſſe promotum. Nunc ex Nicolai Iſtuanfi hiſtoria, Bonfinii ſupplemento, breve hoc illuſtris viri ſpecimen exhibemus.

Hungarorum Dux Paulus Tomoræus. *An.* 1523. *n.* 45. *& seq.*

XIX. *An-*

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 319.
1526.	an. 3. & 4.	anno 8.	

XIX. *Anno* MDXXII. *exceſſit e vivis Georgius Frangepanus Colocianus Archiepiſcopus. Quia vero amiſſo Belgrado (fortiſſimo Pannoniæ præſidio) non Bacia tantum, & Colocia, quæ duæ Archiepiſcopales Sedes habebantur, ſed etiam proximæ regiones frequentioribus hoſtium excurſionibus & rapinis obviæ expoſitæque erant, ideoque acri & induſtrio viro, qui non ſolum Sacerdotii auctoritate, ſed etiam armis, militarique virtute provinciam tueretur, committendæ videbantur, diu quæſitum eſt ab ipſo Rege & aliis multis, quinam illi ſufficiendus videretur? Poſtremo omnium votis & ſuffragiis Paulus Tomoræus Regi commendatus eſt, quod is antea clarus & inſignis equitum ductor, arciſque Budenſis præfectus, commutato vitæ militaris Inſtituto, ad religionem Monachorum, qui a Divo Franciſco nomen ducunt, pio ſalubrique conſilio tranſiiſſet, omniumque judicio ad id muneris aptiſſimus haberetur. Sed quoniam fatale Hungaris Tomoræi nomen nos admonet, ut pauca de eo dicamus, haud incongruum el memorando hunc locum fore putamus.*

Iſtuanf. lib. 7. Qualis ille.

Religionem profeſſus S. Franciſci.

Nobili & honeſta familia Tomoræa, e Gemerenſi provincia ortus, in Tranſilvania contra Siculos, & bello ab agreſtibus concitato, fortem operam navavit; deinde aliis præliis conſilio manuque juxta haud ſpernendus, litteris latinis eruditus, animo ingenti induſtrioque fuit; cumque nobilem in propinquo puellam Puthnoquianam (id familiæ nomen eſt) ſibi ducendam deſponditſet, illaque ante nuptias, immiſti morte erepta eſſet, ad alterum prædivitis viduæ matrimonium mentem applicuit. Verum cum illa etiam, antequam conjungerentur, pari fato deceſſiſſet, inſperato duarum ſponſarum obitu territus, quaſi Divinitus ab incundo conjugio prohiberetur, ſe perpetuo cælibem victurum, ac Religionem quamplam ingreſſurum, votis nuncupatis, profeſſus eſt. Inde cum Bartholomæus Prior Auranæ, ex equitum Rhodiorum ordine, qui cælibem vitam agunt, diem ſuum obiiſſet, ejus dignitatem, quamquam ſingulari ſtudio, & maximis precibus contenderet, a Ludovico conſequi nequaquam potuit, quod eam Matthiæ Baracio, diſpenſatori ſuo, diu ante promiſſam, alteri nequaquam dare poſſe reſpondiſſet.

Qualiter Religionem ingreditur, & in ea ſe geſſerit.

Igitur cum huic quoque petitioni fortuna ſucceſſum eripuiſſet, Vilacum ſe contulit ad Cherium, quæ in Sirmio ſunt, ubi celebre Capiſtrani inter Beatos nunc relati ſepulcrum habebatur; ibique ſumpto Monachi habitu, circumtonſaque coma, religioſum atque auſterum vitæ genus amplexus eſt, eique ſingulari erga Deum fide & pietate, omnibuſque officiis, quæ ſacro viro conveniunt, ſatisfecit. Eum igitur vel reluctantem, ac ſe ingenue excuſantem, Ludovicus, adhibita etiam, quo magis obtemperaret, Legati Pontificis auctoritate, Collegio Monachorum exemptum, Colocenſi dignitate, ac earum partium militari præfectura honeſtavit, quibus uſque ad ſuum, & Ludovici interitum, domi foriſque cum laude præfuiſſe viſus eſt. Nec multo poſtquam Tomoræus in Frangepani locum ſucceſſit, ac Baciam adventavit, Paulus Baquitius e Thracia nobili & militari Græci ritus ſtirpe ortus, cum Turcarum inſolentias ferre amplius non poſſet, apud quos in ſuſpicionem mutatæ fidei inciderat, crebris Tomoræi litteris & nuntiis, non inſcio Rege, ſolicitatus, cum quinque Fratribus egregiæ virtutis fortitudiniſque viris, Petro, Clemente, Manucle, Demetrio, & Michaele, in Hungariam venit, ſuperatis ingenti animo, ſed cum magna difficultate, Turcarum inſidiis, quas ei per omnia fere itinera & compita collocaverant. Et Ludovic. Laccum, in Semigio ſitam arcem, quam cum ſuis inhabitaret, liberali munere aſſignandam curavit, donec ampliora dare poſſet: atque ii poſtea omnibus bellis fortem fidelemque operam Reipublicæ navavere.

XX. Deinde pergit Iſtuanfus narrare res præclare geſtas ab Archiepiſcopo

Ingenti exercitu Solymanus Hungariam invadit.

ſcopo Tomoræo; Ferhatem in Varboſania Boſnæ provincia dominantem, ingentis exercitus Turcarum (in quo equitum XV. millia numerabantur) Præfectum, ab eo fortiter devictum, fugatum & occiſum, nobilemque prædam reportatam, & pretioſa exinde ſpolia ac manubias Ludovico Regi tranſmiſſa ſubjungit. Multa alia facinora ante Monachatum prioribus libris ab eo contra Turcas alioſque hoſtes patrata narraverat. Sed lib. VIII. & ſub hunc annum, prælium contra Solymanum Turcarum Imperatorem formidabili numero CL. millia ſuperbientem, intrepide ſuſceptum, fortiter inchoatum, ſed infeliciter terminatum, recenſet. Exercitus regii, omniumque copiarum Hungaricarum imperium delatum fuit omnium ferme judicio calculoque Tribunorum & militum, ac Regis decreto, Antiſtiti Tomoræo, & Georgio Zapolitano Comiti Scepuſienſi, Joannis, Vaivodæ Tranſilvani germano fratri: quamquam uterque ſe excuſaret, alter inexpertam juventutem, quodque nec arma niſi in ludis & ſpectaculis induiſſet; alter vincula Religionis, quam profiteretur, & imperitiam, ac inhabilem labori ætatem cauſabatur: eminere alios multis partibus ſuperiores; Palatinum, qui præſens ſit, & Vaivodam, quem brevi adfore ſperet, ambos ductandis exercitibus peritiores, & multis magniſque conflictibus ſæpe victores; ſe juvenem minutis & ſubitariis excurſibus, ac præliis exercendis intentum fuiſſe, ſed juſtos exercitus ne conſpexiſſe quidem: proinde onus humeris ſuis longe impar, nequaquam ſuſcepturum, etiamſi capitis & vitæ diſcrimen ſubeundum ſit. Sed Rex in ſententia perſtitit, ac ſerio mandavit, ut ambo curam exercitus, æquato imperio adminiſtrarent.

Tomoræus invitus ducit Hungaros.

Diu diſceptatur an pugnandum ſit.

XXI. Anceps diu & varium fuit in caſtris conſilium circa pugnam ineundam. Rex itaque Palatinum, Senatores, eoſque, qui ex equeſtri & militari ordine uſu rerum factiſque præſtare videbantur, nonnullos inſuper ex Boemis & Moravis, qui partim in Regis miniſterio antea erant, partim audita expeditionis fama, ſuis ſtipendiis militaturi ſponte advenerant, convocari juſſit, ut cum illis de ſumma rerum deliberaret. Actum eſt in Senatu, & diſceptatum eſt diligenter, an expectanda auxilia eſſent, propediem ad futura, caſtraque in tutiorem locum transferenda, & pugna abſtinendum; an vero cum hoſte jam duobus dumtaxat milliaribus diſtante, nec fortaſſis pugnæ occaſionem dilaturo, imparem belli fortunam tentari expediret. Regi cum paucis non placebat caput ſuum & vitam, remque publicam univerſam unius pugnæ diſcrimini exponere, nec copias in acies prius producere, aut rem ferro decernere, quam omnia auxilia contraxiſſet, & viribus hoſte haud inferior exiſtimaretur. At Tomoræo & majori parti Senatus & Præfectorum, temerariæ & ancipitis pugnæ conſilia fatali quadam obſtinatione ita infixa erant, ut contraria ſentientes, inertiæ & timoris redarguerent. Sed & univerſos tribunos & milites illius partis exercitus, quæ ultra Caraſſum rivum pertinaciter conſtiterat, nec Regio conjungi volebat, niſi Rex ipſe ad illos proficiſceretur, tam inanis & fatalis ineundi certaminis cupido corripuit, ut inſaniſſe viderentur. Unde & primum orare Regem atque obteſtari clamabant, ne ab inerti turba Sacerdotum, ac aliorum, qui vitandæ pugnæ, & expectandorum ſociorum auctores ſint, ſeduci ſe ac decipi pateretur. Deinde, dum in Senatu de committendo vel differendo prælio diſputaretur, nuncios ex præcipuis ad Regem & Senatum miſerunt: quos cum Rex intromitti juſſiſſet, monuere, & qui aderant, omnes, ſuorum commilitonum nomine, ne Regi auctores eſſent detrectandæ pugnæ, ſed confeſtim adducto Principe eo veniant, caſtraque caſtris conjungant; & propitiam fortunam, quam Deus Opt. Max. obtuliſſet, obviis

ulnis

ulnis amplectantur, nec de victoria quidquam dubitent. Quod si quipiam aliud persuadere conentur, paratum eis esse exitium: seque adversus cunctatores arma e vestigio conversuros. His in hunc modum, nulla Regis aut Senatus habita ratione, expositis, iisque, qui saniora consilia amplectebantur, tam atroci denunciatione deterritis, vel invito Rege, pugna decernitur, nulla spe expectandorum auxiliorum, nec Vaivodæ, aut Frangipani, qui copias ex Dalmatia & Illyrico ducebat, adventus. Decernitur pugna.

XXII. Fortiter quidem neque infeliciter ab Hungaris initum est certamen in die Decollationis sancti Joannis Baptistæ, & ultra horæ spatium multo acrius & vehementius, quam pro illorum numero sperari posset, ita ut plures ex hostibus, quam ex Hungaris occumberent, & prætorianum equestre agmen, quod pugnam inchoaverat, terga dare cogeretur, ac ad Janiceros, qui in subsidiaria acie collocati erant, effusa fuga proruere, atque adeo plurimi ex iis vi & cursu equitum proculcarentur, Hungaris ingenti animo & viribus a tergo instantibus. Qua fuga hostium conspecta, Andreas Bathorius, Comes Sacmarienſis, citato equo, repente recurrens Regi nunciat, fugere hostes, victoriam suam esse, promovendum gradum, & Hungaros hostibus persequendis instantes, adjuvandos esse dicebat. Rex eo nuncio recreatus, veluti spe recepta, cum sua acie, quammaxime poterat, procurrendo, suis ferre auxilium properat: & jam primum agmen, fugatis equitibus, etiam Janiceros loco movere cœperat, ita ut non procul ab eo loco, in quo Solymanus constiterat, pugnaretur: & accurrente Rege, pugna magis ac magis recrudesceret, nonnullique ex corporis custodibus, quos Sulacos appellant, ibidem trucidarentur: cum repente e castris fugientes quamplurimi ex Hungaris, capta ea, cæsosque ad unum defensores, direpta tentoria, impedimentaque universa in potestatem hostium devenisse renunciaverunt. Initio certamine fortiter dimicat Hungari. Direptis Hungarorum castris belli sors commutatur.

XXIII. Præmiserat enim occulte per vallem Solymanus agmen septem millium equitum ad castra Hungarorum diripienda, ut duplici periculo circumventos distineret: & quidem id facile consequutus est, interfectis castrorum præsidiariis, nihil tale sub pugnæ primordio cogitantibus. Attamen in castrorum defensione Antonius Segedinus Minorita, Regi a sacris concionibus, vir doctus, fortiter se gessit. Sed postquam cum aliis, qui custodiæ regiæ suppellectilis relicti erant, adversus hostes diu multumque pugnasset, & prægrande vulnus in facie accepisset, postremo conscenso, quem sors obtulerat, equo regio, e medio hostium ægre profugit, & postea deformato vultu diu vitam protraxit.

XXIV. Cum ergo ad Hungaros, qui in dextro cornu pugnabant, fama direptorum castrorum allata esset, eodemque tempore hostes in eos sua tormenta tum primum explosissent, ingenti terrore perculsi, & consilii inopes, inclinari cœperunt, & plerique turpiter aufugere. Neque tamen ea fuga ceteris animos adimere visa est, quin infracto robore pugnarent, & usque ad tormenta magnam in prætorianis militibus stragem edendo proveherentur, nec procul erat, quin ea, a quibus vix octo, aut decem passibus aberant, potirentur. Magna etiam equitum Hungarorum pars ad vallem inter collem & paluſtrem quamdam lacunam sitam, evitandarum pilarum causa se receperat, sed hortatu ducum denuo pugnam instaurantium, egregie rem gerebat; cum iterum atque iterum tormenta hostium tonare, densusque per aerem fumus caliginem oculis inferre, & hostes recentes pro fessis, ac integri in sauciorum locum submitti cœpere. Itaque jam Sole in occasum tendente, eum tribus horis continue pugnatum esset, tam illi, quam alii, qui

adhuc diverſis in partibus certamen protrahebant, pedem referre, deinde totus exercitus effuſa fuga dilabi cœpit, & qua quiſque viam inveniebat, profugere.

Rex fugiens petit.

XXV. Rex, qui hactenus in acie perſtiterat, illinc ſe ſubduxit, nec amplius ibi viſus eſt; ſed cum paucis, qui a tergo ejus conſtiterant, in tanta rerum iniquitate, quam ſæpe ipſe prædixerat, fuga ſalutem quærere coactus, relicto ad dexteram Mohacio, citatis equis verſus Quinque-eccleſias curſum intendit. Sed cum in Caraſſum, paluſtrem & cœnoſum rivum, inter Mohacium, & Chelliam vicum, incerto vado limoſoque præterlabentem veniſſet, iſque tum forte a Danubii exundantis aquis, & repentino imbre, qui confecto prælio multa commixtus grandine & tonitru ceciderat, nonnihil accreviſſet, neque obſcuritas noctis, aut pavor inſequentium hoſtium, vado explorando ocium concederet, rapiente fato ea, quæ ſors & fortuna tulit, tranſire, impeditioriſque ripæ aggerem ſuperare conatus, reflexis habenis, reſupinatoque equo, in profundiorem lutulenti amnis limum cecidit, ac degravantium armorum pondere, & equi colluctatione oppreſſus, miſerabiliter interiit, præſtantiſſimæ indolis, atque ingenii Princeps, ac omnibus corporis atque animi dotibus inſignis, eoque infelici vitæ exitu indignus.

XXVI. Hæc eſt illa memorabilis ſimul & miſerabilis Mohaciana clades, qua antiquum Hungaricæ gentis decus, floſque nobilitatis & militiæ, & quidquid erat virium, una eaque funeſtiſſima dimicatione perierat, & florentiſſimum regnum magna ex parte intolerabile barbarorum jugum cœpit ſubire, quod in hodiernum diem ſerpit graviſſimum. Sunt qui totam culpam præpoperæ funeſtæque pugnæ in Tomoræum rejiciant, & indignis proſequantur calumniis. Ego rem omnem breviter ex narrationibus Epiſcopi Vacienſis, teſtis oculati, & Iſtuanfi, illius ferme temporis auctoris, exſcripſi, ex quibus ſcire licet, neque ſolum, neque præcipuum hujus infeliciſſimi congreſſus auctorem fuiſſe Tomoræum, neque vires adeo inferiores, aut animorum robur in Hungaris adeo impar fuiſſe, ut bene ſperari non poſſet. Et quidem feliciſſime ab initio certatum eſt, & mox ferme victum, niſi infelix & inexpectata illa caſtrorum direptio ad aures fortiter pugnantium, & victoriam inclamantium importune perveniſſet. Non eſt unde Ducis temeritati imputari queat triſtis & inopinatus eventus. Pugnare oportuit, conſpirantibus omnibus ad pugnam. Aciem ita ille diſpoſuit, & cohortes in hoſtem immiſit, ut ſuperarit & in fugam converterit: at in ipſo pugnæ fervore milites defecerunt, & a victoria veluti jam apprehenſa reſilierunt. O incomprehenſibilia judicia Dei! dum vincunt, vincuntur; & qui pro Deo confligunt, a Dei hoſtibus profligantur. Terga dederunt infidelibus Fidei defenſores, Turcis Chriſtiani, ſceleratis ſcelerum ultores, & conſumpti ſunt in ore gladii errantes in invio, & non in via, ita judicante Domino orbem terrarum in æquitate quidem, ſed miſericordiæ ſuæ veluti oblito. Et quidem *judicia Domini vera* quis neſciat, *juſtificata in ſemetipſa*? *At judicium hoc abyſſus tanta, ut videar mihi non immerito pronunciare beatum qui non fuerit ſcandalizatus in eo: & quomodo tamen humana temeritas audeat reprehendere, quod minime comprehendere valet? Terribilis Dominus in conſiliis ſuper filios hominum.*

Exciſitur Tomoræus.

Pſal. 18. 10. *Bern. lib.* 2. *de Conſid. cap.* 1.

Pſal. 65. 5.

XXVII. Obierunt cum Tomoræo in hac infelici pugna Minoritæ duo, Urbanus de Koivod ſacerdos, & Georgius de Palcos, quos a tempore aſſumptionis ad Archiepiſcopatum perpetuos habuit ſocios a Miniſtro Provinciali ſibi aſſignatos. Progrediente autem Solymano in ſuis victoriis abſque omni conſiderabili obſtaculo, perierunt alii plerique Fratres. Etenim

Multi tunc perierunt Minoritæ. *Monum. MSS. Prov. Hungar.*

Budæ

Budæ interfecti ſunt, Joannes de Pruſſia, Nicolaus de Preſtoch, Matthias de Peſt, Sacerdotes: Nicolaus de Veroche, Georgius de Eſzechi, Ambroſius de Comaron, & Leonardus N. laici. In Conventu Vilacienſi, Blaſius de Kulod laicus. In Conventu Peſtienſi, Michael de Diako, Georgius de Ormankoch ſacerdotes, Nicolaus de Keſſi, & Elias de Oziepel laici. In Conventu Strigonienſi, Auguſtinus de Tarkani, Bernardinus de Vaſarhelis, & Clemens de Vaica laici. In Conventu Palothæ, in Cuſtodia ſancti Spiritus, Andreas de Vaſarhelis ſacerdos, Petrus de Beza, & Andreas de Mocziolia laici. Prope lacum Balaton, Michael de Szolos laicus cum conſodali quodam ſacerdote repertus eſt occiſus. Subſequentibus annis ſemper ſuperantibus viribus Turcarum, occiſi ſunt alii Fratres, quorum nomina ſuis locis diſtribuemus. Hoc autem anno Fratres Cœnobia præcipua quindecim perdiderunt.

XXVIII. Hoc anno moritur Franciſcus a Cartoceto, Fanenſis agri oppido, ad quem anno elapſo diximus Matthæum Baſſium acceſſiſſe, qui capitium ei tribuit pyramidale. Uſque ad ultimam ſenectam & ſenium inter Obſervantes, quorum Inſtitutum a juventute profeſſus eſt, perſeveravit, pane tantum & aqua vitam traducens, & reliquarum virtutum, quæ Evangelicum præſtant hominem, cumulum adjiciens. Solitariam & a turbis remotam cupiens ducere vitam, impetravit a Joanne Fanenſi, Picenæ provinciæ Miniſtro, ut in Eremitorio ſancti Jacobi prope Matelicam, a Fratribus propter loci aſperitatem paulo antea deſerto liceret habitare cum quodam Pacifico Tertii Ordinis ſacerdote. Ibi plures annos in ſumma vitæ auſteritate, perpetuis jejuniis ac orationibus tranſegit, & oculorum cæcitatem ex continuis lacrymis contraxit. Tamdem naturæ debitum ſoluturus, ſacroſanctis procuratus Eccleſiæ Sacramentis, pulcherrimam viam undique pretioſiſſimis aulæis ornatam ad cœlum uſque ducentem conſpexit, per quam beata Virgine, Sanctorumque choris aſſociatus, in cœlum feliciter migravit.

Moritur Franciſcus a Cartoceto. *Rover. an. 1525. & 1526. Marc. 3. p. lib. 9. cap. 20.*

XXIX. Hoc ipſo anno beatum Joannucium de Valle-Terrena in Conventu Annunciatæ beatæ Virginis Nurſino deceſsiſſe, habeo ex quodam codice MSS. provinciæ ſancti Franciſci. Ejus virtutes & miracula nos alibi de hoc agentes Cœnobio, compendioſe narravimus. Sub hoc tempus aliqui ex noſtris auctoribus reponunt obitus piorum iſtorum Virorum: Mariani a Mauro laici in Conventu Marianæ in Corſica, & a Pauli a Bigulia, oppido Corſicano, in illius oppidi Conventu; Benigni Romani, ſive Ortani (ab utraque enim urbe ita cognominatur a Gonzaga, a prima in Conventu ſanctæ Mariæ de Angelis Panormitano, a ſecunda in Conventu ſancti Bernardini Ortarum) in prædicto Conventu Panormitano; Bonaventuræ Veliterni in Aracœlitano; Apollonii Aquilani in Cœnobio ſancti Juliani prope Aquilam; Philippi a Carpineto in Conventu ſancti Bernardini intra Aquilam; Laurentii a Villa magna in Ortonenſi; Ludovici a Briaſſonis in Modoetiano. Horum omnium nos meminimus in prædictis Conventibus, in quibus jacent, & memoranda quæque breviter enarravimus.

To. 12. an. 1453. n. 39.

XXX. Floruit hoc tempore Dionyſius Paleottus, vir doctus & pius, qui hoc ipſo anno vitam ſcripſit beatæ Catarinæ Bononienſis ſuæ gentilis, & officium compoſuit, quod ex conceſsione Clementis VII. in Monaſterio Corporis Chriſti ejuſdem urbis, ubi corpus ejus magna colitur veneratione, quotannis recitatur. Aſſumpti ſunt ad Epiſcopatus, frater Anſolinus N. ad ſancti Leonis in Calabria, ſub Archiepiſcopo ſanctæ Severinæ, per ceſſionem Franciſci Spinulæ, die XVIII. Januarii. Suſpicor nomen eſſe corruptum, & hunc eſſe fratrem Saſcolinum Magiſtrum Generalem Conventua-

Floret Dionyſius Paleottus.

tualium, quem diximus anno præterito ad Epiſcopatum Minervinum fuiſſe aſſumptum, & ſortaſsis hoc anno ad iſtum deinde translatum. Frater Alphonſus de Villa ſancta Regularis Obſervantiæ, ad Sabulen. ſive potius Scopulen. in Patriarchatu Conſtantinopolitano, ſub Archiepiſcopo Atriden. & Suffraganeus Aſſanenſis, XXI. Februarii. Frater Cæſar. N. ad Periſtacien. vel Periſcharien. in eodem Patriarchatu, ſub Archiepiſcopo Heracleæ, XVIII. Martii. Frater Chriſtophorus de Numajo Card. de Aracœli (cui diximus collatum Epiſcopatum Iſernienſem) ad Regien. in Provincia ſub Archiep. Aquenſi, per obitum Thomæ N. die XXVII. Aprilis; cui tamen ceſſit anno ſequenti. Auctarium Ciaconi dicit etiam fuiſſe Epiſcopum Alatrienſem, quod confirmatum invenio in actis conſiſtorialibus, in quibus collatum reperio Epiſcopatum hunc, anno MDXXVIII. die XX. Aprilis, Philippo de Herculanis per obitum Chriſtophori Cardinalis de Aracœli.

Fr. Chriſtophorus Regien. An. 1526. Bull.

XXXI. Urbis Perufinæ cives rogarunt Pontificem, ut reſtitueretur Fratribus Amadeis domus ſancti Hieronymi extra urbem. Quid judicaverit Pontifex, ex his litteris ad Miniſtrum Generalem directis, conſpicietur.

Ex origin.

Conv. S. Hieronymi Perufii datur Obſervantibus.

Cum nuper dilecti filii Communitas Civitatis noſtræ Perufiæ per ſuum oratorem nobis expoſuiſſent, domum ſancti Hieronymi tui Ordinis prope & extra muros dictæ Civitatis, olim ab Amadeis, poſteaque ab aliis Fratribus tui Ordinis teneri ſolitam, ſub ultimo gubernio Fratrum hujuſmodi ab ipſis Fratribus deſtitutam fuiſſe, ſeculariumque devotionem ergo illam deſeciſſe, non ſine Ordinis tui dedecore, & ſecularium ipſorum ſcandalo; nobiſque propterea humiliter ſupplicari fecerint, ut ipſos Fratres Amadeos, nunc provinciæ ſancti Petri de Monte aureo nuncupatos, (ſub quibus & conſtructa & recta feliciter fuerat, & regenda in poſterum ſperabatur) in eam reduci mandare, deſuperque opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, licet teſtimonium ac preces talis Civitatis, Deique in primis honor id perſuaſerint, & ex cauſa tam pia & rationabili, dictam domum Fratribus ſancti Petri de Monte aureo hujuſmodi conceſſerimus; tamen ad officium tuæ devotionis debitum reſpectum habentes, litteras ipſas conceſſionem hujuſmodi continentes, eum illarum exemplo bis includendas, & ad te mittendas duximus; ut ſi tibi communi utrorumque Fratrum prædictorum Patri & Capitl, idem quod nobis viſum eſt, videbitur; & tuæ executionis, noſtræque auctoritatis medio ſimul honori, & cultui Divino, tuique officii & Ordinis decori ſimul, dictæ Civitatis pio deſiderio ſatisfaciat. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die III. Aprilis MDXXVI. *Pontificatus noſtri anno* III. *Evangeliſta.*

XXXII. Remiſit autem Miniſter Generalis litteras ad Epiſcopum Albiganenſem, Perufiæ, Umbriæ &c. Vicelegatum, qui vocatis & auditis civibus, hanc protulit ſententiam.

Joannes Jacobus Comes Gambaranæ, Epiſcopus Albiganen. Perufiæ, Umbriæ &c. Vicelegatus, in hac parte etiam Commiſſarius, & Delegatus Sanctiſſimi D. N. Clementis Papæ VII.

Ex origin.

Per ſuas in forma Brevis litteras, nobis nuper commiſſas atque mandatas ſanctiſſi. Dominus juſſit, ut nomina Civium hujus civitatis Perufiæ diligenter perſcrutari, & communius eorum deſiderium, communioremque ſententiam habere, & perpendere deberemus: quibus videlicet magis Eccleſiam

ac

ac locum ſancti Hieronymi in eadem Civitate aſſignari cupiat, utiliuſque fore judices, venerabilibus Religioſis Fratribus etiam provinciæ ſancti Franciſci de Obſervantia, an aliis ejuſdem beati Franciſci Ordinis Fratribus, Amadeis nuncupatis? Illoſque in actualem poſſeſſionem mittere ac defendere deberemus, quos Cives ipſi communiter expetere dignoſcantur, prout in eiſdem litteris plenius continetur vidimus. Nos igitur ipſius S. D. N. mandatis obtemperare cupientes, magnificos Dominos Priores artium ejuſdem Civitatis, & quamplures graves honeſtoſque cives, generale Conſilium in eo numero, qui hoc ſæviente peſtis tempore congregari potuit, efficientes, coram nobis vocari curavimus; ipſiſque aſtantibus juxta ipſarum litterarum tenorem cujuslibet ſententiam perquiſivimus atque accepimus; & demum ex omnibus & ſingulis votis noſtro juſſu per noſtrum Cancellarium annotatis, necnon ex aliis informationibus tam oretenus, quam in his ſcriptis ab aliis doctoribus, civibus, nobilibus, & popularibus etiam extra Collegium Conſilii fide dignis, & ſenioribus aſſumptis, facile conſtat, communem & fere unanimem ſententiam, ac voluntatem eſſe, Fratres provinciæ ſancti Franciſci memoratos, illis Fratribus Amadeis, ceteriſque omnibus in eadem Eccleſia & loco obtinentibus, pluribus tunc in medio adductis rationibus, præferri debere. Quare nos præfati S. D. N. mandata omni ex parte (ut tenemur) implere volentes, & debitæ executioni demandare, auctoritate Apoſtolica nobis earumdem litterarum vigore attributa, & qua fungimur in hac parte, ad perpetuam rei memoriam, harum tenore decernimus & declaramus, Eccleſiam & locum ſancti Hieronymi in eadem civitate Peruſiæ ad dictos Ven. Religioſos, & Fratres Congregationis provinciæ ſancti Franciſci de Obſervantia, & non ad illos Amadeos pertinere & concedi debere, eoſdemque Fratres provinciæ S. Franciſci in quieta & pacifica poſſeſſione eorumdem Eccleſiæ & loci manutenendos, conſervandos & defendendos. Mandantes inſuper omnibus & ſingulis judicibus, officialibus, & executoribus quibuſcumque tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, & civilibus in ſolidum, quatenus viſis præſentibus, eoſdem Fratres ſancti Franciſci de Obſervantia dictæ Provinciæ, eorum Syndicum, & Procuratorem aut Commiſſarium, Miniſtrum ejuſdem Provinciæ in eadem poſſeſſione ubi & quoties opus erit, & pro ipſorum parte fuerint requiſiti, immittant, ponant, teneantur atque defendant: prædictis Amadeis, ſub excommunicationis & aliis arbitrio noſtro injungendis pœnis diſtricte mandantes, ne de cetero eoſdem Fratres provinciæ ſancti Franciſci in ejuſdem Eccleſiæ & loci ſancti Hieronymi poſſeſſione aliquo modo moleſtent vel inquietent. In quorum omnium & ſingulorum fidem &c. Datum Peruſiæ die XXVI. *Septembris* MDXXVI.

Jo. Jacobus Albiganen. Vitlegatus.

XXXIII. Diximus Conventum ſancti Franciſci Trecati apud Inſubres ædificari cœptum ante annos ſex; ſed dum lente opus procederet, eaſque moras pateretur alius Conventus ſanctæ Mariæ Miſericordiarum Terræ Romanengi, diœceſis Cremonenſis, etiam longe antea inchoatus, hoc anno Clemens Pontifex facultatem tribuit Miniſtro & Fratribus provinciæ Mediolanenſis, intra cujus fines utraque domus conſiſtebat, opus perficiendi, vel conſtructas acceptandi: *Nuper nobis pro parte veſtra.* IX. Kal. Decembris. Pro poſteriore domo ædificanda vir nobilis Joannes Baptiſta Cropellius teſtamento primum legaverat anno MCCCCLXXX. pinguiſſimam eleemoſynam. Eccleſia ſatis pulchra & magna conſecrata eſt anno MDLVI. die XXIII. Septembris per Leonardum Cevam Bidanenſem Epiſcopum, Cremonenſis ſuffraganeum.

An. 1520. n. 44. Conv. Trecati. Conv. Romanengi.

Gonz. in provin. Mediolan. Conv. 33.

XXXIV.

Anno Christi 1526	Clementis VII. an. 3. & 4.	Caroli V. Imp. anno 8.	Religionis Minorum anno 319.

Conv. Burgi Lucen. *Idem in provin. Tusc. Conv. 45.*

XXXIV. Fratres provinciæ Lucensis, quæ paucos numerabat Conventus, hoc anno cœperunt habitare in Conventu Burgi Lucensis, a semet ante triennium inchoato, protracto interim incolatu in quodam hospitiolo sanctissimi Crucifixi. Ad perfectum tamdem sua industria, congregatisque undique eleemosynis, opus deduxerunt. Cœnobium est amplissimum, & Ecclesia ædificio proportionata. Eam consecravit Alexander Guidiccionius Episcopus Lucensis die XVIII. Octobris anno MDLXVIII.

Conv. Cartaxil. *Idem in provin. Portug. Conv. 1.*

XXXV. Ædificaverat Elisabetha a Mendanha relicta Joannis Menesii Præfecti præsidii Azamorii sub annum MDX. Xenodochium in oppido Cartaxii, diœcesis Ulyssiponensis, ad Tagi ripam, quod hoc anno in Conventum Fratrum Minorum Regularis Observantiæ sub titulo sancti Spiritus, quo primum gaudebat, convertit, ita concedente Clemente Pontifice, & communicante Fratribus ibidem commoraturis privilegia, quibus gaudebat hospitale, erga quos etiam pia fundatrix, dum vixit, semper expandit viscera caritatis.

Conv. Villæ Comitis. *Ind. Conv. 14. Tom. 6. an. 1315. n. 44. tom. 11. an. 2447. n. 95. tom. 14. an. 1486. n. 37.*

XXXVI. Eodem hoc anno aliud inchoavit eisdem Fratribus domicilium, sub titulo *Dominæ nostræ de Incarnatione* in oppido Villæ Comitis, diœcesis Braccarensis, non ignobili, prope, & e regione insignis Monasterii Clarissarum, de quo nos suo loco egimus, in situ ab eisdem Clarissis libere concesso, & mox plene absolvit. Utrumque hoc Cœnobium ego ipse conspexi undequaque completum, & apud incolas vigere tantæ benefactricis memoriam. Istius posterioris Conventus Fratres necessaria quæque subeunt Clarissarum ministeria.

Conv. Fundanus. *Idem in provin. Lusit. Conv. 15.*

XXXVII. Propter imaginem beatæ Virginis Mariæ sub saxo inventam aliquanto procul a pago Fundano, Lusitanice Fundao, diœcesis Guardiensis, ibi erectum est sacellum in honorem ejusdem Dei Genitricis, traditumque colendum pio Eremitæ. Didacus a Silva eo pago oriundus, ex Joannis III. Regis Consiliario factus Minorita, deinde prædicti Regis confessarius, Episcopus Ceptensis, Inquisitor Generalis, demum Archiepiscopus Braccarensis, sacellum commutavit in Cœnobium suorum Consodalium. Ita narrat Gonzaga, ex cujus contextu videtur nonnisi post acceptum Archiepiscopatum hoc illum fecisse. Sed cum Joannes nonnisi XIV. Kalendas Januarias anno MDXXI. Regni susceperit gubernacula, non potuit Didacus ab illius anni fine usque ad istum, de quo scribimus, ex Regis Consiliario tot mutationes, & gravia munera subire; & quidem ad Archiepiscopatum Braccarensem, ab Henrico Principe Regis fratre renunciatum, nonnisi anno MDXXXIX. assumptus est. De his videndus Rodericus de Acunha, olim Archiepiscopus Braccarensis in docto opere, quod de suis prædecessoribus tomis duobus composuit. Ubi etiam de patria, & parentibus Didaci consulendus. Porro prædictus Conventus anno MDLXXVII. ad commodiorem locum translatus est.

Vide ad annum 1534. & an. 1539. quæ de Didaco hoc adnotantur.

Acunha p. 2. c. 76.

Conv. Abrantinus. *Judic. Conv. 16.*

XXXVIII. Lopetius ab Almeida, Abrantini oppidi Comes, hoc anno Fratribus strictioris Observantiæ, qui procul a prædicto oppido in ædicula vetusta & incommoda habitabant, Conventum aliquanto propius ædificavit, sub titulo sancti Antonii de Padna, in quo & ipse sepeliri voluit. Sed cum aer esset insaluberrimus, & nimia adhuc ab oppido distantia, tertius locus datus est Fratribus, domusque fabricata oppidanorum facultatibus, ad quam prædicti Lopetii & Fratrum ossa translata sunt.

Conv. Alconcelii. *Idem in provin. S. Gabriel. Conv. 14.*

XXXIX. Joannes a Sotomajori, & Franciſca Portocarreria nobiles conjuges oppidi Alconcelii, diœceſis . . . . Domini, ad quintum lapidem a prætato oppido in loco ſolitario, amœno, irriguo, hoc anno Fratribus novel-

vellæ proviociæ ſancti Gabrielis Conventum ædificarunt, ſub patrocinio ſancti Gabrielis, quibus etiam, dum vixerunt, ipſi conjuges neceſſaria quæque abuode miniſtrabant, eorumque ſucceſſores hanc eamdem pietatem proſequuntur. Jacet hic frater Alphonſus de Manzanete Sacerdos, vir admirabilis caritatis erga proximos, de qua inſigne producetur argumentum ad annum MDLXIX. quo deceſſit. Alphonſus de Manzanete.

XL. Sub anoum MCCCCLVIII. M.P. ab oppido ſancti Gadeæ in Caſtella ædificaverat Lopetius a Salinis pius Minorita, (de quo ſæpe locuti ſumus) Cœnobium Minoritis, quod iſthoc anno quidem Antelatus Caſtellæ, cum Maria Manriquia ejus conjuge, ampliarunt, & nobilius reddiderunt, ſed Sororibus ſanctæ Conceptionis tradi curaverunt, promittentes aliud ſe pro Minoritis ad oormam Collegii conſtructuros. Dimidiato opere, deceſſerunt, & prior domus remanſit pene Sorores; ſed poſt annos multos, uti alias diximus, reſtituta eſt Minoritis. Conv. S. Gadeæ. *Idem in provin. Burgen. Mon.* 11. *Tom.* 13. *anno* 1471. n. 15.

XLI. In edito colle extra oppidum Montis Sancti in Regno Aragoniæ, hoc anno ædificari cœpit Monaſterium Monialium Tertii Ordinis, propter repertam ibidem imaginem beatæ Mariæ Virginis, & prædictionem cujuſdam Joannis Ferrarii ante aliquot annos de ædificando ibidem Monaſterio. Evocatæ ſunt ex urbe Valentina quatuor primæ fundatrices. Domus Sororum Montis Sancti. *Idem in provin. Arag. Mon.* 9.

XLII. Multa conceſſit hoc anno Fratribus & Sororibus privilegia Clemens Pontifex. Sæviebat ubique peſtis graviſſima, & multæ Communitates, vel urbium Rectores Fratres ſuis domibus excludebant, ut contagioſis noſocomia inſtruerent, vel etiam infectos ſuperinducebant, Fratribus reclamantibus. Ne ita fieret, Pontifex prohibuit: *Non ſine magna*. XIV. Auguſti. Pro legatis perpetuis, quorum Fratres capaces oon erant, conceſſit facultatem Syndicis & Procuratoribus pro certa quantitate pecuoiarum, aliarumve rerum cum hæredibus & executoribus teſtamentariis componendi: *Nuper pro parte veſtra*. die XXIII. Novembris. Eiſdem Syndicis, & Procuratoribus tam Fratrum, quam Sororum omnium Minoribus ſubjectarum, eorumque uxoribus & liberis communicavit omnes gratias eiſdem Religioſis conceſſas, & indulſit ne poſſeot cooveniri pro cauſa criminali, civili, aut mixta alibi, quam coram Judice Conſervatore dictarum Religionum: *Dum conſideramus aſſiduos labores*. XVII. Aprilis. Indulſit omnibus Monialibus ſub cura Fratrum degentibus, ne tenerentur ad ſolvendas decimas, vel alias exactiones: *Dudum ſiquidem*. XVI. Aprilis. Eiſdem inſuper conceſſit, ne tenerentur admittere intra clauſuram perſonam aliquam, virtute quarumcumque litterarum Apoſtolicarum, abſque expreſſo conſenſu Miniſtri illius Provinciæ, iotra cujus fines Monaſterium continetur. Hujus conceſſioois memoria habetur in Regiſtro Ordiuis, ſed origioale inſtrumentum, nullo relicto exemplari, ſecum tulit in Hiſpaniam Bernardinus de Salzedo ex-Procurator Ordinis. Confirmavit litteras Sixti IV. & Leonis X. declarantes Sorores Tertii Ordinis eſſe veras Religioſas, aliaque circa illarum correctionem, & viſitationem adjecit: *Decet ex Romani Pontificis*. XXVII. Martii. Fratribus & Sororibus ejuſdem Inſtituti, tam in communitate, quam in propriis domibus ſeorſim habitantibus, tam ea quæ ad Regulam, quam quæ ad cooſtitutiones, & ab aliis Pontificibus conceſſa ſpectabant, ampliſſime confirmavit: *Ad uberes fructus*. VI. Idus Martii. Pontificatus vero anno IV. qui ſpectat ad annum ſequentem. Privilegia Pontificia.

ARGUMENTUM.

Urbe direpta, & Pontifice ad aream ſancti Angeli redacto, ſecundum & tertium mittitur Quiñonius ad Cæſarem pacem impetraturus. Ut liberius agat, regimen Ordinis in alium transfert, & tamdem Clementis liberationem conſequitur. In Indiis occidentalibus copioſe rem Chriſtianam promovent Minoritæ. Recenſentur viri illuſtres, Epiſcopi, & nova domicilia.

Graviſſimæ hujus anni miſeriæ.

I. ANNUS hic multis cladibus, Divinis ultionibus, bello undique obſtrepente, magna annonæ caritate, graſſante per univerſam Italiam peſtilentia, Principum odiis, cædibus, rapinis, debacchante impune militum furore, fuit luctuoſiſſimus. Omnium vero graviſſima Romanæ Urbis invaſio, direptio, expilatio, Chriſti Vicarii Clementis VII. in arce ſancti Angeli arctiſſima cuſtodia, Cardinalium, Eccleſiæ Principum, multiplex vilipendium, ſacrorum hominum illuſiones & injuriæ, templorum, virginumque pudibunda violatio. Inde ſumpta malorum occaſio, quod Clemens Pontifex fœdus, quod cum Cæſaris hoſtibus inierat, proſequi voluerit; licet aliunde pacis vel induciarum ſtudium prætenderet, eaſque non ſolum cupere, ſed & acceptare viſus ſit anno proxime elapſo, pacis caduceatore, uti diximus, Quiñonio Ordinis Minorum Miniſtro Generali. Malorum autem impendentium manifeſto motus periculo Clemens, ac ſumptuum & difficultatum maximarum graviſſimo preſſus pondere, pacem cum Cæſare denuo voluit inire, & totius negotii tractatum reſumi per dictum Quiñonium. Ineunte itaque hoc anno, dum Cæſariani milites, duce Carolo Borbonio Galliæ Regis conſanguineo, ſed inſenſiſſimo inimico, intra Lombardiæ fines continerentur, egit cum Miniſtro Generali, ut ſecundo ad Cæſarem iret de pace tractaturus.

Quiñonius ſecundo mittitur ad Cæſarem.

II. Ille, uti erat vir bonus, & adimplendæ, ſicut oportebat, injunctæ ſibi præfecturæ cupidus, humiliter ſe excuſavit. At obedire oportuit, jubente Pontifice primo per litteras, ſecundo per vivæ vocis oraculum, ut totius reipublicæ Chriſtianæ commodum, peculiari ſui Sodalitii præferret. In regeſto ejus officii a me citato, ita ipſe breviter & humiliter adnotavit: *Finito* (inquit) *Capitulo Generali Aſſiſii, Romam veni, & quia bella magnaque diſſidia inter Principes Chriſtianos vigebant, ſanctiſſimus Dominus noſter præcepit mihi per obedientiam, ut ad Cæſarem irem, eum eo de pace & tranquillitate Chriſtianitatis tractaturus, quod & feci. Tamdem cum articulis Cæſaris, in quibus pacem volebat, & maxime cum Sanctitate ſua, Romam redivi. Tamen propter inobedientiam militum non eſt pax ſubſecuta. Et iterum Sanctiſſimus volebat, ut denuo ad Cæſarem irem, & rebus jam pene lapſis curarem mederi. Ego vero quam potui humiliter me excuſavi, dicens magnum mihi onus magnæ Religionis injunctum, atque oportere me gregis mihi commiſſi curæ incumbere, & neceſſitatibus providere. Ipſe vero videns conſtantem meam circa iſta voluntatem, mihi miſit litteras Apoſtolicas, in quibus per obedientiam præcipiebat, ut rebus totius Chriſtianitatis intenderem, & ad Cæſarem reverterer, eum eo pacem tractaturus. Miſit etiam aliud Breve ad omnes Provinciales Miniſtros, ut me circa iſta occupatum, haberent excuſatum. Dum itaque huic præcepto refragari non poteram, ſcripſi ad omnes Provincias ſigillatim litteras exhortatorias tenoris ſequentis.* Nos tam Pontificis, quam ipſius Quiñonii litteras ex eodem tranſcriptas Regeſto lectori exhibemus.

Reg. gener. Diſſ. fol. 70.

Di-

Dilecto filio fratri Franciſco Angelorum, Ordinis ſancti Franciſci Miniſtro Generali.

III. *Dilecte fili &c. Et ſi ſatis noverimus, quovis procurando bono tuam nec fidem vinculis, nec ſtudium ſtimulis ullis indigere, nihilque quod honeſtum ſanctumque ſit, ullius magis hortatione, quam tuamet ſponte libenter exequi & agere: cum tamen tibi in præſentia nonnulla magni momenti negotia injunxerimus, quæ pro publica pace conficienda cum cariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo electo Imperatore, Hiſpaniarum &c. Rege Catholico, ad quem nunc te remittimus, acturus es, ne quid omittamus, in quo ejuſdem pacis cura & deſiderium noſtrum aliqua ex parte poſſit apparere; atque ut eo minus ab hoc ſanctiſſimo opere avertere quiſquam te habeat, qua magis mandatis noſtris obtemperare non ſolum tua voluntate, ſed monitæ etiam noſtro obſtrictus fueris: tibi in virtute ſanctæ obedientiæ per præſentes committimus atque mandamus, ut in ipſis communis Chriſtianæ pacis & boni negotiis tibi a nobis injunctis, tam apud Cæſarem ipſum, quam apud alios, ubicumque opus fuerit, tractandis & conficiendis ita te geras, ut ſicuti hucuſque in aliis rebus tibi commiſſis fecimus, ita in his ipſis quoque nullum abs te officium, nec diligentiæ, nec amoris, nec fidei, nec denique ejus probitatis & pietatis, quam & ſummam & veram præ te fers, deſiderare debeamus. In contrarium facien. non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, XXVII. Martii, Pontificatus noſtri an. IV.*

Pontificis littera ad Quiñonium.

Univerſis & ſingulis dilectis filiis Ordinis ſancti Franciſci Regularis Obſervantiæ Miniſtris Provincialibus, & Fratribus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

IV. *Minime vos latere arbitramur, quos laboris & curæ dilectus filius Franciſcus Angelorum, frater & Miniſter veſter Generalis in pace procuranda ſuſceperit, aſſidueque ſuſcipiat. Cum enim ad Nos profectum, ſemel ad cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum electum Imperatorem, Hiſpaniarum &c. Regem Catholicum ad id miſeramus; qui cum ab ejus ſerenitate ad Nos nunc eſſet reverſus, atque ita in rebus omnibus ſe geſſiſſet, ut ad hoc ſanctum opus perficiendum, plurimum ejus operam, & de præterito profuiſſe videremus, & in poſterum ſperaremus profuturam, pro re tam neceſſaria omnibus & ſalutari, iterum eum miſimus ad Cæſarem, laboremque & iter hujuſmodi ſalutare & ſanctum ut ſuſciperet, etiam ſub ſanctæ obedientiæ præcepto ei injunximus. Quæ res cum quantum vobis etiam, Ordiniquæ veſtro, & omnibus Chriſtianæ religionis Ordinibus commoda futura ſit, facile per voſmet perſpicere poſſitis: non utique dubitamus quin veſtrum eumdem Generalem, ſi forte, dum communi huic bono vacat, privatæ veſtræ veſtrique Ordinis curæ non ita ſeſe totum dare potuerit, ſitis excuſaturi. Atque illud præterea confidimus, vos Deum omnipotentem aſſidue nobiſcum precaturos, ut in ſui gregis adeo afflicti quietem, & ſalutem noſtram, hoc inceptum negotium ſua Divina ope confectum velit. Quam excuſationem ut accipiatis juſtiſſimam & ſanctiſſimam, nobiſcumque preces aſſiduas pro pacis affectu ante Deum effundatis, paterna omnes vos in Domino caritate exhortamur, facturi rem veſtræ Religioni & pietati maxime conſentaneam. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXVII. Martii, Pontificatus noſtri anno IV.*

Ejuſdem ad Miniſtros Provinciales.

Reverendis Patribus Miniſtris & cariſſimis in Chriſto Fratribus provinciæ N. frater Franciſcus de Angelis, totius Ordinis Minorum Miniſter Generalis & ſervus, in Domino ſalutem.

V. *Placuit Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ mihi denuo injungere, ut ad Cæſarem regrederer, cum eo de pace totius Chriſtianitatis tractaturus. Cum vero me apud ipſum excuſarem, duo iſta Brevia, quorum exemplaria ad vos tranſmitto, mihi deſtinavit. Receptis itaque eum reverentia ſupradictis litteris, mihi & vobis, cariſſimi Patres & Fratres, a ſupremo Prælato directis, reſtat ut amoris boni Jeſu, illius, inquam, qui* propoſito ſibi gaudio ſubſtinuit crucem, confuſione contempta, *in me ſpiritus ad laborem ſit promptus per obedientiam, in vobis ad orandum; licet caro privata mutua converſatione infirmetur. Judicavit autem ſupremus Paſtor (ut videtis) bonum univerſale totius Chriſtianitatis bono particulari Religionis præponendum ad tempus. Judicavi & ego juxta ſententiam ſancti Patris noſtri Franciſci*, Sic me eſſe captum in manibus ſuis, ut non liceat facere contra voluntatem ſuam, quia Dominus meus eſt. *Et non parcens periculis & laboribus, collum jugo ſubmiſi, a quo quamprimum liberatus fuero, intendo omnes Provincias viſitare, per me hactenus non viſitatas, & vobiſcum in Domino conſolari. Interim ſatagite certam facere vocationem veſtram, nec vivat & converſetur inter vos relaxatus frater Helias, ſed mortificatus & coneruciſixus Franciſcus, qui vos in fine & veros & legitimos filios ſuſcipiat & benedicat. Manus igitur paternale vobis mittens Sanctiſſimus Dominus noſter concedit, ut infra* XX. *dies a publicatione iſtarum litterarum in Conventibus veſtris, quilibet ex vobis poſſit eligere unum confeſſorem fratrem Ordinis, qui vos non ſolum mea, ſed ſua auctoritate poſſit abſolvere ab omnibus caſibus & cenſuris de præteritis, & dare indulgentiam plenariam & Jubileum plenarium, dicendo quinquies* Pater noſter & Ave Maria, *pro univerſali pace Chriſtianitatis. Quare volo & mando ut in omnibus locis præſentes litteræ legantur, & hæ gratia cenſeantur gaudere Moniales ſanctæ Claræ, necnon Tertiariæ. Datum Romæ* VIII. *Aprilis.*

Ad Heb. 12. 2.

S. Franciſcus in teſtamento.

VI. Miſſis igitur his litteris & Apoſtolicarum exemplaribus, transfretavit Quiñonius in Hiſpaniam. Sed in mari captus a Piratis, Cæſaris adverſariis, multas ſuſtinuit tribulationes & cruciatus, ut legationis ſuæ inſtrumenta proderet, aut quid cum Cæſare agendum erat, aperiret. Dum nihil poterant extorquere, præter unicum Pontificis pacificandi orbis Chriſtiani deſiderium, ad Hiſpanicum littus expoſuerunt. Protinus ad Cæſarem profectus, Pontificia expoſuit mandata, omnemque ſtatuendæ pacis conatum adhibuit. Interim Borbonius alpibus ſuperatis, poſtquam variis artibus, & inconſtantibus per Flaminiam, & Hetruriam itineribus Pontificem ſefellerat, & ſpe pacis irretiverat, v. Maii inopinate in Urbem irrupit, ſed non impune; in prima enim acie, dum ipſe pugnam inchoat, ſclopeti glande perculſus, mortuus concidit. Miles porro, ſui imperatoris nece nihil conſternatus, imo magis accenſus, Urbe potitus, Pontificem cum pleriſque Cardinalibus ad Molis Adrianæ arcem redactum, integra excubiarum obſedit corona. Cum hæc atque Urbis direptæ calamitas, ſacrorumque contemptus & injuriæ Cæſari deferuntur, ea ſibi moleſtiſſima fuiſſe oſtendit, & III. die Auguſti Quiñonium, ac poſt dies quatuor Verium Miliacenſem, utrumque cum mandatis ad Proregem Neapolitanum Carolum Lanoyum de Pontifice liberando, & omnibus oppidis, atque arcibus, quæ occupatæ fuiſſent, reſtituendis, in

In itinere Hiſpanico capitur a Piratis.

Liberatus ad Cæſarem abit.

Interim Borbonius Urbem capit, & cæditur.

Guicciard. lib. 18.

Pontificis injuria Cæſari diſplicet.

in Italiam legavit; atque ut unde ſe ſuſtentaret, Pontifex haberet, certam ſummam pecuniæ ex illis regnis, quæ in conventibus pecuniam Cæſari dare recuſarant, collectam ad eum ejus Internuncius mitteret, permiſit.

VII. Romam regreſſus Quiñonius, expoſitiſque apud Clementem, quæ a Cæſare reportarat, Cajetam abiit, cum Lanoyo rem perfecturus. At eo tempore, quo Quiñonius appulerat, diem ſuum obiit Lanoyus, & proinde cum Hugone de Moncada (ad quem etiam poteſtas a Cæſare data pertinebat, utpote quem defunctus Prorex ſibi, donec Cæſar ſucceſſorem daret, legatum ſurrogarat) negotium erat peragendum. Communicatis itaque cum eo mandatis, rebuſque, uti putabat, compoſitis, una cum Miliacenſe Romam redivit. Duo erant ſumma in hoc negotio capita; unum, uti Pontifex exercitui, cui ingens pecuniæ vis debebatur, ſatisfaceret; alterum, quod ad Cæſaris cautionem pertinebat, ne Pontifex in libertatem reſtitutus, ipſius hoſtibus adhæreret, obſides Hippolytus, & Alexander Pontificis nepotes traderentur, & donec illi Parma venirent, Cardinales Piſanus, Trivultius, & Gaddius ſubſtituerentur, & præter hos conſignarentur Cæſarianis pignoris nomine urbes Oſtienſis, Civitatis veteris, Caſtellanæ, atque arx Forolivienſis. Duræ videbantur hæ leges, atque proinde res diu eſt agitata, præſertim cum illi ipſi, in quorum poteſtate totum erat negotium, in eadem non forent ſententia. Etenim Moncada, animo prorſus a Pontifice alienus, huic rei parum ſtudebat; Miliacenſis, uti Cæſari periculoſæ, penitus repugnabat; ſolus Quiñonius concordiam iniri ſummopere expetebat & curabat. Tandem poſt tædioſam diſceptationem, & nova Cæſaris mandata (qui Pontificem, quammaxime fieri poſſet, leniſſime dimitti urgebat, modo liberatus non magis fœderatis, quam ipſi ſtuderet, quod ſibi ſatis eſſe teſtabatur) ultima die Octobris per Pontificios cum Quiñunio & Serenonio ſecretario, & miniſtro Moncadæ (qui poſtea omnia rata habuit) mutatis aliquantulum prioribus pactis, additiſque aliis, concordia contracta eſt.

Quiñonius regreſſus proſpera Pontifici renunciat.

Pacis tamen incundæ orientur obſtacula.

Poſt longam diſceptationem tandem concluditur.

VIII. Attamen cum aliquæ ſuborirentur difficultates, & Pontifex ſibi timeret a Moncada, aliiſque Cæſarianis adverſis, cupieretque oppignoranda integre reſtitui, ſolidam pacem inter Principes Chriſtianos ſtabiliri, eorumque arma contra Turcas, & Hæreticos converti, ſtatuit tertio Quiñonium ad Cæſarem legare. Ille vero, dum ab his curis liberari, ut totus commiſſo ſibi numeroſo Sodalitio poſſet intendere, impetrare non poterat, rogavit ut permitteretur Miniſteriatus officium deponere. Id ei conceſſum, dummodo alium idoneum, qui ſuas vices obiret, prius exponeret; cui facultas uſque ad proxima Comitia Generalia traderetur gubernandi. Deputavit ille Antonium de Calcena, virum probum, in reginine expertum, totius nationis Hiſpanicæ Commiſſarium Generalem. Ratum hoc habuit Pontifex ſuo diplomate, quod cum propriis litteris miſit Quiñonius per ſuum ſocium, Stephanum de Capillas ad Calcenam, atque ille recepit, exeunte Junio anni ſequentis, uti ſuo loco dicemus opportunius. Fidem ampliorem præmemoratis conciliabimus, ſi ipſa Pontificis diplomata, & totius rei inſtrumenta, etiam in ipſa Arce ſancti Angeli, in qua detinebatur Pontifex, confecta, hic excripſerimus.

Quiñonius tertio ad Cæſarem miſſus Generalatum deponit.

Subſtituitur Antonius de Calcena.

CLEMENS PAPA VII.

Univerſis & ſingulis dilectis filiis Ordinis Minorum Obſervantiæ Miniſtris Provincialibus & Fratribus ſalutem & Apoſtolicum benedictionem.

Ex Reg. ſen. Ciſmon. fol. 72. & ſeq.

IX. *CUm anno proxime elapſo dilectum filium Franciſcum de Angelis, Ordinis Minorum Miniſtrum Generalem, poſtquam Generale Capitulum apud Aſſiſium celebraverat, ad Nos pro pace inter Reges & Principes Chriſtianos conficienda evocari feciſſemus, ſibique in virtute ſanctæ obedientiæ mandaviſſemus, ut ad Cariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Carolum Romanorum & Hiſpaniarum Regem Catholicum, Imperatorem electum ſe conferret, & nonnulla pro dicta pace conſtituenda noſtro nomine ſibi exponeret; & ad Nos reverſus, nobis humiliter ſupplicaſſet, ut eum privatis veſtri Ordinis rebus, ut ſua ſervitus expoſtulabat, vacare permitteremus: Nos autem cognoſcentes, pro communi bono & pace expedire, quod in hujuſmodi negotiis tam gravibus, ejus opera uteremur, ſibi etiam in virtute ſanctæ obedientiæ mandavimus, ut mandatis noſtris obtemperaret; eumque denuo ad eumdem Cæſarem miſimus, vobiſque per noſtras litteras mandavimus, ut pro veſtra erga Nos devotione, eumdem Franciſcum Miniſtrum veſtrum, pro noſtra, & omnium Chriſtifidelium ſalute laborantem, excuſatum haberetis, ſi rebus Ordinis veſtri (prout vos & ipſe deſiderabatis) vacare non poterat; & Altiſſimum veſtris orationibus precaremini, ut tandem ſui gregis afflicti miſereretur, ac eidem Franciſco Miniſtro, ut ejus labores non eſſent caſſi, gratiam concedere dignaretur. Denique, cum jam pridem poſt varios maris terræque labores a Cæſare ad Nos reverſus, almam Urbem noſtram direptam, ac Nos & S. R. E. Cardinales in Arce noſtra ſancti Angeli a Capitaneis exercitus ejuſdem Cæſaris detineri inveniſſet, ſuaque diligentia apprime laboraſſet; cum ſibi & bonæ memoriæ Carolo de la Noil, tunc Viceregi Neapolitano ad præſens defuncto, mandatum ab eodem Cæſare Nos ab omni detentore liberandi factum fuiſſet, & quantum in eo fuit, eos liberaret; nobis rurſus ſupplicari fecit, ut permitteremus eum ſervitiis ejuſdem veſtri Ordinis vacare. Non cognoſcentes id non ſine magno Sedis Apoſtolicæ, & Reipublicæ Chriſtianæ incommodo fieri poſſe, ſed nobis neceſſe fore, ſi rebus fere collapſis ſuccurrere vellemus, eum denuo ad eumdem Cæſarem mittere; ea propter iterum nobis humiliter ſupplicavit, ut ipſum ab onere dicti officii Miniſteriatus Generalis abſolvere dignaremur, cum aliter mandata noſtra, cum animi ſui quiete exequi poſſe non ſperaret. Nos autem, qui nihil cum majori affectione deſideramus, quam pacem univerſalem inter Reges & Principes Chriſtianos concludi, & contra infideles expeditionem noſtris temporibus fieri; & ad hoc ſanctum opus perficiendum ipſius Franciſci Miniſtri operam plurimum (ut hactenus per eum geſtis experti ſumus) neceſſariam videamus: hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ejus petitioni ac renunciationi (poſtquam eam veſtri Ordinis fratrem de conſilio antiquorum Patrum, qui uſque ad Generale Capitulum proxime celebrandum, dictum Ordinem regat atque gubernet, loco ſui ſuffecerit) per præſentes duximus annuendum, ipſumque ab officio Miniſteriatus Generalis ex tunc abſolvimus, & abſolutum fore decernimus. Ita tamen, quod interim Miniſter Generalis remaneat, & omnia prout hactenus fecit, faciat, & facere valeat; facta vero per eum nominatione hujuſmodi, ejus officium expiraſſe cenſeatur. Illi vero, qui per eum ad Viceminiſteriatus hujuſ-*

bujuſmodi officium nominatus fuerit, in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut dictum officium acceptet. Omnibus vero, & ſingulis dicti Ordinis Fratribus & Monialibus, ut veluti ſno vero prælato pareant & obediant, præcipimus atque etiam mandamus. Verum, ſi ille, quem nominaverit, ab humanis decefferit, volumus quod ejus officium non vacet, quouſque alium nominaverit: & ſi etiam illum ſic nominatum, ante Capitulum Generale hujuſmodi mori contingat, alius loco ſui eligi debeat eo modo, quo eligeretur Viceminiſter Generalis, ſi ejus officio durante decederet; tuumque electum omnimodam auctoritatem Miniſtri Generalis habere volumus atque decernimus. Et cum in Generali Capitulo Aſſiſii celebrato ſancitum fuerit, ut quælibet natio ſuæ nationis Commiſſarium particularem habeat, prædictum determinationem, uſque ad Generale Capitulum celebrandum obſervari volumus atque mandamus; inſuperque ut tranſumptis præſentium, manu ejuſdem Franciſci Generalis ſubſcriptis, & ſigillo ejuſdem Ordinis munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur originalibus litteris, ſi illæ eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ in Arce ſancti Angeli ſub annulo Piſcatoris, die 1. *Decembris* MDXXVII. *Pontificatus noſtri anno* V.

Bloſius.

Inſtrumentum deputationis Vicarii Generalis.

Ego frater Franciſcus de Angelis totius Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Generalis Miniſter & Servus.

X. *Tenore præſentium declaro & notum facio omnibus & ſingulis Reverendis Patribus, & Miniſtris Provincialibus, aliiſque Patribus & Fratribus dicti Ordinis, omnibuſque aliis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poterit, qualiter aliquibus urgentibus cauſis, jam Sanctiſſimo D. N. Clementi VII. Pontifici Maximo manifeſtis, vobiſque ſuncempore declarandis, Generalatus officium ad Suæ Sanctitatis pedes, ſponte & mea libera voluntate renunciavi. Quam renunciationem Sua Sanctitas (prout in ſuis litteris deſuper confectis plenius continetur) acceptavit: Atque conceſſit, ut aliquem dicti Ordinis religioſum nominarem, qui uſque ad Generale Capitulum proximum, ubi Miniſter Generalis Ciſmontanus eligi debet, dictum Ordinem Apoſtolica & ordinaria Miniſtri Generalis auctoritate regeret & gubernaret, & Caput totius Ordinis eſſet. Ego igitur Apoſtolica uſus auctoritate (habita deſuper matura deliberatione, conſideratis omnibus) Reverendam Patrem fratrem Antonium de Caleena nationis Hiſpaniæ Commiſſarium Generalem, Vicarium totius Ordinis denuntio, & uſque ad electionem Miniſtri Generalis alterius denunciatum eſſe volo. In quorum omnium teſtimonium præſentes litteras manu mea ſubſcripſi, ac officii Generalatus ſigillo munirl feci. Datum Romæ in Arce ſancti Angeli,* IV. *Decembris* MDXXVII.

Fr. Franciſcus Gen. Miniſter.

CLE-

CLEMENS PAPA VII.

Dilecto filio Vice-Miniſtro Generali per dilectum filium fratrem Franciſcum de Angelis ejuſdem Ordinis Miniſtrum Generalem deputando.

Ibid. fol. 73.

XI. *Cum dilecto filio Franciſco de Angelis, ſui Ordinis Minorum de Obſervantia Generali Miniſtro, Romæ apud Nos conſtituto, ut is in Hiſpaniam pro rebus univerſale bonum, & commodum totius Chriſtianitatis concernentibus, noſtro juſſu proficiſci, cum animi ſui tranquillitate majori valeret, licentiam dederimus unum dicti Ordinis Fratrem loco ſui Vice-miniſtrum Generalem uſque ad Capitulum Generale ejuſdem Ordinis celebrandum deputandi: Nos te fili paterne hortamur, & in virtute ſanctæ obedientiæ tibi præcipimus, ut dictum officium filiali obſequio ſuſcipias & acceptes, ac pro tua pietate & debito, uſque ad dicti Capituli celebrationem cum caritate, prudentia & vigilantia exequaris, quemadmodum te eſſe facturum ſperamus. Datum Romæ in Arce ſancti Angeli ſub anulo Piſcatoris, die* VI. *Decembris* MDXXVII. *Pontificatus noſtri anno* V.

Pontifex liberatur.

XII. Pontifex demum poſt ſeptem menſium in prædicta Arce preſſuram, triduo poſt datas has ultimas litteras, nono ſcilicet Decembris, e cuſtodia dimiſſus eſt opera potiſſimum Quiñonii (unde & *inſignem Pontificiæ libertatis adipiſcendæ auctorem*, appellat Paulus Jovius) & tuto præſidio a Stephano Columna Cæſaris milite ad Urbem-veterem deductus eſt. Unde iterum reductus in Urbem, & priſtinæ majeſtati reſtitutus eſt per ejuſdem Quiñonii penes Cæſarem induſtriam: quod anno dicemus ſequenti.

Jovius in vita Pompeii Cardinalis Columnæ.

Minoritæ apud Indorum Honduras prædicare incipiunt. *Herr. dec. 4. l. 1. c. 6.*

XIII. In illa Occidentalis Indiæ provincia, quam primo *Hibueras* a pulcherrimarum cucurbitarum copia, mox *Honduras* ab altitudine matis juxta præcipuum provinciæ promontorium, Hiſpani, priori obſoleto nomine appellarunt, hoc anno Didacus Lopez de Salzedo Præfecturam beneficio Caroli Imperatoris accepit, ſecumque duxit Minoritam unum ex inſula Hiſpaniolæ. Sed ubi indigenas ad fidem Chriſtianam adduci poſſe ſperaret, ſcripſit ad prædictæ inſulæ Magiſtratum, ut plures ſubmitterentur operarii, quorum induſtria docerentur populi, & Cœnobium jam inchoatum in oppido Truxilli, neceſſario numero inſtrueretur, ac perfecta conſurgeret ſtructura. Rogavit inſuper ut conſulerentur viri docti circa controverſiam ea in provincia agitatam; an ſtatim intingi deberent Indi, qui avide & coacervatim Baptiſmum expetebant? an differendum lavacrum donec fidei perciperent rudimenta? Miſſi protinus ſex Fratres cum Eccleſiaſticis paramentis: dubioque nimis facile reſponſum eſt, præmitti omnino debere doctrinam neceſſariam, ubi neceſſitas, populi ſervor & multitudo, vel catechizantium paucitas, aliter faciendum non ſuaderet. Erant aliquanto flexibiliores hujus provinciæ populi, & Mexicanis perſimiles. Præter Deos inferiores, aut Idola minora, tria majora & præcipua venerabantur, deſtinato unieuique per aliquot intervalla a prædicto oppido, capaciſſimo templo, ad quod ſtatutis anni temporibus accedebant, & impia parentum ac liberorum offerebant ſacrificia. Præerat ſingulis fanis venerandn habitu, promiſſaque barba, qui victimas immolabat, & idolorum promebat oracula, ac *Papæ* nomine audiebat (adeo ſacris noſtris invidet & illudit Satan) cujus ſumma erat in populo veneratio. Contritis tamen per Evangelicos miniſtros Idolis, & deſtructis templis, ſacrificuli, agnita imbecillitate inanium Deorum, qui ſe comminuentibus reſiſtere non poterant, fidei ſubſcripſerunt Chriſtianæ.

Conv. Truxilli in Indiis.

XIV. Cre-

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 320.
1527.	an. 4. & 5.	anno 9.	

XIV. Creſceute quotidie in illis partibus Hiſpanorum dominio, etiam regiones factæ ſunt albæ ad meſſem. Diſponente itaque Domino meſſis, miſſi ſunt hoc anno plures operarii, qui triticum congregarent in horrea: amandati etenim in novam Hiſpaniam, ſive in partes Mexicanas, & oras maris Auſtralis, Dominicani quadraginta, & Franciſcani totidem, præſide horum Antonio Civitatenſi, ſive ab urbe Roderici, quibus Carolus Rex indumenta ſacerdotalia, & cultui Divino neceſſaria largitus eſt, magnamque pecuniæ ſummam dari præcepit ubi appellerent, ut domos inſtaurarent, rebuſque inſtruerent neceſſariis. Hoc itidem anno miſſi cum Franciſco de Montejo ad peninſulam Yucatanæ alii Franciſcani, qui, poſtquam ille provinciam penitus & ex inſtituto luſtraverat, indigenis magno rei Chriſtianæ incremento, fidem prædicarunt, & temporis tractu inſigne Cœnobium in urbe Valliſoleti, ſeu *Valladolid*, quæ illius præfecturæ ſive provinciæ ſecunda reputatur, ædificarunt. Religioſis curam animandavit Carolus, ut invigilarent, ne quid faceret Montejus contra Dei aut a ſe tradita mandata; ut Hiſpanos, provinciarumque a ſe inſtitutos Præſectos, intra ſuos limites cohiberent, neque fines alienos invaderent, aut tyrannice vel inhumane cum Indis agerent, ſed officioſe & humaniter ad fidem, & Regis attraherent obſequium. Idipſum commendatum eſt deſignato Epiſcopo Franciſcano, & Fratribus quatuor, qui cum Pamphilo de Narvaez hoc etiam anno transfretarunt ad Palmarum fluvium, ſive *Rio de las Palmas*, & ad Floridæ provincias, quarum præfectura ampliſſimo diplomate Pamphilum Carolus donavit. Tandem cum ubique novæ fierent expeditiones in Indiis Occidentalibus, & Hiſpani alias aliaſque terras detegerent & ſubigerent, quibus erudiendis copioſus miniſtrorum numerus erat neceſſarius, Carolus Imperator per litteras egit cum ſuperioribus Generalibus Prædicatorum & Minorum, ut permitterent univerſis ſuis ſubditis, qui Evangelico huic muneri ſe dicare vellent, libere transfretare; cui illi libenter aſſenſerunt.

Monum. MSS. Prov. S. Evan. Prædicat. & Minores in novam Hiſpan. hoc anno mittuntur.

Idem c. 3. Mon. Ind. miſ. Alii Minorit. ad Yucatan.

Conv. Valliſoleti Indiarum.

Idem cap. 4. Alii ad Floridam.

XV. Sub hoc tempus recenſentur qui ſequuntur pietate & virtute illuſtres, quorum alias mentionem fecimus in recenſu Cœnobiorum, quæ incolebant. Ludovicus Biaſſonus in Conventu Gratiarum Modoetiæ; Jacobus a Porta in Baſilienſi; Alphonſus de Ataide in Atouguiæ, provinciæ Algarbiorum; Angela Martinez in Monaſterio Annunciationis beatæ Mariæ Elchii; Margarita fundatrix domus ſanctæ Agnetis Fulginatenſis Tertii Ordinis, quæ hoc anno die x. Martii deceſſit. Gaſpar Schatzgerus primus Miniſter provinciæ Argentinenſis, ſub Leone X. qui doctiſſime plures tractatus contra Lutheri dogmata ſcripſit, & hoc anno fatis conceſſit, dum eſſet Cuſtos Bavariæ, vir illuſtris, de Ordine & Eccleſia optime meritus: de illo egimus inter Scriptores Ordinis Minorum. Florebat hoc anno, & provinciam ſancti Franciſci Regularis Obſervantiæ regebat Andreas Fulginas, vir prudens, doctus & pius, ſacræ Theologiæ profeſſor, habuitque olim patruum Petrum Fulginatenſem Conventualem, Theologiæ magiſtrum, provinciæ Romaniæ Miniſtrum, qui anno MCCCCLXT. deceſſit Aſſiſii in magno Conventu.

Gaſpar Schatzgerus. *Chron. Argent. MSS.*

Andreas Fulginas. *Jacobil. in vita B. Paulutii c. 13.*

XVI. Pauciſſimos creavit hoc anno Epiſcopos Clemens Pontifex; etſi enim ad eum ſpectaret ſollicitudo omnium Eccleſiarum, attamen non potuit providere vacantibus Eccleſiis, detentus a principio menſis Maii a Cæſarianis militibus in Arce ſancti Angeli, uti narravimus. Providit tamen aliquibus ante militum irruptionem, atque inter has, Eccleſiæ Cherſoneſi, ſub Archiepiſc. Heracleæ, in perſonam fratris Petri Fugetii, qui factus eſt ſuffraganeus Epiſcopi Salcitani, XVIII. Februarii. Multiplicatis, uti dixeram, provinciis Chriſtianorum in India Occidentali, & in dies creſcente multitudine

Fr. Petr. Epiſc. Cherſoneſi.

dine credentium, Carolus Imperator rogatus a provinciarum Præfectis, & a ſuis Conſiliariis perſuaſus, nominavit pro Epiſcopatu erigendo in urbe Mexicana fratrem Joannem de Zumarraga, Durangi oppido tractus Cantabrici progenitum, virum optimum, pium, doctum & prudentem, olim præcipuis muneribus, & Miniſteriatu ſuæ provinciæ Conceptionis, necnon Inquiſitoris officio per univerſam Cantabriam perſunctum, tunc Guardianum religioſiſſimi Conventus Tribuli, *del Abrojo*, ubi Imperatori per hebdomadæ majoris ferias animam procuranti, ejus virtutes innotuerunt. Pro Epiſcopatu ſanctæ Mariæ Darieni, fratrem Martinum de Bejar; Pro Epiſcopatu vaſtiſſimæ provinciæ Floridæ, fratrem Joannem Suarez: quos ſtatim hoc anno, vel ſub initium ſequentis ad commiſſas ſibi provincias amandavit, ut malis & diſcordiis, quæ vigebant inter provinciarum Præfectos, & graviſſimis Indorum preſſuris mederentur. Patronum & protectorem Indorum inſtituit Zumarragam, quos ille ſumma pietate ſovit, & paterna caritate protexit, modo precibus, modo comminationibus, demum cenſuris & ſuppliciis retrahens & comprimens Hiſpanos ab inferendis miſellæ genti tantis injuriis.

Joan. Mexicanus. *Herr. cit. lib. 2. cap. 2.*

Idem lib. 1. c. 9.

Fr. Martinus Darien. Fr. Joannes Florida.

XVII. Obiit hoc anno Patavii Epiſcopus Vaſtanus frater Hieronymus Magnanus, præclarus per univerſam Italiam Divini verbi concionator, magnæ probitatis opinione reſulgens, de quo dignum hoc ſcripſit elogium Bernardinus Scardeonius: *Ea quidem*, inquit, *de eo habita apud vulgum opinio, ubi ad Julii II. Pontificis Maximi delata eſt, Romam accitus, in Epiſcopum Veſtanum deligitur. Qui poſtea intermiſſo concionandi officio, Roma diſcedens, in patriam rediit, & deinceps ſibi potius quam gregi ſuo complaciturus, in otio litterarum domi & in patria vixit. Hujus meminit Leonicus in ſuis Dialogis, ubi de precibus agit: Aderant, inquit, mecum, cum alii plerique, tum & Hieronymus Magnanus Veſtanus Epiſcopus, vir & religione conſpicuus, & litterarum etiam ſtudiis in primis clarus. Hæc ille. Fuit is perquam familiaris Jacobo Sadoleto, nondum Cardinali, ſed inſigni eloquentia prædito. Scripſit, ut audio, quamplurima. Edidit autem unicam quod ſciam, ſatis elegantem epiſtolam, ad Adrianum Pontificem Maximum, excuſam & appoſitam in fronte operis illius, ſub titulo* Quodlibeti. *Obiit Patavii in bona ſenectute anno ſalutis, ni fallor,* MDXXVII.

Hieronym. Magnanus.

Scard. de reb. Patav. l. 2 claſſe 7. Portiu. p. 405.

XVIII. In oppido ſancti Martini ab Aggere, diœceſis Cremonenſis, & dominii Marchionum de Gonzaga, erat vetuſta Eccleſia ſanctis Martyribus Fabiano & Sebaſtiano ſacra, a devota quadam muliere ex voto tempore peſtis ædificata, & mox conſecrata XIV. Februarii, ad cujus latus oppidani hoc anno inceperunt Cœnobium Fratrum Regularis Obſervantiæ conſtruere, opus non ſegniter promovente beato Sixto de Riparolo, qui poſtea Mantuæ ſancto fine quievit. Accidit tamen ut anno MDXXXV. Cœnobii Guardianus, a quodam nebulone vicini oppidi Bozuli proditorie occideretur, quia eum cujuſdam ſceleris arguerat. Juſſi proinde a ſuperiore Fratres, locum penitus dereliquerunt. Multis poſt hæc annis Franciſcus Gonzaga clariſſimus ille vir, olim totius Ordinis Miniſter Generalis, cum ex Hiſpania, ubi Minoribus nomen dedit, & ſacrarum litterarum ſtudia abſolvit, in patriam rediiſſet, & in proximo Capitulo primus Provinciæ Definitor fuiſſet inſtitutus, rogatus a ſuis germanis fratribus Pyrrho, Ferdinando, Julio Cæſare Gonzagis, & Scipione Gonzaga Patriarcha Hieroſolymitano, prædicti oppidi Dominis, cœpit agere cum provinciæ ſancti Antonii Patribus de reſtituendis Fratribus loco prædicto. Id tamdem obtinuit in Congregatione habita Veronæ anno MDLXXVII. jecitque ipſe primum novæ ſtructu-

Conv. S. Manini ab Aggere. *Gonz. in Provin. S. Anton. Conv. 40.*

ræ

ræ lapidem die XXIII. Aprilis, promovente fabricam prædicto Pyrrho, inter fratres primogenito, concurrentibus etiam oppidanis, donec ad eum ſtatum reductum eſt Cœnobium, ut duodecim religioſos commode poſſet admittere. Eſt in Eccleſia ſacellum nobile ſanctæ Crucis, in quo refert Gonzaga ſuos progenitores, omni poſthabito faſtu, ſpretaque ſeculi vanitate, ſub humili pavimento jacere, inſigneſque illic conſervari Reliquias, quas partim ejus genitrix, partim ipſe dono acceptas a Maria Auſtriaca, Germanorum Imperatrice, & Philippi II. Hiſpanorum Regis ſorore, ibidem collocarunt. In hoc Conventu depoſita voluit Gonzaga omnia monumenta & ſcripturas, ex quibus magnum illud volumen, quod de origine, & progreſſibus Franciſcanæ Religionis ediderat, excerpta ſunt.

Conv. Metymnæ cœli. *Idem in Provin. Caſtellæ Conv. 22. Salazar. l. 4. p. 23.*

XIX. Maria de Silva, oppidi Metymnæ Cœli, diœceſis Siguntinæ Duciſſa, hoc anno, inſtigante Didaco Ciſnerio, Provinciæ Caſtellæ Miniſtro, ad radices montis, cui prædictum oppidum imminet, Cœnobium conſtruxit, ſub titulo ſancti Franciſci. Illic inſtitutum eſt ſtudium Grammaticæ, & aliquando Philoſophiæ. Locus eſt amœnus, irriguus, arboribus conſitus, vernantibus pratis aſpectui gratiſſimus. Epiſcopi Seguntini, Duceſque patroni abunde neceſſaria quæque ſubminiſtrant.

Conv. S. Antonii de Ficu. *Gonz. in provin. Portug. Conv. 8.*

XX. Frater Antonius de Buarcos, vir venerabilis & pius, hoc anno ſub auſpiciis Joannis III. Luſitaniæ Regis, & ex piorum eleemoſynis, prope locum, quo Mondegi fluvius in Oceanum exoneratur, Conventum ædificavit ſub invocatione ſancti Antonii de Ficu, cujus ſacellum maximum temporis ſucceſſu, cuidam nobili viro Ferdinando Gometio, ejuſque ſucceſſoribus conceſſum eſt jure quodam patronatus. Ab anno MDLXXXIV. deſervit Patribus Recollectis, cum quibus ego aliquoties temporibus æſtivis a ſtudiis Conymbricenſibus feriabar, ibique exorſus ſum collectionem opuſculorum ſancti Franciſci, quæ commentariis illuſtrata, olim typis emiſi Plantinianis.

Conv. Marhlei. *Indid. Conv. 24.*

XXI. In inſula Lignorum maris Oceani ad oppidum Marhici, Urbanus Lomellinus ſuis ſumptibus Cœnobium conſtruxit ſub titulo S. Crucis, & Franciſci Ulyſſipponenſis provinciæ Portugalliæ Miniſtri ſubjecit regimini. Franciſcus a Stunica, & Leonora Manrique a Caſtro Marchiones, intra mœnia ſui oppidi titularis Ayamontis, Hiſpalenſis diœceſis, alterum poſuerunt ſub invocatione ſancti Franciſci, quorum pietas ad poſteros tranſivit; liberaliter etenim Fratribus in quacumque ſuccurrunt neceſſitate.

Conv. Ayamontis. *Idem in provin. Bæth. Conv. 21.*

Mon. Concept. Scalonæ. *Idem in provin. Caſtellæ Mon. 28. Salaz. l. 9. c. 12.*

XXII. Didacus Pacheco Marchio Villenæ, Joannis Magni militiæ ſancti Jacobi Magiſtri filius, quibuſdam puellis ſub honeſtiſſimæ matronæ diſciplina cohabitantibus Monaſterium ſub appellatione Incarnationis hoc anno conſtruxit elegantiſſime intra mœnia oppidi Scalonæ, inductaque Regula & habitu Conceptionis, virgineo cœtui duas adjunxit ſuas filias, Franciſcam & Joannam, libere traditis ampliſſimis dotibus, quæ ex utroque parente illas contingebant. Has illæ in fabricæ amplitudinem, & redituum incrementum generoſe contulerunt. Antonia Pacheca, alterius Didaci Pacheci Marchionis item Villenæ filia, ex pinguiſſima etiam dote ſummum ſacellum, & elegantiſſimum Mauſoleum germano ſuo fratri Franciſco Pacheco, itidem Marchioni, fabricari curavit. Ex hac nobiliſſima progenie Pachecorum ſemper hic aliquæ virgines commorantur: primas Moniales inſtruxit Guardianus Minorum Scalonenſis, inter quas magna reſulſit pietatis & virtutis opinione Franciſca Guaſquina, a vitæ aſperitate, & placidiſſima converſatione cunctis admirabilis.

Franciſca Guaſquina.

Mon. Concept. Civitatis Regin.

XXIII. Sub eodem ſanctæ Conceptionis Inſtituto Ludovicus a Mar-

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 321.
1528.	an. 5. & 6.	anno 10.	

Gonz. citat. Mon. 33. Salaz. citat. cap. 27.

more, regius Tabellarius Cancellariæ Granatenſis, quarumdam Sororum Tertii Ordinis Monaſterium incultum, domumque incommodam, ampla & magnifica hoc anno commutavit in Civitate regia, indito titulo ſanctæ Mariæ de Jeſu, præſcriptis etiam quibuſdam regulis ac conditionibus honeſtis, quas illæ libenter acceptarunt. Conceptionis habitum & Regulam dedit Petrus de Noblejas, Guardianus illius urbis, ex commiſſione Joannis de Olmillos Miniſtri provinciæ Caſtellæ, cujus ſuberant regimini. Cæſarauguſtæ ex altera Iberi fluminis parte, prope pontem hoc anno Monaſterium Dominæ noſtræ de Altabaſio ingreſſæ ſunt Clariſſæ Urbaniſtæ. Crevit Sororum numerus ad quadrageſimum.

Mon. de Altabaſio Cæſarauguſtæ. Gonz. in provin. Arag. Mon. 5.

XXIV. Leo X. anno MDXVII. creavit Cardinales triginta & unum, quibus dum non ſuffeciſſent tituli & Diaconiæ eatenus in Urbe erecti, novos inſtituit intra, & extra Urbem, templumque ſanctæ Mariæ de Aracœli in titulum presbyteri promovit, deditque Chriſtophoro Numajo, tunc Miniſtro Generali a ſe ad Cardinalatum aſſumpto, licet Ciaconus ſcribat primum ei datum titulum ſancti Bartholomæi in Inſula. Sive vero Numajus aliquid moleſtiæ Fratribus intulerit, ſive illi timuerint, quod Cardinales titulares vellent in Cœnobio reſidere, aliudve præjudicium aut incommodum inferre; rogarunt hoc anno Pontificem, ut poſt ceſſum vel deceſſum Chriſtophori titulus ſupprimeretur, quorum precibus hoc anno ſubſcripſit: *Olim fel. record. Leo.* die XVII. Aprilis.

Supprimitur titulus Cardinalitius S. Mariæ de Aracœli.

ARGUMENTUM.

Quiñonius tertium mittitur ad Cæſarem, deinde promovetur ad Cardinalatum. Antonius de Calcena ſuum exorditur regimen Vicarii Generalis, & Congregationem Generalem cogit in Hiſpania. Multos ad Indiam Occidentalem mittit operarios. Moriuntur viri pietate illuſtres, inter quos plurimum effulſit Joannes Navarretus. Multiplicantur PP. Capuccini ſub obedientia Magiſtri Generalis Conventualium. Creantur Epiſcopi, & conſtruuntur Cœnobia.

I. CLEMENS Pontifex, jam in tuto poſitus, quid potius agendum, confœderatis, an Cæſari adhærendum, vel neutri favendum, dum ſecum anxius expendit, nunc tertio mittendum Franciſcum Quiñonium ad Cæſarem conſtituit, ut pro ſua fide oppignoratas arces & obſides, quos diximus, reſtitui permitteret. Interim ut unde ſolvere poſſet, quas promiſit, pecunias exercitibus diſtribuendas, Cardinales aliquot pretio (quod conſtantiſſime antea negarat) creavit, quibus Quiñonium tum propter libertatem ejus opera partam, tum propter ea, quæ apud Cæſarem pro ſe facturum ſperabat, adnumeravit. Id hoc anno Viterbii (quo Pontifex graviorem aerem æſtivum Urbis-veteris declinaturus, conceſſit) factum eſſe certiſſimum eſt, non autem Romæ die VII. Junii anno proxime elapſo, uti ſcribit Ciaconus (etſi etiam circa locum & annum concordet Panvinus) eo enim tempore Clemens obſidebatur in arce ſancti Angeli, & Quiñonius in Hiſpania Clementis partes agebat apud Cæſarem, nondum depoſito Generalatu. Sed & hoc ipſo anno, Pontificis ad eum leguntur litteræ ſtatim exhibendæ, præferentes titulum Miniſtri Generalis. Et quidem hoc anno jam creatum Cardinalem (tituli ſanctæ Crucis) ad Cæſarem a Pontifice miſſum, ſcribit Guicciardinus gravis illius temporis ſcriptor, multarumque re-

Quiñonius tertio mittitur ad Cæſarem.

Fit Cardinalis.

Guicciard. lib. 9.

rerum nunc geſtarum ſpeculator, & datum ab Andrea Auria claſſis inſigni Præfecto, qui a Galliarum Rege ad Cæſarem tranſitum cogitabat, quemdam itineri ſocium, qui conditiones & pacta obſequii a ſe præſtandi cum Cæſare ſtabiliret. Ille porro qua pollebat apud Cæſarem virtutis opinione, & novæ dignitatis auctoritate, impetravit, ut Cardinales tres Neapoli obſides ſtatim libertate donarentur, atque in ſuo reditu Oſtiæ & Civitatis veteris arces poſſent reſtitui.

II. Quo autem erat erga ſuum Inſtitutum laudabili zelo, & de bono regimine ſollicitus, timebat ne Apoſtolicæ litteræ ſuæque ad nominatum a ſe Vicarium Generalem, uti diximus, deſtinatæ, longo maris terræve diſcrimine perierint; hoc anno antequam ad Cardinalatum eveheretur, renovari voluit per Pontificem poteſtatem, alias ſibi de ſubſtituendo Vicario conceſſam. Id accepto hoc diplomate impetravit.

Dilecto filio Franciſco de Angelis Miniſtro Generali totius Ordinis Minorum, Obſervantiæ Regularis.

Dilecte fili &c. Quod alias tuæ devotioni pro nobis, & hac ſancta Sede, immo tota Chriſtianitate pium & ſalutare iter ſuſceperæ concceſſimus, ut loco tui Vicarium Generalem totius tui Ordinis Minorum de Obſervantia, uſque ad Capitulum Generale eumdem Ordinem recturum & gubernaturum, deputare poſſet, id ei de novo concedimus per præſentes. Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ univerſis Miniſtris Provincialibus, ac Cuſtodibus & aliis Fratribus Ordinis prædicti, ut eidem Vicario per te deputato, perinde uſque ad dictum Capitulum Generale obediant, ac ſi a nobis, vel a Capitulo Generali deputatus eſſet. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutiſque & privilegiis veſtri Ordinis, etiam Mari magno nunquam: quibus, quatenus obſtent, illorum tenoribus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum præſentium ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus etiam quod præſentium tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo tuo, ſive tui Ordinis munitis, plena fides ubique tam in judicio, quam extra adhibeatur, perinde ac ſi originales eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum in civitate noſtra Urbevetana ſub anulo Piſcatoris, die 1. *Martii* MDXXVIII. *Pontificatus noſtri anno* V.

Bloſius.

III. Priores litteras accepit Antonius de Calcena, quem diximus ab eo nominatum, ut ſuas vices ſubiret, die XXII. Junii apud Metymnam Campenſem, cœpitque illarum virtute novum regimen totius Ordinis exercere die XXV. menſis prædicti. Poſteriores autem litteras Pontificias tradidit quidam Frater provinciæ Turoniæ die XXVI. Julii in urbe Segobienſi, quibus ſupervenerunt aliæ, quæ monebant, ne circa res familiæ Ciſmontanæ quidquam mutaret aut ſtatueret, inconſulto Commiſſario Generali ejuſdem familiæ in eiſdem magis experto, cui jam pridem Pontifex, intercedente Antonio Epiſcopo Portuenſi Cardinali de Monte, Ordinis Vice-Protectore, cui Paulus Piſottus illius familiæ Commiſſarius Generalis erat cariſſimus, largitus erat omnem ferme poteſtatem, quam in dicta familia Miniſter Generalis exercebat. Do Pontificia inſtrumenta.

Anton. de Calcena accipit hujus Vicariatus inſtrumenta ſed cum limitatione.

Dilecto filio Antonio de Calcena totius Ordinis Minorum Generali Vicario.

Ex origin. IV. *Dilecte fili &c. Cum nuper tu in Generalem Vicarium totius Ordinis Minorum usque ad Generale Capitulum, eo quia dilectus filius Franciscus de Angelis sponte ad pedes nostros officium Generalatus, quo fungebatur, renunciavit, accitus fueris, & tua singulari prudentia, usque ad dictum tempus debite gubernandum, quamvis de tua solertia & circumspectione satis in Domino confidamus; tamen ne ex ignorantia rerum Italiæ, Fratrum Cismontanorum tuæ curæ commissorum, quietem & tranquillitatem te quomodolibet perturbare contingat, dignum duximus denuo te paterna caritate exhortari & admonere, ne aliquid usque ad Generale Capitulum, nec in ipso Capitulo Generali, quod ipsos Fratres Cismontanos tangat, vel ad eorum correctionem spectet, aut quovis alio modo, absque Commissarii Generalis Cismontani consensu & assensu attentare, immutare aut renovare valeas & possis. Non obstantibus ordinationibus & constitutionibus Apostolicis, statutis & privilegiis, & aliis quibuscumque in contrarium facientibus. Datum Viterbii sub anulo Piscatoris, die* XIX. *Junii* MDXXVIII. *Pontificatus nostri anno* V.

Evangelista.

Dilecto filio Paulo Pisotto Ordinis Fratrum Minorum Regularis Observantiæ Citramontano Commissario Generali.

Ex origin. V. *Religiosorum quieti & tranquillitati, ex officii nostri pastoralis debito invigilantes, eisdem libenter intendimus, quæ eorum saluti & quieti conspicimus fore opportuna. Cum itaque ad officium tuum, qui in proximo præterito Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum Regularis Observantiæ in civitate Assisii celebrato Commissarius Cismontanus deputatus fuisti, pertineat invigilare quod Fratres dicti Ordinis Cismontani de se bonum odorem omnibus secularibus præbeant, & sub observantia suorum Superiorum pacifice & quiete vivant, ut eis omnis materia evagandi, & per hospitia discurrendi occasio auferatur; quod tamen, prout ad aures nostras pervenit, quod dicti Ordinis Religiosi pro occurrentibus negotiis, & pro causis eis permissis præsentiam sui Superioris Generalis quærentes, invenire non possunt; etiam quod nonnulli dicti Ordinis Fratres suis Superioribus obedire recusent, & jugum observantiæ excutere nitentes, a præceptis sibi per eorum Superiores factis, reclamare & appellare nitantur, recursum ad dilectum filium Franciscum de Angelis dicti Ordinis Ministrum Generalem, cujus opera ad componendam Regum & Principum Christianorum discordiam utimur, & ad illos pro tractandis arduis negotiis pro Reipublicæ Christianæ utilitate, eum continue destinamus, habere velle proponunt, ut a domibus, in quibus Fratres ipsi assignati fuerunt, recedere, & per diversa loca vagari contra ipsius Ordinis regularia instituta in animarum suarum periculum, & non sine laicorum murmuratione, ac plurimorum scandalum valeant, cum copia & facultas habendi præsentiam, & copiam dicti Franciscі Generalis in præmissis occupati de facili haberi non possit. Quare venerabilis frater noster Antonius Episcopus Portuensis Cardinalis, de Monte nuncupatus, ejusdem Ordinis Vice-protector, nobis humiliter supplicavit, ut tibi, cui præfatus Franciscus Minister Generalis propter prædicta impedimenta copiam sui eisdem Fra-*

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 321.
1528.	an. 5. & 6.	anno 10.	

Fratribus facere non valens, ad te pro præmiſſis recurſum habendi licentiam conceſſit, ut donec præfatus Franciſcus Miniſter Generalis ultra Montes, aut in tractandis negotiis per Nos ſibi commiſſis, ſeu loci in quo fuerit, notitia haberi non poterit, Capitula Provincialia indicere & celebrare, ac ordinare, punire, ac voce activa & paſſiva, ſeu paſſiva tantum privatos abſolvere, ac reſtituere & deſtituere, ac omnia & ſingula alia, quæ ipſe Franciſcus Miniſter Generalis facere & gerere poſſet, facere valeas, licentiam & facultatem concedere, necnon omnia & ſingula in Capitulo Provinciali provinciæ ſancti Antonii juxta morem dicti Ordinis facta & geſta approbare & confirmare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui Ordinem veſtrum ſemper geſſimus in viſceribus caritatis, ipſius Antonii Epiſcopi Cardinalis, ac Vice-protectoris hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula in Capitulo Provinciali provinciæ ſancti Antonii hujuſmodi geſta, necnon licentiam per præfatum Franciſcum Miniſtrum Generalem tibi conceſſam auctoritate in Capitulo Generali Aſſiſii conceſſa, ſalva remanente auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus & approbamus; tibi, ut, dicto Franciſco Miniſtro Generali in remotis agente, aut in loco, cujus notitia non haberetur, reclamationes & appellationes ad ipſum Franciſcum Miniſtrum Generalem interpoſitas loco ejus libere audire & decidere & terminare, ac Capitula Provincialia indicere & celebrare, ac quæ in eis fuerint facienda, ordinare, & Fratres punire, ac voce activa & paſſiva tantum privare, ac poſt diſſolutum Capitulum Generale Aſſiſii hujuſmodi, etiam a dicto Franciſco Miniſtro Generali forſan privatos abſolvere & reſtituere, ac reſtitutos deſtituere, necnon omnia & ſingula alia, quæ ipſe Miniſter Generalis facere & gerere poſſit, facere & gerere, libere & licite valeas, auctoritate & tenore præmiſſis licentiam & facultatem concedimus: decernentes per te juxta dicti Ordinis regularia inſtituta facta & geſta valere, plenamque roboris firmitatem obtinere in omnibus & per omnia, ac ſi ab ipſo Franciſco Generali Miniſtro geſta, & per eum approbata fuiſſent. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque & indultis eidem Ordini per Sedem Apoſtolicam conceſſis, quibus quoad præmiſſa, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod præſentes litteræ quoad facultatem per eas tibi conceſſam dumtaxat valeant, donec præfatus Franciſcus Miniſter Generalis egerit in remotis, ſeu ejus copia commode haberi non poterit; quodque præſentium tranſumptis manu publici Notarii ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur, ſi litteræ ipſæ eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum in Civitate noſtra Urbevetana ſub anulo Piſcatoris, die XIII. *Martii* MDXXVIII. *anno* V.

VI. Gubernium exorſus Calcena, in Hiſpania convocandos judicavit præcipuos illius nationis Patres ad Conventum Guadalfagiaræ provinciæ Caſtellæ, ut circa totius familiæ regimen aliqua conferret, & an novum propriumque Commiſſarium conferri ſolitum appeterent, vel ſemetipſo eſſent contenti, diemque cœtus cogendi indixit ſancti Franciſci natalem. Interim Provincias luſtravit, Comitia celebravit, leges diſciplinæ reſtaurandæ idoneas præſcripſit. Die XIII. Julii in Cœnobio Villa-Silorum provinciæ Conceptionis Miniſtrum præfecit Bernardinum de Arevalo. Die V. Septembris in Conchenſi provinciæ Carthaginenſis, Antonium de Portu. Die XII. Novembris in Conventu ſancti Honuphrii della Lappa provinciæ ſan-

Reg. gener. Vitram. fol. 170. & ſeqq.

Calcena congregat in Hiſpan. Congregat. Generalem.

ti Gabrielis, Michaelem Rochum, ubi quoſdam capitoſos & ſuperſtitioſos Regulæ interpretes, qui pleroſque periculoſa infecerant doctrina, ſevere punivit. Die XXVI. in Guadalcanalis provinciæ Angelorum, Franciſcum de Hinoxoſa.

VII. Non plene tamen abſolverat Comitia Carthaginenſia, quando percepit, Cardinalem Quiñonium, abſoluta ſua ad Cæſarem legatione, reditum ad Pontificem, rebus proſpere peractis, accelerare. Properavit itaque Madritum, ut circa Ordinis ſtatum, reſque felicius diſponendas hominem peritiſſimum conſuleret, & officioſe pro debito in officio prædeceſſorem, ſuæ dignitatis auctorem, dignumque Ordinis ornamentum, tanta dignitate fulgentem ſalutaret: ſed dum tarde pervenerat, litteras valde officioſas, negotio plenas Comiti Lunæ Cardinalis nepoti, tradidit mittendas, ita inſcriptas: *Admodum Illuſtri ac Reverendiſſimo Domino Domino Cardinali ſanctæ Crucis Patri noſtro*: quarum reſponſum non niſi ex Urbe potuit habere.

An Miniſtri Gener. poſſint eligi per compromiſſum.

VIII. Madrito regreſſus, dictæ præfuit Generali Congregationi totius nationis, in qua præter reliqua, quæ univerſum Ordinis regimen concernebant, actum eſt de quodam Pontificis diplomate apud Viterbium dato, & a Cardinale ſanctæ Crucis ad Calcenam tranſmiſſo, in quo propter tot maris & terræ diſcrimina, viaſque omnes ab hoſtibus præcluſas, Pontifex diſpenſabat cum patribus Ultramontanis ad Comitia Generalia Parmæ indicta, accedere nolentibus, & concedebat ut electio Miniſtri Generalis fieri poſſet per Patres Ciſmontanos, compromittentibus in eorum ſuffragia Ultramontanis. At gratiis habitis de oblato beneficio, univerſi Patres dixerunt non eſſe acceptandum, dum ex Regulæ præcepto tenebantur Miniſtri & Cuſtodes omnium Provinciarum electioni Miniſtri Generalis intereſſe: & proinde ſe paratos, poſthabitis omnibus periculis, tempore debito Parmam proficiſci. Attamen quod hi Patres unanimiter rejecerunt, in ipſis Comitiis denuo inculcatum & decretum eſt, uti ſuo loco dicemus.

Calcena proſpicit rebus indicis.

IX. Statuit inſuper Calcena in eadem Congregatione, ut ex provincia Conceptionis, quæ Fratribus abundabat, mitterentur aliquot ad provinciam ſanctæ Crucis in Indiis Occidentalibus, operariis indigentem; unumque conſtituit eorumdem Præfectum, & Provinciæ Commiſſarium Viſitatorem, conceſſa facultate, ut in Miniſtrum eligeretur, ſi regimini videretur idoneus; eique auctoritatem impertiit, ut ex ſuis ſubditis quoſdam mitteret ad Cuſtodiam ſancti Evangelii novæ Hiſpaniæ, alioſque miſſionibus ineptos ad proprias remitteret Provincias. Amplam denique dedit facultatem omnium Provinciarum Fratribus transfretandi in novam Hiſpaniam, dummodo a ſuis Miniſtris idonei haberentur, prohibito tamen regreſſu ante ſexennium. Demum Viſitatorem Generalem omnium Fratrum tam in inſulis, quam in contineuti commorantium, miſit Joannem de Toledo, virum nobilem & prudentem, qui probe diſcuteret, in quo ſtatu Fratrum miſſiones, & gentium converſiones verſarentur. Hic ubi ad Hiſpaniolam pervenit, protinus ſedavit quaſdam controverſias inter Minores & Prædicatores circa Theologica dogmata exortas, magnum reputans fidei propagandæ detrimentum, ut religionis Doctores circa docenda diſſiderent. In illis autem partibus erant magna ſuffulti auctoritate quoad protectionem Indorum, & Provinciarum partitiones, frater Petrus Mexia de Trillo Miniſter provinciæ ſanctæ Crucis, & frater Joannes Suarez deſignatus Epiſcopus & Commiſſarius Floridæ, ampliſſimæ Provinciæ, necnon Guardianus Minorum, & Prior Prædicatorum urbis Mexicanæ, circa ſtabiliendum ea in urbe regium Senatum, & urbicum Magiſtratum.

Herr. dec. 4. lib. 5. cap. 8. & ſeq.

X. Diem

Anno Christi 1528.	Clementis VII. an. 5. & 6.	Caroli V. Imp. anno 10.	Religionis Minorum anno 321.

X. Diem obierunt ſub hunc annum aliquot viri præclari. Chriſtophorus Cardinalis Numajus hoc ipſo anno x. Kal. Aprilis deceſſit, uti diximus, quando ſermo occurrit de ejus ad Cardinalatum aſſumptione, etſi Petrus Rodulphus ejus mortem ſub annum ſequentem reponat. Antonium Trombettam hoc etiam anno obiiſſe, ſcribit Angelus Portinarius libro de ſelicitate Patavina, citatque pro ſua aſſertione Scardeonium de rebus Patavinis & Riccob. de Gymnaſio Patavino. Sed plane irrepſit error in numerorum notas: illi enim habent deceſſiſſe anno MDXVIII. quod & nos ſcripſimus in opere de ſcriptoribus Ordinis Minorum: attamen ad illum annum ex certiſſimis tabulis docuimus ejus mortem in annum MDXVII. incidiſſe. Obiit tamen hoc anno Franciſcus Merot, vir eximia pietate, qui ex Guardiano & Lectore Conventus ſancti Audomari, & ſecretario Franciſci de Angelis Miniſtri Generalis, electus eſt Miniſter provinciæ Flandriæ anno MDXXVI. etiamſi tunc degeret in Italia. Sub hunc annum reponunt aliqui mortem fratris Bonaventuræ Firmani, in ſeculo nobilis, in Religione abjecti, pauperis & pœnitentis. Miræ fuit abſtinentiæ, per plurea quadrageſimas longum protrahens jejuuium. Poſt matutinas preces perſeverabat in oratione uſque ad horam primæ. Proximorum ſaluti totus addictus, aut ferventer & cum fructu prædicabat, aut confeſſiones continuo excipiebat. Deceſſit in Conventu Firmano Fratrum Obſervantum. Poſt novem menſes inventum corpus incorruptum & pulchrum, translatum eſt ad latus Altaris majoris, ubi miraculis emicuit.

Mortuus Cardin. Numajus. *An. 1517. n. 15. Rod. fol. 229. Et Anton. Trombetta. Portin. fol. 405. Scardeon. l. 2. claſ. 7. Riccob. l. 2. c. 13. Gonz. in provin. Fland. in fin.*

Franc. Merot. *Marc. 3. par. l. 9. cap. 40. impreſſ. 1598.*

Bonav. Firmanus.

XI. Etiam hoc anno vita functus eſt Joannes Navarretus * inſignis provinciæ Caſtellæ alumnus, Divini verbi ardentiſſimus concionator; devotione erga ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum totus accenſus, ubique ejus venerationem inculcabat, & per vicos ac caſtella, ut decentius & nobilius haberetur, ipſe indefeſſe circuibat, & ſerica paramenta, ac munda procurabat linteamina. Pietatem hanc inſtillavit Tereſiæ Enriquez uxori Guttierri Lopez a Cardenis Magni Legionis Commendatarii, quæ multa hujus generis in vita præſtitit beneficia pauperibus ſui dominii Eccleſiis, & in morte reditus legavit perpetuos hujuſmodi conſervandæ & augendæ venerationi, in templo ſui oppidi de Torrixos, qui in hunc diem a *ſanctiſſimo Sacramento* nomen accipiunt, & diſtribuuntur per vicinas Eccleſias egentiores. Hoc fervore accenſus ſubiit in montana Aſturica, & Gallæca, rudibuſque indigenis per dies multos prædicavit, pueros erudivit, Templa mundavit & ornavit. Volens demum reverti in ſuam Provinciam, dum die quodam prædicaret in caſtro Portus-novi, Gallæciæ oppido, auſcultantibus dixit: *Teſtis eſt mihi Deus, unum ex iis, qui hic aſtamus, poſt triduum emoriturum.* Quod quidem in ipſo completum eſt, quarto enim die, tranſiens per Montana Portellæ de Fabera, ut pauperibus Eccleſiis de ſupellectile quam ferebat, provideret, ex caſu collifus, ſanctiſſime animam egit, ſacris procuratam Sacramentis. Reſplenduit facies ejus poſt mortem, & ſuaviſſimus ex toto corpore odor prodibat. Corpus allatum eſt ad Templum ſuorum Conſodalium Pontis veteris, ut ipſe petierat, & alias narravimus, ubi cancellis honorifice munitum, multis claret miraculis, & magna colitur veneratione.

* al. Navarriete. Joannes Navarretus. *Marc. cit. c. 39. & ſeqq. Salaz. in Prov. Caſtellæ cap. 5. & ſeqq.*

Tom. 9. an. 1395. n. 4.

XII. Ex miraculis aliquot hic breviter libet recenſere. Dum corpus ad prædictum ferretur Conventum, extincta eſt, quæ præferebatur in lucerna candela, quæ paulo poſt, dum lumen ex oppido affertur vicino, ex ſemetipſa viſa eſt accendi. In loco quo cecidit, erupit fons aquæ ſalutaris, morbis pellendis efficaciſſimæ. Maria puella filia Joannis de Fonte, & Mariæ itidem

Multa patrat miracula.

dem de Fonte, brachiis & cruribus contracta, audiens multa referri de prædicti fontis virtute, magna concepta opinione de Navarreti ſanctimonia, rogavit ut ad ejus ferretur ſepulcrum. Illuc vecta, oravit, paululum obdormivit, & ſtatim ſanata eſt ab illo languore, quo per menſes octo laboravit. Adoleſcens Joannes de Gandara ſimiliter ad ſepulcrum orans, liberatus eſt a vehementi ſtomachi dolore, quo per octiduum ita afflictabatur, ut neque requiem, neque cibum capere potuerit. Filius Alphonſi de Sandoval fluxu ventris cruciatus, edere non valens, ad mortem ex medicorum judicio properabat: ſed ad venerationem corporis ſervi Dei portatus, ibidem parumper requievit, ſtatimque panem petiit & comedit, cœpitque melius habere. Violantes Gonçalez Joannis de Paris, & Catarinæ Gonçalez filia, medio corpore a cingulo deorſum ſiderata, in ſupradicto fonte lota, & ad ſepulturam orans, recta & vegeta domum redivit. Omnia hæc miracula anno MDXXXV. ſunt perpetrata.

XIII. Anno ſequenti trina hæc contigerunt: Joannes de Villarante Cantaber, annis quinque febribus vexatus, prædicto loco dormiens & orans, priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati. Agnes Gonſalvi de Fonte filia, toto corpore adeo contracta, ut neque ſedere, neque ſe movere potuerit, eodem loco cœpit fulcris incedere, & aliquoties ad idem ſepulcrum iiſdem adjumentis innixa revertens, demum repente gratiam integram recepit. Maria de Lima quinque menſibus cruribus attracta, ſecundo & tertio ad ſepulcrum profecta, integre convaluit. Quæ vero ſequuntur ſanitatum gratiæ, anno MDXXXVII. obvenerunt. Antonius Joannis de Guerra & Mariæ Diaz filius, a gutturis dolore, quo per menſes quatuor vehementer dolebat; & mulier quædam ab eodem malo; Joannes Laurentius ſideratus, & cruribus captus, & mulier inferiori corporis parte præmortua, altera brachiis & cruribus ferme deſtituta; tertia Maria Rodriquez totaliter ſiderata, quarta oculis gravata, Lucia Perez annis octo infirma, per ubera, brachium ſiniſtrum & tibias putidis meatibus plena, & adoleſcens quidam morti propinquus ad ſepulcrum Viri ſancti perfecte convaluerunt. Omnia hæc miracula exſcripta ſunt ex authentico Inſtrumento a publico Notario confecto, in quo alia viginti quinque haberi referunt Marcus Ulyſſiponenſis, & Salazarius. Codicem autem repoſitum apud Comitem de Nieva, Gallæciæ Progem ad Indias Occidentales, quo ſub Philippo II. Hiſpaniarum Rege amandatus eſt, ab eo delatum fuiſſe narrat Franciſcus Gonzaga, & ex eo alia duo adjungit miracula anno MDLIX. patrata, Agnetis ſcilicet ex oppido ſancti Martini Gregorii filiæ, membris omnibus integro anno contractæ, & paralyticæ, & Joannis a Caſtro ab infantia unius tibiæ fœda contractione male affecti, ſanationes.

Gonz. in Provin. S. Jacobi Conv. 15.

XIV. Joannes Fanenſis, Miniſter provinciæ Picenæ, de quo ſupra actum eſt, dum ægre fert Matthæum de Baſſio, & Ludovicum, ac Raphaelem Foroſempronienſes germanos fratres a ſua obedientia dilapſos, per incertas ſedes circuire, modis omnibus tentat eos ad Religionis gremium reducere. Illi autem eluſis aliquando Joannis conatibus, ad Ducum Camerinenſium Joannis Varani, & Catarinæ Ciboæ, Clementis Papæ neptis, patrocinium confugerunt, in eorumque palatium recepti, vitam aliquandiu duxerunt religioſam. Horum Principum, & Epiſcopi Camertis auxilio, accedente Cardinalis de Valle Ordinis Protectoris aſſenſu, ut imperium & iram declinarent Joannis, ad obedientiam tranſierunt Patrum Conventualium anno præterito. Magiſtri itaque Provincialis Marchiæ facultate obtenta, hoc anno ad Pontificem profecti, Duciſſæ Catarinæ penes aulicos & Pon-

Anno 1525. n. 22. Bovr. an. 1527. & ſeq.

Miniſter Picenus conatur Baſſium & ſocios ad Ordinem reducere. Illi ſe ſubjiciunt Conventualibus,

Pontificem auctoritate, ejuſque commendatiis litteris, ac Epiſcopi prædicti, qui domus Pontificiæ fuerat antea Præfectus, diploma iſtud impetrarunt.

Dilectis filiis Ludovico & Raphaeli de Foro-Sempronio Ordinis Fratrum Minorum profeſſoribus, ſalutem &c.

XV. *Religionis zelus, vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, ac virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendatitio teſtimonio, Nos inducunt, ut votis veſtris, præſertim quæ animarum ſalutem, & Religionis propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos olim fervore ſerviendi Altiſſimo ducti, Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ingreſſi, in eo profeſſione emiſſi, per certum tempus permanſiſtis, & deinde de licentia veſtri tunc Superioris, juxta formam litterarum Apoſtolicarum ſuper unione & concordia inter prædictos, & Conventuales nuncupatos, Fratres dicti Ordinis edita enfectarum, ad ipſorum Fratrum Conventualium conſortium vos tranſtuliſtis, & a tunc Magiſtro Provinciali Provinciæ Marchiæ dictorum Fratrum Conventualium benigne recepti, ac aliorum Fratrum Conventualium ejuſdem Provinciæ numero & conſortio aggregati faiſtis. Et deinde vobis deſiderantibus pro animarum veſtrarum ſalute, ac Dei gloria eremiticam vitam ducere, & quantum humana patitur fragilitas, Regulam beati Franciſci obſervare, dictus Magiſter Provincialis licentiam ad Romanam Curiam accedendi, & a Nobis, ac Sede Apoſtolica quæcumque ad animarum veſtrarum ſalutem, ac Dei gloriam opportuna vobis viderentur, petendi & impetrandi conceſſit. Ac etiam dilectus filius noſter Andreas Titali ſanctæ Priſcæ Presbyter Cardinalis, dicti Ordinis Protector, vobis ut ſimilem impetrationem faceret, ita tamen, quod unus ex conſortio veſtro omnium veſtrorum nomine, Magiſtro Provinciali, ſeu Capitulo Provinciæ dictorum Fratrum Conventualium, in qua habitaretis, ſingulis annis ſe præſentare in ſignum ſubjectionis teneretur, & ipſe Magiſter, ſi ſibi videretur, ſemel in anno, & non ultra vos viſitare, & ſi invenerit vos prædictam Regulam non obſervare, ad eam plenius obſervandam vos admonere, ac debitis modis compellere poſſet: Præter hæc autem, nec vos de loco ad locum transferre, nec aliquid aliud vobis injungere, aut a vobis exigere valeret, ſed potius vos tueri & defendere teneretur, ut in pace poſſetis Altiſſimo in Divinis famulari; prout in litteris patentibus eorumdem Cardinalis Protectoris, & Magiſtri Provincialis deſuper confectis, plenius dicitur contineri. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis vitam eremiticam ducendi facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſalutem cupimus animarum, veſtrum quemlibet a quibus excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtitis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, ac litteras prædictas, & in eis contenta quæcumque præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium vobis, ut ſecundum Regulam prædictam vitam eremiticam ducere, & habitum cum Caputio quadrato geſtare, necnon omnes tam Clericos ſeculares & Presbyteros, quam Laicos ad veſtrum conſortium recipere, ac tam illi, quam*

vos barbam deferre, & ad eremiteria, ſeu loca quæcumque, cum conſenſu Dominorum eorumdem locorum vos conferre, & in eis habitare, vitamque auſteram & eremiticam inibi agere, & in quibuſcumque locis mendicare: necnon omnibus & ſingulis privilegiis, indultis, & gratiis Ordini Fratrum Minorum hujuſmodi, ac Eremo Camaldulenſi beati Romualdi, illiuſque Eremitis in genere vel in ſpecie hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis, & quibus ipſi quomodolibet utuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt in futurum, vos quoque æque principaliter ſicut ipſi, uti, potiri & gaudere libere & licite valeatis, plenam & liberam licentiam & facultatem concedimus. Et nihilominus univerſis, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, aliiſque in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis perſonis, necnon Canonicis Metropolitanarum, vel aliarum Cathedralium Eccleſiarum, ipſorumque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum, Vicariis in ſpiritualibus generalibus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eorum quilibet per ſe vel alios ſeu alium, vobis & veſtrum cuilibet in præmiſſis ... omnibus & ſingulis pacifice frui & gaudere; nec permittat veſtram quemlibet, contra tenorem præſentium modo aliquo moleſtari, impediri, aut inquietari. Contradictores quoslibet & rebelles, etiam per quaſcumque de quibus ſibi placuerit cenſuras & pœnas, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri etiam de una, & in Concilio Generali de duabus dictis edita, ac aliis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis Statutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, ac litteris Apoſtolicis per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam per vim generalis legis ac ſtatuti perpetui, ac motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibuſvis irritativis, annullativis, caſſativis, revocativis, præſervativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, & conſiſtorialiter quomodolibet etiam pluries conceſſis, confirmatis & innovatis: Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut certa exquiſita forma ſervanda foret, & in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſit, illorum etiam tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modos & formas ad id ſervandas pro individuo ſervatis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Viterbii, anno Incarnationis Dominicæ MDXXVIII. *v. Nonas Julii, Pontificatus noſtri anno* V.

Boverius hoc anno n°.

Quid in hac Bulla obſervatione dignum.

XVI. Zacharias Boverius multa in hoc diplomate, in forma ordinaria, & tenore Curiæ conceſſo, perpendit veluti myſteria, ſed nihil præter narrationem, & ſupplicationem ipſorum Fratrum Ludovici & Raphaelis, & aſſenſum Cardinalis Protectoris, ac Magiſtri Provincialis Conventualium,

Anno Chriſti 1528.	Clementis VII. an. 5. & 6.	Caroli V. Imp. anno 10.	Religionis Minorum anno 321.

lium, Cardinalis litteris patentibus expreſſum, ac demum Pontificis confirmationem continet: neque alio myſterio reticetur nomen Matthæi a Baſſio, quam quod illud exprimere noluerint Foroſempronienſes, ſed ſuis tantum nominibus ſupplicem porrexerint libellum; neque alia perpenſione indiget barbæ nutriendæ conceſſio, quam quod ſupplicantes ita petierint, ut Patribus Conventualibus, quibus ſubeſſe delegerunt, conformarentur, & magis ſe vitæ eremiticæ, quam affectabant, adaptarent. Quod autem ait, in prima Ordinis ætate Minoritas barbis intonſos inceſſiſſe, neſcio qua id conſuetudine affirmari poſſit, cum Honorius III. vivente adhuc ſancto Franciſco, pro privilegio indulſerit Fratribus in terras Sarracenorum proficiſcentibus, ut barbas poſſent nutrire. Quod autem obſervatione dignum reputat: *De novæ Reformationis ſeparatione, quæ illi ſtatim in ipſo ortu, a toto Ordinis corpore adjudicata fuit, quam*, inquit, *prior Obſervantium Religio vix poſt multa temporum intervalla conſequi potuit*, nihil continet ponderatione dignum, quam quod concupierint illi primarii Reformationis aggreſſores eam facilius proſequi, & liberius propagare ſub Patribus Conventualibus, quam poſſent ſub Obſervantibus, atque hoc impetrare potenti Principum favore, aliorumque auxiliis; Obſervantes vero paulatim, etſi per multas tribulationes & contradictiones, creverunt ſub Conventualibus; neque voluerunt unquam ab Ordinis corpore divelli, ſed vero capiti & legitimo ſancti Franciſci Succeſſori, penes quem poteſtas regendi, & ſigillum Ordinis reſidebat, humiliter ſubeſſe, juxta illud ipſius ſancti Franciſci præceptum: *& alii Fratres teneantur fratri Franciſco & ejus Succeſſoribus obedire*. Tunc autem facta eſt ſeparatio, quando a Conventualibus ad Obſervantes translatus eſt cum ſigillo Primatus, & Miniſtri Generalis totius Ordinis, quæ prius penes Conventuales erat, nomenclatura; uti a Leone Pontifice hujus Clementis patruele, factum fuiſſe multo præmiſſo conſilio narravimus diffuſe. Atqui eo etiam tempore emanarunt illæ litteræ Apoſtolicæ de unione & concordia inter Obſervantes, quarum hic meminit Clemens, in quibus ſub gravibus cenſuris præcipitur, ne Conventuales audeant Obſervantes recipere, neque iſti ad illos tranſire, aut ab obedientia ſuorum Miniſtrorum recedere, niſi habita prius ſui Superioris licentia. Hanc itaque licentiam pro hujuſmodi tranſitu ad Conventuales ſe impetraſſe exponunt Fratres Foroſempronienſes in Bullæ narrativa illis verbis: *De licentia veſtri tunc Superioris, juxta formam literarum Apoſtolicarum ſuper unione & concordia inter prædictos* (Fratres Minores de Obſervantia) *& Conventuales nuncupatos Fratres dicti Ordinis edita, confectarum, ad ipſorum conſortium vos tranſtuliſtis*. Quam equidem licentiam impetrare facile fuit a Fanenſi Miniſtro, interveniente Cardinalis Protectoris, huic negotio favorabilis auctoritate, & potentiſſimo Ducum Camerinenſium favore & efficaci interceſſione, quibus tamquam Pontificis conſanguineis, & aliquot Provinciæ ſuæ Picenæ Conventuum patronis, Miniſtri plurimum intererat complacere, præſertim in dimittendis pauculis Fratribus, quos nulla vi aut arte poterat ad ſuam reducere diſciplinam. Atque hoc ſenſu nonnullos intellexiſſe periodum hanc, fatetur ipſe Boverius, quam tamen in alienum intellectum violenter contorquet. Quod autem in ſuæ interpretationis confirmationem adducit de ſupplici libello per Procuratorem Ordinis Pontifici oblato, longe poſterius eſt iſto diplomate, uti anno ſcribemus ſequenti. Alia his ſimilia, quæ proponit tamquam gravi obſervatione expendenda, videri poſſunt apud hunc auctorem, in hujuſmodi Bullarum tenoribus non adeo forte verſatum.

Ibid. num. 15.

Vide diploma to. 2. an. 1226. nu. 64.

Vide etiã Chron. Min. Tom. 1. lib. cap. 25.

Regula cap. 1.

Anno 1517. n. 20.

Bover. an. 1527. num. 36.

Idem ann. 1528. n. 28. & ſeq. Creſcit numerus Capuccinorum.

XVII. Sparſa fama hujus conceſſionis Pontificiæ, aliis ejuſdem provinciæ Marchianæ indictum eſt deſiderium Ludovico & Raphaeli ſe aggregandi. Primi ſe aſſociarunt Matthæus Baſſius antea conſocius, & Paulus Clodienſis, qui Matthæo ſe adjunxerat, & domicilium pauperculum ſibi pararunt prope ædiculam ſancti Chriſtophori & Urbem Camerini. At creſcente numero ad novæ Congregationis tum ex Obſervantum cœtu, tum ex ſeculo adventium, inde tranſmigrarunt ad Cœnobium Colmenzoni, juxta ſancti Marcelli oppidulum, quod ſpectabat ad Fratres ſancti Hieronymi, & ab illis prædicta Duciſſa impetravit in uſum hujus novæ Congregationis. Ex Obſervantia acceſſerunt præ reliquis quinque, Matthæus Leopolitanus, Petrus * Appinianenſis, Antonius a Penna Billiorum, Paulus a Colle-amato, & Bernardinus Offidanus Laicus. Hi vero vel non contenti auctoritate, quam habebant Foroſempronienſes alios ſibi aggregandi, vel ejus penitus ignari, impetrarunt a Laurentio Epiſcopo Prænestino Summo Pœnitentiario ſimilem vitam eremiticam ducere, & alios ad ſuum cœtum admittere, abſque ulla quadrati capitii, aut barbæ intonſæ mentione. Exhibeo ipſum inſtrumentum.

* *alias* de Pagnano.

LAURENTIUS miſeratione Divina Epiſcopus Prænestinenſis, Dilectis in Chriſto Matthæo de ſancto Leone, Petro de Pagnano, Bernardino de Offida, Antonio de Pennebilis, ac Paulo de Colle-amato Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia Profeſſoribus, ſalutem in Domino.

XVIII. *EX parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod vos eum animi veſtri quiete, & bona conſcientia in Ordine prædicto ulterius remanere non valentes, ob melioris vitæ frugem, cupitis vitam ducere eremiticam: ſuper quo ſupplicare feciſtis humiliter, vobis per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio juris provideri. Nos igitur auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato, ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, vobis & cuilibet veſtrum, ut Superioris veſtri licentia ſuper hoc per vos vel alium ſeu alios petita, licet non obtenta, extra loca dicti Ordinis vel vitam eremiticam, vel ſolitariam in aliquo pio loco a cœtu hominum remoto, ubi benevolos inveneritis receptores, ſub habitu a beato Franciſco Ordinis prædicti Fratribus deſignato, & ſub obedientia & juriſdictione Miniſtri Generalis Fratrum Conventualium ejuſdem Ordinis, vivendo ſimul, vel ſeparatim vitam ducere, accipere eleemoſynas, & alia piæ & caritativa ſubſidia vobis a Chriſtifidelibus eroganda recipere, illaque & illas in uſus veſtros licitos & neceſſarios convertere; & nihilominus omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis & indultis Ordini Minorum prædicto quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſitis & valeatis, tenore præſentium indulgemus, & licentiam & liberam concedimus facultatem. Quocirca Venerabilibus in Chriſto Patribus Dei gratia Camerinenſi & Urbinatenſi, vel eorum & cujuslibet ipſorum, & aliorum quorumcumque Ordinariorum locorum, in quorum diœceſibus vos pro tempore reſidere contigerit, Vicariis, & eorum cuilibet auctoritate & mandato prædictis committimus & mandamus, quatenus vobis & cuilibet veſtrum in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant vos per quoſcumque Ordinis Superiores, Prælatos, & Fratres, aut Judices, ac perſonas alias tam Eccleſiaſticas, quam ſeculares quavis auctoritate, etiam Apoſtolica fungentes, in perſonis, rebuſque veſtris, aliiſque quovis quæſito colore vel ingenio moleſtari, perturbari, ſeu alias quomodolibet inquietari, con-*

contradictores quoslibet & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris opportuna remedia, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis prædicti ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque & indultis, ac litteris Apoſtolicis etiam in forma Brevis, etiam per Bullam concordiæ inter Fratres Conventuales, & Obſervantes ejuſdem Ordinis factæ, Ordini prædicto, illiuſque Superioribus Prælatis & perſonis, ſub quibuſvis verborum formis & tenoribus, ac clauſulis & decretis, communiter & diviſim conceſſis & confirmatis & innovatis: Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis ſpecifica & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut forma ſervanda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub ſigillo officii Pœnitentiariæ III. *Idus Septembris, Pontificatus D. Clementis VII. anno* V.

XIX. Iſtos ſequuti ſunt ex eadem Obſervantia alii quatuor, Auguſtinus a Tipherno Metaurenſi, Archangelus a Matelica, cum uterino fratre anonymo, & Sylveſter Tignienſis. Cum vero familia ad numerum decimum octavum excreviſſet, Ludovicus, qui reliquorum curam agebat, alterum Cœnobiolum ad Montem Meloni, Camerinenſis agri oppidum, eadem Duciſſa, quæ plurima bona illic poſſidebat, poſtulante, extrui curavit.

XX. Creati ſunt Epiſcopi: Guadicen. ſub Archiepiſcopo Hiſpalenſi, per translationem Gaſparis ad Granaten. frater Antonius de Guevara, Caroli V. Chronologus & Conſiliarius, die XXII. Januarii. Ita habetur in actis Conſiſtorialibus, ſed Petrus Rodulphus id refert in annum ſequentem. Algaren. in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Turritano, frater Dominicus Paſtorellus, ſacræ Theologiæ Doctor, per obitum Guillelmi Caſſadoni, die XXVII. Januarii. Antibaren. Archiepiſc. frater Ludovicus Cherigattus, per obitum Joannis, die XI. Maii. Dulcinen. ſub eodem Archiepiſcopo, frater Petrus de Urrea, die XX. Novembris.

Fr. Anton. Epiſcop. Guadicen. *Rodul. f.* 234.

Fr. Domin. Algaren.

Fr. Ludov. Arch. Antibaren.

Fr. Petrus Epiſc. Dulcin.

XXI. Poſtquam Senenſis dominii Conventus ſeparati ſunt a provincia Tuſciæ, uti ſuo loco diximus, ut numero creſcerent, Patres novæ provinciæ ad Montem Cellonici hoc anno conſtruxerunt, parvum tamen, & paucorum Fratrum habitaculum. Aliquanto procul a Barulo Apuliæ urbe, graſſante in iis partibus inter Gallos & Hiſpanos bello, deſtructus fuit Conventus ſancti Andreæ Minorum Obſervantum; ſed hoc anno alius multo elegantior & commodior erectus eſt intra urbis mœnia, ſub eadem invocatione, in quo Theologiæ & Philoſophiæ ſtudioſi nutriuntur. In provincia ſancti Franciſci, & Cuſtodia Peruſina Patrum Conventualium hoc anno receptus eſt locus Fontanellæ, ab Univerſitate oppidanorum donatus.

Conv. Cellonicel. *Ann.* 1523. *n.* 20 & 5. *Gonz. in Provincia Tuſcia Conv.* 45.

Conv. Baroli. *Idem in Provin. S. Nicolai Conv.* 38.

Conv. Fontanellæ. *Rodulph. f.* 252.

XXII. Ad ſextum lapidem ab urbe Hiſpalenſi inter conferta & pulcherrima oliveta, ex altera parte Bætici fluminis, non longe ab oppido Eſpartinarum, prope turrim Lauretanam, Maria Manuel ex proſapia Ducum Metymnæ Sidonii, uxor quondam Henrici Guſmanii, hoc anno ex voto propter extremum vitæ diſcrimen emiſſo, Conventum elegantiſſimum Fratrum triginta, nunc Recollectorum, & pulcherrimam Eccleſiam beatæ Mariæ Lauretanæ, ubi eremitorium extiterat ſanctæ Mariæ de Valle-viridi, conſtruxit. Ipſa porro ſe totam Deo devovit in Ordine ſanctæ Claræ, ſanctoque fine quievit, uti ſuo loco dicemus. Patribus provinciæ Pietatis religio-

Conv. Eſpartinar. *Gonz. in Provin. Bætica Conv.* 20.

Anno 1543.

Conv. Tomarii. *Idem in Provinc. Pietatis Conv. 17.*

ligioſiſſimæ Communitas oppidi frequentis & locupletis quidem, Tomarii, Diœceſis Ulyſſipponenſis, hoc anno Cœnobium poſuit Annunciationis beatæ Mariæ in fundo, quem Eliſabetha Teineira liberaliter conceſſit. Intra

Conv. Auguſtæ Emeritæ. *Idem in Provin. S. Michaelis Con. 17.*

muros Auguſtæ-emeritæ, hoc anno ædificari cœpit Conventus ſancti Franciſci partim publicis, partim privatis eleemoſynis. Eccleſia conſecrata eſt anno MDXXXVI. die XII. Octobris ab Alphonſo Guſmanio Scalabi Epiſcopo. Haud procul ab Uſerio, Sardiniæ oppido, hoc etiam anno Cœnobium

Conv. Uſerii. *Idem in Provin. Valent. Conv. 6.*

alterum ſancti Franciſci publicis oppidanorum facultatibus conſtructum eſt.

XXIII. Pro Sororibus ſanctæ Claræ hoc anno Maria a Silva Duciſſa

Mon. Metymnæ cœli. *Idem in Provin. Caſtellæ Mon. 8. Salaz. l. 5. 635.*

intra mœnia ſui oppidi Metymnæ cœli Monaſterium conſtruxit ſub invocatione ſanctæ Eliſabethæ: acceptavit frater Didacus Ciſnerius provinciæ Caſtellæ Miniſter. Primæ fundatrices evocatæ ſunt ex Monaſterio Toletano ſanctæ Eliſabethæ, Iſabella de Toleto Comitis Oropeſæ ſoror, prima Abbatiſſa, Aldonſa Pantoxa, Joanna Mexia, & Catarina Suarez. In oppido

Mon. Gazorlæ. *Gonz. in Provin. Granata Monaſt. 23.*

Cazorlæ regni Granatenſis, ab anno MD. uſque ad MDXV. in Monaſterio D. Gregorio dicato, & a Garſia de Villa regia ſub invocatione ſancti Georgii, mox titulo ſanctæ Crucis, conſtructo, habitarunt Sorores aliquot ſub Tertio ſancti Franciſci Inſtituto. Aſſumpta autem illo poſteriori anno Regula ſanctæ Claræ, ſub ea militarunt uſque ad hunc annum MDXXVIII. quo ad aliud nobilius domicilium, ſuis ſumptibus ſub tutela ſancti Joannis Baptiſtæ erectum, tranſierunt. Hic obiit Eleonora Rodriquez prima Abbatiſſa, cujus

Eleonora Rodriguez.

ſanctitas, pœnitentia, humilitas & caritas vix poſſunt enarrari. Ejus corpus poſt multum temporis ſortuito exhumatum, incorruptum ſuaviſſimeque redolens, inventum eſt. Aliud etiam hoc anno Religioni adjunctum, ſeu

Mon. Bononien.

ad eamdem translatum Monaſterium in urbe Bononienſi, per ejuſdem urbis Antiſtitem Laurentium Cardinalem Campegium, ſcribit Carolus Sigonius his verbis: *Tum vero Bononiam reverſus* (Laurentius Cardinalis) *ex Pontificis decreto Sorores ſanctæ Mariæ ad Puliolas ſub regula ſancti Auguſtini indecore viventes inde removit, ac loco earum puellas aliquot ſanctæ Marthæ locavit, & legibus ſanctæ Claræ aſtrinxit, & ſancti Bernardini ac ſanctæ Marthæ nomine inſignivit.*

Sigon. de Epiſcopis Bononien. l. 4. hoc anno.

XXIV. Guardianus & Fratres Conventus montis Sion Hieroſolymitani, & aliorum locorum Terræ ſanctæ, ſignificaverunt Clementi Pontifici & ſacro Collegio Dominorum Cardinalium extremas ipſorum neceſſitates, & pericula quibus ſubjacebant prædicta loca perdendi, niſi ipſis ſubveniretur. Eorum miſerti tum Pontifex tum Cardinales, decreverunt, ut eis ſingulis annis ad beneplacitum ſubminiſtrarentur aurei quingenti ex Camera Apoſtolica, & alii totidem ex fructibus & reditibus pilei Dominorum Cardinalium. Decreti Apoſtolici anno ſequenti pronunciati tenor hic eſt, cui aſſimilatur ferme per omnia alterum ſacri Collegii hoc anno datum per Guillelmum de Enchencourt tituli ſanctorum Joannis & Pauli Presbyterum Cardinalem Dertuſen. ſacri Collegii Camerarium.

Decernitur ſubſidium annuum locis Terræ ſanctæ.

AUGUSTINUS SPINULA miſeratione Divina tituli S. Cyriaci in Thermis Presbyter Cardinalis Peruſinus, ſanctiſſimi Domini Noſtri Papæ & S. R. E. Camerarius.

Regeſt. Ciſmont. fol. 51.

Venerabilibus viris Guardiano & Fratribus domorum ſive Conventuum Montis Sion Hieroſolymitani, & aliorum locorum Terræ ſanctæ, Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia, Salutem in Domino ſempiternam. Cum nuper pro parte veſtra ſanctiſſimo Domino Noſtro Clementi Pa-

Papæ VII. fuerit expoſitum, quod fideles, qui in iſtis partibus degunt, qui admodum pauci ſunt, morbis & annorum ſterilitate fatigati, & quodammodo annihilati, ſeu alias devotione frigeſcente, ſolitas vobis manus adjutrices non porrigunt, & peregrini ex Europa, qui eleemoſynas emportent, propter bella ubique fere locorum terra marique vigentia, ut ſoliti erant, ad ſanctum Domini noſtri Jeſu Chriſti Sepulcrum non confluunt, unde fit ut vos, qui fere alios reditus non habetis, euſtodiam Dominici Sepulcri, & loca illa Sancta dimittere cogamini, niſi de aliqua veſtris neceſſitatibus ſubventione ſuccurratur. Proindeque præfato ſanctiſſimo Domino noſtro Papæ ſupplicari feceritis, ut de liberalitate & benignitate Apoſtolica dignaretur vobis providere, ipſeque Sanctiſſimus Dominus noſter Papa, licet ærarium Apoſtolicum in præſentiarum, propter inſtantes & omnibus notas calamitates, ſit penitus exhauſtum; nihilominus ſperans, quod res in dies melius ſuccedent, veſtrum ſupplicationibus inclinatus, nobis commiſit, ut de aliquo vobis ſubventionis auxilio provideremus. Nos ſperantes quod Camera Apoſtolica brevi facultates & vires ſuas reſumet, & cupientes vos a Dominici Sepulcri cuſtodia non recedere, ac in locis eiſdem orationi & Divinis officiis inſiſtendo; jugem Domino noſtro Jeſu Chriſto quieta mente famulatum præſtare, de ſpeciali ſanctiſſimi Domini Noſtri Papæ mandato, vivæ vocis oraculo ſuper hoc nobis facto, & auctoritate noſtri Camerariatus officii, vobis, ſuper quibuſvis tam Eccleſiaſticis, quam temporalibus Cameræ Apoſtolicæ introitibus, fructibus, reditibus & proventibus, ducatos quingentos auri de Camera quolibet anno, ad Sedis & Cameræ Apoſtolicæ beneplacitum, aſſignamus: mandantes Domino ſanctiſſimi D. N. Papæ, & Cameræ Apoſtolicæ Theſaurario generali nunc & pro tempore exiſtenti, quod de quibuſque dictæ Cameræ pecuniis penes eum, aut alias ubilibet exiſtentibus, dicto beneplacito durante, ſingulis annis, prædictam quingentorum ducatorum ſimilium quantitatem in Romana Curia vobis, ſeu pro vobis Procuratori veſtro legitimo, de conſenſu tamen Procuratoris generalis, ſeu Commiſſarii dicti veſtri Ordinis in Romana Curia pro tempore exiſtentis, & non alias, aliter, nec alio modo, perſolvat, aut perſolvi mandet & faciat, & iiſdem ſolutis, fidem ac quietantiam more Camerali accipiat. Nos enim ſummam ſic ſolutam in computis ejuſdem Theſaurarii admittemus, & per Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Clericos, & alios quoſque admitti debere volumus & mandamus, contrariis non obſtantibus quibuſcumque. In quorum fidem præſentes noſtras, & infraſcripti Cameræ Apoſtolicæ Notarii manibus ſubſcriptas, fieri, & ſoliti noſtri Camerariatus officii ſigilli fecimus appenſione muniri. Datum Bononiæ in Camera Apoſtolica, die XXII. *Decembris* MDXXIX. *Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri, Domini Clementis Divina providentia Papæ VII. anno* V.

Veriſius.

AR-

ARGUMENTUM.

Quiñonius tamdem firmiſſimam pacem inter Pontificem & Cæſarem componit, quam etiam confœderati Principes amplexantur. In Mexicana & Peruana vaſtiſſimis Indiarum provinciis, Minoritæ perpetua catecheſi, & vitæ probitate fidem longe lateque diſſeminant, atque Indorum filiis ac filiabus educandis collegia procurant. Antonius Calcena Vicarius Generalis dum Parmam proficiſcitur, Comitia Generalia celebraturus, infirmatur. In Comitiis præſidet Paulus Piſottus, & aſſumitur ad Generalatum. Statuitur, ut electio Generalis alternative in familiis fiat per compromiſſum. An id expediat, late diſcutitur. Conventuales, & Capuccini ſua etiam celebrant Comitia; & horum quidem Congregatio majores quotidie vires aſſumit. Moritur Petrus a Guardia. In Hungaria plerique Fratres a Turcis trucidantur. Numerantur hujus anni Epiſcopi, & Cœnobia.

Cócluditur pax inter Principes Chriſtianos. *Guicciard. l. 19.*

I. HOc tamdem anno pax firmiſſima ſtabilita eſt inter Pontificem & Cæſarem, procuratore & auctore Cardinale Quiñonio, qui Madriti ita pro Clemente egit, ut Carolus faciliorem ſe oſtenderit ad pacem ineundam, ejuſque conſtituendæ leges præſcripſerit mitiores. Ubi vero divulgatum eſt, Quiñonium ineunte hoc anno, re cum Cæſare confecta, in Italiam redire, & pacem referre, apud Reges & Principes quietis & concordiæ ſtudium cœpit apparere. Fatigati enim bellorum expenſis & incommodis, videntes Clementem ab ipſorum fœdere receſſiſſe, & cum Carolo res ſuas, & conſanguineorum compoſuiſſe, decreverunt etiam illi pacis cogitare conſilia. Itaque Galliæ Rex, qui id ſummopere cupiebat, per litteras Legatis ſuis poteſtatem dedit, & Rex Angliæ eamdem ob cauſam Legatos Romam amandavit. Pontificem porro Quiñonii adventus magnopere exhilaravit, auditis præſertim Cæſaris mandatis de reſtituendis Oſtiæ & Civitatis veteris muniuentis. Atque hinc cœpit occultiora certioraque cum Cæſare conſilia agitare, quæ in eumdem poſtremo finem perducta ſunt, ut firmiſsima pax, amicitia & affinitas inter utrumque perpetuo fœdere ſint conſtitutæ. Poſtremo Gallum inter & Cæſarem pax ſancita eſt, & confœderati Principes, exceptis Florentinis Pontifici adverſis, ab armis quieverunt.

Cæſar rebus Indicis corrigendis totus intendit. *Herr. dec. 4. l. 5. c. 4. & ſeq.*

II. Res Indicæ multo melius innotuerunt Carolo V. Hiſpaniarum Regi hoc anno, poſtquam a Ferdinando Corteſio quæ ad Mexicanas provincias, & a Franciſco Piçarro quæ ad Peruanam attinebant, palam & diſtincte ſcripto & verbo perceperat. Venerant illi in Hiſpaniam, ut abſterſis æmulorum calumniis, tot laborum & propagati imperii præmium acciperent, noviſque ſancitis legibus tollerentur Gentilium ſcandala & injuriæ, ac reſtringendæ Hiſpanorum avaritiæ, & dominandi libidini, modus aliquis præſcriberetur. Multa quidem tunc graviter conſtituta ſunt, accedente Epiſcoporum, præſertim electi Mexicani, & Religioſorum omnium relatione, magnis illis Ducibus, tot terrarum exploratoribus favorabili, ipſorumque verbis conformi. Vices rependit Corteſius, laudato ſummopere Mexicano Antiſtite a probitate vitæ, a prudenti regimine, ab animarum zelo, a ſumma erga Cæſarem fide, & promovendi imperii deſiderio. Laudavit inſuper Franciſcanos, quos primos accepit propagandæ Fidei adminiſtros: quas paſſi ſint ærumnas, labores, & contradictiones in converſionum exordiis, quan-

Corteſius laudat Minoritas.

quanta conſtantia omnia ſuperarint, quo religionis incremento tot idola deſtruxerint, & Deum verum per vaſtiſſimas provincias cœcutientibus populis annunciaverint, fideliter expoſuit. Ejus demum perſuaſione denuo commendata eſt Indorum protectio, & obſervantia multarum legum tunc latarum circa regimen, & doctrinam illarum provinciarum Præſuli Mexicano, aliis item Epiſcopis, & Prædicatorum ac Minorum Prælatis. Juſſum inſuper, ut in Civitate Mexicana Monaſterium conſtrueretur Clariſſarum, ſicuti factum erat in Texcuci, & Guaxozingi urbibus, in quibus educari poſſent filiæ tum Hiſpanorum, tum Gentilium converſorum. Et quidem Salmantica miſſæ ſunt ſelectæ Clariſſæ & Tertiariæ, ſive quas appellant *Beatas*, ut illæ Moniales, hæ puellas erudirent. Uxor Corteſii, hoc anno Marchionatu Vallis de Guaxaca, aliiſque honoribus a Cæſare condecorati, Joanna de Zuñica, Comitis Aguilarii ſoror, omnes Mexicum in ſuo duxit comitatu.

III. Franciſcum Piçarrum multis etiam Cæſar cumulavit beneficiis, magna concepta ſpe dilatandi ſui imperii in Peruana provincia; per quam ut Fides pariter propagaretur, dedit itineris ſocios Prædicatores & Minores, ex quorum ſodalitiis ut alii quamprimum ſubmitterentur, admonuit Primicerios. Magna hic præparabatur meſſis utriſque; in qua illi quidem, uti per ſubſequentes videbimus annos, ſe probarunt operarios inconfuſibiles, recte verba vitæ tractantes. At quantum & qualiter in regionibus illis a Corteſio inventis & ſubjectis, laborarunt Minores ab illorum ingreſſu uſque ad annum præſentem, dum commode per ſingulos annos enarrare non potuimus, hic coacervabimus, aliquali tamen, ubi innotuerit, annorum diſtinctione. Ea vitæ parcimonia, & rerum omnium contemptu opus hoc Apoſtolicum aggreſſi ſunt, ut animabus curandis, non auro vel argento corradendis, ſe adveniſſe fecerint compertum. Quando Apoſtolos Chriſtus miſerat prædicatum, vetuit *ne poſſiderent aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta*; ut docerent, verbi Dei miniſtros a rebus & affectibus mundanis longe alienos eſſe debere, ne viderentur non cauſa ſalutis prædicare, ſed lucri. *Quid enim non ſuſpectum eſt, ubi quis pecuniarum gratia ſpiritualia diſpenſat?* Virgam etiam, *per quam intelligitur appetitus nimium dominandi*, ferri prohibuit, ne dicerentur regna prædicare cœleſtia, & furripere terrena. Inſatiabilis illa cupiditas auri, & effrænis imperandi libido, quæ in Hiſpanis militibus & Ducibus præceſſerat, nomenque Chriſtianum adeo exoſum Gentibus effecerat, corrigenda erat tanta rerum omnium nuditate, ut prope neceſſaria amputanda eſſent, ſi Evangelii veritatem in tanta Indiarum commotione, & incolarum exacerbatione vellent perſuadere.

Qualiter ſe geſſerint Minoritæ in regione Peruana?

Matth. 10. 9.

Chryſoſtom. hom. 33. *in Matth.*

Lyran. hic in Moral.

IV. Adeo porro hi Evangelici viri a rerum cupidine abſtinuerunt, corporumque curam neglexerunt, ut ſolis placentulis e Mayzio, farre Indico, ac Chille, ceraſis ſilveſtribus, tunis (ficus Indicas vocant Europæi) confectis, pro cibo, aqua pro potu uterentur. Carnes raro & parciſſime comedebant. Lacera plurimum, & obſoleta incedebant veſte, quam variis reſarciebant ſegmentis, ita in plures producentes annos habitum religioſum, quem ex Hiſpaniis aſportarunt. Nullum calceamenti genus, neque ſandalia ferebant, nudis omnino pedibus incedentes. Pro lectis ſtoreas, pro cervicalibus ligna aut manipulos ſternebant ramorum, ſive aridarum herbarum, palliola dumtaxat pro coopertoriis obducentes. Somnum excipiebant non extenſo corpore, ſed contracto, ſedentium more, muris innixi, ut eſſet parciſſimus, minuſque ſentirent ad opus conſurgere; fructu vacuum & inane reputantes tempus omne, quod extra cultum Dei, aut proximorum tranſige-

Turrecr. lib. 15. *Monarch. c.* 37.

ſigebant ſalutem. Tuguriola, humileſque incolebant caſas, nihil inſerentea ſuperfluum aut pretioſum; ſolius Eccleſiæ nitorem procurantes. Orationi inſtantes, corpus flagellis variiſque macerabant cruciatibus, nulli dantes offenſionem, erga omnes benigni & manſueti. Extra domum ſumma incedebant modeſtia, oculos erga nullum abſque neceſsitate levantes. Ubi occurrebant Cruces aut ſacræ Imagines, ab ipſis ſtudioſe iis locis, & viarum compitis atque angulis, in quibus Gentiles Deos lares ac penates colebant, erectæ, orabant & adorabant, ſpectatoribus oſtendentes quanta reverentia Divinarum rerum typis erat occurrendum. Horas canonicas, piarumque orationum penſum mira perſolvebant religione, diſtincta & canora voce, debitaque ubi opus erat, morula cuncta interpungentes.

V. Hujuſmodi vitæ genus Indos, alias in vitia pronos, mirum in modum excitavit, ut Divinum quid in hominibus latere cogitarent, tractique funiculis pietatis, & in vinculis caritatis, in eorum prorſus ſe effuderunt amicitiam & reverentiam. Dei ſervos plurimum affligebat impotentia ſuos affectus erga innocuam, creditamque ſibi gentem explicandi, & rogabant Dominum meſſis, qui linguas infantium facit eſſe diſertas, illorum linguas erudiret, vel idioma infunderet, quo ejus juſtificationes & mandata docerent. Ante annum unum variis loquebantur linguis juxta variarum regionum, quæ ſibi contigerunt, diſtributiones. Primi vero Mexicanam multo ſtudio & labore apprehenderunt Ludovicus e Fuenſalida, & Franciſcus Ximenez, qui Grammaticam alioſque libros hujus idiomatis evulgavit. Acquiſito vel cœlitus infuſo, ubi cœperunt loqui, undique cœperunt diſcurrere, Deum verum edicere, falſos deteſtari, diſcipulos aggregare, puerorum inſtituere Seminaria, ex quibus multi prodierunt ſuorum gentilium præceptores. Ab iſtis ſuis diſcipulis prima rudimenta, & vocabula linguæ acceperunt Religioſi magiſtri, rerum obviarum nomina interrogantes, ſinguli ſuper ſuas claſſes, atque invicem noctu conferentes quotas qualeſque voces die illo didicerint; in peregrina illa lingua facti quaſi parvuli fluctuates. Fuerunt inter parvulos duo reliquis ingenio præcellentes, qui prius Hiſpanum a magiſtris hauſerunt idioma, quam illi Indicum perceperunt. His adjunxerunt religioſi viri alium Hiſpanæ cujuſdam fœminæ filium, nomine Alphonſum de Molina, ex Indorum continuo conſortio illorum linguam mediocriter callentem, quem ſibi a genitrice tradi, jubente Corteſio, tamdem impetrarunt. Perſeveravit hic ſemper in Fratrum obſequio, præſertim in ſermonum interpretatione, & domeſticis officiis, donec ætate adulta habitum ſuſcepit. Plurimum profuit gentis converſioni, ad varios populos ſecundum rerum exigentiam deſtinatus; mortuuſque eſt in bona ſenectute in Conventu Mexicano, poſtquam multos libros in illa lingua, erudiendis populis apprime utiles, ediderat, eiſque per annos quinquaginta ſacrum Evangelium annunciarat.

Idem cap. 18.

Inſtituunt puerorum Seminaria.

Idem c. 14. l. 19. c. ult. & lib. 20. c. 59.

Idola obmutescunt.

VI. Poſtquam Mexici primum, deinde in aliis urbibus templa conſtruxerunt, & ſanctiſſimam Euchariſtiam reverenter expoſuerunt, cœperunt Idola omnia obmuteſcere, nulla deinceps promentes oracula. Hinc imminutus honor Sacerdotum, & rara fiebant ſacrificia, ſtupente primum, mox deſpiciente populo muta ſimulacra. Etſi vero dæmon ſpectris nocturnis, horrendiſque apparitionibus & præſtigiis frequenter terreret, uti in conſueta idololatria miſellos contineret, parum aut nihil profecit, declinante quotidie inanium Deorum cultu ad veri Numinis conſpectum, uti proſtratum eſt Dagonis idolum, Arca teſtamenti in templum introducta. Diſpoſitis ita flexiſque utcumque Indorum mentibus, videntes Religioſi regiones

1. Reg 5.

jam

Anno Christi 1529.	Clementis VII. an. 6. & 7.	Caroli V. Imp. anno 11.	Religionis Minorum anno 322.

jam albas esse ad messem, ubi suos intelligere discipulos, & ab eisdem intelligi cœperunt, eorum operam adhibuerunt, ut ex ore infantium & puerorum perficerent laudem Dei, & destruerent inimicum & ultorem. Solidioris ingenii, & tenacioris memoriæ adolescentulos catechismi rudimenta, pias orationes, Dominicam, salutationis angelicæ, Fidei articulos, indico docebant idiomate, mox salutares exhortatiunculas, deinde breves aliquot sermones scripto tradebant, quos memoriæ traditos, ut rite recteque proferrent, diligenter instruebant. Ita instructos, per urbes, vicos & castella modo conducebant, modo cum provectioribus mittebant, cumulatosque fructus reportabant, benedicente Domino labores eorum, & dante incrementa semini per innocuos pueros seminato. Insuper ut faciliorem redderent catechismum, & auribus gratiorem, per breves & claros distribuerunt rhythmos Mexicanos, notis musicis interpunctos, quos per reliquos inferioris notæ, & minoris capacitatis puerulos, publice decantari faciebant per plateas, per forum, & loca publica, in quibus frequentiores videbantur populi congressus. Invitati hoc conventu, accedebant turmatim viri & mulieres, atque cum pueris concinentes, placido & hilari modo lac istud fidei sugebant, allectique cantus suavitate, & discendorum brevitate, parvo tempore integrum possederunt catechismum; abiitque in tantam consuetudinem hæc salutaris harmonia, ut nihil aliud per urbes & oppida resonaret. Fiunt pueri Catechistæ.

VII. His innocentibus & proficuis auxiliariis cœpit in immensum crescere numerus credentium, & propagari simul cum religione Christiana, pariter & Franciscana. Singulis proinde domibus, quas sibi Fratres construebant, addebant puerorum seminaria, in quibus præter Divinas instructiones, humanas litteras, civilia documenta, artificia etiam honestiora, & quæ ad bonam spectabant juventutis educationem, conductis aliquando artificum magistris, per distinctas cellas & aulas accurate docebant. Tanta religiosorum humanitate, beneficiis, amoris indiciis, sacris munusculis allecti juvenculi, tanta veneratione & affectu eos prosequebantur, ut parentes & cognatos obliti, in obsequio & disciplina Fratrum constanter perstiterint, & promptissime dictis obaudierint. Seminarium omnium ferme primum posuerunt in urbe Tlaxcallatensi, Hispanis & Religiosis amicissima, quo convenerunt nobilium filii, & ex vicinis oppidis innumeri. Fidem Christianam edocti, idololatriæ odio & horrore cœperunt exardescere, eamque, ubi licebat, extirpare. Sacrificulos summo studio persequentes, cæcitatem & ignorantiam exprobrabant, & ne populos decipere, atque in errores traducere deinceps persisterent, nisi male perire vellent, comminatorie admonebant. Ad varias artes erudituntur Indi.

VIII. Redeuntibus æstivo die e fluminis lavacro occurrit in foro peregrina veste, & horribili spectaculo Sacerdos Dei, sive Idoli Ometochtli, potantium patroni, quem summa veneratione colebant, objurgans vehementer cives, quod ad falsas advenarum prædicationes se filiosque abduci permittebant ab antiquo suorum Divorum cultu ad ignoti & invisibilis Dei venerationem, monebatque sub multorum malorum interminatione, magnique Dei sui indignatione, ut resipiscerent, & ne Deos patrios semper propitios ac salutares amplius ad iracundiam provocarent. Hæc audientes pueri mendacia, dolos, fraudes, turpis lucri studium, Deorumque quos commendabat, falsitatem, objiciebant, & ne insipienti populo imponeret, adjectis minis monuerunt. Majores inde clamores insanientis more, dum ille funderet, & gravia a Deis inferenda supplicia populo universo atque insultantibus juvenculis imprecaretur, impetu in eum facto, pugnis & saxis occi- Pueri sacrificulum occidunt.

occiderunt, magnoque ingeſto lapidum acervo, fœdum lacerumque cadaver compreſſerunt.

Chriſtiani pueri pater Gentilis occidit.

IX. Voluit dæmon hanc jacturam compenſare, ſuique miniſtri mortem ulciſci crudeli internecione unius, & præcipui ex iſtis juvenculis. Acxotechatlus vir potens, magnaque locuples poſſeſſione apud Atlyhuetzam, ſeſquileuca ab urbe Tlaxcallenſi, ex ſexaginta uxoribus, quatuor dumtaxat filios procreavit, quos ad Corteſii præceptum, etſi illibenter, Fratrum tradidit diſciplinæ. Potiorem & pulchriorem annorum tredecim, domi abſconderat, ne traderet; ſed per fraterculos detectum etiam hunc coactus eſt conſignare. Paucos poſt dies puero Baptiſmum ſubeunti inditum eſt Chriſtophori nomen, eamque inſuper Deus inſtillavit virtutem, fideique ardorem, ut nemo condiſcipulorum, ſive in diſcendo præiret, ſive poſtea in docendo præluceret. Dolebat valde patris cæcitatem, & illuminare aggreſſus, rogavit, obſecravit, per Deum vivum & verum imprecatus eſt, ut a denſiſſimis ignorantiæ tenebris, ad veritatis lumen tandem prodiret, & dimiſſo, inanium Deorum cultu, ad veri Numinis venerationem tranſiret. Sæpe interpellatus a filio pater, magis magiſque obduratus eſt, cœpitque recte ſuadentem odiſſe. Perſtitit filius in genitoris procuranda ſalute, & dum humilibus precibus nihil aſſequi potuit, cœpit increpare, objurgare, Divinæ vindictæ terroribus concutere. Nihil inde ſequutum præter concitati in ſe odii incrementum, mala verba, & verbera duriora.

Sed non impune.

X. Fuit ex tot uxoribus una, quæ furentem patrem amplius inſtigavit, & ſuaſit, ut petulantem, ſibique toties inſultantem e medio tolleret, eo tamen occulto fine, ut ſecundus viri filius (hic erat primus) a ſe genitus, patri hæres ſuccederet. Multis conflictis pueri criminibus, tantum apud impium genitorem obtinuit, ut domi ſemel repertum, cubiculo recluſerit, totque verberibus & vulneribus affecerit, ut tamdem oſſibus & capite fuſte contuſis, crudeliter occiderit, inter frequentes ictus rogantem, ut Deus patri delictum condonaret. Occulto loco nocte intempeſta domi ſub ſabulo abſcondit, præcepitque famulis ne quidpiam hujus rei extra domum efferretur. Timens vero ne pueruli genitrix maternum dolorem celare non poſſet, eam occidit, & ſecreto ſepelivit. At Deus ultionum Dominus, qui retribuit omnibus abundanter, peccatum impii genitoris revelavit, ſumpta occaſione ex levi quadam injuria Hiſpano militi illata, propter quam conjectus eſt in carcerem, ubi cœperunt ejus delicta inveſtigari. Inter alia utrumque delatum eſt homicidium, propter quæ prolata ſententia per Martinum Calagurritanum, in furcam, ſpectante univerſo populo, actus eſt. Chriſtophori corpus poſt annum ab homicidio tranſactum inventum eſt integrum, ſuavi odore fragrans, & per Andream Cordubenſem laicum ſeu converſum Minoritam, ex primis illis Apoſtolicis viris unum, ſolemniter, multo comitante populo, fuit translatum ad Fratrum Oratorium ſeu Sacellum. Inde ad Eccleſiam eorumdem Fratrum, ſub titulo Aſſumptionis beatæ Mariæ poſtea fabricatam, delatum, honorifice conditum eſt, Guardiano Turribio, quem diximus, Moſolinia.

Alii duo occidantur pueri idolorum exploratores.

XI. Poſt annos duos a Chriſtophori nece, occiſi ſunt alii duo pueri ejuſdem Seminarii Tlaxcallenſis, ad docendum Gentiles in aliam provinciam profecti. Bernardinus Minaya Ordinis Prædicatorum cum ſocio deſtinatus ad Guaxaconam, ex itinere aliquantum divertens, viſum abiit Apoſtolicum illum virum, Martinum de Valentia, tunc Guardianum Tlaxcallæ Seminarium ingreſſus, & diſciplinam puerorum conſpicatus, petiit a Martino, ut aliquot daret itineris ſocios, linguæ interpretes, & convertendis gen-

gentibus auxiliarios. Interrogavit palam Præfectus, an inter tantos eſſent, qui vellent cum his Patribus abire? Duo virorum nobilium filii, hilariter reſponderunt ſe abituros. Primus vocatus Antonius, nepos erat magni Xicotencathi, qui Hiſpanis aditum dedit in urbem, & magna ex parte promovit expeditiones Mexicanas. Huic ſervulus erat Joannes, qui Heri filio dixit, ſe ſequuturum. Didacus nomen erat ſecundo. Timuit Præſes ne levitate puerili, pericula, laboreſque ignorantes, ſe vellent longo itineri committere, promptæque oblationis cauſas inveſtigans, comperit Dei ſpiritu ductos recte poſſe dimitti.

XII. Tepeacam leucis decem a Tlaxcalla diſtantem pervenerunt, ubi Cives idololatriæ apprime deditos Bernardinus, reliquorum Dux, cum perceepiſſet, auferri curabat idola & comminui. Inde profectus ad oppida Tecali, & Quauhtinchani, eamdem adhibuit diligentiam. Multa habebant oppidani domi recondita idola; neque enim licebat jam propter Hiſpanorum edicta in templis exponi: atqui ut e ſecretis abſtraherentur latibulis, puerorum opera & ſagacitate uſus Bernardinus, valde numerum ſimulacrorum imminuit. Male hoc habuit oppidanos, unde orta cogitatio, pueros idolorum proditores occidendi. Facta conſpiratione, decreverunt loco ſolitario, & tempore opportuno trucidare. Accidit ut Antonius cum ſervulo domum quamdam extra Quauhtincanum, abſente Domino, ingrederentur idola quæſituri; idque ſcirent duo ex conſpiratoribus, qui mox inſequuti, in domum irruentes, utrumque puerum fuſtibus enecarunt. Corpora noctu illinc clam aſportarunt uſque ad Tecalim III. M. P. diſtantem, & in profundum barathrum projecerunt. Bernardini tamen, & Alvari Sandovalii lictoris Tepeacani perquiſitione cuncta innotuerunt, & comprehenſi homicidæ, capitis pœnam luerunt commiſſi ſceleris; magna tamen Dei beneficentia ad fidem converſi, Baptiſmi gratiam ſub mortem receperunt. Cacicus vel Præfectus oppidi cum aliis multis conſpiratoribus poſtea detecti, inſtigante illo Heroe, Antonii patre, in urbe Mexicana ſuſpenſi ſunt.

XIII. Poſtquam optimi hi Chriſtianæ meſſis operarii cum exultatione primos adjutorio diſcipulorum reportarunt manipulos, ſtatim ac ipſi variarum illarum nationum linguas utcumque didicerunt, cœperunt ubique indefeſſe prædicare, diſcurrentes per pagos & oppida vicina, uno eodemque die ſepties aut octies prædicantes, ſummo mane & ſub veſperam modo in Eccleſiis, modo in ſpacioſis areis ſive campis cathechizantes & baptizantes multas utriuſque ſexus myriades. Præter hæc, ad ſingula caritatis opera promptiſſimi, nullam dabant ſuo corpori requiem; modo infirmis miniſtrabant, modo aſſiſtebant morituris, pauperibus opitulabantur, a Magiſtratibus vel Hiſpanis oppreſſos, auxilio undique conquiſito ſublevabant; nunc pœnitentum confeſſiones excipiebant, nunc alia Sacramenta adminiſtrabant, non omittentes functiones domeſticas, aut chori pſalmodiam. Poſt tot unius diei miniſteria, quam tenuis laſſati corporis refectio expectanda erat ex Mayzii panis herbarum, & aquæ prandiolo. Miſerat ſemel ad Patres Mexicanos Epiſcopus Zumarraga vini Hiſpani vaſculum in profeſto Dominici Natalitii, Martinus præfectus remiſit dicens, illud tantum apud eos vinum admitti, quantum Miſſæ ſacrificio erat neceſſarium. Et cum alias idem Epiſcopus Miſſionariis magnum iter per ſuam diœceſim confecturis lagenulas vini præpararet, rogavit indignabundus Martinus, ne per hujuſmodi pretioſa fercula viam ſterneret, aut oſtium aperiret Fratribus emolliendis aut relaxandis.

Idem cap. 25. Religioſorum exercitia.

Tenuis refectio.

XIV. Mirum profecto & conſideratione dignum, qualiter homines ino-

Quam alacriter dura quæque ſuſtinebant.

inopes, nudi, afflicti, in tanta rerum inopia, & ciborum parcitate, duris longiſque itineribus attriti, tot adire labores potuerint. Sed ardens amor proximi urgebat: *Caritas omnia ſuffert, omnia ſuſtinet*, a qua *neque tribulatio, neque anguſtia, neque fames, neque nuditas, neque periculum* poterat illos ſeparare. *Omnia poterant in eo, qui illos confortabat. Quidni omnia poſſibilia ſunt innitenti ſuper eum, qui omnia poteſt? Nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes, qui in ſe ſperant.* Propter ſpem in ipſo repoſitam, propter Chriſtum quidem mortificabantur tota die, & facti ſunt velut oves occiſionis. Sed *in his omnibus ſuperabant per eum, qui dilexit nos.* Advertendum tamen, quod *non ſimpliciter ſuperabant, ſed pluſquam ſuperabant: hoc eſt, cum omni facilitate citra ſudores ac labores, non enim moleſtias tolerantes, ſed animum modo præparantes, ſic ubique trophæa contra boſtes ſtatuerunt.* Omnia vincit amor, præſertim Divinus. Hoc æſtuantes igne viri iſti religioſi, patriam, parentes neglexerunt; exierant de terra & de cognatione ſua, per tot maris terræque diſcrimina ad novum mundum, novas gentes, hactenus inauditas, perrexerunt: illam linguam quam non noverant, audiverunt: omnia laborum genera perpeſſi, ibant gaudentes, quoniam digni habiti ſunt pro fide Chriſti ærumnas iſtas ſufferre, & nomen Jesu portare coram gentibus & Regibus, & uſque ad ultimos fines terræ.

1. Cor. 13. 7. Rom. 8. 35. Philip. 4. 13. Bern. ſerm. 25. in Cant. an. med.

Rom. 8. 37. Chryſoſt. homil. 15. in cap. 8. ad Rom. poſt med.

XV. Fidem harum rerum confirmabit epiſtola Petri Gandavenſis, inter primos a Carolo V. miſſos primi, de quo ſuo loco dictum eſt, in qua morem gentium & Fratrum inter eas converſationem candide & ſincere abſque ſuco & lenocinio ſuis conterraneis Fratribus Belgis enarrat. Omiſſis præludiis & Fratrum ſalutationibus, ita exorditur: *Nati in hac regione, ſunt homines optimæ complexionis & naturæ, ad quidvis agendum parati, & maxime ad fidem noſtrum recipiendam. Verum hoc habent mali, quod ſervilis ſunt conditionis, nihil agentes niſi coacti; amore autem aut bonitate nihil, quod tamen non tam ex natura, quam ex conſuetudine procedere videtur; videlicet quia numquam aſſueverunt aliquid agere amore virtutis, ſed ſolum metu & timore. Nam univerſa eorum ſacrificia, quæ erant occidere proprios filios, aut eos mutilare, ex maximo timore fiebant, non Deorum amore. Dæmones enim hujus regionis, qui Dii ab eis reputabantur, tam multi & varii erant, ut ipſimet eorum numerum ignorarent. Singulis rebus ſingulos Deos conſtitutos eſſe credebant, unum huic rei, alium alii præpoſitum exiſtimantes. Unum appellant Deum ignis, aliam Deum aeris, alium Deum terræ, alium appellant colubrum, alium uxorem colubri, alium ſeptem colubros, alium quinque cuniculos, & ita de aliis ſine numero. Maxima autem Deorum pars nomina habet colubrorum, atque ſerpentium: & alii quidem Dii ſunt virorum, alii mulierum, alii puerorum, alii totius mundi. Et eorum uni corde hominum ſacrificabant, alteri humanum ſanguinem, aliis filios ſuos, aliis coturnices, aliis paſſeres, aliis thus, papyrum, cerevifiam, & alias hujuſmodi materias plurimas juxta varios ritus & modos ſacrificiorum, quos ipſi Dæmones exigebant. Quod ſi ea, quæ ab illis exigebantur, hi non obtuliſſent, interficiebantur ab eis, & devorabantur ſimul corpore & anima. Atque ideo Diis ſuis, qui veri ſunt Dæmones, non ex amore, ſed ſolo timore ſacrificabant, certabantque alter alterum hac ratione ſuperare donis ac ſacrificiis, ut mortem poſſent evadere. Habebant etiam Dii iſti magnum numerum religioſorum vel ſacerdotum, ſola puerorum carne veſcentium, & ſanguinem eorumdem bibentium, qui Sancti habebantur. Alii Deorum ſacerdotes uxores non habebant, ſed earum loco pueros, quibus abutebantur; quod quidem peccatum*

An. 1522. n. 6.

Mores Mexicanorum.

Idola.

Vitia nefanda.

uſque adeo erat vulgare in his regionibus, ut tam pueri, quam ſenes eo vitio eſſent dediti; imo pueri ſex annorum hujuſmodi interdum labe erant infecti. Sed (benedictus Deus) aliam viam multi nunc cœperunt ingredi, ſe ſe ad Chriſtianiſmum convertentes, maxima devotione baptiſma poſtulant, confitentes peccata ſua. Et baptizavimus ego cum ſocio fratre meo in hac provincia Mexico, ultra bis centena millia, imo adeo multos, ut mihi de numero conſtare non poſſit. Frequenter una die baptizavimus quatuordecim millia hominum, interdum decem millia, interdum octo. Singulæ autem Provinciæ loco, & parochiæ modo habent ſua templa & ſacella, tabulas pictas, cruces & vexilla, maximum erga Deum amorem & devotionem atteſtantia. Religioſorum diſciplina. Quibuſdam interjectis. *Sic laboramus in iſtorum infidelium converſione ad fidem, unuſquiſque pro viribus & ſpiritu ſuo. Mihi eſt officium prædicare nocte atque die. In die legere & ſcribere, ſimul & cantare doceo, nocte vero doctrinam Chriſtianam & ſermones. Et quoniam terra iſta eſt admodum magna & populus infinitus, & Fratres evangelizantes pauci ad docendam tantam multitudinem: nos Fratres collegimus in domibus noſtris filios Principum & Magnatum hujus regionis, ad erudiendum eos in fide Catholica, qui poſtmodum parentes ſuos inſtituunt. Noverunt autem hi pueri legere, ſcribere, cantare, concionari, & Divinum officium more ſacerdotum peragere, quorum puerorum ego in hac Civitate Mexico curam gero, ſuntque quingenti aut plures, eo quod hæc Civitas ſit caput regionis. Ex quibus pueris circiter quinquaginta excellentioris ingenii ſegregavi, quos ſingulis hebdomadibus doceo ſingulatim, quid dicendam erit, & prædicandum Dominica ſequenti. Singulis autem Dominicis hi pueri exeunt e Civitate, & totam terram prædicando percurrunt, interdum ad quatuor, nonnumquam ad octo vel decem, ſubinde ad viginti & triginta milliaria, annunciantes fidem Catholicam, & per doctrinam ſuam populum præparantes ad Baptiſmum. Et nos cum ipſis circumeuntes, idola deſtruimus, & templa eorum diruimus ex parte una, & ipſi ſimiliter faciunt ex parte altera, & templa Dei veri conſtruimus. Hoc modo & in hac occupatione tempus noſtrum tranſigimus, quemvis laborem nocte ac die ſuſtinentes, ut populum iſtum infidelem tandem ad fidem Chriſti inducamus &c. Data Mexici ex Cœnobio ſancti Franciſci, die* XXVII. *Junii anno* MDXXIX.

XVI. Paulus Piſottus Parmenſis Commiſſarius Generalis familiæ Ciſmontanæ per dies & menſes multos nihil ſciverat de poteſtate facta Miniſtro Generali Quiñonio, ut nominaret ſolus Vicarium Generalem totius Ordinis, neque de inſtitutione Antonii de Calcena in hoc officio. Ubi vero reſcivit, impetravit a Pontifice, ut hujuſmodi inſtitutio fieret juxta Ordinis ſanctiones, ſcilicet a Superiore Generali illius familiæ, in qua per Miniſtri Generalis ceſſionem vel deceſſum vacabat officium, & a Definitoribus generalibus. Ea tamen lege id conceſſit Pontifex, ut omnino ratum firmumque eſſet quod Quiñonius ſtatuerat, ſuiſque ſuffragiis in idipſum Electores convenirent. Ita factum, coeuntibus Patribus conſcriptis ad Cœnobium Montis-Ilcini, provinciæ Tuſciæ, die XXV. Julii anni præteriti, ubi Calcenam ſuis votis Vicarium Generalem renunciarunt. Non niſi hoc anno menſe Martii Piſotti litteras, hujus rei monitorias accepit Calcena, cum aliis de mutato loco Capituli Generalis, quod celebrandum erat in Conventu Turonenſi, ſecundum decreta ultimi Capituli, & deſignato a Pontifice compromiſſo faciendo a Patribus familiæ Ultramontanæ, pro eligendo Miniſtro Generali per ſuffragia Ciſmontana, quod ſuperius inſinuavimus. Calcena vero, conſultis Galliæ & Hiſpaniæ Patribus circa compromiſſum, iiſque mi-

Reg. gener. Diſtrum. p. 197.

Cõfirmatur electio Calcenæ in Vicarium Generalem.

An. 1528. n. 8.

minime aſſentientibus, quod manifeſtam judicarint regularis præcepti violationem, reſpondit ſe cum Patribus ſuæ juriſdictionis Parmam, Comitiorum locum, omnino iturum, ſpretis omnibus turbulenti temporis periculis.

Præficiſcitur in Italiam & infirmatur.

XVII. Habitis itaque provinciæ ſancti Jacobi Comitiis ſub Januarii finem, in quibus Antonium de Guzman Miniſtrum confirmavit, die XIII. Martii Barcinone ſolvit in Italiam. Contrariis ventis, tranſvectus in Sardiniam & Corſicam, appulit tamdem Araſſium, Liguſtici littoris oppidum. Hinc Januam profectus, præfuit Comitiis provinciæ Januenſis, ſtatimque acuta febre correptus, non potuit Romam, uti cupiebat, ire viſum Cardinalem Quiñonium, cum eo conſulturus Ordinis negotia, & quæ peragenda erant in Capitulo. Aucto morbo, neque Comitiis poterat intereſſe, deſignavitque alium, qui ſuo loco præeſſet. Sed antequam accederet, Piſottus Commiſſarius Generalis obtinuit hoc ſibi munus committi; timebat enim ſibi a Vicario Generali, ejuſque Miniſtris propter caſſam primam Calcenæ inſtitutionem per Quiñonium factam, propter reſtrictam ejus auctoritatem circa gubernium familiæ Ciſmontanæ, propter mutatam, illo inſcio, Capituli ſedem, & miſſum compromiſſi inſtrumentum; quæ ſcilicet Piſottus procuraverat eo fine, ne Vicarius, eique opitulantes ad Capitulum accederent, ſibique integrum foret omnia ad libitum componendi. Hinc aliquas inter eos ortas fuiſſe ſimultates, Pontificiæ, quas adſcribo litteræ, demonſtrabunt.

Dilecto filio Antonio de Calcena Ordinis Minorum de Obſervantia Vicario Generali.

Ex originali.

Dilecte fili &c. Cum nuper de adventu tuo ad Capitulum Generale tui Ordinis Parmæ proxime celebrandum ambigeremus, ordinavimus per litteras noſtras in forma Brevis, Romæ, nona Aprilis proxime præteriti datas, quæ tunc vobis ad diſcuſſionem quærelarum contra dilectum filium ipſius Ordinis Commiſſarium Ciſmontanum pertinere videbantur. Verum, cum poſt certiores facti ſumus, te ſanum & incolumem applicuiſſe, fuit hoc nobis gratiſſimum, quod fore ſperamus, ut tua auctoritate ac præſentia, ſi quæ inter vos perturbationes ortæ ſint, facillime componantur. Itaque ne tibi in hoc aliquo modo defuiſſe videamur, de tua prudentia ac religionis zelo plene confiſi, tibi motu proprio, & ex certa ſcientia noſtris committimus per præſentes, ac ſi priores nuper a nobis emanatæ non fuiſſent, ut vel noſtra Apoſtolica vel tua ordinaria auctoritate, eas quærelas contra Commiſſarium prædictum, vel alios Prælatos Ordinis ipſius motas aut movendas, quæ de conſilio Patrum, ut moris eſt, diſcuſſione egere judicaveris, de conſilio Patrum eorumdem juxta ſtatuta & morem Ordinis ejuſdem, per te vel alios examines, ac illis, juſtitia mediante, finem imponas: tibi ad hæc & alia profectum ejuſdem Ordinis concernentia plenam auctoritatem & facultatem concedentes. Te autem, Patreſque ac Fratres ad Capitulum iſtud pertinentes in Domino hortamur, ut cuncta quæ ad augmentum Religionis & incrementum Ordinis ipſius facere judicaveritis, omni ſtudio & cura tranſigatis; ſic enim Religionem ipſam quam diligimus, in majorem modum conſervabitis, & Deo omnipotenti, nobiſque, & multorum fidelium ſaluti, ob quam Ordo veſter inſtitutus eſt, verbo & exemplo ſatisfacietis. Non obſtantibus prædictis & omnibus inde ſequutis, & aliis quibuſcumque litteris noſtris quibuſvis conceſſis, necnon conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus etiam provincialibus, privilegiis quoque & indultis, etiam

etiam Mari magno nuncupati, & aliis per Nos & Sedem Apoſtolicam pro tempore prædicto ſuo Ordini quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis: Quorum omnium tenores & formas ac datas, pro expreſſis & inſertis haberi, eaque, quatenus præſentibus adverſentur, minime locum habere volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die VIII. *Maii* MDXXIX. *Pontificatus noſtri anno* VI.

Bloſius.

XVIII. Proceſſum eſt ergo ad Capituli celebrationem in Cœnobio ſanctæ Mariæ Annunciatæ, extra urbem Parmenſem, in profeſto Pentecoſtes, Præſide Piſotto, in quo per octoginta duo ſuffragia in primo ſcrutinio ipſe idem cooptatus eſt in totius Ordinis Miniſtrum. Aſſignati ſunt ei ſocii duo, pro Ciſmontanis, Conſtantius Tolentinas Provinciæ Marchiæ; pro Ultramontanis, Petrus Revelhandi Provinciæ Aquitaniæ (alius Codex, Jacobus Renardi Cuſtos Provinciæ Turoniæ Pictavienſis) Commiſſarius Generalis Familiæ Ultramontanæ electus eſt omnium illius Familiæ ſuffragiis Matthias Benkan *, Cuſtos Provinciæ Coloniæ, alias itidem Commiſſarius Generalis Ultramontanus, deinde Commiſſarius Generalis Nationis Germanicæ, & bis Miniſter Provinciæ Coloniæ, quem Piſottus confirmavit. Procurator Ordinis inſtitutus eſt Hieronymus a Burgo novo, Miniſter Provinciæ Bononiæ; Commiſſarius Curiæ Arnaldus a ſancto Felice Miniſter Provinciæ ſancti Ludovici.

Piſottus fit Miniſter Generalis.

* *al.* Wynſen Dordracenſis.

Definitores Familiæ Ciſmontanæ.

Franciſcus a Meſſana Cuſtos Provinciæ Siciliæ.
Hieronymus de Burgo novo ſupradictus Miniſter Provinciæ Bononiæ.
Euſebius de Novo-foro Miniſter Provinciæ Boemiæ.
Leonardus de Publiciis Cuſtos Provinciæ Januæ.
Bernardinus Ptolomæus Miniſter Provinciæ Tuſciæ.
Joannes de Calvi Miniſter Provinciæ Corſicæ.

Familiæ Ultramontanæ. Pro Gallis.

Gabriel Ave Maria Provinciæ Aquitaniæ Miniſter.
Arnaldus de ſancto Felice ſupradictus.

Pro Hiſpanis.

Bernardinus Salzedo Mioiſter Provinciæ Burgenſis.
Martinus de Bejar Cuſtos Provinciæ Conceptionis.

Pro Alemannis.

Ambroſius Galli Cuſtos (alias Commiſſarius) Provinciæ Saxoniæ.
Joannes Winther Cuſtos Provinciæ Argentinæ.

Futuri Capituli Generalis locus deſtinatus eſt Conventus Toloſanus intra (alius Codex, extra) Civitatem Provinciæ Aquitaniæ. Congregationis intermediæ Conventus Meſſanenſis.

XIX. Inter alia, quæ in his Comitiis decreta ſunt, circa electionem Miniſtri Generalis, ita habetur: *Ordinatum eſt per Generale Capitulum,* vo-

Confirmatur cōpromiſſum.

votis ſigillatim acceptis, quod in electione Reverendiſſimi Patris Generalis fiat compromiſſio vocum hoc modo: quod quando eligendus eſt ex Patribus Citramontanis, Ultramontani præſenti determinatione intelligantur compromiſiſſe in eum, quem elegerint Citramontani, & e converſo. Huic autem legi majorem additurus vim Piſottus, curavit eam iſtis litteris Pontificiis confirmari. Per hæc & ea, quæ ſuperius enarrata ſunt, viſus eſt vehementer inhiaſſe huic rei aſſequendæ.

Anno 1528. nu. 8. & hoc ipſo anno num. 16.

Dilectis filiis Miniſtro Generali, & Fratribus Ordinis Minorum Citra & Ultramontan. de Obſervantia nuncupatorum.

Ex originali. XX. *Dilecti filii &c. Cum ſicut nobis exponi feciſtis, nuper in Capitulo Generali Ordinis veſtri in Civitate noſtra Parmenſi celebrato, multa in aliis Capitulis Generalibus ejuſdem Ordinis ordinata, præcipue circa Generalis Miniſtri ipſius Ordinis electionem, ad quam faciendam ordinatum fuit, ut de cetero ad evitandas immoderatas expenſas, infirmitates, mortem, & diſcurſas Fratrum, Ultramontani in Ciſmontanos, vel Citramontanos, & Ciſmontani in Ultramontanos Fratres, prout per alias noſtras litteras Viterbii datas Fratribus Ultramontanis conceſſum fuerat, compromittant, ex multis juſtis & rationabilibus cauſis, de communi conſenſu veſtrum tam Citra, quam Ultramontanorum Fratrum mature mutata & modificatu fuerint. Et ut illa uberiorem obtineant roboris firmitatem, de ſideretis ea noſtro munimine roborari. Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut præmiſſi per vos in dicto Capitulo geſtis robur noſtræ approbationis adjicere, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Ordinis veſtri proſperum & tranquillum ſtatum paterno zelantes affectu, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſupradicta per vos in dicto Capitulo Generali, ut præfertur, circa hujuſmodi Miniſtri Generalis electionem per compromiſſum de cetero faciendam ordinata, mutatu & modificata, auctoritate Apoſtolica, & certa noſtra ſcientia, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac perpetua roboris firmitate ſubſiſtere, & firmiter obſervari, nec ab aliquo immutari, ſed inviolabiliter perpetuo obſervari debere decernimus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque & indultis Apoſtolicis, dicto Ordini conceſſis: quibus quoad præmiſſa, illorum tenores pro expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque: decernentes præſentium tranſumptis manu tui, fili Miniſter Generalis, ſubſcriptis & tuo ſigillo munitis, eamdem prorſus fidem ubique adhiberi debere, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctam Petrum ſub anula Piſcatoris, die* XVII. *Junii* MDXXIX. *Pontificatus noſtri anno* VI.

Evangeliſta.

XXI. Quænam ſint illa mutata & modificata, neque ex Capituli decreto, neque ex Pontificio conſtat diplomate. Illud dumtaxat abſolute & ſuccincte jubetur ut *Citramontani compromittant in eum quem elegerint Ultramontani, & e converſo: quod Pontifex approbat, confirmat, ac perpetua roboris firmitate ſubſiſtere & firmiter obſervari, nec ab aliquo immutari, ſed inviolabiliter perpetuo obſervari debere decernit.* An autem ita fieri debeat, vel

vel facere expediat, res eſt aliquantulum conſideranda. Quod ita fieri debeat, non temere quis affirmabit; etenim ultra Ordinis conſtitutionem, expreſſum acceſſit præceptum Pontificium. Non eſt conceſſio dumtaxat aut privilegium, ſed juſſio inſuper & mandatum, nullo, quod ſciam, tempore, aut ab alio Pontifice, revocatum. Expedire inſuper omnes affirmabunt, qui diſpendioſi & longinqui itineris librare ſciunt expenſas; qui maris terræque norunt diſcrimina; qui ab ultimis finibus Europæ, Aſiæ, & Americæ venientium certiſſima perpendunt incommoda, & frequentes audiunt interitus; qui admirationem ponderant intuentium in curribus, & in equis, dum pedibus deberent, incedentes; qui vias omnes, manſiones, & diverſoria turmis Fratrum non ſine violatæ Regulæ probabili reatu vident repleri. An expediat eligi Generalem per Compromiſſum.

XXII. Sed his omnibus graviſſimis rationum ponderibus præponderare dicent alii clarum totque ſeculis inconcuſſum Regulæ præceptum, his ipſis verbis conceptum: *Decedente Miniſtro Generali, electio ſucceſſoris fiat a Miniſtris Provincialibus, & Cuſtodibus in Capitulo Pentecoſtes, in quo Provinciales Miniſtri teneantur ſemper inſimul convenire, ubicumque a Generali Miniſtro fuerit conſtitutum.* Et paulo infra. *Si aliquo tempore appareret univerſitati Miniſtrorum Provincialium & Cuſtodum, prædictum Miniſtrum non eſſe ſufficientem ad ſervitium & communem utilitatem Fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio data eſt, in nomine Domini alium ſibi eligere in Cuſtodem.* Reg. cap. 8.

XXIII. At ultra citraque concuſſum præceptum contendent alii, dum præter deſignatos a ſancto Franciſco Electores, Miniſtros ſcilicet & Cuſtodes, de quorum diſtinctione aut unitate, an ſcilicet diverſis nominibus eædem cenſendæ ſunt perſonæ, alio loco opportunius dicemus, admiſſi ſint ad ſuffragandum variis, an validis incertum, legibus, Commiſſarius Generalis Familiæ, Commiſſarius Generalis Indiarum, Officiales Curiæ, Definitores Generales, aliique, quorum valorem & auctoritatem haud placet nunc trutinare; etiam hoc ipſum quod obtenditur, & expedire judicatur, in multis Comitiis Generalibus ſit alias decretum. Sanctus Franciſcus voluit ſuos ſucceſſores in offitio perpetuos, uti fuerunt uſque ad Leonem X. ipſeque Ordinis Inſtitutor ad mortem uſque gubernavit. In deceſſu Miniſtri Generalis ſtatuit, ut Provinciales tenerentur ſemper inſimul convenire ad eligendum Succeſſorem. Sed in hoc caſu, decedente ſcilicet Miniſtro Generali, decreverunt Capitula Salmanticenſe, Valliſoletanum anni MDXCIII. Romanum MDCXXXIX. Congregatio Romana anni MDCXLII. ut Vicarius Generalis, ſive Succeſſor Miniſtri fieret per ſuffragia paucorum Patrum, illius dumtaxat Familiæ, ex qua aſſumptus erat Miniſter. Quod quidem non ſemel factum eſt, electo in Hiſpania anno MDCXLV. Antonio de Trejo in Vicarium Generalem per deceſſum Joannis del Hierro Generalis, & anno MDCXLIX. in Italia Daniele a Dongo in locum defuncti Joannis a Neapoli, reductis ſuffragiis ſecundum diverſam conſuetudinem Familiarum ad numerum exiguum, conſentiente & compromittente unaquaque Familia in paucos illos vocales alterius Familiæ. Et quidem electionem hanc ita faciendam, veteri compromiſſo renovato, decrevit Capitulum Romanum prædictum his diſertis verbis: *Quam electionem utraque Familia, nemine diſſentiente, novo compromiſſo ſic faciendam pronunciavit.* *In Aphoriſmis ad Regulam. Vide anno 1518. n. 15.*

XXIV. Objicietur fortaſſis diſcrimen inter Vicarium & Miniſtrum Generalem, illumque pauculis illis ſuffragiis poſſe ſubſtitui loco & tempore ab antiquiore illius Familiæ Patre ad libitum deſtinatis; hunc autem nonniſi ſub feſtum Pentecoſtes, tempore videlicet a Regula præſcripto, eligi poſſe

ab univerſis Miniſtris. At compromiſſum etiam fieri poſſe & debere, licet multiplicatis ſuffragiis, in ipſius etiam Miniſtri electione, decreverunt ſtatuta Salmanticenſia, Valliſoletana, & Congregationis Romanæ, cujus verba tamquam clariora & ſtrictiora duximus recenſenda. *Si Miniſter Generalis, nondum exacto ſui muneris triennio, moriatur, Vicarius Generalis eligat, omnes Vocales ejus Familiæ tantum, ex qua Generalis Miniſter erat, ad eligendum alium Miniſtrum Generalem in eadem Familia, loco & tempore opportunis, convocare & congregare teneatur, omnibus ſervatis, quæ de Generali Miniſtro eligendo decreta ſunt. In cujus Miniſtri Generalis electionem ultro compromiſſe, & ſuis ſententiis & votis concurriſſe altera Familia cenſeatur: ita ut quod ea Familia cum Patribus totius Ordinis Diſcretis, qui ſemper ad hæc vocandi ſunt, egerit, altera ratum & firmum ſemper habeat.*

Conſtitut. Rom. anno 1641. c. 8. §. 20.

XXV. In ſimili caſu ita aliquando licere, ſed non expedire ſemper ita fieri, adhuc contendet aliquis: ſic enim dicet ſenſim tolli poſſe communicationem Familiarum, & unionem Nationum diſſolvi, ſi nullo unquam tempore ad unius Capitis conſtitutionem uno loco & ſenſu concurrent. Inſuper, dum alternis vicibus cis ultraque montes Comitia conguntur, & in Ciſmontanis oportet eligere Miniſtrum Ultramontanum, atque apud Ultramontanos Ciſmontanum, facile poterit error obrepere circa qualitates & dignitatem perſonæ eligendæ, quam probe non cognoſcunt, neque fortaſſis unquam viderunt electores.

XXVI. Hæ quidem potiſſimæ excogitari poſſunt ex adverſo rationes, quarum vis elidi poterit, ſi ex compromittente Familia ad Capitulum acceſſerint Patres conſcripti, deſignatique Vocales graviores, Commiſſarius ſcilicet Generalis, Diſcreti, ſi qui in ea ſint, perpetui totius Ordinis, ſive illius duntaxat Familiæ, Patres Officiales Curiæ, Definitores Generales, aut alii hujuſmodi, quibus ex ſpeciali quoquam titulo ſuffragandi jus poſſit competere. Horum enim præſentia, alterniſque vicibus ad Capitula accedentium, & ſuæ Familiæ negotia exponentium, non ſolum Familiarum, ſed & Nationum in Familiis contentarum, communicatio & unio conſervabitur. Ex Ultramontana etenim in tres Nationes Hiſpanicam, Gallicam, & Belgo-Germanicam diſtincta, bini accedunt pro unaquaque Natione Definitores; ex Ciſmontana pro Sicula, utriuſque nempe Siciliæ, Natione duo; pro reliqua Italiæ parte tres; pro Ultramarina ſive Germanica viciniſque Regnis, unus. Inter illos autem, ſi pro meritis hæ præcipuæ dignitates, & primarii in Ordine gradus, uti debet, conferantur, ſemper erunt aliqui tanto muneri idonei, dignique quibus Ordinis reginen, præeunte Apoſtolico beneplacito, ubi opus fuerit, committetur, præcedetque illorum adventum fama, ſive notitia perſonarum præ reliquis eminentium.

XXVII. Quod ſi religioſi illi Viri, doctique Patres ſtatuti Salmanticenſis, & Valliſoletani conditores, huic decernendo & ſtabiliendo compromiſſo eas protulerunt rationes, ne cum magna ſecularium admiratione, immenſiſque Ordinis totius impenſis commoveatur & conturbetur univerſus Orbis; vehementius certe illas urgerent, ſi præviderent, vel nunc cernerent, tot aucta ſuffragia, tot additas Provincias, Diſcalceatorum in Hiſpania, Recollectorum in Gallia, Reformatorum in Italia, quorum poſtremi ab Obſervantinis ante paucos annos avulſi, ad æqualem numerum Miniſtrorum & Cuſtodum excreverunt; & in poſtremis Comitiis noviter erectas Provincias quatuor Familiæ Ultramontanæ. Quid ſi Religionem viderent in tantam erupiſſe multitudinem Vocalium, ut hoc anno MDCLI. quo ad præ-

prædicta Comitia in Urbe convenerant, eos capere non poſſet domus ampliſſima Aracœlitana, neque altera capaciſſima ſancti Franciſci prope Tyberis ripam, ad quam major pars Reformatorum coiverat: ſed amplius conducere oportuit palatia bina, unum in vertice Capitolii, alterum prope radices? Quid ſi intuerentur ab Ara-cœli poſt cœnam aliquando, nocte procubia, modo turmatim, modo ſolos ad Ripanum Cœnobium, longo diſſitum intervallo, & ad ſecularia iſthæc hoſpitia procedentes? Atqui hi omnes ſtatim ubi cœco impetu, paucorum ductu ſuos calculos poſuerunt, de reditu ſolum cogitantes, neque quid ſtatuendum, quidve immutandum circa Ordinis gubernium ſit, curant; neque retineri poſſunt, ut per dies aliquot conſilium ineant, neque facile ex tanto numero convocari, qui diſcretoriis ſive Familiarium conſultis velint intereſſe. Nonne ſatius foret paucos illos ex compromittente Familia advenas maturius ante Comitia admittere, & cum reliquis alterius Familiæ Conſiliariis, ſive Patribus Diſcretis per plures dies præludia Capituli graviter inire, agenda penſitare, de hominis promovendi qualitatibus invicem conferre, atque ubi promoverint, aliaſque abſolverint electiones, denuo convenire, per dies multos, tempuſve neceſſarium, menſibus æſtivis, quibus per longiſſimos terræ mariſque tractus abſque multis incommodis ad ſuam Familiam remeare non licet, ferendas leges diſcutere, cuncta adamuſſim examinare; non vero, uti nunc paſſim fit, ut propere liceat abire, deceruenda quæque unius vel alterius arbitrio committere, quæ profecto nun ſine dedecore, tamquam unius vel alterius cerebri, per multa diſtracti, poſtea apparent partus immaturi?

XXVIII. Hæc præter noſtrum inſtitutum, extra methodum hiſtoricam extorſit gravis multiplexque Ordinis jactura, quam in pleriſque Ordinis Comitiis, quibus interfuimus, vidimus, & manibus noſtris contrectavimus, ut jam tamdem aliquando remedium adhibeatur, quod toties, ſed fruſtra penſitatum eſt. Vulnus deteximus: viri prudentes, quibus cordi erunt Religionis decus & honor, Deo auſpice, curabant. Porro ut ad narrationem rerum in ſupradictis Comitiis Parmenſibus geſtarum regrediamur: in iis præter jam dicta conſtitutum eſt, ut magnus Conventus Pariſienſis ſubeſſet immediate Miniſtro Generali; ut Conventus Cypri uniretur provinciæ Candiæ; quod Cuſtodia Lithuaniæ non divideretur a Provincia Poloniæ, uti Lithuani urgebant, neque Provincia Lucenſis ſanctæ Crucis nuper diviſa a Florentina, eidem reuniretur, niſi auditis mature ſententiis Patrum utriuſque Provinciæ, & Dominorum Florentinorum. Confirmata eſt erectio Cuſtodiæ ſancti Hieronymi in Provinciam, olim facta a Miniſtro Generali Quiñonio, cui provinciæ ut reſtitueretur Conventus ſancti Hieronymi de Urbe, ſcripſit Piſottus ad Cardinalem de Monte, & Urbis Vicarium, ſeu Gubernatorem, Pontificis Bononiam profecti vices gerentem, Ordinis inſuper Vice-Protectorem.

Quædam acta Capituli Parmenſis.

XXIX. Statim ubi in Germaniam rediit Matthias Weynſſenius Commiſſarius Generalis Ultramontanus, celebravit Capitulum in ſua Coloniæ provincia, Conventu Dorſtenſi. Et quia valde excreverat in quinquaginta unum Cœnobia, ex determinatione Capituli Generalis, & facultate Pontificia, dividendum duxit in alteram Germaniæ inferioris, complectentem Brabantiam, Hollandiam, Zelandiam, & Friſiam, eique adjudicavit Conventus triginta quatuor, præfecitque virum optimum Joannem a Lovanio, alias Billhemium: Colonienſi vero provinciæ reliquit Conventus ſeptemdecim, deditque, abſoluto ab officio Joanne Ryndiſch a Campis, Miniſtrum Nicolaum Herbonium, virum doctiſſimum. Cum vero ſub hujus anni finem

Gonz. in præm. Provin. Colon. & Germ. inferioris. Reg. gener. Cism. fol. 81. Dividitur Prov. Colon.

ad

ad Miniſtrum Generalem acceſſiſſent bini Fratres, a Colonienſi miſſi conqueſturi de inæqualitate diviſionis, & de prætenſione Lovanienſis, circa reformationem aliquorum Cœnobiorum Conventualium in Germania ſuperiori, decrevit ille ne iſte perturbaret Colonienſis gubernium, aut ſe ingereret reformationi Conventuum Trajecti inferioris, aut illorum, qui erant in diœceſibus Colonienſi & Trevirenſi, neque in Ducatibus Clivienſi, Juliacenſi, Gheldrienſi, in Weſtphalia, & in Haſſia: ſed eos reformandos relinqueret Colonienſi, cederetque juri ſuo, uſque ad proximum Capitulum Generale Ultramontanum, circa Conventus Trajecti prædicti, Campenſem, & Amſfordienſem, cauſamque tum diſcutiendam, per ſuas patentes litteras commiſit Definitoribus Capituli. Quid autem circa hæc factum ſit, dicemus anno ſequenti. Eodemque tempore, cum urgentiſſimas accepiſſet litteras a Rege Poloniæ, qui etiam ſcripſerat ad Pontificem & Cardinalem Sanctorum Quatuor Coronatorum, Laurentium Puccium Florentinum, ut erigeretur cuſtodia Lithuaniæ in provinciam, recedens a decreto Capituli, aſſenſit repetitis Regiis inſtantiis.

Capit. Generale Convent. Spoleti. *Radul. fol. 196.*

XXX. Patres Conventuales ſuum item Capitulum celebrarunt Spoleti, in quo electus eſt in Magiſtrum Generalem Joannes Vigerius, Ligur Genuenſis, primum Vicarius Apoſtolicus, cujus opera uſus erat Carolus V. ſub annum MDXXVI. ad ineundam pacem cum Franciſco Rege Gallorum. Fuit vir probus & doctus. Rexit prudenter annis ſeptem, & demum aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Chienſem.

Capitulum primum Capucinorum. *Bover. hoc anno n. 3. & ſeq.*

XXXI. Nova altera Religionis progenies, Patrum Capuccinorum, etiam hoc anno menſe Aprilis primum ſuum Capitulum, ſeu Congregationem pauculorum Fratrum in Cœnobiolo Albacinæ, agri Fabrianenſis caſtelli (tertiam hanc domum & quartam Foroſempronii illo anno humili poſuerunt ſtructura) celebrarunt, & Matthæum e Baſſio, primum hujus vitæ anteſignanum, etſi valde reluctantem, delegerunt Vicarium Generalem; legeſque tulerunt ſtrictiori Regulæ obſervantiæ accommodas, ex pleriſque antiquis, & peculiarium provinciarum conſtitutionibus excerptas, additis quibuſdam vitæ eremiticæ opportunis, nimirum de locis ædificandis extra urbes & oppida; de non habendis in quolibet Conventu ultra ſeptem vel octo Fratres: in majoribus vero urbibus, ne excedant numerum duodecimum; de non admittendis ſtudiis litterariis; neque novaculis pro tonſura; neque calicibus pro Miſſæ ſacrificio, ultra duos, eoſque ex ſtanno conflatos, & aliis hujuſmodi; quæ tamen jam deſueverunt, vel rerum experientia, & temporum circumſtantiæ docuerunt immutanda. Matthæus, uti erat vir bonus, & religioſæ quietis amator, poſtquam duorum menſium ſpatio Fratrum viſitationem expedierat, Definitoribus aliiſque Patribus ad Foroſempronii domum convocatis, ſe officio, quod illibenter ſuſceperat, lubens abdicavit. Subſtitutus protinus fuit Ludovicus Foroſempronienſis, primus Definitor, Commiſſarii nomine, prout antiqua Religionis lex & conſuetudo ferebat, & paulo poſt Romam profectus, litteris commendatitiis Catarinæ Camerinenſis Duciſſæ ad Pontificem, & Victoriam Columnam, Aterni, ſeu Piſcariæ Marchioniſſam, Domunculam impetrat ſanctæ Mariæ Miraculorum intra Urbis muros, prope portam Flaminiam ad ripam Tyberinam.

Matth. a Baſſio Vicarius Gen.

Se abdicat officio.

Subſtituitur Ludovic. Foroſempronianus.

Inchoatur hæc reformatio apud Calabros.

XXXII. Sub iſtud tempus ad Urbem venerunt duo Fratres Calabri, Ludovicus & Bernardinus Georgius, Rhegini, qui a Clemente Pontifice facultatem impetrarunt, aliquot Conventus, reformationi regulari opportunos ſeligendi, in iiſque religioſos, ſtrictiorem obſervantiam amplexuros aggregandi. Anno itaque MDXXVI. in patriam profecti, tres obtinuerunt do-

domos, ſancti Sergii Tropejæ, ſancti Franciſci Terræ novæ, & ſancti Philippi Quinque-frondium; in quibus tamen moleſtias aliquot a Superioribus Obſervantum, quibus hujuſmodi exemptio a plena Miniſtri provincialis obedientia diſplicebat, patiebantur. Miſit proinde Ludovicus Bernardinum in Urbem, ut a Pontifice impetraret facultatem ſe ab Obſervantibus ſegregandi, & in Eremum ſancti Angeli de Valle Tucis, diœceſis Rhegienſis recipiendi. Audito porro hoc novæ Reformationis exordio, Ludovicum Foroſempronienſem in Urbe degentem hoc anno adit Bernardinus, reque cum illo compoſita, obtinet ut ſe Calabroſque ſocios ſuæ aſſociet Congregationi. Pactionis inter utrumque initæ compacto per Franciſcum Vannutium Notarium publicum Romanum, in Regione Campi Martii inſtrumento, in Calabriam Bernardinus ad ſuum concivem Ludovicum revertitur, implorata prius Neapoli die XXVI. Septembris protectione Regia, eaque obtenta per diploma Pompei Vicecancellarii Locumtenentis generalis ſub Philiberto Principe Aurangio Pro-Rege, & pacta cum Foroſemproniensi narrat, & quæ ab illo accepit, capitii formam, Bullæ Clementinæ, ac conſtitutionum exemplar oſtendit. At Ludovicus etſi reformationis perquam cupidus, nonnihil cunctandum cenſet, ut quis rerum exitus circa hanc novam Congregationem, a Patribus Regularis Obſervantiæ variis modis agitatam, futurus eſſet, cominus aſpiceret.

XXXIII. Vehementer quidem dolebant Superiores Obſervantum apertum hoc latiſſimum oſtium ſuis ſubditis obedientiam excutiendi, & ad alios tranſmigrandi; nihilque intentatum reliquerunt, ut recluderent. Itaque Piſottus Miniſter Generalis, antea per triennium functus officio Commiſſarii Generalis familiæ Ciſmontanæ, cui notæ erant frequentes Fratrum provinciæ Picenæ amarulentiæ, & Joannis provincialis Miniſtri querimoniæ, videns quotidie ſuos ſubditos dilabi ad hujuſmodi vitæ eremiticæ profeſſores, audienſque multa, quæ acerbius plerique ex Fratribus opponebant, vel incautius illis imponebant, concitato animo, ſeu efferveſcenti zelo, qua potuit efficacia, expoſuit quæ in rem ſuam erant, Pontifici, flagitavitque remedium: a quo tamdem ſub hujus anni finem iſtud emanavit diploma.

Miniſter Generalis eam ſupprimere intentat.

Dilecto filio Generali Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

XXXIV. *Dilecte fili &c. Cum nuper non ſine mentis noſtræ perturbatione nobis innotuit, nonnulli Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſores, fallaciis hoſtis antiqui ſeducti, & pœnitentia inchoati benefacti jam fatigati, ac ſuæ profeſſionis & ſalutis immemores, favoribus propinquorum & amicorum in Romana Curia reſidentium, exemptiones ab ordinariis Superioribus ipſius Ordinis ſibi obtinere procurant, & ut liberius abſque correctore vivere valeant, ſe ipſos Ordinariis diœceſonis, ſive Magiſtro & Superiori Fratrum Conventualium immediate ſubjiciunt; & licet ſe ab Ordine exemerint, tamen habitu de dicto Ordine reputari, ac illius privilegiis & immunitatibus ſe protegi & defenſari volunt, ac cum illis, Dei, & Religionis honore poſtergatis, almam Urbem noſtram, & extra eam ſoli peragrare & diſcurrere, ac tabernas & alia loca viris religioſis minus congruentia requirere & inhabitare non erubeſcunt, in grande dedecus & opprobrium Religionis & Ordinis Sacerdotalis, ac eorum, qui a votis ſolemniter emiſſis, nulla cogente neceſſitate, reſiliunt, animarum pacem & periculum, necnon Obſervantiæ hujuſmodi, ac Religionis hone-*

Ex origin.

honeſtatis, Fratrumque regulariter in ſuis Conventibus ſub obſervantia regulari viventium præjudicium. Et cum tales fugitivi quibuſdam falſis & ſubreptitiis impetrationibus a nobis, ſive a Pœnitentiaria noſtra extortis protecti, ordinaria Religionis diſciplina prohiberi nequeant, maxime cum dictæ Curiæ Officiales quamvis de contrario informati, hujuſmodi impetratas conceſſiones defendere, & impetratoribus favere, quantum in ipſi eſt, nitantur, ut nulli Judices ordinarii dictæ Curiæ, ſeu exequutores illius juſtitiæ, cum ad illos pro auxilio opportuno reclamatur, quamvis coram illis litteræ felicis recordationis Sixti IV. Innocentii VIII. Alexandri VI. Julii II. Leonis X. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum in forma Brevis editæ, & contra ſimiles inſolentias multipliciter impetratæ producantur, afferentes ſe cum Cardinalibus, & Prælatis, ac aliis Officialibus Curiæ hujuſmodi contendere nolle, Fratribus dicti Ordinis in juris ſubſidium ad compeſcendas talium inſolentias fugitivorum, & Ordinis ſalutarem diſciplinam declinantium aſſiſtere nolint; plurimi ex defectu caſtigationis talium exemplo allecti, hanc viam ſic apertam intrepide ingredi præſumunt. Sicque Religio in ſanctitate inſtituta diſſipatur & ruit, non ſine populorum ſcandalo & univerſalis Eccleſiæ præjudicio. Nos hujuſmodi abuſus, errores & exceſſus ſubmovere, ac ſuper his, ne deteriora parturiant, congruentibus remediis obviare volentes, omnia & ſingula Apoſtolica reſcripta, ac litteras ſub plumbo, necnon in forma Brevis ſub anulo Piſcatoris, quibuſvis Ordinis & Obſervantiæ prædictorum profeſſoribus, ſuper exemptione ab ordinariis Superioribus ipſius Ordinis, & aliis præmiſſis quomodolibet, necnon pro inchoanda nova Secta, ſeu novo modo vivendi ſub alterius, quam ſub hujus, & pro tempore exiſtentis dicti Ordinis Generalis Miniſtri obedientia, aut pro erigendis novis Congregationibus, ſeu domibus, præter & contra voluntatem tuam, aut tui Vice-Miniſtri & Commiſſarii quomodolibet concepta & conceſſas; quorum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis; auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium revocamus, caſſamus, irritamus & annullamus, nulliuſque roboris vel momenti exiſtere, ac tamquam per falſi ſuggeſtionem, & veri ſuppreſſionem extorta, pro non conceſſis, ac ſi numquam conceſſa fuiſſent, haberi, nec in aliquo ſuffragari debere decernimus: Diſtrictius inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ tibi & pro tempore exiſtenti Miniſtro Generali præfato, ne novas Sectas in dicto Ordine introduci, nec illius Fratres alio novo nomine, quam quod beatus Franciſcus ab Apoſtolica Sede ſibi dari & concedi obtinuit, nominari permittas. Necnon quibuſcumque ſolicitatoribus, & aliis Curiam prædictam ſequentibus, etiam eiſdem Fratribus fugitivis quavis conſanguinitate, affinitate, amicitia conjunctis, necnon ejuſdem Curiæ Officialibus, ne ſub prætextu temporalis lucri ſimiles litteras talibus Fratribus abſque prædictorum Superiorum licentia in ſcriptis authenticis producenda tradant, concedant vel expediant: Necnon quibuſvis Eccleſiarum parochialium Rectoribus aut Curatis, ac aliis, quacumque dignitate Eccleſiaſtica, ſeu officio in dicta Curia præfulgeant, ne quemquam talium ad exercitium curæ animarum parochianorum ſuorum, & adminiſtrationem Sacramentorum, ſolis Curatis ſpectantium, abſque eo quod illis de licentia prædicta legitime conſtiterit, admittere, nec eoſdem Fratres exemptos de cetero in diſtrictu parochianorum ſuorum ſuperpelliceum ſuper habitu ipſorum geſtare permittant, ipſiſque Fratribus, ne de cetero extra eorum Conventus habitum eorum ſuperpelliceo velare præſumant, niſi alba, ſi eos fidelium devotione requiſitos extra ſuas Eccleſias celebrare, ſeu in proceſſionibus in comitiva ſuorum Fratrum intereſſe contingat: ac decernentes irritum & inane quidquid ſecus contige-

tigerit attentari. Necnon mandantes pro tempore exiſtenti almæ Urbis noſtræ in ſpiritualibus Vicario, & quibuſvis aliis Curiæ prædictæ ordinariis judicibus, ut quoties pro parte tua, vel Procuratorum, aut Commiſſariorum dicti Ordinis deſuper requiſiti fuerint, nemini deferentes ſeu indulgentes, nec ad aliqua reſcripta, ſeu Brevia Apoſtolica reſpectum habentes, faciant præſentes litteras, & in eis contenta firmiter obſervari: contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, de quibus tibi aut Procuratoribus & Commiſſariis prædictis videbitur, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque, aut ſi eiſdem exemptis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim, a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulta hujuſmodi mentionem: decernentes præſentium tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo dicti Ordinis munitis eamdem prorſus fidem in judicio & extra adhibendam fore, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Bononiæ ſub anulo Piſcatoris, die XIV. *Decembris* MDXXIX. *Pontificatus noſtri anno* VII. *Evangeliſta.*

XXXV. Circa hoc tempus reponendum ſuſpicor obitum religioſiſſimi viri Petri a Guardia laici, ſive converſi, provinciæ Portugalliæ, defuncti in Cœnobio ſancti Bernardini inſulæ Lignorum, in mari Oceano, Luſitanis ſubjectæ. Ludovicus de Figueredo Epiſcopus Funchalenſis in prædicta inſula, anno MDXCVII. de ejus virtutibus & mirabili vita, Ordinarii auctoritate proceſſum formavit, ex quo compendioſe iſta ſubjicimus. Multis annis in prædicto vixit Conventu, egregiis virtutum, humilitatis præſertim, dotibus inſignitus. Culinæ curam agebat, ſed orationi dies noctesque intentus, a Fratribus ſæpe reprehenſus eſt, quod injunctum miniſterium edulii præparandi negligenter exerceret: cum vero cibos ſemper optime conditos miniſtraret, multis occaſionem præbuit ſuſpicandi, Angelos habuiſſe cooperatores. Ad omnia Monaſterii exercitia promptus, ſingula ſubibat alacriter, in colloquiis ſemper hilaris, devotus, & religioſe facetus. Ad nutum obediebat, præveniens ſuperiorum mandata. Erga ſe ſeverus & auſterus, erga alios, Fratres præſertim & pauperes benignus & beneficus, quæcumque obveniebant caritatis ſubſidia fideliter diſtribuebat, nihil ſibi reſervans obſonii, piſcis, aut carnium, neque fructuum, quibus illa inſula ſuperabundat, ſola contentus ſcutella juſculenti, frigida mixti, injectis fruſtulis panis & micis, quæ menſis ſupereſſent. In ſolemnioribus diebus aliquando reſervabat ſibi quæ poſt Fratrum refectionem in culinam referebantur, piſcis reliquias aut ſpinas, potiore & ſaniore parte pauperibus reſervata.

Petrus a Guardia. *Marc. 3. p. l. 9. c. 31. Gonz. in Provin. Portug. Conv. 25. Daza 4. par. l. 1. c. 40.*

Ejus virtutes.

XXXVI. Extra Conventum numquam prodibat, & colloquia ſecularium atque item Fratrum evitabat; erat enim ejus converſatio tota in cœlis, quod abunde probabant ejus frequentes extaſes & raptus, quos per annos viginti ſui incolatus in illo Cœnobio paſſus eſt, quemadmodum deponunt in ſupradicto proceſſu plerique teſtes oculares. Paupertatem ſummo colebat ſtudio, habitu aſpero & ſegmentitio abſque tunica interiori contectus, ſotularibus uſus pro calceis, tabulis pro lecto, manipulo ſarmentorum pro cervicali, laceris tritiſque ſarmentis pro coopertorio. Obiit ſeptuagenarius, corpore inter tot mortificationes, carniſque injurias ſemper robuſtus, uſque ad octo dumtaxat ante obitum dies, quibus decubuit. Cœlitus admonitus mortem appropinquxre, diem Fratribus prædixit, eo-

que fecit adhuc viventi aperiri ſepulcrum. Sacramentis rite & devote perceptis, ſanctiſſime obdormivit in Domino, tinnientibus mirabiliter campanis, nullo movente. Etſi graveolenti perierit alvi profluvio, attamen extenuato e corpore odor prodibat gratiſſimus. Epota aqua, cui ejus ſepulturæ terra erat admixta, multis morbis medelam attulit, febricitantes, paralyticos, podagricos, aliiſque malis oppreſſos liberavit. Longa ſerie referuntur omnia in prædicto proceſſu.

Trucidati a Turcis Minoritæ.

XXXVII. Multi Fratres in odium fidei a Turcis & Hæreticis hoc anno trucidati ſunt. Solymanus Turcarum Imperator, magna potentia per univerſum Hungariæ regnum graſſatus, plures occidit. Buda in poteſtatem recepta, gladiis impiorum periere Benedictus de Nemet Vyuar, Stephanus de Nagi-dobos, Laurentius de Bania, Georgius de Tolna Sacerdotes; Andreas de Peſt-Vylak, Paulus de Vaſarda, Joannes de Lindua, Joannes de Braſtovia, Georgius de Patak laici. In Sclavonia hoc item anno a Turcis interempti; in Cœnobio Remetinaz, Martinus de Raſcia Sacerdos; in Cœnobio Petroazi, Balthaſar Clericus, Paulus de Nard laicus; in Conventu Attinæ, Petrus de Diako laicus; prope Strigonium, Stephanus de Dees Sacerdos; in Comitatu Liptovienſi, Andreas de N. Sacerdos; in Galgoz, Leonardus de Oravia Sacerdos; prope hunc locum, Petrus de Miskolcz Sacerdos, & Thomas de Papa laicus; in Tranſilvania per Valachos, Georgius de Bogacz cum aliis duobus crudeliter occiſi.

Fr. Dionyſius Epiſc. Fulminen.

Fr. Bernardinus Ravellen.

Fr. Franciſcus Sardeorum.

XXXVIII. Creati Epiſcopi frater Dionyſius Græcus Fulminen, & Zianen in Archipelago, ſuffraganeus Archiepiſcopi Nicoſienſis, die VIII. Februarii. Frater Bernardinus de Soria, Ravellenſis, ſub Archiepiſcopo Salernitano, nunc exemptus, die XXIII. ejuſdem menſis. Frater Franciſcus N. Archiepiſcopus Sardeorum in Lydia, & ſuffraganeus Epiſcopi Tholonenſis in Provincia, X. Decembris. Obiit hoc anno in oppido Cottiniolæ patria ſua, Rynaldus ſive Reginaldus Gratianus, olim Miniſter Generalis totius Ordinis, & Archiepiſcopus Raguſinus, de quo non ſemel alias locuti ſumus. Multa contulit Cœnobio Bagnacavallenſi beneficia, quorum ſupereſt memoria præſertim in pulcherrimis libris choralibus, magni valoris. Sepultus eſt in Eccleſia ſancti Stephani prædicti oppidi, ad aram majorem, inciſis lapidi marmoreo ejus ſimulacro, & hac inſcriptione.

Tom. 15. anno 1506. num. 5. An. 1510. n. 10.

Raynaldo Gratiano Theologorum ultimo, quem natura elaborarat, totius Ordinis Minorum Generali Miniſtro, inde ob egregia ejus in utraque Hiſpania pro Religione facinora, a Julio II. Pont. Max. in Raguſinum Archiepiſcopum delecto, Fratres pientiſſime ære proprio M.D.XXXII.

Conv. Juſtinopolit. *Gonc. in Provin. Dalm. Conv. 2.*

XXXIX. Apud Juſtinopolim, Iſtriæ metropolim, a Juſtino Imperatore conditam, Conventus ſanctæ Mariæ de Angelis ante hunc annum conſtructus eſt, uti ex conceſſis a Clemente Pontifice hoc anno Indulgentiis in feſto ſanctæ Annæ, Fratrum Eccleſiam viſitantibus, compertum eſt. Prius ædificatus fuit Juſtinopolitarum ſumptibus, & Eccleſia Deo dicata, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Angelis, deinde per quemdam ex civibus nobilem reſarcitus, & in ampliorem atque elegantiorem ſub nomine ſanctæ Annæ translatus. Ad decimum ab eadem Civitate lapidem, non longe a maris littore conſtructum eſt aliud Cœnobium ſancti Bernardi prope oppidum Piranum, multis ſalinis notiſſimum, paulo poſt Juſtinopolitanum ædificatum publicis oppidanorum facultatibus.

Conv. Pirani. *Indid. Conv. 2.*

XL. Hu-

Anno Christi 1529.	Clementis VII. an. 6. & 7.	Caroli V. Imp. anno 11.	Religionis Minorum anno 322.

XL. Hujus ferme temporis ſunt Conventus ſanctæ Mariæ de Jeſu urbis Caſtri regalis, diœceſis Meſſanenſis, juvenum tirocinio idoneus, conditus communis ærarii ſumptibus, ita perſuadente ſpectabili viro Stephano Chiraſio, & alter ſub eodem titulo apud Civitatem Corleonis, diœceſis Montis-regalis, primum anguſte ſatis fabricatus, deinde Fratrum Antonii de Naſo, & Andreæ Corleonis opera ſatis amplificatus. Deceſſit hic vir pietate inſignis, frater Paulus a Corleone miraculis clarus, necnon quidam Frater laicus illius ſocius, qui maximum ſuæ ſanctitatis ſpecimen in multis præbuerat. Poſt multos a funere dies corpore incorrupto, inventus eſt genibus flexis, manibus complicatis, & facie ad Altare majus converſa. Sub hoc etiam tempus quidam conditum putant Conventum ſancti Antonii a Padua, prope urbem Adrienſem in Brutiorum provincia, communibus civium facultatibus. Sed alii ſancto Antonio Abbati ſacrum dicunt, & bellorum occaſione deſtructum, reædificatum fuiſſe alio loco, anno MCCCCXX. auſpiciis Hieronymi Aquævivæ Ducis Adrienſis. Jacet hic frater Honufrius a Caramanico, clericus adoleſcens, cujus pietas magis poſt mortem enituit, dum mirabiliter morbo regio, quo ipſe valde afflictabatur, affectis cœpit opitulari.

Conv. Caſtri regalis. *Idem in Provin. Sicil. Conv. 14. & 15.*

Paulus a Corleone.

Conv. Adrienſis. *Idem in Provin. S. Bern. Conv. 9. Manum. MSS. ejuſd. Prov.*

XLI. Ex iis, quæ diximus paulo ſuperius de obitu & ſepultura beati Petri de Guardia, conſequens eſt, ut ante hunc annum Cœnobium ſancti Bernardini Inſulæ lignorum maris Oceani, in quadam ſolitudine ſitum, incerto tamen auctore, conſtructum ſit.

Conv. S. Bernardini Inſulæ lignorum.

XLII. In novæ Hiſpaniæ regionibus, Mexicana & adjacentibus, multiplicatis Fratribus, cœperunt etiam multiplicari domicilia. Quinque in circuitu Mexici fuiſſe ſuo tempore ſcribit Antonius de Herrera. Præter Mexicanum quod diximus, & Guaxalzinganum, Joannes a Turrecremata hos inter primarios recenſet, Tlaxcallenſe, Tetzcucanum, Huexotzincanum, Cornu vaccarum, Tepeacanum, Quauhtitlanum, Telucanum, & Tlalmanalci. Mexicanum audit ſub nomine ſancti Franciſci; Cœnobium Guaxalzingi in Præfectura Tlaxcallæ, ſub ſancti Joannis Baptiſtæ. Deceſſit hic Ferdinandus Baſſarius Gallus provinciæ Aquitaniæ, qui brevi tempore Indicum idioma aprehendit, multiſque libris Indice editis, magnopere promovit illius gentis converſionem. Tlaxcallæ nobilis urbis, ſub Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis; Tetzuci oppidi, ſeptem a Mexico leucis verſus Orientem in Mexicani lacus ripa conſtructi, ſub ſancti Antonii de Padua. Jacent hic tres inſignis vitæ religioſi, Joannes de Aora, Joannes de Ribas, & Michael de Garrovillas. De Aora jam dictum, de aliis ſuis locis dicetur. Huckotzingi, nobiliſſimi oppidi ab urbe Populæ de Angelis, Epiſcopatus titulo inſigni, XII. M. P. diſtantis, ſub ſancti Michaelis, ut tamquam cœleſtis militiæ Princeps, dæmones populum illum continuo infeſtantes, & ne conſortium Fratrum Minorum admitterent, inſtigantes, procul abigeret; Tepeacanum XVIII. M. P. a prædicta Popula Orientem verſus, ſub ſancti Franciſci; Quauhtitlanum inde diſtans XII. M. P. verſus Auſtrum, ſub ſancti Joannis Baptiſtæ; Telucæ Conventus a Mexico diſtat XXX. M. P. verſus Occidentem (ubi religioſi propter indigenarum varietatem quatuor linguarum genera apprehendunt, Mexicanum, Otomicum, Matlatzingicum, & Hiſpanum) appellationem habet Aſſumptionis beatæ Mariæ. Hic jacet Andreas a Caſtro, qui plurimum laboravit in Indorum converſione. Tlalmanalci oppidum ad Orientem, leucis novem ab urbe Mexicana prope Popocatepoci montem ignivomum, Conventum habet ſub invocatione ſancti Ludovici Epiſcopi. Hic requievit per annos XXXIV. corpus Martini de

Conv. Guaxalzinganus. *Herrer. dec. 2. l. 10. c. 22. An. 1524 n. 42. Turrecr. lib. 15. c. 25.* Alii Conventus Prov. S. Evangelii. *Gonz. in eadem Prov.* Ferdinandus Baſſarius.

Andreas a Caſtro.

Valentia præcipui hujus gentis magiſtri, ab anno ſcilicet MDXXXIII. uſque ad MDLXVII. ex quo ſecretiſſime ſublatum fuit, neque deinceps ſciri potuit ubi fuerit repoſitum.

Conv. Cempoallæ. *Herre. dec. 4. l. 6. c. 4.*

XLIII. Sub hunc annum conſtructum fuit Cœnobium omnium Sanctorum Cempoallæ in eadem regione novæ Hiſpaniæ, in cujus ſtructura effoſſæ fuerunt larvæ multæ, & idolorum ſimulacra, & in ſepulturis jocalia aurea & argentea magni valoris, quæ ſibi donari pro Cœnobii ſtructura Fratres a Carolo V. impetrarunt.

Conv. Ergavicæ. *Gonz. in Prov. Arag. Conv. 11.*

XLIV. Andreas Vives, Medicinæ Doctor, & Protonotarius Apoſtolicus hoc vel præcedenti anno Conventum poſuit Fratribus Obſervantiæ in Ergavicæ (vulgo Alcanis) regni Aragoniæ oppido, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Jeſu.

Monaſt. Gattinaræ. *Idem in Provin. Med. Mon. 10.*

XLV. Deficiente in dies diſciplina & numero Sororum Monaſterii ſancti Petri apud Lentam, Inſubriæ oppidum, Ordinis Ciſtercienſis . . . Cardinalis Mercurius Comes Gattinaræ, oppidi quod a Lentano ad IV. M. P. diſtat, impetravit hoc anno a Clemente Pontifice, ut quæ ſupererant Sorores, & reditus transferrentur ad Monaſterium Clariſſarum a ſe Gattinaræ fabricandum. Cœpit opus, ſed morte præventus, non potuit perficere. Compleverunt ſuis dotibus virgines, quæ ſupervenerunt.

Domus Sororum Nolana. *Idem in Provin. Terræ laboris Mon. 6.*

XLVI. Cives Nolani in Campania ſelici Raymundi Urſini in ſui Comitis & Reguli, ac Salernitani Principis, pietatem hoc anno æmulati ſunt. Nam ſicuti ille Fratribus inſigne conſtruxit Cœnobium, ita hi commodum Sororibus Franciſcanis ſub tertia Regula victuris ædificarunt domicilium, indita ſancti Spiritus nuncupatione.

Domus Sororum Murciæ. *Idem in Provin. Carth. Mon. 16.*

XLVII. Eliſabetha ab Alarconio, matrona nobilis Murciana, hoc anno poſtremis tabulis legavit domum ſuam, magnamque pecuniæ vim convertendam in domicilium Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, ſub titulo Veronicæ in eadem Murciæ Civitate. Ad bonum ſtatum reducta fabrica, vocatæ ſunt duæ magiſtræ ex Monaſterio ſanctæ Mariæ Magdalenæ Alcarazii, quæ feliciſſimum dedere initium virginum collegio, eaſque in omni pietate, Dei timore, & diſciplina regulari erudierunt. Ad illam domum diximus alias translatas fuiſſe illas hujus Inſtituti Sorores, quæ habitabant in domo altera, Divæ Birgittæ dedicata. Facta eſt hæc unio anno MDLXVI. per quam & Sororum numero & reditibus crevit hoc Monaſterium. Curam ejus agunt Fratres Conventus ſancti Franciſci e regione in eadem platea pulchre conſtructi. Arriſit mihi valde utriuſque domus ſtructura & ſitus, dum per illam urbem anno MDCXVIII. iter facerem in Italiam.

To. 10. an. 1415. n. 87. & Tom. 14. an. 1414. n. 69.

AR-

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum
1530.	an. 7. & 8.	anno 12.	anno 323.

ARGUMENTUM.

Joannis Zumarragæ Epiſcopi Mexicani pietate & prudentia ſedata ſunt Hiſpanorum diſſidia. Sub regimine Minorum accurrata inſtruuntur diſciplina Indicæ puellæ. Varia indicantur acta Capituli poſtremi Generalis. Conceſſit Pontifex ut ſanctiſſimum Jeſu nomen coleretur officio Eccleſiaſtico, necnon beata Catarina Bononienſis. Moritur Innocentius Carpenſis. Creſcit Capuccinorum Inſtitutum, contrafaciente Piſſotto Miniſtro Generali. Creſcunt inſuper Eccleſiarum Prælati, & Religioſorum domicilia.

I. IN urbe Mexicana, novæ Hiſpaniæ apud Indos Occidentales maxima & potiſſima, multa & magna hoc anno prævaluit auctoritate, ne Hiſpanorum imperium peſſumdaretur, frater Joannes de Zumarraga deſignatus, uti ſuperius diximus, illius urbis Epiſcopus. Nunius Guzmanus conſtitutus a Carolo Hiſpaniarum Rege urbis & Magiſtratus Præfectus, ut inquireret in vitam & acta Ferdinandi Corteſii, illarum gentium fortiſſimi debellatoris, ab æmulis apud Carolum in multis accuſati, ita ſe geſſit in perquirendis qui accuſarent, & excipiendis quæ deferebantur, criminibus, ut plane & aperte videretur eum Corteſii adverſariis adhærere, & Carolo (ad quem in Hiſpaniam ſe purgaturus ille perrexerat) reddere infenſum. Corteſii partes ſuſceperant Epiſcopi, & viri, quotquot erant religioſi, quos proinde Guzmanus habuit exoſos & ſuſpectos in hac cauſa, neque audiendos circa regimen politicum, repetitis litteris apud Regem calumniabatur. Feraliter deinde actum contra Corteſii partiarios, magno Indorum ſcandalo & perturbatione, extractis præſertim ab Eccleſiæ ad quam confugerant, ſacro aſylo, duobus honeſtis clariſque viris, & poſt tormenta ſuſpenſo uno, flagellato altero, & pede truncato. Perrexerant proceſſionaliter & ſupplicatorio modo ad carceres, antequam ad ultimum procederetur ſupplicium, Epiſcopi qui aderant, & Clerus, rogantes & inſtantes, ut violatæ immunitatis Eccleſiaſticæ ſatisfactio redderetur, & templi reſtituerentur ſacrario violenter erepti. Senatores, ſeu Guzmani, hoc anno ad Chichimecas profecti, aſſeſſores, preces, leges, cenſuras ſpernentes, ipſos Epiſcopos male habuerunt, addito inſuper præconio, ut univerſus Clerus tam ſecularis, quam regularis in vincula conjiceretur. Zumarraga ne ſuo deeſſet officio, fulminatis cenſuris, eos aqua interdixit & igne, diriſque devovit, ni reſipiſcerent. At illi ſpretis omnibus, tamquam aſpides ſurdæ obſorduerunt ſub cenſuris per menſes octo, nolentes Epiſcopo humiliari, aut ab eo his vinculis abſolui. Ille interim nihil omiſit pacificando populo & concordandis Hiſpanis in graviſſimas inimicitias diſtractis, atque ad arma paratis, neceſſarium aut opportunum; ejuſque prudentia & patientia tamdem rebus compoſitis, reverſoque Corteſio, pax priſtina reſloruit.

An. 1527. n. 16.

Judex regius Corteſio valde adverſus.

Herr. dec. 4. lib. 6. & 7. c. 2.

Epiſcopus propitius.

II. Diximus anno præterito, commendatas fuiſſe ab Imperatrice Iſabella, Caroli uxore, quaſdam Clariſſas, necnon Tertiarias ſanctorum Franciſci & Auguſtini, curæ & protectioni Marchioniſſæ de Valle, Corteſii uxoris, quas ſecum ferret ad illas partes Mexicanas, ut ſub illarum diſciplina conſtruerentur Sanctimonialium Monaſteria, & puellarum Collegia. Hoc anno omnes pervenerunt incolumes, ſtatimque inſtitui cœperunt utriuſque generis domicilia. Mexici inchoatum eſt hoc anno Monaſterium Clariſſarum, quod infra paucos annos multis crevit Virginibus tum Indis, tum Hiſpanis, completa nobili ſtructura partim regiis ſumptibus, partim dotibus adven-

Ducuntur in Indiam Clariſſæ & Tertiariæ. *Idem cap. 8.*

Mon. Clariſſarum Mexicanum.

Anno Christi 1530.	Clementis VII. an. 7. & 8.	Caroli V. Imp. anno 12.	Religionis Minorum anno 323.

Collegia puellarum. *Torrec. lib. 15. c. 41. & ſeqq.*

adventantium. Ibidem etiam aliiſque in locis erecta ſunt Collegia puellarum, Zuchimilci, Tetzcuci, Quauthitlanl, Tlalmanalci, Tepeacæ, & Tehvacanæ, ubi ſub cura & protectione Fratrum modo quadringentæ, modo quingentæ, modo plures, modo pauciores, juxta urbis vel oppidi qualitatem, & temporum rationes, educabantur ſub matronarum ſeu Beatarum diſciplina.

Illarum diſciplina.

III. Secundum annorum differentias diſtinguebantur per claſſes; in prima docebantur Cruce ſignari, Dominicam orationem & Angelicam ſalutationem recitare; in ſecunda Symbolum Apoſtolorum, & Antiphonam *Salve Regina*; in tertia præcepta Decalogi & fidei articulos; in quarta Eccleſiæ mandata, ſeptem Sacramenta; in quinta reliqua, quæ ad perfectam ſpectant catecheſim. Succedebant prioribus poſteriores, pro doctrinæ captu claſſe mutata. Deinde inſtruebantur nobiliores in librorum lectione, præſertim Hiſpanæ; tum omnes in opere manuali & muliebri miniſterio, adhibitis inſtrumentis neceſſariis. Omnes vel nere, vel ſuere, linum, lanam, vel goſſypium in filum ducere, texere, acu pingere, lintea ſacra purificare, ſacrificio adaptare diſcebant. Statutis horis & diebus prodibant in atria magna, quibus in hoc munus Collegia utebantur, reliquas urbis vel oppidi puellas edocturæ, & cum illis Litanias beatæ Virginis, aliaſque orationes cantaturæ. Raro extra limen oſtii, hujuſque atrii contigui circuitum pedem efferebant; numquam vero, niſi præſcripto numero, & ſub cuſtodia alicujus, vel plurium ex matronis. Povectiores conveniebant in Odæum, Officium parvum beatæ Mariæ Virginis, tribus intervallis, altiori & ſonora voce dicturæ. Hac inſtructæ diſciplina, ſui juris effectæ, alias edocebant, vel viris copulatæ, iſtud vitæ genus in ſuis domibus obſervabant, ita ut ſingulæ diſcipulæ fierent magiſtræ, privatæque ædes converterentur in Collegia. Pleræque ex his rara effulſerunt pietate, Deo conſecrantes virginitatem, caritatis operibus perpetuo addictæ; aliæ devotas ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, beatæ Virginis Mariæ, aliorumve Sanctorum inſtituerunt Confraternitates, peculiaribus operibus miſericordiæ deſtinatas. Ita ſub cura & ſollicitudine religioſarum primum exculta eſt illa ſenticoſa vinea, & ex ſterili reddita fœcundiſſima per hæc tenella genimina ſexus utriuſque.

Floret miraculis B. Jacobus Picenus. *Reg. gen. Cism. fol. 89. & ſeqq.*

IV. Variis florebat hoc tempore miraculis beatus Jacobus Picenus de Monte Prandono, quæ Miniſtrum Generalem Paulum Parmenſem magis excitarunt, ut inter Sanctos ſolemniter numerari procuraret. Deſignato itaque in Curia canonizationis Procuratore fratre Antonio de Ebulo, ſcripſit Epiſcopo & Guardiano Camerti, ac Marchiæ Provinciali, ut proceſſus alias de illius miraculis compactos, ubi eſſent, inquirerent, & inventos ſub authentica forma in Urbem tranſmitterent. Mox litteras dedit ad Imperatorem, ad Galliæ & Luſitaniæ Reges, ad Ducem Venetiarum, ut in tam gravi negotio ſuas preces apud Pontificem interponerent, aliaſque miſit ad Miniſtrum Provinciæ Terræ laboris, in qua Vir ſanctus requieſcit, ut operam omnem impenderet huic rei conſequendæ opportunam.

Joannes Beltran Commiſſarius Indiarum.

V. Joannes Beltran provinciæ Caſtellæ, vir gravis & rei agendæ peritus, in Comitiis Parmenſibus delectus eſt Commiſſarius provinciæ ſanctæ Crucis in Indiis, ut quid ageretur circa Fratres ſuos conſpiceret, & negotium converſionis Indorum tam in Inſulis, quam in continenti promoveret. Ægrotaſſe totis his menſibus ubi Piſſotus Miniſter Generalis intellexit, ejus commiſit prudentiæ ut alium virum idoneum ſuo loco ſubſtitueret, qui quamprimum transfretaret. Roganti Imperatrici concionatorem aſſignavit fratrem Gaſparem Legionenſem, oratorem diſertiſſimum.

Gaſpar Legionenſis nominatur Imperatricis.

VI. Vi-

VI. Videns Piſottus difficulter Fratres aſſentiri compromiſſo alterno familiarum, quod ſuperius inſinuavimus, pro eligendo Generali Miniſtro, alteram excogitavit viam obviandi tot incommodis, quæ ex concurſu omnium Vocalium utriuſque familiæ, prodire videbantur. Impetrato ſequenti diplomate, voluit ut in unaquaque familia duo celebrarentur Comitia Generalia ſingulis ſexenniis, in quibus tamen præſideret Miniſter Generalis. Quia vero ſi ſimul ſub feſtum Pentecoſtes haberentur, non poterat ille præſidere, conceſſum eſt, ut alterum ex Capitulis differre poſſet ad ſex menſes poſt Pentecoſten. Sed & hanc illius negotiationem improbarunt Ordinis Patres; tum quia accedentibus a longinquis partibus illud tempus eſſet incommodum; tum quia nolebant alio permutare tempus illud, deſcenſu Spiritus ſancti ſacrum & myſticum, a ſancto Franciſco proinde præſcriptum. *An. præcedan. 16.* Jubetur ut duæ celebrétur Congreg. Generales.

Dilecto filio Paulo de Parma Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum.

VII. *Dilecte fili &c. Accepimus, quod alias poſtquam felicis recordationis Leo Papa X. prædeceſſor noſter per ſuas litteras, ut quolibet triennio in feſto Pentecoſtes Miniſter Generalis Fratrum Minorum Capitulum Generale dicti Ordinis celebrare, & ad Capitulum hujaſmodi tam Ultramontani quam Citramontani Fratres vocales dicti Ordinis, convenire deberent, ſtatuerat; & abinde citra plura Capitula Generalia juxta ſtatutum hujuſmodi celebrata fuerant: Definitores Capituli Generalis dicti Ordinis in Civitate noſtra Parmen. ultimo celebrati, attendentes quod propter penuriam annonæ, & bella in aliquibus partibus vigentia, & viarum graſſatores, ac temporum infelicitates, Fratres tam Ultramontani, quam Citramontani ad Capitulum hujuſmodi accedentes, in itinere longo penuriam viarum, & inſultus latronum ac militum, diverſaque mala patiebantur; volenteſque iis occurrere, vocis omnium Fratrum vocalium Capituli hujuſmodi ſigillatim deſuper acceptis, ordinarunt, quod quolibet triennio in dicta feſto unum in Citramontanis, alterum in Ultramontanis partibus capitula dicti Ordinis celebrarentur. Nos igitur attendentes, quod præſentia tua in quolibet ex dictis Capitulis eſt plurimum opportuna, & ſi eodem die fierent, non poteris utrique intereſſe, tibi & pro tempore exiſtenti Miniſtro Generali dicti Ordinis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, quatenus bonum commune dicti Ordinis tuæ commoditati præponens, celebrationem alterius, vel utriuſque Capitulorum hujuſmodi de dicto feſto ad aliud feſtum vel tempus, arbitrio tuo deputandum, quoties occurrerit, transferas & præfigas; & utrique Capitulo perſonaliter, vel legitime impeditus, per Commiſſarium ad tuum libitum eligendum, præſideas & aſſiſtas, ac omnia juxta datam tibi a Domino gratiam feliciter gubernes. Nos enim præſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis & ſigillo tuo munitis plenam & indubitatam fidem ubique adhiberi volumus, ſicut adhiberetur præſentibus originalibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ac prædictis, & quibuſvis aliis litteris Apoſtolicis per prædictum, & alios quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos & Sedem Apoſtolicam quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis & innovatis: quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modis & formis ad id ſervandis, pro in* Ex origin.

individuo ſervatis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod dictum tempus celebrandi Capituli per vos transferendum, ultra ſex menſes poſt dictum feſtum Pentecoſtes non protendatur, aliter præſentes ſint nullæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XV. *Decembris* MDXXX. *Pontificatus noſtri an.* VIII.

Bloſius.

Num. 28. Reuniuntur provinciæ Florentina & Lucenſis.

VIII. Auditis, ut ſtatutum erat anno præcedenti, ſententiis Patrum utriuſque provinciæ Florentinæ & Lucenſis, necnon Dominorum Florentinorum, in Comitiis Provincialibus hoc anno celebratis, decreverunt Patres Florentini, dummodo vellent Lucenſes, ut reducerentur hæ duæ Provinciæ ad priſtinam unionem. Andreas Cardinalis de Valle, Ordinis Protector, illorum explicuit vota Pontifici, & obtinuit ut reunirentur, uti ex hoc diplomate conſtabit.

Dilecto filio Franciſco Aretino Provinciali Miniſtro provinciæ Tuſciæ Florentinæ, Ordinis Minorum Obſervantiæ Regularis.

Reg. Ciſm. fol. 69.

Dilecte fili &c. Exponi nobis nuper feciſti, quod licet alias in Capitulo Generali per Fratres Ordinis Minorum Obſervantiæ Regularis apud ſanctam Mariam de Angelis de anno MDXXVI. *celebrato, provincia Tuſciæ, quæ tunc unica Provincia erat, in tres Provincias diviſa fuerit, videlicet in Tuſciæ, & Tuſciæ Florentinæ, ac ſanctæ Crucis Lucenſis provincias nuncupatas, juxta morem dicti Ordinis; tamen in ſequenti Capitulo Generali dicti Ordinis, apud Parmam celebrato, dilectis filiis Fratribus provinciæ S. Crucis Lucenſis & communitate Lucenſi ſupplicantibus, Tuſciæ Florentinæ & ſanctæ Crucis Lucenſis provinciæ unitæ fuerunt, & ex illis duabus unica Provincia facta extitit. Quare pro parte dilecti filii noſtri Andreæ tituli ſanctæ Priſcæ Presbyteri Cardinalis dicti Ordinis Protectoris, aſſerentis Capitulum Provinciale Tuſciæ Florentinæ unionem prædictam acceptaſſe, & ratam habuiſſe, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut poſtquam unio dictarum duarum provinciarum Florentinæ & Lucenſis facta, & per Capitulum Provinciæ hujuſmodi acceptata fuit, tibi ut ad dictam provinciam Lucenſem te perſonaliter conferre, & illius domos & loca viſitare deberes, præcipere & mandare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna præcipimus & mandamus, quatenus ad dictam provinciam Tuſciæ Lucanenſis, quæ, & dicta Tuſciæ Florentin. provincia unitæ exiſtunt, perſonaliter conferas, & illius domos & loca ac illorum Fratres viſites in omnibus & per omnia, ſicut domos & loca provinciæ Tuſciæ Florentinæ ante unionem prædictam viſitare ac illorum Fratres reformare & corrigere conſueveras, ac juxta decretum in Capitulo Generali Parmenſi factum, & per Capitulum Provinciale Florentinum approbatum. Non obſtantibus conſtitutionibus ac ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus Ordinis Regularis Obſervantiæ prædicti, juramento etiam roboratis, privilegiis quoque & indultis Apoſtolicis eidem Ordini forſan conceſſis: quibus, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ, menſe Junii* MDXXX.

Evangeliſta.

IX. Cir-

Anno Christi 1530.	Clementis VII. an. 7. & 8.	Caroli V. Imp. anno 12.	Religionis Minorum anno 323.

IX. Circa diviſionem Provinciæ Colonienſis, & diſtributionem Conventuum diximus natas aliquas diſcordias inter Patres illius Provinciæ, & Germaniæ inferioris ab illa exortæ vel avulſæ. Decrevit aliqua circa hæc Miniſter Generalis anno præterito, & videbatur propendere in favorem Colonienſis. Magis autem hoc anno inclinavit in reunionem utriuſque Provinciæ, acceptis litteris ab utroque Miniſtro, quas attulit Bonaventura Worſſel Mechlinienſis, Guardianus Antuerpienſis, quibus ſignificabant ſe velle ad priſtinam unionem redire, ad ſopiendas tot controverſias inter ipſos exortas propter inæqualem, uti contendebant Colonienſes, Conventuum diſtributionem; pro quibus ſedandis, ſed fruſtra, omnes convenerunt ſub menſis Februarii finem in Conventu Trajectenſi inferiori. Impetravit itaque Piſottus a Pontifice litteras, ſuaſque adjunxit, ut illæ duæ Provinciæ redirent in unam, & uterque Miniſter ſe abdicaret officio; hujuſque rei peragendæ Commiſſarium deſignavit Guillelmum Alemarienſem. Ubi ſub initium anni ſequentis hæ litteræ pervenerunt, facta Patrum Congregatione die v. Februarii in Conventu Dieſtenſi, allegatis variis cauſis Herbornus, Colonienſis Miniſter noluit ſuum deponere officium; & in eam demum itum eſt ſententiam, ut diviſio Provinciarum permaneret uſque ad Comitia Generalia, & tres illi alias nominati Conventus, de quibus major erat diſceptatio, remanerent penes Patres Germaniæ inferioris. Joannes autem Lovanienſis iſtius Provinciæ Miniſter multis precibus obtinuit, ut abſolveretur ab officio propter gravem infirmitatem, & regendi impotentiam, cui ſubſtitutus eſt prædictus Bonaventura Guardianus Antuerpienſis.

Reg. gener Ciſmon. fol. 86. Monumen. MSS. Provinc. Germaniæ infer. An. 1529. n. 39. Ibidem.

Agitur de reuniendis Provinciis Coloniæ & Germaniæ inferioris.

Sed fruſtra.

X. A ſancti Bernardini Senenſis tempore, qui reverentiam & cultum nominis Jeſu plus omnibus excitavit & promovit, valde crevit ubique erga ſanctum Nomen populorum devotio. Judicarunt itaque Fratres e re ſua eſſe, ut quod multis laboribus, concionibus, & diſputationibus ad tantam venerationem perduxerunt, amplius eveherent ad Divini officii, cultus Eccleſiaſtici, & feſtivi diei ſolemnitatem. Egerunt cum Pontifice hoc anno, ut concederet facultatem Minoribus & Clariſſis feſtive hoc ſacratiſſimum Nomen celebrandi. Aſſenſit ille, largitus inſuper iis, qui hujuſmodi officio intereſſent, ampliſſimas illas Indulgentias, quas Urbanus IV. dederat iis, qui præſentes adeſſent recitationi & concentui Officii Corporis Chriſti. Celebratur autem apud Minores & Sorores ſibi ſubditas die XIV. Januarii immediate poſt Octavam Epiphaniæ, ſub ritu ſolemni duplicis majoris. Idemque feſtum, uti teſtatur Joannes Molanus, per multas Eccleſias celebre eſt etiam apud plebem, inſtitutis inſuper paſſim hujus clariſſimi Nominis numeroſis Confraternitatibus. Iſtius conceſſionis do inſtrumentum, præmiſſa monitione in omnibus ferme nuperæ editionis officiis Minorum, conceſſionem hanc tribui perperam Clementi VIII. Officium autem reformatum eſt ad ritum recognitionis Breviarii ſub Pio V. factæ. Vetuſtum fuit compoſitum a Bernardino de Buſtis, & habetur in quibuſdam Breviariis antiquis.

Vide Tomo 10. anno 1427. n. 1. & anno 1432. n. 1.

Conceditur Officium & feſtum Nominis Jeſu.

Molan. de imagin. l. 2. c. 1. Luc. in Chron. Belg. ad hunc annum.

Ad perpetuam rei memoriam.

XI. *Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, Dei Patris Unigeniti, qui de ſummis cælorum ad infima pro generis humani redemptione deſcendere, & humanam cornem aſſumere non obnuit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ejus ſanctiſſimum Nomen, in quo omne genu cæleſtium,* Ex Reg. Ultram. fol. 297.

terreſtrium, & infernorum flectitur, & preces noſtras effundi, ac nos ſalvos fieri oportet, & per quod ſeculum eſt converſum, ac Apoſtolici, aliique Sancti miraculis claruerunt, celebriter venerari cupientes, ſacræ Religioni deditos, qui ſingulis mundi vanitatibus ſpretis, ad ipſi Chriſto deſerviendum ſe dicarunt, & alios Chriſtifideles ad id quibuſdam ollectativis muneribus, Indulgentiis videlicet & remiſſionibus invitomus, ut inde reddantur Divinæ gratiæ aptiores. Sane, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Bonaventuræ Dubien. Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris, petitio continebat, quod licet felicis recordationis Sixtus Papa IV. Prædeceſſor noſter Officium de ipſo ſacratiſſimo Nomine Jeſu, per quondam Bernardinum de Buſtis Fratrem dicti Ordinis, dum in humanis ageret, compoſitum, auctoritate Apoſtolica confirmaverit & approbaverit, tamen illud, aut aliquod feſtum de ipſo benedicto Nomine in Eccleſia militante non celebratur. Quare pro parte ipſius Bonaventuræ, de Generalis ſui Ordinis licentia, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quod ipſum Officium in toto Ordine Fratrum Minorum, & Sororum ſanctæ Claræ celebrari poſſit & debeat, decernere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius ſanctiſſimi Nominis venerationem, prout par eſt, ſincerii deſideriis affectantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod de cetero in toto Ordine Frotrum Minorum & Sororum ſanctæ Claræ hujuſmodi ſingulis annis die quartadecima menſis Januarii feſtum & Officium prædictum duplex majus, & ſolemne de ipſo ſacratiſſimo Nomine celebrari debeat, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuo ſtatuimus & ordinamus. Et ut Chriſtifideles eo libentius ad dicti Officii celebrationem accedant, quo ex hoc ſe majora dona ſpiritualia adipiſci poſſe cognoverint, de ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, tam Officium ipſum celebrantes, quam qui illius recitationi & decantationi interfuerint, ac quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam, pro felici ſtatu Romani Pontificis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ adverſus Mahometicam & Lutheranam perfidiam, ac univerſali Principum, & aliorum fidelium poce devote recitaverint, ſimiles Indulgentias & peccatorum remiſſiones, quæ præfotis Chriſtifidelibus in Officio Corporis Chriſti, in ipſo feſto Corporis Chriſti, & per illius octavas in Eccleſiis, in quibus celebrotur, intereſſentibus conceſſæ ſunt, concedimus & elargimur. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Et quio difficile foret præſentes ad ſingula loca dicti Ordinis deferre, volumus, & eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, quod præſentiam tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ubi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Bononiæ ſub annulo Piſcatoris, die XXV. *Februarii* MDXXX. *Pontificatus noſtri anno* VII.

Item B. Catarinæ Bononien. *Vide Tomo 13. anno 1463. nu. 23.*

XII. Coli etiam officio Eccleſiaſtico per fratrem Dionyſium Paleottum compoſito beatam Catarinam Bononienſem a Sororibus Clariſſis Monaſterii Bononienſis, in quo jacet, indulſerat idem Clemens. Atqui hoc anno exoratus ab Hieronymo de Burgonovo, Ordinis Procuratore, facultatem hanc ad Sorores Ferrarienſes & Parmenſes extendit, uti idem Hieronymus in regeſto ſui officii his verbis atteſtatur: *Item obtinui a ſummo Pontifice, ut Moniales noſtræ ſancti Gaillelmi intra Ferrariam & Parmam poſſint facere Officium beatæ Catarinæ Bononienſis, prout faciunt Moniales Bononiæ: quod patet per litteras Reverendiſſimi Cardinalis Campegii, ſigillo, & manus*

Regeſt. Cifmont. fol. 51.

nus ſuæ ſubſcriptione munitas, tunc Ordinis noſtri Vice-Protectoris.

XIII. Obiit hoc anno in Conventu Mirandulano Provinciæ Bononienſis Innocentius Carpenſis, miraculis illuſtris, ubi, & in Cœnobio ſancti Franciſci de Villa, diœceſis Ariminenſis, in veneratione habentur ejus Reliquiæ. Floruit hoc tempore in Provincia Argentinæ frater Joannes Paulus Germanus, profeſſor Conventus Thamenſis. Innocentius Carpenſis. *Gonz. in Provinc. Bonon. Conv. 16. & 1.*

XIV. Minores vitæ eremicæ, communiter Cappuccini nuncupati, hoc anno magnum ſuſceperunt incrementum, concurrentibus ad eorum conſortium pleriſque Provinciæ Picenæ præſertim ac Romanæ, arctioris vitæ ſtudioſis. Ubique bonum eorum nomen diffundebatur, & religioſa converſatio placebat. Unde factum eſt, ut ſub illuſtrium Virorum protectionibus multis in locis ſedes fixerint, & Dei verbum, ac peccatorum pœnitentiam palam in urbibus cœperint prædicare. Romæ locum habitationis mutarunt propter ingentem Tyberis excurſionem, & alterum ſanctæ Euphemiæ ad Collis Exquilini radices, qua itur ad Collem Viminalem, favente Cardinale de Valle Ordinis Protectore, receperunt; unde ad hoſpitalem ſancti Jacobi domum, quæ Incurabilium appellatur, infirmos curaturi, diu noctuque miniſtrantes prodibant. Neapoli inſuper aliud eis datum habitaculum a Vincentio Cardinali Caraffa illius urbis Archiepiſcopo, ad ſancti Euphebii, vulgo Ephremi, ædiculam. *Bover. hoc anno*

Creſcit Inſtitutum Capuccinorum.

XV. Hæc illorum felicia incrementa commoverunt amplius Patrum Obſervantum contra eos ſtudia, dum judicabant ſibi detrahi, quod iſtis accedebat piorum, qui ab ipſis recedebant, virorum ornamentum. Quo itaque poterant conatu laborabant, ut tenelli adhuc Sodalitii capita ſub ſuam poteſtatem revocarent, & aliis ne abirent, viam præcluderent. Præ omnibus hæc vehementiſſime dolebant Piſottum Miniſtrum Generalem, egitque modis omnibus, ut diſſiparetur hæc novella reformatio; & obtento, quod ſequitur, diplomate, putavit ſe quod volebat, jam aſſequutum. Invenio enim in ejus regeſto ſub die III. Junii hoc anno ita adnotatum: *Fratres, qui vocabantur Reformati, & habebant loca, & conſtitutiones quaſdam ſpeciales tam in Provincia Romæ, quam alibi, per duo Brevia Apoſtolica fuerunt privati dictis locis, & conſtitutionibus, & poſiti ſub pura obedientia Miniſtrorum, ita ut de locis & aliis rebus facerent ſecundum diſpoſitionem Capituli & Prælatorum, atque illi Fratres viverent, ſicut alii Fratres Provinciæ, neque haberent loca ſeparata, neque vitam ſpecialem*; & ſub die XVI. Septembris in litteris ad Miniſtrum Brixiæ. *Dominus noſter Papa non vult inceptas reformationes, neque incipiendas, idcirco Pontificia auctoritate, & mea cohibentur, & puniantur Fratres, qui illas intentant.* Per duo autem ſupradicta Brevia intelleximus puto unum, quod impetraverat, & nos exſcripſimus anno præterito, & alterum iſtud, quod ſequitur. Eis contradicit Miniſter Generalis.

Dilectis filiis Miniſtro Generali, & Procuratori Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia.

XVI. *Cum, ſicut accepimus, alias, poſtquam Venerabili fratri Laurentio Epiſcopo Præneſtinenſi, majori Pœnitentiario noſtro, pro parte dilectorum filiorum Ludovici & Raphaelis de Foſſambruno, ac Bernardini Georgii de Rhegio Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia ſuggeſto, quod ipſe & dilecti filii Vincentius de Dipulano, ac Antonius de Gratimalis, necnon Sanctus de Sancto Martino, ac nonnulli alii Fratres dicti Ordinis, ob melioris vitæ frugem, ac ut a quibuſdam perturbationibus & inquietationibus, quæ* *Ex Reg. Ciſmon. fol. 52. & ex aſſumpto authenti. co.*

quæ inter Fratres dicti Ordinis Provinciarum Calabriæ & Marchiæ Anconitanæ, quarum reſpective exiſtebant, tunc vigebant, ſemoti, quietius Altiſſimo famulari, ac ſacrarum litterarum ſtudio efficacius intendere valerent, deſiderabant una cum aliis ejuſdem Ordinis Fratribus uſque ad certum numerum, qui eorum propoſiti forent, in aliquo Eremitorio, ſeu loco a cœtu hominum remoto, vitam eremiticam ducendo, ſtare ac permanere, præfatus Laurentius Epiſcopus & Pœnitentiarius eiſdem Ludovico & Raphaeli, ac Bernardino, necnon Antonio & Sanctio, ac nonnullis aliis, ut ipſi & alii dicti Ordinis Fratres pro tempore eligendi, & loco deficientium pro tempore ſurrogandi, dummodo omnes inſimul dictum certum numerum non excederent, extra domos ejuſdem Ordinis in aliquo Eremitorio ſeu loco a cœtu hominum remoto, per eos eligendo & mutando, habitu tamen Regulari retento, & alias juxta Regulam dicti Ordinis honeſte vivendo, ſub obedientia loci Ordinarii, in cujus diœceſi eos pro tempore fore contingeret, vitam eremiticam ducendo, una cum libris & veſtibus, quæ ad uſum eorum habebant, ſimul ſtare & permanere, ac omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, gratiis, conceſſionibus, & indultis ſpiritualibus & temporalibus, quibus alii dicti Ordinis Fratres in illius domibus commorantes utebantur, potiebantur & gaudebant, ac uti, potiri & gaudere poterant uti, potiri, & gaudere, necnon Miſſas, & alia Divina Officia celebrare, & confeſſiones audire, Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, verbum Dei Chriſti populo prædicare, lectioni & ſtudio ſacrarum litterarum, ac aliis litterariis, & ſpiritualibus exercitiis incumbere, ac quoties ipſos vel eorum aliquem prædicationis cauſa, vel alicujus neceſſitatis per domos dicti Ordinis tranſire contingeret, in illis prout alii dicti Ordinis Fratres hoſpitari, & cum eis videretur, ad eumdem Ordinem redire, & tunc in proprio gradu recipi; quodque inter eos Præſidens pro tempore eligendus, in aliis eadem poteſtate & facultate, qua Miniſtri Provinciales ejuſdem Ordinis in illius Fratres utebantur, in ſpiritualibus uti, ac ipſorum pro ſe vel aliis defunctis ſeu deficientibus, litteris deſuper confectis, & in eis contentis clauſulis, gaudere valerent, per diverſas ſuas ſub ſigillo Officii Pœnitentiariæ noſtræ expeditas litteras indulſerat; ipſe Ludovicus & Raphael, necnon Bernardinus & Vincentius ac Antonius, necnon Sanctus, ac nonnulli alii propriæ profeſſionis immemores, domos ejuſdem Ordinis exiverunt, & alios illorum Fratres ab eis exeuntes ad ſe advocare, necnon plurima Viris religioſis aliena committere non erubuerunt, in animarum periculum, ac dicti Ordinis dedecus, perniciosum quoque exemplum, & ſcandalum plurimorum. Nos, quorum intereſt, & ad quos ſpectat temerariorum auſus reprimere, præmiſſis tamquam ab ipſa Religione alienis & ab ea deviantibus, pro viribus occurrere cupientes, necnon litteras præditas, tamquam ſcandaloſas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium revocantes, caſſantes & annullantes, ac Ludovicum & Raphaelem, necnon Bernardinum, & Vincentium, ac Antonium, necnon Sanctum præfatos, & quoſvis alios Fratres litteris ipſis & in eis contentis nullatenus uti poſſe, nec eas eis in aliquo ſuffragari poſſe aut debere, decernentes, vobis, & cuilibet veſtrum, earumdem tenore præſentium mandamus, quatenus Ludovicum, & Raphaelem ac Bernardinum, necnon Vincentiam & Antonium, ac Sanctum præfatos, & quoſvis alios Fratres, quos dictarum litterarum prætextu, a ſuis domibus exiviſſe reperietis, ad Ordinem & domos hujuſmodi revocetis, eoſque in illis morari, & juxta laudabilia dicti Ordinis inſtituta permanere, nec permittatis eos, nec alios quoſcumque veſtræ curæ commiſſos, in eadem Religione, aut extra eam aliquam Congregationem, ſeu novam vi-

vcn-

vendi modum innovare, ſeu quoquo modo inducere vel ſervare, auctoritate noſtra Apoſtolica compellatis, contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis: non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Verum, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides forſan facienda foret, deferri, volumus, & eadem auctoritate decernimus, ut præſentium tranſumptis, manu publici Notarii ſubſcriptis, alicujus Prælati ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur tam in judicio, quam extra illud, ſi illæ eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ, Idibus menſis Maii anno MDXXX.

Evangeliſta.

XVII. Orta erat hoc tempore controverſia inter Superiores Tertii Ordinis Congregationis Lombardiæ, & Miniſtrum Regularis Obſervantiæ Proviniæ Siciliæ circa domum beatæ Mariæ de Cruce, Terræ Sicli, diœceſis Syracuſanæ, quam ſolam habebant illius Inſtituti ſectatores in illo Regno, & prædictus Miniſter admiſerat ad ſuam obedientiam, ita petentibus ipſis incolis, qui nolebant amplius ſubdi prædictis Superioribus Lombardiæ. Sub diem XX. Junii hujus anni juſſit Piſottus Generalis Miniſter, ut Siculus Miniſter nullam deinceps exerceret circa dictos Fratres poteſtatem: ſed illi paulo poſt impetrarunt a Pontifice litteras, quibus confirmatur ſuper eos Miniſtri auctoritas, & eximuntur a juriſdictione Superiorum dictæ Congregationis: *Sane pro parte veſtra*. die VIII. Novembris. Conv. Sicli.

XVIII. Proviſum eſt hoc anno Franciſco Cardinali Quiñonio, olim Generali Miniſtro, de Eccleſia Caurienſi in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano, die IX. Decembris: fratri Joanni de Zumarraga, de Mexicana ſub titulo Aſſumptionis beatæ Mariæ noviter erecta in nova Hiſpania, apud Indos Occidentales, ante biennium deſtinato a Carolo V. primo hujus Eccleſiæ Epiſcopo, die XII. Auguſti; fratri Jacobo N. de Budicenſi, ſub Archiepiſcopo Cretenſi, die XXIII. Septembris. Cardinalis Quiſſionius Epiſcopus Caurienſis. Fr. Joannes Epiſcop. Mexic. Fr. Jacobus Budicco.

XIX. Diximus ſuperius, Torellam ſeu Thaurellam de Trivultiis, nobilem domicellam inchoaſſe Cœnobium prn Fratribus Obſervantibus provinciæ Bononienſis, ad caſtrum ſuum Montis Clericuli, diœceſis Parmenſis, quibus etiam donaverat Eremitorium propinquum, cum domo contigua, pro uno Eremita, qui cultum devotæ cujuſdam imaginis beatæ Mariæ Virginis ibidem expoſitæ procuraret. Crevit valde hujus ſacri ſimulacri veneratio, & concurrentibus undique piis cultoribus, frequentes pingueſque fiebant oblationes. Ut omnes in Fratrum cederent utilitatem, nec ab aliis diſtraherentur, Pontifex indulſit, protectionemque loci, & donationem commendavit Comiti Paulo Taurello, filio dictæ Domicellæ: *Exponi nobis ſuper feciſti.* XXVIII. Maii. Invenio in Ordinis regeſto Generalis epiſtolam ad ſupradictum Comitem Paulum, die II. Aprilis datam, ut ſecundum ea quæ promiſerat, Fratribus & fabricæ ſubveniret. *An.* 1522. *n.* 13. Conven. Montis Clericuli.

XX. Artalius Aragonius Oppidi Palatioli in Sicilia, diœceſis Syracuſanæ, Baro, ſeu Dominus temporalis, hoc anno prope alteram ædiculam beatæ Mariæ ad D. P. ab oppido, ejuſdem Inſtituti viris Cœnobium ſub titulo ſanctæ Mariæ de Jeſu ædificavit, reluctante valde Ludovico II. Platamonio Epiſcopo Syracuſano, donec Pontifex emiſſo diplomate die XXVII. Januarii litem diremit, qui ſimiliter tribus emiſſis Brevibus controverſiam Conv. Palatioſi. *Gonz. in Provin. Sicil. Conv.* 40.

al-

alteram inter Patres Conventuales & Obſervantes ejuſdem Regni terminavit, circa cœnobium Catanenſe ad iſtos translatum, & bona ac mobilia, atque apothecas ad illud ſpectantia, quæ in uſum Fratrum, & Cœnobii beneficium voluit alienari.

Conv. Catanen.

Conv. Biturgii. *Gonz. in Provin. S. Franc. Conv. 32. Rod. fol. 303.*

XXI. Ante annum MECCCL. Conventum fratrum Obſervantiæ fuiſſe apud Biturgicos, ſeu extra mœnia Civitatis vulgo dictæ *Borgo de ſan Sepolchro*, olim Pontificiæ, modo ſub dominio Ducis Etruriæ, conſtat ex litteris a beato Joanne Capiſtranenſi, dum Vicarium ageret Generalem, miſſis ad fratrem Antonium Arjuinenſem provinciæ ſancti Franciſci tunc Vicarium, ut oblatum ab illis civibus Conventum admitteret, & fabricam promoveret. Verum cum ob imminentia bella dirui oporteret, alium tutiori loco Fratres, tum pretio ex fundo hortiſque prioris Cœnobii, tum ex eleemoſynis undequaque collectis, ſub titulo ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ſatis commodum affabre conſtruxerunt. Nuper illic bonam inſtruxit Bibliothecam Evangeliſta Biturgicus, vir doctus, olim dictæ provinciæ Miniſter. Hic requieſcunt Petrus Peruſinus, & Chriſtophorus Papienſis laici, paupertatis, humilitatis, patientiæ, laborum ſufferentiæ virtutibus inter ſuos commendatiſſimi, & populo gratiſſimi. Eodem die huic mundo valedixerunt anno MDXXXII. die v. Februarii, uti habet codex MSS. piorum Virorum provinciæ ſancti Franciſci. Valde ſe dilexerunt in vita, atque ita in morte non ſunt ſeparati.

Petrus Peruſin. Chriſtophorus Papien.

Conv. Vincent. *Gonz. in Provin. S. Anton. Conv. 4.*

XXII. Hoc anno Conventus ſancti Blaſii extra Vincentinæ Civitatis mœnia prius conſtructus, & propter bella deſtructus, intra mœnia refectus eſt, Andrea Gritto Duce Venetorum, quibus hæc Civitas ſubjecta eſt. Jacet in Eccleſia Marcus Picenus, ſummæ apud Vincentinos venerationis, propter vitæ ſanctitatem. Ad illius ſepulcrum hæc appenſa leguntur carmina vetuſta.

Marcus Picenus.

O ſydus nuper emicans
E Paradiſi ſedibus:
O jubar clorum & rutilans,
Cunctis exortum gentibus,
Quo peccator oberritans
Infelix, miſer, reprobus
Te cohortante Dominum
Conſequeretur Superans
In ſancto Severino
Virgo tibi revelavit
Populo Chriſtiano
Quæ prædicari voluit.
Et mandato divino
Anima tua paruit.
Quæ plateis & in templo
Jam revelata docuit.
Requirens cunctos jugiter
Immenſa pandis præmia
Cunctos vocabas pariter
Ad paradiſi gaudia.
Hortaris nos alacriter
Ut relinquamus omnia
Quæ tenent nos mortaliter
Et ducunt per inania.
Theſaurizemus fideliter
Quæ ſunt in ſaperna gloria,
Chriſti crucis celeriter
Magna petamus munera.

Conv. Oppidi. *Idem in Prov. 7. Mar. Conv. 5.*

XXIII. Illuſtris Heros Joannes Antonius Caracciolus ſub hunc annum Conventum fabricavit intra Oppidi, Epiſcopalis urbis mœnia, ſub titulo Conceptionis beatæ Mariæ, & poſt aliquot annos impetravit a Julio III. facultatem legandi Fratribus pro victus & veſtitus ſubſidio eleemoſynam quamdam annuam, a ſuis ſucceſſoribus perpetuo pendendam.

Conv. Cidoniæ. *Idem in Provin. Cand. Conv. 5.*

XXIV. Sub hoc etiam tempus in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis, cui nomen Valſamachia ad XXX M. P. a Civitate Cidonia, inſulæ Cretenſis, viri nobiles germani fratres Georgius & Sanctus Polani, opportunum & commodum conſtruxerunt Conventum, ſub ſancti Georgii titulo pro quibuſdam Fra-

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 323.
1530.	an. 7. & 8.	anno 12.	

Fratribus ad arctioris vitæ genus aſpirantibus. Prior Polanus poſtea Ordinem ingreſſus, Sacerdotio initiatus eſt; alter ſe adſcripſit Tertiariis.

XXV. In provincia Bononiæ, & Cuſtodia Forolivienſi, ſcribit Rodulphus, hoc anno Magiſtrum Andream de Aſciano auctoritate ſibi commiſſa admiſiſſe pro Patribus Conventualibus Cœnobium in oppido Civitellæ. In provincia Siciliæ & cuſtodia Meſſanenſi, aliud eiſdem Patribus datum in oppido Favariæ, ſub invocatione ſancti Antonini, idem auctor ſcribit; ſed poſtea ab iis derelictum datum fuiſſe per Favariæ Marchionem Patribus Carmelitanis, & Conventualibus alterum anno MDLXXIV. ſub titulo ſancti Antonii Abbatis. Tertium, ait, ejuſdem Inſtituti Patres accepiſſe apud Belicaſtrum, in provincia ſancti Nicolai, & cuſtodia Cutronis, ubi præerat capella ſub titulo ſanctæ Mariæ de Scanegna, & Cœnobiolum Fratrum Tertii Inſtituti ſancti Franciſci.

Rod. fol. 269.

Conv. Civitel.

Conv. Favar. *Idem fol. 280.*

Conv. Belicaſtri. *Idem fol. 279.*

XXVI. Blaſius Alagonius, Saſtagenſium Comes, in medio foro oppidi Pinæ, hoc anno Conventum & templum Chriſto Salvatori (quia præerat eo in loco alia hujus tituli Eccleſia) dicatum, cœpit conſtruere, volens in Sacello maximo ſibi ſepulcrum erigere. Sed morte præventus opere incompleto, ſepultus eſt cum patribus ſuis in Eccleſia Cæſarauguſtana ſanctæ Mariæ de Columna, vulgo *del Pilar*. Uxor ejus Anna ab Eſpes, ubi primum Eccleſiam abſolvit, & Conventum Fratrum habitationi commodum reddidit, mariti corpus, etſi renitentibus Canonicis Columnenſibus, ad præcipuum hujus templi Sacellum anno MDXXXIX. curavit transferri. Opere adhuc incompleto defuncta vidua, & filio Artalo Alagonio, Artalus alter Alagonius, & Ludovica ab Heredia Saſtagenſium Comites, fabricam ad perfectum uſque deduxerunt, hortos adjunxerunt, ſacrarium Eccleſiaſtica quaque ſuppellectile, Bibliothecam libris, & officinas omnes neceſſariis rebus inſtruxerunt.

Conv. Pinæ. *Gonz. in Provin. Arag. Conv. 14.*

XXVII. Joannes III. Luſitanorum Rex, poſtquam Conymbricenſem Academiam magnis ſumptibus, magnoque ſui regni decori, & profectui fundaverat, ut Fratres Minores, quibus erat addictiſſimus, haberent ubi commode illic ſtuderent, unum & alterum eis poſuit Collegium, victumque & veſtitum ex regio ſtabilivit ærario. Erant tunc una dumtaxat Portugalliæ provincia, & domus aliquot ſtrictioris Obſervantiæ in illo regno; quare utriſque, ut ſeparatim addiſcerent, dedit domicilia. Illud prædictæ provinciæ erectum eſt ſub titulo ſancti Bonaventuræ, ad quod omnes redigi Minoritas ſe decreviſſe in comitiis a ſe habitis Ulyſſipone anno MDLXXXIV. refert Reverendiſſimus Gonzaga. In hoc Collegio ego per triennium operam dedi ſtudiis Theologicis, domi ſub uno magiſtro fratre Didaco Limedenſi, viro probo & erudito; & in Univerſitate ſub doctiſſimis Cathedrarum Primæ & Veſperarum moderatoribus, Franciſco Suarez Societatis Jeſu, & Ægydio de Præſentatione Eremita Auguſtiniano, multis titulis venerandis, & inter primos Europæ Doctores connumerandis. Poſtea creſcentibus in Luſitania provinciis, creverunt etiam in illa Academia Franciſcanorum Collegia; præter enim illud ſancti Bonaventuræ, quod penes Patres provinciæ a Portugallia nuncupatæ, remanſit, & nuper translatum eſt ad ſpecioſam eminentemque aream præ foribus ipſius Academiæ, fundata ſunt, unum pro Patribus provinciæ Algarbiorum, alterum provinciæ ſancti Antonii, tertium pro Tertiariis, & extra urbem, religioſi provinciæ Pietatis habent, quod ſuo loco narravimus: quartum, non tam ſtudiorum collegium, quam pietatis & virtutis ſeminarium, in quo multi adoleſcentes provecti habitum ſuſcipiunt, & quas prius apprehenderunt litteras, poſtea in ſalutem

Collegia Conymbr. *Idem in Provin. Portug. Conv. 11.*

Conv. Coymbricen.

tem convertunt animarum. Addo inſuper quintum, ſeu potius ſextum Lycæum Franciſcanorum, Cœnobium ſcilicet magnum e regione Civitatis ad alteram Mundæ fluvii ripam, nobili, lato & longo ponte interjecto, uti ſuo loco diximus, conſtructum, in quo perpetuo numeroſa claſſis ſtudentium ſub duobus lectoribus ſacram apprehendit Theologiam.

Tom. 1. an. 1220. n. 73.

Conv. Marchenæ. *Idem in Provin. Bæt. Conv. 8.*

XXVIII. Didacus Nunneſius a Parris, & Joanna Blaſquez conjuges, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, Deum timentes, & erga Minores piiſſimi, omnes Fratres proficiſcentes per oppidum Marchenæ, qua in Bæticam a Granatæ regno tranſitur, excipiebant hoſpitio; donec decedente Joanna, ex illius facultatibus in hunc finem marito legatis, pulchrum & commodum ille Cœnobium, ſub titulo ſancti Franciſci hoc anno conſtruxit. Alterum eis, qui ſtrictiorem præferunt obſervantiam, Conventum poſuerunt iocolæ oppidi Villæ novæ in Luſitania ſub nomine Expectationis beatæ Virginis Mariæ. Sacellum majus fabricavit Balthaſar a Mello, eques Chriſti militiæ.

Conv. Villæ novæ. *Idem in Provin. Fict. Conv. 4.*

XXIX. Alphonſus Manriquius, Hiſpalenſium Archiepiſcopus, pio erga huius Inſtituti viros affectu excitus, ruralem domum, viridaria & hortos, quæ ſibi recreandi animi gratia prope Furnorum, vulgo *Hornachos*, comparaverat, hoc anno donavit Fratribus provinciæ ſancti Jacobi, in gratiam tamen fratris Guttierri a Trejo ſibi cariſſimi, viri nobilis & docti, qui tunc Guardianum agebat Conventus ſanctæ Helenæ. Brevi temporis ſpatio, communibus oppidanorum facultatibus, ſub ſancti Ildephonſi invocatione illic commodum extructum eſt Fratrum domicilium.

Conven. Furnorum. *Idem in Provin. S. Mich. Conv. 18.*

XXX. Soror Franciſca de Canis Abbatiſſa Monaſterii beatæ Mariæ de Fonte, Ordinis ſancti Baſilii urbis Leonici, in Venetorum dominio, videns paulatim deficere cum diſciplina regulari Moniales & reditus, egit cum Rectoribus urbis, adducta etiam in hanc ſententiam nepte Moniali, ut domus transferretur ad alias Moniales arctioris Inſtituti. Re mature penſata, fuit hoc anno die XIII. Decembris adjudicatum Sororibus Clariſſis, annuente Franciſco Georgio provinciæ ſancti Antonii Miniſtro, qui protinus ex Vincentino Monaſterio Sorores evocavit, quæ ſuum inſtitutum reliquas docerent. Patiſcente vero præ nimia vetuſtate Monaſterio, pia Leonicenſis communitas, quæ illius jam patrocinium aſſumpſit, aliud elegantius & magnificentius intra urbis mœnia ex publicis facultatibus, accedente Clementis Pontificis facultate, in beatæ Virginis & ſancti Marci honorem conſtrui curavit.

Mon. Leonicf. *Idem in Provin. S. Ant. Mon. 18.*

XXXI. Bernardinus Spellutiæ, diœceſis Vigilienſis, legavit Epiſcopo quaſdam domos & poſſeſſiones, ut Monaſterium conſtrueret Clariſſarum. Obſtiterunt quidam huic operi; attamen Epiſcopus aliquale dedit initium Monaſterio, & Sorores introduxit: quod recte factum fuiſſe, Pontifex declaravit: *Andreas miſeratione Divina*. die XV. Julii.

Mon. Vigilitenſe.

XXXII. Urbis Recinetenſis Cives hoc anno intra & juxta muros capaciſſimum Monaſterium, pro ſexaginta Sororibus primæ Regulæ ſanctæ Claræ, circa hunc annum fabricarunt, & ſub primum Auguſti diem anni MDXXXV. opere completo Sorores introduxerunt. Apud Petræ ſanctæ in Tuſcia oppidum, plura erant Xenodochia, quæ Rectores oppidi, obtenta Leonis X. facultate, deſtruxerunt, converſis ruderibus & reditibus in conſtructionem unius utilioris, & Monaſterii Clariſſarum. Utrumque ſub hunc annum fabricarunt, & ſervato ſibi Patronatus jure, voluerunt penes ſe regimen Xenodochii, & penes Miniſtrum provinciæ Tuſciæ gubernium Monaſterii, ſub invocatione ſancti Leonis.

Mon. Recineten. *Idem in Provin. Marchiæ M. n. 5.* Monaſt. Petræ Sanctæ. *Idem in Provin. Tuſciæ Mon. 7.*

XXXIII. Duo invenio hujus anni Monaſteria Sororum Annunciatarum:

Monaſt. Annunciat. Agennenſe.

Anno Christi 1530.	Clementis VII. an. 7. & 8.	Caroli V. Imp. anno 12.	Religionis Minorum anno 323.

rum: unum Agennenſe in Gallia, a Vincentio Vilhonio, Agenneuſis Epiſcopi Vicario conſtructum, & reditibus cumulatum, cujus primæ Rectrices & Magiſtræ vocatæ ſunt ex Bituricenſi, & Albienſi Monaſteriis, & primus confeſſarius inſtitutus eſt per Piſſottum Generalem frater Joannes Veruhandi anno MDXXXIII. commiſſa illi fabricæ diſponendæ ampla poteſtate: ſed temporum injuria Sorores fugere compulſæ ſunt anno MDLX. capta ab Hugonottis Civitate, quæ tamen paulo poſt redierunt, recepta urbe, Monluci Ducis auſpiciis. Alterum Lovanienſe in Belgio, a generoſa Domina, & nobiliſſima Matrona Maria Hamalia, Guillelmi Croii Marchionis Arſchotani, & Cervienſis in Hannonia Toparchæ vidua fabricatum. Sex Moniales, quæ aliis regimen & exemplum eſſent, Brugis Flandrorum evocatæ, quibus mox novellæ quatuordecim ſe ſe virgines junxere. Sicque primitus viginti ſacro Monaſterii ſepto ſunt incluſæ. Hodie numerus pene quadruplo eſt auctior.

Idem in Provin. Aquit. Mon. 2. Regeſt. gen. Litt. pag. 256.

Monaſt. Lovanien.

Idem in Provin. Germ. infer. in fine.

Myræus l. de Annunc. c. 3.

XXXIV. In oppido Albazeti in Hiſpaniæ regno Murciano, Marina Alvarez Marco vidua, cum duabus filiabus Marina & Catarina ſe Deo conſecratura, pauperem humilemque domum, matrici Eccleſiæ contiguam ingreſſa, illic per annos viginti, ſub Tertio ſancti Franciſci Inſtituto, magna pietate permanſit. Illa ſub annum MDI. defuncta, & apud Minores ſepulta, filiæ prædictam domum ampliare, aliaſque virgines in ſocietatem admittere cœperunt. Cum vero locus eſſet inſalubris, hoc anno ad alium magis ſalutarem & ampliorem tranſierunt, & Miniſtri provinciæ Carthaginenſis regimini ſe commiſerunt.

Domus ſororAlbazeti.

Gonz. in Provin. Carthag. Mon. 9.

XXXV. Clemens Pontifex multis hoc anno gratiis & privilegiis affecit Minores, præſertim Obſervantes. Exemit eos a ſolutione dimidii ducati pro quolibet centenario valoris bonorum ſtabilium nuper impoſiti, pro ſublevandis Sedis Apoſtolicæ neceſſitatibus: *Auguſtinus Spinula*. die XXX. Maii, necnon a ſolutione gabellarum ſeu exactionum pro rebus ſuo uſui neceſſariis: *Cum non ſine multa*. die ultima Decembris. Tranſibant aliquot Religioſi ad Ordines ſanctorum Benedicti, Bernardi, & Dominici, quod deinceps fieri vetuit: *In paſtorali ſpecula*. die XVIII. Septembris. Declaravit uſus Syndicorum licitos eſſe, eorumque auctoritatem: *Vacantibus ſub Religionis obſervantia*. die XIX. Septembris. Superiores Ordinis itinerantes, vel pro ſui muneris ratione hinc inde diſcurrentes commendatos voluit omnibus Prælatis Eccleſiaſticis, & Sedis Apoſtolicæ miniſtris: *Cum dilecti filii*. die XIX. Decembris. Nimiam & intolerabilem Principes aliquot, Communitatum Superiores, & alii ſumebant ſibi licentiam in Monaſteria & perſonas, ac facultates Sororum regimini Fratrum Minorum ſubjectarum: quorum audaciam Pontifex peculiaribus litteris repreſſit: *Cum ſicut nobis*. die XXVI. Januarii. Vivæ vocis oraculo per Cardinalem Campegium obtento, ſuiſque litteris, ſigillo & ſyngrapha munitis notificato, confirmavit omnia indulta & privilegia a ſuis Prædeceſſoribus Romanis Pontificibus conceſſa. Secundo, quod nullus ſecularis ſtatus ſe poſſit ingerere regimini, ſive temporali ſive ſpirituali Monialium Minoritis ſubditarum. Tertio, quod Fratres Conventus Mutinenſis poſſent celebrare ſub ritu duplici feſtum ſancti Geminiani, urbis Patroni, necnon alii Fratres ubicumque fuerint incolæ, feſta Patronorum urbium vel oppidorum. Quarto, quod Fratres laici de conſilio Medicorum, tuta conſcientia, poſſint venam incidere Fratribus infirmis.

Privilegia Pontificia.

ARGUMENTUM.

Fides Chriſtiana magnis proficit incrementis apud Indos Occidentales. Miniſter Generalis Piſſotus nimio zelo infectatur Capuccinos, ſuumque variis modis perturbat Inſtitutum. Nicolaus Herbornus docte ſcribit contra inſanos amores Henrici VIII. Regis Anglorum. Floret Medardus Auſtriacas apud Ferdinandam Regem Romanorum. Moriuntur multi pietate illuſtres. Aſſumuntur aliqui ad Epiſcopatus. Conſtruuntur Cœnobia.

I. SUperioribus annis, diſpartitis diximus narrationibus qualem ponebant operam Minores in converſione Indorum novæ Hiſpaniæ, præſertim in magna illa Civitate Mexicana, omnium novi Orbis Regina. Nunc collectim dabimus uberem fructum, quem illi tot laboribus retulerunt, innumeræ ſcilicet gentis converſionem, catechiſmum, baptiſmum, idola contrita, templa Deo conſecrata, fidem longe lateque propagatam, quorum fidem facient duarum epiſtolarum, illinc hoc anno miſſarum, fragmenta. Primam ſcripſit Martinus a Valentia, vere Indiarum Apoſtolus; ſecundam Joannes a Zumarraga, primus Mexicanorum Antiſtes. Martini ſcripta eſt Tlalmonalci prope Mexicum die XII. Junii, ex qua hæc in rem noſtram, omiſſis quæ ad domeſtica & negotia peculiaria ſpectabant, exſcripſimus. Data eſt ad Matthiam Weyſſen Commiſſarium Generalem familiæ Ultramontanæ. Præmiſſa humili ſalutatione, & religioſis præludiis, ita habet. *Nos quidem conſtituti ſumus in extremis mundi partibus, ubi Chriſti Evangelium a filiis & ſubditis veſtris primum cœpit prædicari, & nova fidei ſemina pullulare in arentibus antea ſulcis, quia rivos ejus inebrians gratia ſalutaris, in illicidiis eorum multiplicavit genimina ejus. Nam (vere loquor non hyperbolice) plus quam decies centena millia Indorum ſunt a filiis veſtris baptizata: eorum quiſque, præſertim illi duodecim, qui miſſi ſunt una mecum, pluſquam centum millia baptizarunt. Et omnes, præter me, didicerunt linguam Indorum, imo varias linguas eorumdem. Et prædicant eis, & inſtruunt innumerabilem multitudinem eorum. Et inter eos infantuli & pueri magnatum, & nobilium filii, largam nobis ſpem præbent, qui a Fratribus noſtris inſtruuntur, in vita & moribus religioſe nutriuntur in noſtris Cœnobiis, quæ jam fere viginti condidimus, & in dies multiplicantur & conſtruantur ab ipſiſmet Indis fervida devotione. Et habemus in habitaculis contiguis noſtris Conventibus pluſquam quingentos pueros, in quibuſdam aliquanto pauciores, in quibuſdam vero plures, qui jam in doctrina Chriſtiana ſunt inſtructi, & prædicant filii patribus ſuis, & in ambane publice concionantur miro modo. Et multi ex eis docent alios pueros, qui ſimul canunt horas Dominæ noſtræ quotidie, & ſurgunt eadem illa hora, qua Fratres, & in ſua Eccleſia canunt ſeorſim matutinas, & canunt ſolemniter Miſſas. Sunt enim tenacis memoriæ, valde dociles & perſpicaces; ſunt pacifici; & inter eos numquam eſt rixa nec jurgium. Loquuntur ſubmiſſa voce, oculis depreſſis. Mulieres fulgent incredibili honeſtate, & verecundia fœminea naturaliter ineſt eis. Confeſſiones eorum maxime fœminarum ſunt incomparabilis puritatis, & inauditæ claritatis. Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum abundanti lacrymarum effuſione ſuſcipiunt. Religioſos, præcipue Fratres Minores, pro magno ducunt, quia primo eos cognoverunt, & per Dei gratiam bonum exemplum ab eis ſuſcipiunt.*

Profectus Minorum in Indiis.

Epiſtola Martini a Valentia.

II. Huic epiſtolæ ſuam ejuſdem argumenti adjunxerat Epiſcopus deſtinan-

nandam ad prædictum Commiſſarium Generalem, & reliquos Patres in Comitiis Generalibus Toloſæ anno ſequenti congregandos. Eam exſcribo ex Franciſco Gonzaga, qui ad finem vitæ optimi Antiſtitis a ſe conſcriptæ illam ſubjunxit. Eamdem habet Henricus Sedulius in notis ad vitam ſancti Franciſci, ſed ſtylo parumper mutato.

Gonz. in provin. S. Evang. Con. 1. Sedul. in not. 1 ad cap. 3. n. 8.

Reverendi admodum Patres.

Epiſtola Epiſcop. Mexicani.

SCitote nos magnis laboribus diſtineri in converſione infidelium, quorum, Dei gratia, religioſorum Divi Franciſci Regularis Obſervantiæ manibus pluſquam decies centum millia baptizata ſunt, quingenta idolorum templa ſolo æquata; pluſquum viginti millia Dæmoniacorum ſimulacrorum ab his antea culta, confracta & concremata: pleriſque in locis fabricatæ Eccleſiæ, atque Oratoria erecta; Dominicæ Crucis vexilla jam ab Indis culta. Quodque admiratione cum primis dignum eſt, eum in hac olim Mexicana urbe ſolerent idolis ſuis pluſquam viginti millia cordium puerorum puellarumque quotannis in ſacrificiis offerre; nunc humana illa corda univerſa non jam Dæmoni, ſed altiſſimo Deo innumerabilibus laudis ſacrificiis, Religioſorum noſtrorum doctrina & miniſterio offeruntur. Cui inde honor & cultus comparatur, cum ſumma reverentia adoratur, coliturque in illis locis a pueris indigenarum gratis. Hi crebro jejunant, verberibus ſe aſſigunt, jugibuſque precibus inſiſtunt, multis lacrymis & ſuſpiriis impenſis. Plerique horum puerorum, ut & alii provectioris ætatis, legunt, ſcribunt, & cantant optime, peccata ſua crebro confitentur, ſummaque animi devotione Divinu ſuſcipiunt, ſuiſque parentibus a religioſis inſtructi, verbum Dei eleganter explicant. Surgunt nocte mediu ad matutinas preces, Dominæ noſtræ officium integrum recitant, quam præſertim colunt. Speculantur magna cum ſedulitate quibus locis parentum idola lateant, eaque furantur, & ad Religioſos deferunt. Quo factum eſt, ut crudeliter nonnulli ab ipſiſmet parentibus ſint necati: qui quidem adepti coronam nunc in cælo cum Chriſto vivunt. Unuſquiſque noſtrorum Conventuum aliam juxta ſe ædem habet ad docendos pueros, & in ea gymnaſium, dormitorium, refectorium & capellam. Sunt hi pueri valde humiles, religioſiſque morigeri, eoſque ut parentes diligunt, caſti, & ingenio perſpicaces, in arte maxime pingendi. Inter Fratres indigenarum idiomu callentes unus eſt præcipuus, nomine Petrus de Gandavo laicus, qui id callet eleganter, curamque gerit pluſquam ſexcentorum puerorum, eſtque profecto mirificus Paranymphus, eum juvenes & puellas Matrimonium contracturas, in rebus fidei erudiat, eruditoſque cum magna ſolemnitate conjugio copulet. Ad puellarum eruditionem inſtitutionemque miſſæ ex Hiſpania ſunt ab Imperatrice Donna Eliſabetha mulieres ſex honeſtæ & prudentes, deditque in mandatis, ut ampla domus fabricaretur, in qua illæ ſub Epiſcopi patrocinio ad mille uſque puellas erudire poſſent. Hinc fit ut a mulieribus illis puellæ, a Religioſis pueri fidem diſcant, quam poſtea doceant parentes ſuos. Unde videtur dixiſſe David: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. *Chriſtus ſit ſalus veſtris reverentiis, quas humiliter precor, Deum orent, ut id perficiat, quod incepit. Mexici* XII. *menſis Junii anni* MDXXXI.

III. Magnum quidem incrementum ſub religioſiſſimo iſto Præſule accepit fides Catholica, & Chriſtiana morum inſtitutio in urbe & circuitu Mexicano, ut non immerito nobilis cujuſdam herois Peruviani in eum elogium iſtud referat Gonzaga: *O felicem urbem, quæ talem Præſulem habere me-*

meruiſti. In paucis illis annis, quibus ille præfuit, & collaborarunt primi illi ferventiſſimi magnæ vineæ operarii, *tot* (inquit Surius) *baptizantur, ut alii ſepties dena centena millia, alii quatuor decies centena millia in ſolo illo Mexicano regno, Chriſto nomen dediſſe retulerint*. Et poſt pauca. *In archivis Caroli Cæſaris lectum eſt, unum quendam Sacerdotem ſepties centena millia hominum baptizaſſe, alium tercentum millia, alium centum millia, alios plures, alios pauciores. In ſolo Mexico referunt multi ſumma fide digniſſimi viri, triginta fuiſſe Dynaſtas, quorum quilibet habuerit ſub ſe centum millia hominum, aut circiter, & quod dictu horrendum eſt, mille plerumque homines uno die in Civitate Mexicana immolabantur*: & quidem ab illis initiis uſque adeo crevit ibi, & propagatur in dies, ac confirmatur (inquit Amandus Zirickſæus in ſuis Chronicis) per viros Catholicos fides Catholica, ut fere cum Eccleſia Latina comparari poſſit Eccleſia illa Indiana.

Sur. in Comment. ad an. 1538.

Zirik. ad ann. 1519.

IV. O Divinam providentiam! quando omnia ſuſque deque aguntur in Germania, & tot prodeunt ex Orco hæreticorum monſtra, qui hoc ipſo tempore tantum faceſſunt negotium fidei Catholicæ, & doctrinæ Evangelicæ, ut neque rationibus, neque publicis concionibus, neque doctiſſimis libris, neque tot Principum doctorumque virorum Comitiis, neque armorum impreſſione a ſuis dementiis & fanaticis dogmatibus revocari potuerint, tunc miſericors Deus, ſpretis illis ſuæ legis contemptoribus, barbaris & bardis his gentibus ſuam gratiam obtulit, & ſalutaris fidei notitiam invexit; & quo illi plus perditum eunt, exterminatumque fidem & obſervantiam Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, hoc ipſo apud exteram gentem, & novos orbes augetur magis. Non fruſtra ſcriptum eſt: *Ipſi me irritaverunt in vanitatibus ſuis, & ego provocabo eos, in eo, qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos*. Ut lucem ſolis domo excludere poſſumus oſtiis occluſis, nec tamen ipſam lucem, vel minimum ne aliis ſplendeat obſcurare: ſic gratiam Dei repudiare in libertate eſt arbitrii, ipſam vero quin aliis luceat, non poſſumus impedire.

Deuter. 32. 21.

Piſſonus infectatur Capuccinos.

V. Cum litteræ Pontificiæ a Paulo Parmenſi anno præterito impetratæ contra Capuccinorum primarios nihil proficerent, nimio adhuc ardore contra illos exæſtuans, etiam ad finem hujus anni iſtas curavit emitti, & per Cardinalem de Valle, Ordinis Protectorem, promulgari. Ex autographo exſcribo.

Dilectis filiis Generali & Procuratori Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia.

Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Alias poſtquam bonæ memoriæ Laurentio Epiſtopo Præneſtinenſi, tunc in humanis agenti, & majori Pœnitentiario noſtro, pro parte dilectorum filiorum Ludovici & Raphaelis de Foſſambruno, ac Bernardini & Georgii de Rhegio Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia ſuggeſto, quod ipſi & dilecti filii Vincentius de Pujano, & Antonius de Gatimalis, ac Sanctus de ſancto Martino, & nonnulli alii Fratres dicti Ordinis, ob melioris vitæ frugem, ac ut a quibuſdam perturbationibus & inquietationibus, quæ inter Fratres dicti Ordinis provinciarum Calabriæ & Marchiæ Anconitanæ, quarum reſpective exiſtebant, tunc vigebant, ſemoti, quietius Altiſſimo famulari, ac ſacrarum litterarum ſtudio efficacius intendere valerent, deſiderabant una cum aliis ejuſdem Ordinis Fratribus uſque ad certum numerum, qui eorum pro-

propoſiti forent, in aliquo Eremitorio, ſeu loco a cœtu hominum remoto, vitam eremiticam ducendo, ſtare & permanere: dictus Laurentius Epiſcopus & Pœnitentiarius eiſdem Ludovico, Raphaeli, Bernardino, Antonio & Sanctæ, ne nonnullis aliis, ut ipſi & alii dicti Ordinis Fratres pro tempore ſurrogandi, dummodo omnes infimul dictum certum numerum non excederent, extra domos ejuſdem Ordinis in aliquo eremitorio aut loco a cœtu hominum remota, per eos eligendo, habitu tamen regulari retento, & alias juxta Regulam dicti Ordinis honeſte vivendo, ſub obedientia loci Ordinarii, in cujus diœceſi eas pro tempore fore contingeret, vitam eremiticam ducendo, una cum libris & veſtibus, quas ad eorum uſum habebant, ſtare & permanere, ac omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, gratiis, conceſſionibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus, quibus alii dicti Ordinis Fratres in illius domibus commorantes utebantur, potiebantur & gaudebant, ac uti, potiri & gaudere poterant, uti potiri & gaudere, necnon Miſſas, & alia Divina officia celebrare, confeſſiones audire, Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, verbum Dei populo prædicare, lectioni & ſtudio ſacrarum litterarum, & aliis litterariis & ſpiritualibus exercitiis incumbere, & quoties ipſos vel eorum aliquem prædicationis aut alicujus neceſſitatis cauſa, per domos dicti Ordinis tranſire contingeret, in illis prout alii dicti Ordinis hoſpitari, & cum eis ad eumdem Ordinem redire, & tunc in proprio gradu recipi; quodque inter eos Præſidens pro tempore eligendus, in aliis eadem auctoritate & facultate, qua Miniſtri provinciales ejuſdem Ordinis in illius Fratres utebantur, in ſpiritualibus uti, ac ipſorum pro ſe vel aliis defunctis ſeu deficientibus, litteris deſuper confectis, & in eis contentis clauſulis, gaudere valerent, induſerat; prout in diverſis ſub ſigillo officii Pœnitentiariæ deſuper confectis litteris plenius contineri dicitur: per Nos accepto, quod ipſi Ludovicus, Raphael, Bernardinus, Vincentius, Antonius & Sanctus, ac nonnulli alii, propriæ profeſſionis immemores, domos ejuſdem Ordinis exierant, & alios illarum Fratres ab eis extrahere, & ad ſe advocare, necnon plurima a viris Religioſis aliena committere non erubuerunt, in animarum ſuarum perienlum, ac dicti Ordinis dedecus, perniciosum quoque exemplum, & ſcandalum plurimorum. Nos litteras prædictas caſſavimus & annullavimus, & Ludovicum, Raphaelem, Bernardinum, Vincentium, Antonium, & Sanctam prædictos, & quoſcumque alios Fratres litteris ipſis & in eis contentis nullatenus uti poſſe, nec eas eis in aliquo ſuffragari poſſe aut debere decrevimus, vobiſque & cuilibet veſtrum mandavimus, quatenus Ludovicum, Raphaelem, Bernardinum, Vincentium, Antonium & Sanctam prædictos, & quoſcumque alios Fratres, quos dictarum litterarum prætextu a ſuis domibus exiviſſe reperietis, ad Ordinem ac domos hujuſmodi revocaretis, eoſque in illis morari, & juxta laudabilia dicti Ordinis inſtituta permanere compelleretis, nec permitteretis eos vel alios quoſcumque veſtræ curæ commiſſos, in eadem Religione vel extra eam aliquam Congregationem, ſeu novum vivendi modum innovare, aut quoquo modo inducere vel ſervare: contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſeculari; prout in noſtris litteris in forma Brevis, die videlicet vigeſima ſeptima menſis Maii Pontificatus noſtri anno ſeptimo, inde confectis, quarum tranſumptis plenam fidem adhiberi volumus, plenius continetur. Cum autem, ſicut nuper accepimus, litteræ noſtræ prædictæ, propter non paritionem dictorum Ludovici, Raphaelis, Bernardini, Vincentii, Antonii & Sancti, ac

eo-

eorum complicum, necnon favores per eos pro ſua non paritione hujuſmodi, undiqae quæſitos, nondum ſint ſortitæ effectum; Nos motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, omnibus & ſingulis dicti Ordinis Fratribus, qui poſt dictam diem vigeſimam ſeptimam menſis hujuſmodi ad ipſorum Ludovici, Raphaelis, Bernardini, Vincentii, Antonii & Sancti, ac eorum complicum Congregationem abierunt, ut ad domos dicti Ordinis, in quibus ante litteras Pœnitentiariæ hujuſmodi erant, redeant, & in illis permaneant, nec ab eis abſque expreſſa licentia Superiorum dicti Ordinis, recedere audeant, ac eidem Congregationi ne eos recipere vel ſecum tenere præſumant, ſub apoſtaſiæ & excommunicationis, perpetuæ privationis quorumcumque actuum legitimorum pœnis, per quemlibet contravenientem, ipſo facto incurrendis, auctoritate Apoſtolica per præſentes diſtricte præcipiendo mandamus; ac omnibus & ſingulis locorum Ordinariis in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub ſuſpenſionis a Divinis pœna mandamus, quatenus eorum quilibet quandocumque pro parte veſtra vel alterius veſtrum fuerit deſuper requiſitus, faciat prædictas ac præſentes litteras plenum effectum ſortiri, ac ab omnibus inviolabiliter obſervari, nec permittant eis quomodocumque in aliquo contraveniri; contradictores quoslibet & rebelles, eiſque auxilium, conſilium vel favorem directe vel indirecte quomodolibet præſtantes, etiam per prædictas & alias quaſcumque, de quibus ſibi placuerit, cenſuras & pœnas, ac alia juris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Omnes autem & ſingulos Dominos locorum in temporalibus requirimus & hortamur attente, quatenus vobis in præmiſſis omne auxilium, conſilium vel favorem impendant. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac provincialibus & ſynodalibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis & indultis, ac litteris Apoſtolicis, & in forma Brevis, ac officii Pœnitentiariæ hujuſmodi per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Nos, ac Sedem Apoſtolicam, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibuſvis irritativis, annullativis, caſſativis, renunciativis, præſervativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, quomodolibet etiam pluries conceſſis, confirmatis & innovatis: quibus omnibus, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut exquiſita forma ſervanda foret, & in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſit, illorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modos & formas ad id ſervanda pro individuo ſervatis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcumque. Et quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, ad quæ oporteret, deferri, decernimus, quod earumdem præſentium tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, & adhiberi debeat, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die 11. *Decembris* MDXXXI. *Pontificatus noſtri anno* IX.

Evangeliſta.

VI. Va-

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 324.
1531.	an. 8. & 9.	anno 13.	

VI. Variæ exortæ ſunt hoc anno turbæ in Religione, & animorum commotiones contra prædictum Piſſottum, partim propter indiſcretum inconſtanſque gubernium, partim propter adverſum ubique illius conatum erga Fratres ad ſtrictiorem vitam, rectamque Regulæ obſervantiam aſpirantes. Concitarunt hæc multorum adverſa ſtudia, & exterorum admirationem, quæ in apertam demum prodierunt inimicitiam. Infeſtum habuit Archiepiſcopum Compoſtellanum, Senatus Hiſpanici, abſente Carolo Rege, Præſidem, Imperatricem Iſabellam, multoſque heroes, propter vindictæ livorem, quo flagrare videbatur erga Antonium de Calcena ſuum prædeceſſorem, quem ſuſpicabatur ſibi adverſatum, ne ad Generalatum perveniret, contra quem plura molitus erat ante & poſt adeptum officium; necnon propter magnos tumultus ſuſcitatos in gravi & religioſa provincia Conceptionis, viris doctis & nobilibus florente, miſſis indiſcretis Commiſſariis & præceptis. Neapolitanum irritavit Magiſtratum, propter imprudens conſilium, quo diſſidia Fratrum Campaniæ felicis & Principatus, ad provinciæ regimen aſpirantium, querentibus iſtis ſe perpetuo a præcipuis guberniis excludi, potius augere quam ſopire putabatur, deſtinato ſuperiore turbidi ingenii, pacandis animis minus opportuno. Francos & univerſos familiæ Ultramontanæ Fratres, maxime Matthiam Weyſen Commiſſarium Generalem male habuit diploma, quod procuraverat de compromiſſo, & alterum de habendis duobus per ſingula triennia Comitiis Generalibus, in quibus ut Miniſter Generalis præſideret, data eſt facultas unum, ut diximus, differendi; qua ſultus ille auctoritate, hoc anno ſcripſit ad Commiſſarium & Miniſtros Ultramontanos, ſe Capitulum ſequenti anno Toloſæ celebrandum in vigilia Pentecoſtes (uti ex præcepto Regulæ in perpetuam abiit conſuetudinem) diſtuliſſe uſque ad menſis Septembris diem octavum, ut habito per ipſum Capitulo Generali Ciſmontano Meſſanæ Dominica quarta poſt Paſcha, poſſet Toloſano præeſſe.

Indiſcrete gubernat Piſſottus. *Reg. gen. Ciſm. fol. 18. & ſeqq.*

VII. Epiſcopus Veronenſis & Senatus Venetus conqueſti ſunt apud Pontificem, quod religioſe reformateque vivere volentes modis omnibus exagitarit & divexarit: talemque ſenſit undique contradictionem, ut opem implorarit Imperatoris Caroli, Ferdinandi Fratris, Regis Romanorum, & Reginæ conſortis, Franciſci item Regis Gallorum, ne malum & timor, quem timebat, eveniret, aut perdendi Ordinis Primatus, aut novi quidquam circa Ordinem univerſum ſtatuendi. Romam e Parthenope vocatus, venire diſtulit, cauſatus impotentiam ex chyragra & podagra procreatam. Perterritus autem tot clamoribus, & admonitus a Cardinalibus de Valle Ordinis Protectore, & Quiñonio olim Generali Miniſtro, ut modum ſuo imperioſo & præcipiti poneret regimini, nec Fratres reformate vivere volentes adeo acriter inſectaretur, ſcripſit ad Patres Capituli Provinciæ ſancti Antonii proxime per litteras Apoſtolicas habendi, ut ſaverent Reformatis; deditque ſecundas litteras, ut permitterent omnes Fratres volentes vivere cum Reformatis, ad eos tranſire. Epiſtolam tamen ſecreto miſit ad fratrem Bartholomæum de Brandulis, pro ſuo arbitrio celandam vel præſentandam, ne fieret tumultus. His artibus & inconſtanti violentoque modo regendi, tot ſibi procreavit inimicos, ut ſenſim ultimum ſibi pararit exitium; depoſitus enim fuit ab officio per Clementem, uti ſuo loco & tempore dicemus.

VIII. Aliquot Capitula Provinciarum per ſuos Commiſſarios hoc anno celebravit, quædam pacifice, alia turbulente. Hieronymum de Burgonovo Procuratorem Ordinis, ſuis ſenſibus non cohærentem, in Capitulo ſuæ Pro-

Provinciæ Bononienſis Faventiæ die VII. Maii celebrato Miniſtrum creari procuravit, ſtatimque ſubſtituit Thomam de Cotigniola ejuſdem Provinciæ alumnum. Sed renuit hic ſubire iſtud Procuratoris officium, timens fortaſſis quas audiebat contra Generalem motas procellas, ſuffectuſque eſt titulo Vicæ-Procuratoris Joannes de Stia Provinciæ Tuſciæ Florentinæ. In Provincia ſancti Antonii erat Miniſter hoc anno Nicolaus Maripetrus. Electus eſt Provinciæ ſancti Angeli Miniſter Franciſcus de Caſtro-Sanguinis. Loco Bernardini de Gualdo Provinciæ ſancti Franciſci Miniſtri, nuper defuncti, factus eſt Commiſſarius Provincialis Thomas de Nurſia. Provinciæ Terræ laboris erat Miniſter Angelus de Neapoli, propter quem turbas illas Parthenopæas paſſus eſt Piſottus, miſſuſque eſt a Pontifice Provinciæ Commiſſarius Paulus Corſutus turbas ſedaturus, & Capitulum, præſcriptis quibuſdam legibus, ea præſertim, quod pro illa vice Miniſter aſſumeretur ex partibus Principatus, celebraturus. In Provincia Conceptionis Alphonſus a Salvaterra, cujus partes contra Generalem ſuſtinebat Impetratrix & Senatus Hiſpaniæ.

Nicol. Herbornus ſcribit contra Henricum VIII.

IX. Nicolaus Herbornus Miniſter Coloniæ ad Piſottum miſit librum a ſe compoſitum, & tunc impreſſum, circa dubium & controverſiam ab Henrico VIII. Anglorum Rege motam, contra matrimonium ſuum cum Catarina Regina, lectiſſima & piiſſima fœmina, Caroli V. amita, ſui fratris Arthuri primum conjuge, ſed intacta. Volebat enim Henricus ſuæ inſaniæ patronos adſciſcere, qui docerent, Papam Julium II. non potuiſſe diſpenſare in ſecundo gradu affinitatis, ita ut cum Fratris ſui uxore liceret matrimonium contrahere. Sed pauci viri docti ejus amatorio furori adhæſerunt, ſicuti neque hic Herbornus, qui conſtanter docuit, ratum, firmum & legitimum fuiſſe ejus cum Catarina matrimonium, auctoritate Apoſtolica probatum, tot annorum victu, ſuſcepta prole, orbe univerſo applaudente, nullo reclamante, confirmatum. Gratias bene ſuſcepti laboris egit Piſottus, & licentiam, quam ille petebat, conceſſit, ſcribendi adverſus ſectam Lutheranam: & quidem docte ille calamum ſtrinxit in novos illos Evangelicos, uti teſtantur varii illi tractatus, quos in libro de Scriptoribus recenſui. Rara ſunt exemplaria illius de validitate matrimonii Anglicani.

Frater Medardus Alemannus.

X. Erat hoc tempore Ferdinando Regi Romanorum a ſacris confeſſionibus frater Medardus Provinciæ Auſtriæ, vir probus & doctus, cujus opera in ſeriis Imperii negotiis Rex utebatur, pro quo etiam ſcripſit hoc anno ad Piſottum, ut Prædicatorem generalem per univerſam inſtitueret Germaniam, & terras Romano Imperio ſubjectas; erat enim magnæ virtutis in declamando, maxime contra Lutheranos. Cui Piſottus libenter aſſenſit. Ægre vero annuit petitioni Pro-Regis & Magiſtratus Majoricarum, Archiepiſcopi Arborenſis, & aliorum rogantium, ut permitteret fratri Franciſco Forteſtæ Prov. Majoricenſis, uti Brevi Apoſtolico, quo ei concedebatur, ut cum ſocio grato vivere poſſet in Eremo Montis Randæ, incolatu Raymundi Lulli memorabili. Annuit tamen ſub quibuſdam conditionibus uſque ad Capitulum illius Provinciæ, in quo determinari voluit quod magis expediret.

Fr. Franciſcus Forteſtæ.

Angelus Pincianus. *Marc. 3. p. l. 9. c. 89. Chronic. Prov. S. Joſeph l. 2. c. 23.*

XI. Vallem hanc miſeriarum reliquerunt iſto anno, qui ſequuntur: Angelus Pincianus, de quo ſæpe dictum eſt, Provinciæ ſancti Jacobi alumnus, Joannis Guadalupenſis, & Petri Melgarii in promovenda reformatione, & erigenda Provincia ſancti Gabrielis ſtrenuus cooperator. His aſſequendis incredibili laborum tolerantia, animi conſtantia, pœnitentiæ, orationis aliarumque virtutum perſeverantia, iter Romanum ſæpius emenſus, tam-

tamdem Religioſæ hujus Provinciæ ſtabilimentum conſecutus eſt. Deceſſit Romæ ad Aracœli. Paulus a Foſſa Clodia, honeſta natus Familia, a pueritia virtutibus, in juventute litteris non mediocriter imbutus, in adoleſcentia Sacerdotio inſignitus, & demum Viciariatu Generali apud Epiſcopos Clodienſes perfunctus, altioris virtutis inſtinctu, Fratribus Regularis Obſervantiæ adſcribi voluit in Provincia ſancti Antonii. Nemo in virtutum ſtudio, ſacra morum diſciplina, orationis fervore, humilitate, aut auſterioris vitæ cultu, illo erat præſtantior. In perfectæ Regulæ cultum tanta ferebatur cupiditate, ut præter eam nihil in animo volutare videretur. Accidit ut genitor, conjuge ſenio confecta, moreretur, treſque filias in ſummo paupertatis diſcrimine relinqueret. Paulus naturali caritatis vinculo, vetulæ parentis, & conſanguineorum precibus victus, Pontificia & Superiorum Regularium obtenta facultate, ad Clericorum ſecularium ſtatum rediit ſororibus proſpecturus. In hoc miniſterio per aliquot hæſit annos, donec audita novæ Reformationis Minorum vitæ eremiticæ diſciplina, ad eos ſub annum MDXXVI. convolavit: inter eos ad altioris virtutis gradum contendens, jejuniis, corporis macerationi, orationi, erga proximos caritati, toto ſtudio intentus, curam ac laborem omnem prædicando Dei verbo contulit, ut animas Chriſto lucrifaceret. Hoc in miniſterio vitæ periodum piiſſime concluſit in Pennæ Biliorum extremi agri Piceni, ubi ab Æmilia diſjungitur, oppido, in domuncula cujuſdam Confraternitatis beatæ Mariæ, adſtante & Sacramenta miniſtrante Matthæo Baſſiano.

Paulus a Foſſa Clodia. *Bover. hoc anno n. 1. & ſeq.*

XII. Matthæus e Leopoli, Umbriæ in ditione Urbinenſi Civitate, nobili genere natus, his adjunctus eſt, qui cum ex Obſervantibus, inter quos religioſiſſime vixit, & magna audientium oblectatione atque utilitate verbum Dei diſſeminabat, ad Capuccinos anno MDXXVIII. migraret, tanta vitæ auſteritate, corporis maceratione, ſenſuum cuſtodia, orationis ſtudio, ardentiſſima quæcumque adverſa pro Chriſto tolerandi cupiditate effervere cœpit, ut cunctis admirabilis videretur. In concionibus efficax, ardens, ſuavis, vitæ ſplendore, clariſque virtutum exemplis auditores a vitiis ad morum correctionem, Divinæ caritatis vinculis attrahebat. Dum ſalutiferum hoc Divini verbi ſemen nunc per Fabrianenſem, modo per Camerinenſem agrum diffunderet, Fratrumque Obſervantum modis omnibus ad ſuum conſortium retrahere cupientium, ſtudium declinaret, in oppidulo prope Camerinum in ſupremum morbum incidit. Inde ad Camerini ſuburbium ductus, in paupercula ſemidiruta domo, Eccleſiæ procuratus Sacramentis, ſolus ſine comite ex humanarum rerum tumultu ad æternam requiem emigravit. His aſſociandus venit Albertus Marcheſius de Sichis ex Cotiniola, Æmiliæ oppido, etſi ſanctitate impar, doctrina tamen ſuperior, hoc anno in patria defunctus.

Matthæus e Leopoli. *Indid. n. 9. & ſeq.*

Albertus Marcheſius.

XIII. Sub hoc tempus anno incerto deceſſerunt Innocentius a ſancto Angelo, mira innocentia & ſimplicitate ſpectabilis, qui cum Sororum Mopaſterii Aquilani Ordinis ſanctæ Claræ confeſſiones per aliquot annos accepiſſet, ea floruit pietate, & morum candore, ut ab hominibus in ſumma haberetur veneratione, & volucres cœli illi ſe crederent colludentes, & circumvolitantes cantibus exhilararent. Sepultus eſt Aquilæ in Conventu ſancti Bernardini, uti alias diximus. Chriſtophorus Cataneus Mediolanenſis, vitæ auſteritate, humilitate, paupertate inſignis, nudis ſemper pedibus incedens, vili laceroque habitu contectus, ſanctum Franciſcum imitatus, ſeptem quadrageſimas per anni circulum jejunabat. Laminam ferream pro cilicio perpetuo geſtabat. Obiit feria ſexta Paraſceves in urbe Civitatenſi apud

Innocentius a S. Angelo. *Marc. l. 8. c. 36. & lib. 9. c. 47.*

Tom. 15. anno 1506. n. 10. Chriſtophorus Cataneus. *Marieta de SS. Hiſpan. lib. 17. cap. 31.*

Joachimus Villalupen. *Data l. 3. c. 23.*

apud Hiſpanos, ſepultus ad ſuns Conſodales. Joachimus a Villaluporum Hiſpanus, vir nobilis, ſed humilis, laicorum numero voluit adſcribi. Multis emicuit virtutibus, pœnitentiæ, jejunii in pane & aqua, parciſſimi ſomni, quem raptim humi carpebat. In oratione frequenter pernoctabat revelationibus aſſuetus, longas paſſus extaſes, quæ per biduum aut triduum aliquando durabant. Spiritu prophetico multa, ſuamque mortem prædixit. Sepultus eſt in Conventu Regio ſancti Joannis Toletano. Robertus Stuardus Jacobi V. Scotorum Regis cognatus, qui certum exitus ſui diem, & futuram Regni calamitatem ante prædixit. Vivus & mortuus claruit miraculis. Bartholomæus de Baſſama vir eruditus, ſanctitatis fama conſpicuus. In oratione aſſidua & perpetuo ſilentio agones ſuos & proximorum Deo commendabat. Mortis ſuæ die prædicta, obiit in Conventu ſancti Joannis Baptiſtæ Nucerino: Corpus in capſa lignea reconditum, poſt annos aliquot repertum eſt integrum & incorruptum.

Robertus Stuardus. *Gent. in Provin. Scot.*

Bartholom. de Baſſama. *Data citat.*

Adrianus Archiepiſcopus Ennenſis. Guillelmus Epiſcopus Aſcalonenſis. Bernardus Archiepiſcopus Beryſen. Richardus Epiſcopus Tiberiaden. Ferdinandus Aureopoli.

XIV. Has invenio iſtius anni Eccleſiarum proviſiones. Frater Adrianus N. Regul. Obſerv. promotus eſt ad Ennenſem ſive Aenien. Archiepiſcopalem in Thracia, cum facultate exercendi Pontificalia in Eccleſia Poſnanienſi, die XVII. Aprilis. Frater Guillelmus Duffid ad Aſcalonen. immediate Patriarchæ Hieroſolymitano ſubjectam, & ſuffraganeus Epiſcopi Aſſanen. ſive Aſſaphen. in Anglia, die X. Julii. Frater Bernardinus Cremonenſis ad Archiepiſcopalem Beryſen. in Armenia, & ſuffraganeus Majoricen. eodem die. Frater Richardus Gama ad Tiberiaden. Patriarchæ Hieroſolymitano immediate ſubjectam, & ſuffraganeus Dullinen., ſive Dunelmen. in Anglia, die XV. Novembris. Frater Fernandus Vaqueirus ad Aureopolienſem in Aſia, ſub Archiepiſcopo Epheſino, & ſuffraganeus ſeu Proepiſcopus in inſulis & locis Indiæ Orientalis, dominio Regis Luſitaniæ ſubjectis, die XXVII. Novembris. Primus hic Indiarum Orientalium creatus eſt Epiſcopus, de quo ita ſcribit Maffejus. *Nonnio Acania Prætore, primus ex Epiſcoporum numero ad Eccleſiaſticam rem inſpiciendam ordinandamque Fernandus e Franciſcana Familia in Indiam venit: ibi cum ceteris functionibus tum Sacramentis, præſertim Confirmationis & Ordinis rite miniſtrandis, necnon per ſacras Concliones & privata colloquia Luſitanis ad diſciplinam atque ad officium revocandis, Ethnicis ad Chriſtianam alliciendis fidem, Epiſcopale munus egregie præſtitit; nec dubium, quin multa & ab hoc viro, & ab aliis in eo genere digna relatu & præconio geſta ſint. Sed admodum raræ tum quidem in iis locis fuerunt litteræ: & ſi qui extant Scriptores, ii ferme inſtitorum peregrinationes atque commercia, & Ducum res bello geſtas, ac domeſticas plerumque diſſenſiones per otium explicant; Chriſtianæ rei (quod caput erat) progreſſum, & in erudienda barbarie piorum labores, & fortia facta, quaſi ab inſtituto aliena, vel omnino prætereunt, vel mira brevitate perſtringunt.* Obiit autem Fernandus poſt annos multos, & fructus uberes rei Eccleſiaſticæ bene & rite inter barbaras illas Nationes conſtitutæ, in Regno Armuſiæ in ſinu Perſico, magno Chriſtianorum dolore. Ei ſucceſſit in Epiſcopatu, & laborioſa barbaræ gentis inſtructione, frater Joannes Alburquerquius, vir multis titulis inſignis, uti ſuo loco dicemus. In regeſto Ordinis invenio hoc anno ſub die VII. Septembris datam a Miniſtro Generali facultatem fratri Laurentio Furnario, Papienſi, ut oblatum admittere poſſet Epiſcopatum. Quid demum circa hominem hunc factum ſit, non reperio.

Maff. de rebus Indic. lib. 11. ante fin.

Exilis memoria rei Eccleſiaſticæ bene inchoatæ in Indis Orient.

Anno 1537.

Conv. Montis-piloſi.

XV. Dedit hoc anno Clemens Pontifex facultatem Miniſtro Baſilicatæ, ut domum a Communitate Civitatis Montis-piloſi pro Fratribus, ſub invoca-

catione ſancti Franciſci, vel alia quacumque, conſtruendam admitteret: *Cum Communitas Civitatis*. die 11. Martii. An ea conſtructa ſit, neſcio: apud Gonzagam in ea Provincia non invenio. Conſtructa tamen eſt altera, ſub nomine ſancti Leonardi prope Zagabriam, Illyricorum Civitatem, per Petrum Erdeodium Magiarcherchium Comitem. Et conſtruebatur altera a Fratribus Provinciæ ſancti Antonii intra limites Provinciæ Brixienſis; qua de cauſa cum inter utramque Provinciam diſcordia orta eſſet, juſſit Miniſter Generalis, ut a fabrica ceſſaretur; qui etiam ſacellum ſeu capellam conceſſit Dom. Eleonoræ Rangonæ de Piis in Eccleſia Conventus ſancti Spiritus, intra urbem Ferrarienſem.

Conv. Zagabriæ.

Gonz. in Provin. Boſn. Croat. Con. 4.

Reg. gen. Ciſm. fol. 89.

XVI. In Provincia Bætica ad M. P. ab oppido Eſcazenæ, diœceſis Hiſpalenſis, in medio amœnæ ſilvæ, pii nobileſque conjuges Ludovicus Mendez a Soto-majori, & Joanna conjux Conventum ſub nomine ſancti Antonii de Padua hoc anno conſtruxerunt. In Catalonia prope muros oppidi Caſtellonii de Planicie, ex communi ærario ædificari cœpit Conventus alter, ſub titulo Dominæ noſtræ de Angelis; ſed dum ſitus incommodus videretur, poſt annos octo ad alium locum ab oppido remotum translatus eſt, ſub invocatione ſanctæ Barbaræ, propter æterem illic præexiſtentem Divæ hujus ædiculam. Duo in hoc Conventu contigiſſe miracula refert Gonzaga; primum, quod ſanctus Franciſcus cum cœleſti ſocio ſe adjunxerit Fratribus hujus Conventus, & alterius ſanctæ Catarinæ de Honda, qui ad pagum Almanzoræ exequias ſui benefactoris, & perpetui hoſpitis celebraturi concurrerant, volens mercedem hoſpitii defuncto ſua retribuere præſentia. Alterum, quod in ſupplicatione ſeu proceſſione magni circuitus, & longi temporis, ex viginti quatuor cereis faculis Fratrum nihil fuerit imminutum. Invenio in Ordinis Regeſto, Miniſtrum Generalem præcepiſſe hoc anno Miniſtro Aragoniæ, ut reſtitueret Cuſtodi Cataloniæ Cœnobium quod uſurpaverat.

Conv. Efeazenæ. *Gonz. in Provin. Batic. Conv. 24.*

Conv. Caſtellonii de Planicie. *Idem in Provin. Catalon. Conv. 14.*

Reg. gen. Ciſm. fol. 96.

XVII. Securani oppidi in Regno Murciano incolæ, hoc anno Cœnobium conſtruxerunt M. D. P. diſſitum, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Rupe, propter imaginem ejuſdem ſacratiſſimæ Virginis ab oppidanis ante aliquot ſecula, Sarracenorum Hiſpaniam invadentium feritatem declinantibus, eo in loco, ſub terra depoſitam, & ab agricola arante repertam: quæ licet ſolemni inſtructa proceſſione ad oppidum fuerit delata, ad locum ex qua fuerat effoſſa, redivit. Ad rei memoriam, & imaginis cultum, ædificata eſt illic ſub prædicto titulo ſacra ædicula, quæ demum in ſpecioſum abiit Templum, adjuncto amplo Fratrum habitaculo.

Conv. Securæ. *Gonz. in Provin. Carthag. Conv. 21.*

XVIII. Urbis Potentinæ Comitiſſa vidua, & Comes filius expoſuerunt Pontifici, quod ante annos viginti quinque fuerat Ordo ſancti Benedicti in Monaſterio ſancti Lucæ ejuſdem urbis; & nulla illic remanente Snrore, domus tota ruinam minabatur, rogaveruntque ut liceret illud convertere in domicilium Monialium ſanctæ Claræ, ſub ſecunda Regula & regimine Miniſtri Provinciæ Baſilicatæ victurarum. Annuit Pontifex datis litteris: *Exponi nobis nuper fecit*. die VII. Martii. Aliter hujus Monaſterii originem narrat Gonzaga.

Monaſt. Potentianum.

Idem in Provin. Baſil. Monaſter. unico.

XIX. Bernardus Cleſius Tridenti Epiſcopus, Cardinalis Tridentinus nuncupatus, hoc anno ſcripſit ad Generalem Miniſtrum, Tridentum mitteret fratrem Hieronymum de Aurichalco, ut ſermones quadrageſimales haberet ad populum, & fabricam promoveret Monaſterii ſanctæ Claræ, ea in urbe inchoatam facultatibus pii viri Antonii Pratenſis, ſub titulo ſanctiſſimæ Trinitatis. Obſequente Generale, poſt peractas conciones, Hie-

Monaſt. Tridentin. *Reg. gen. fol. 68.*

Gonz. in Provin. S. Antonii Monaſt. 19.

ronymus tam diligenter opus urgebat, ut poſt biennium anno MDXXXIII. ex Veronenſi Monaſterio evocatæ Sorores, diſciplinam Regularem adventantium hic inchoarint. Eugubinum Monaſterium, ſub hoc eodem titulo circa iſtud tempus ædificatum inſinuant Monumenta Provinciæ ſancti Franciſci, auctore licet incerto, uti advertit Gonzaga.

Monaſt. Eugubinum. *Idem in Provin. S. Franciſci Monaſt. 12.*

XX. Pro Sororibus ſanctiſſimæ Conceptionis beatæ Virginis Mariæ duo invenio hoc anno conſtructa Monaſteria; unum prope Juliobrigam (vulgo Hiſpanico Logroño) ſub titulo Matris Dei, erectum a Joanne Enciſio, primo Caroli V. Imperatoris Quæſtore, & Maria a Gaona conjuge. Primæ fundatrices fuerunt duæ filiæ eorumdem conjugum cum aliis quatuor, evocatæ ex Monaſterio Toletano ejuſdem Inſtituti. Alterum in oppido Antiquæ mellariæ conſtructum in ædibus Ferdinandi Matthæi Schinæ, & Catarinæ Ruiziæ conjugum, qui relictis omnibus facultatibus iſti operi promovendo, fabricam & Monaſterii regimen commiſerunt Epiſcopo Cordubenſi, ſed Gregorii XIII. auctoritate anno MDLXXX. Sorores ſe correctioni Miniſtri provinciæ ſubmiſerunt.

Monaſt. Juliobrigæ. *Idem in Prov. Burg. Mon. 10.*

Monaſt Antiquæ mellariæ. *Idem in Prov. Angel. Mon. 7.*

XXI. Diremit hoc anno Pontifex controverſiam circa præcedentiam inter Minores, & Eremitas Auguſtinianos Terræ Adernionis, diœceſis Catanen. in Sicilia, pro prioribus prolata ſententia: *Acceptimus quod licet.* die XX. Martii. Sorores etiam ſanctæ Claræ & Tertii Ordinis, a ſolvendis decimis in regno Neapolitano abſolvit: *Queſtus eſt nobis.* die XVIII. Martii.

ARGUMENTUM.

Propagatur fides in Mexicana & Peruviana provinciis, ad quas multi mittuntur Minoritæ. Celebratur Toloſæ Congregatio Generalis una, & altera Meſſanæ. Reprehenditur obiter faſtus laxiorque vita quorumdam Superiorum. Piſſottus, luſtrata familia Ciſmontana, pergit in Galliam, ubi Conventus Aquitaniæ nondum reformatos, ſub ſuum admittit gubernium. Jubet Pontifex præſcribi intra ipſam Obſervantiam modum, & peculiares domos reformate vivere volentibus. Andreas Spoletanus a Mauris in Africa, & alii Minoritæ a Turcis in Hungaria occiduntur. Ex humanis abeunt Gabriel Maria, & Bernardina Antonii pietate illuſtres. Reprimitur Piſſotti ardor erga Capuccinos. Duo inſtituuntur Epiſcopi, & aliquot conſtruuntur Cœnobia.

Conſulitur rei Chriſtianæ in regione Mexicana. *Herr. dec. 4. l. 9. c. 4. & 14.*

I. Sebastianus Ramirez Fuenleallus, Epiſcopus ſancti Dominici in Hiſpaniolæ inſula, miſſus a Carolo V. ad urbem Mexicanam in Continente, ut modum poneret diſſidiis & controverſiis Hiſpanorum, & quæ objiciebantur Corteſio, primo gentium illarum domitori, diſcuteret, ac vaſtiſſimarum provinciarum converſionem promoveret; ubi primum anno elapſo Mexicum pervenit, & Zumarragæ Epiſcopi prudentiam, probitatem, fidei & regiæ ditionis propagandæ zelum exploratum habuit, eoque ſacris ſolemniter operante, in cathedrali templo, Hiſpanorum Indorumque præcipui fidem ſuam Carolo Hiſpaniarum Regi, & Principi filio, jurejurando obſtrinxerunt; poſtquam Sacerdotibus & Religioſis colendis & juvandis leges tulit, Monaſteriis neceſſaria quæque ſuppeditavit; videnſ tantæ meſſi colligendæ paucos admodum ſupereſſe operarios; neque enim Minorum & Prædicatorum numerus centeſimum excedebat, ſcripſit Carolo

& re-

Anno Christi 1532.	Clamentis VII. an 9. & 10.	Caroli V. Imp. anno 14.	Religionis Minorum anno 325.

& rerum Indicarum Præfectis, ut multos mitti curarent, probos tamen & Hiſpanos. Probaverat ille alienigenas, aliiſque Principibus ſubditos, minus huic operi fuiſſe idoneos, quos proinde illis finibus abegit.

Monetur Piſſorius ut multos mittat operarios. *Reg. gener. Ciſm. fol. 119.*

II. Imperatrix, Hiſpanorum Regina, & Indiarum conſiliarii ad Generalem Miniſtrum urgentiſſimas dederunt hoc anno litteras, ut ex ſuis Fratribus, quos poſſet plurimos, mitteret tam ad Mexicanam, quam ad Peruvianam recens ſubjectam provinciam. Ille ex Urbe die XXVI. Julii ſcripſit Bernardino de Arevalo provinciæ Conceptionis Cuſtodi, viro gravi & religioſo, ſibi ſatis noto, ut provinciæ ſanctæ Crucis in Inſulis Indiarum, & Cuſtodiæ ſancti Evangelii curam in ſe admitteret, miſſis ei Commiſſarii cum plenitudine poteſtatis titulo & documentis. Commiſſionis terminum conſtituit tempus Capituli Generalis, poſt triennium celebrandi, & poteſtatem fecit de quibuſcumque provinciis Hiſpaniarum ſex Fratres miſſioni idoneos aſſumendi, ac vaſtiſſimam illam regionem novæ Hiſpaniæ in Cuſtodias dividendi. Præcepit tamen ut infra quatuor menſium ſpatium transfretaret, & ad prædictum Capitulum reverteretur ſuæ commiſſionis rationem redditurus, & in quo ſtatu res illarum partium verſarentur, relaturus.

Bernardinus de Arevalo Commiſſarius Indiarum.

Peruvianæ expeditiones. *Herr. dec. 4. l. 5. c. 5.*

III. Ante aliquot annos Franciſcus Pizarrus & Didacus de Almagro incredibili animorum pertinacia, & laborum tolerantia Peruvianas oras luſtrarunt, multiſque in locis Hiſpanorum ſtationes poſuerunt. Venit porro Pizarrus in Hiſpaniam, Carolo Regi quæ geſta erant, dicturus, regionem auri argentique fodinis, margaritis, rebuſque optimis abundantem deſcripturus, auxiliares copias & fidei Chriſtianæ magiſtros, ſuique laboris mercedem impetraturus. Rebus feliciter cum Carolo tranſactis, nobilique præfectura donatus, ad illas regiones regreſſus, anno MDXXX. pro converſione gentium in comitatu duxit religioſos ſex Ordinis Prædicatorum, quos Carolus per fratrem Reginaldum de Pedraza ſeligi voluerat. Acceſſerunt & alii ſecundum pacta præſcriptaſque a Carolo leges, ut quos ipſe dare vellet converſionis miniſtros, ille reciperet. Ex Franciſcanis primos invenio hujus regionis operarios Marcum a Nicia, Joanneum e Monzono, Matthæum de Xumilla, Franciſcum de Angelis, Franciſcum a Cruce, Franciſcum a ſancta Anna, Petrum Luſitanum. Quatuor poſtremos valde commendat Franciſcus Fernandez Ordinis Prædicatorum in compendio hiſtoriæ Indiarum, & Cœnobia ſuis conſodalibus conſtruxiſſe refert in urbibus præcipuis Peruvianis. De primo, Marco videlicet Nicienſi, celebrem agunt mentionem optimi quique Peruviani regni ſcriptores, propter immenſum, periculoſum & laborioſum iter, quod cum ſocio ſuſcepit ad provinciam Cibolam, in quo pluſquam mille & quadringentas leucas Hiſpanicas emenſus eſt, ubique per interpretes prædicans Dei veri fidem, & Caroli Regis majeſtatem, cui, ſaxis aliquot in cumulum coacervatis, & Cruce impoſita, dominium vendicabat provinciarum, per quas tranſibat. Rarum hoc facinus, fructuſque exinde ſecutos dicemus inferius.

Mittuntur Prædicatores & Minores.

Fernand. c. 52.

Herr. dec. 6. l. 9. c. 10. & ſeq. Gomar. in hiſt. Indic. cap. 210. Taca. l. 2. c. 16. Marcus de Nicia.

An. 1539.

IV. Erat hic ex Nicia urbe maritima, ſub ditione Ducis Sabaudiæ oriundus, habitumque ſuſcepit in provincia Aquitaniæ, ex qua ante aliquot annos profectus eſt in Indiam Occidentalem, appulitque ad Hiſpaniolæ inſulam, non anno MDXXXI. uti ſcribit Gonzaga, ſed aliquanto prius; ipſe quippe teſtatur apud Bartholomæum de las Caſas Dominicanum, ſe cum primis Peruviani regni exploratoribus illuc progreſſum. Illuc autem profectos inſignes illos Duces Franciſcum Pizarrum & Didacum Almagrum ſub annum MDXXVII. ſcribit Herrera, variaſque in illas oras expeditiones ſuſcepiſſe, & provincias integras ſubjugaſſe ante Pizarri profectionem Hiſpanicam,

Gonz. in Prov. S. Evang. Con. 1. Remeſal. de Prov. Guatemala l. 3. c. 3.

Herr. dec. 4. l. 10. & 1.

nicam, multis idem auctor recenſet. Ex Mexicana porro miſſione ad Peruvianam amandatus eſt; ubi cum adhuc res titubare, neque firmas adhuc ſtationes habere Hiſpanos, ſed omnia cæde & ſanguine fœdari conſpiceret, nullumque adhuc aperiri oſtium Evangelio, reverſus eſt ad ſuos Conſodales Mexicanos. Eum perperam vocant aliqui primum Commiſſarium Generalem regni Peruviani; neque in illa Peruvianæ converſionis infantia tot erant Fratres ſubditi, propter quos additamentum *Generalis* deberet adhiberi; neque in ſerie Commiſſariorum Generalium a Turrecremata collecta, ejus occurrit memoria. Et quidem errorem eſſe, ego non abs re ſuſpicor; etenim nonniſi poſt aliquot annos inſonuit hoc nomen aut dignitas *Commiſſarii Generalis* in illis regionibus. Miſſum autem ſecundo Peruviam, cum iis, quos ſupra dixi, credibile eſt, & Cuſtodiæ ſancti Evangelii Superiorem, cum reliquis præfeciſſe addito nomine & poteſtate *Commiſſarii*, abſque adjecto *Generalis*. Ille porro regreſſus denuo ad Mexicanos, electus eſt tertius jam erectæ provinciæ Miniſter, & in Provincialatu, doctrina, pietate, & zelo animarum inſignis, anno MDXLII. deceſſit in Conventu Mexicano.

Reg. gen. Ciſm. fol. 120. Franciſcus Aragonius primus Cuſtos in Peruvia.

V. Porro ad illas partes Peruvianas Miniſter Generalis Piſſottus deſtinavit, datis litteris obedientialibus hoc anno, die prima Auguſti, Franciſcum Aragonium provinciæ Aragonienſis, virum gravem & doctum, cui poteſtatem dedit ſeligendi ex quibuſcumque provinciis ſocios duodecim, teſtimonium bonum habentes a ſuis Miniſtris & Diſcretis provinciarum, atque erigendi in regno Peruviano Cuſtodiam, ſub titulo *Apoſtolicæ*, ſive *Sanctorum Apoſtolorum*, in eaque domos ædificandi, Sacramenta adminiſtrandi, & reliqua faciendi juxta morem Cuſtodiæ Mexicanæ, ſive ſancti Evangelii. Nulli inſuper Superiori eum ſubeſſe volebat, præterquam ſoli Indiarum Commiſſario, a ſe, ut ſupra diximus, inſtituto. Ut vero commodius Fratres transfretaturi in poſterum ſe tam immenſo itineri poſſent præparare, aſſignavit eis Conventum ſancti Lucæ de Barrameda, quem olim etiam deputatum fuiſſe diximus Fratribus Cuſtodiæ Canarienſis, ejuſque Guardianum voluit præeſſe Fratribus euntibus ad Indos, & regredientibus, ita rogantibus Præfecto rebus Indicis, aliiſque Hiſpaniarum magnatibus. Antequam autem hæc Generalis ordinatio innoteſceret Patribus Hiſpanis, in Capitulo Generali intermedio Toloſæ celebrato in vigilia Pentecoſtes, deſignatus eſt Guardianus Hiſpalenſis Commiſſarius Fratrum Indicæ miſſionis euntium & redeuntium, dum ea in urbe remanerent, addito præcepto, ne quis illam urbem adiret ad Indias profecturus, niſi a Commiſſario Generali, vel a ſuo Miniſtro, cum aſſenſu Definitorum mitteretur.

Reg. gener. Ultram. pag. 203.

Hoſpitium ad Indos proficiſcentium.

Herbonus Commiſſarius Generalis dat inſtructionem Miſſionariis Indicis.

VI. Nicolaus Herbonus in prædicto Capitulo Toloſano electus Commiſſarius Generalis Ultramontanus, uti mox dicemus, dum pro ſui muneris ratione, & Imperatricis deſiderio, in ſuis litteris ad dictum Capitulum Generale directis expreſſo, cogitaret de mittendis aliis operariis ad Indicas illas regiones, ſcripſit ad univerſas provincias ſuo regimini ſubjectas, ſequentes litteras, in quibus qualitates in mittendis requirendas expreſſit, & methodum quamdam in Gentilium converſione obſervandam præſcripſit. Piæ ſunt, prudentes & diſcretæ: Lectori, etſi aliquanto longiores, credo non diſpliciturus.

In Chriſto ſibi reverendis, longeque probatiſſimis, ſimul & eruditiſſimis Patribus Miniſtris Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciarum Franciæ, Franciæ Pariſienſis, Caſtellæ, Saxoniæ ſanctæ Crucis, Saxoniæ ſancti Joannis Baptiſtæ, Turoniæ, Turoniæ Pictavien. Aragoniæ, Argentinæ, Aquitaniæ ſancti Jacobi, Coloniæ Agrippinæ, ſancti Bonaventuræ (ſeu provinciæ Provinciæ) Portugalliæ, ſancti Ludovici, Hiberniæ, Scotiæ, Conceptionis, Daciæ, Britanniæ, Angliæ, Granatæ, Indiarum Inſularum ſanctæ Crucis, Burgen. Majoricarum, Angelorum, Pietatis, ſancti Gabrielis, Carthaginenſis, Flandriæ, Turingiæ, inferioris Germaniæ, ſibi in Chriſto cariſſimis Patribus & Fratribus.

MOx *ubi Colonienſe Capitulum, ut vocamus, ut vero alii Synodum, obſolviſſem, reverendi Patres, reditus eſt mihi liber quiſpiam, quo Ferdinandi Corteſii complures, non ſine multis periculis exantlatæ & profectiones & navigationes per mare Oceanum, ad Indos uſque, paucis verbis erant deſcriptæ. Legi obiter: nam per negotia diutius diligentinſque in eo verſari non licuit; offendi quoque multa iis reſpondere, quæ nuper Toloſanis in Comitiis nobis enarrarunt Patres, qui Civitatem Temixtitan & Tumbenſem incolunt, ac ſuis ſermonibus per Dei gratiam ad fidem converterunt, in-die-ſque convertunt, & in vinea Domini defudant. Reputovi tum deinde altius mecum litteras, quas Toloſam Illuſtr. D. Imperatrix ſemper. Auguſta, ex Hiſpaniis ad nos tranſmiſit, nos obteſtans ac requirens, ut viros probos, vita, moribus ac religione probatos ad eam gentem imbuendam deſtinaremus, ſimul & mitteremus, quæ nuper apud Indos & Chriſto regum Regi, & Carolo V. Cæſari Imperatorique maximo, in deditionem venit. Ego vero qui necdum neque in Gallias, neque in Hiſpanias conceſſi, anxius mecum cogitavi, quos maxime & quales viros eo mitterem. Neque enim temere quibuslibet, ſed rariis, ſed integris, ſed illuſtribus viris id legationis reor committendum. Quandoquidem & Paulus alicubi ſuo Timotheo præcepit, ne cito quibuslibet manus imponat, ſed deligat, multoque judicio antea examinet, quos in Evangelii opus deſtinare decrevit. Nam & ipſe ait, quoſdam eſſe, qui non ſincere annuncient, alios qui ſua commoda ſpectent, paucos qui ſe, Timotheum, Titum, & ceteros Evangeliſtas, veros & legitimos verbi miniſtros ſequantur. Nec modo id Paulus, ſed & ſacer ille Apoſtolicus Senatus in deſignando Matthia obſervavit, & in poſteros, juſtiſſimis ſanctionibus, ceu per manus, a majoribus noſtris, adeoque a Fratrum Minorum primipilo Franciſco, patre noſtro ſacerrimo, propagatum eſt. Ita enim inquit in ea, quam noſtis regula.* Quicumque Fratrum Divina inſpiratione voluerint ire inter Sarracenos, & alios infideles, petant inde licentiam a ſuis Miniſtris Provincialibus: Miniſtri vero nullis eundi licentiam tribuant niſi eis, quos viderint eſſe idoneos ad mittendum. *Qui Franciſci inſtitutum hoc ſeculo miſere ac impie lacerant, arrodunt, peſſundant Lutherani, reſpondeant, atque ſi quid in iiſce verbis eſt, quod calumniari æquiſſimo jure poteſt, digito oſtendant. Id ſi effecerint, diſpeream, ſi non manibus pedibuſque in eorum ſententiam eam: verum ut ſeſe torſerint, nihil ſcio efficient, ſtat enim veritas ipſa quovis ariete robuſtior:* Quicumque, *inquit*, Fratrum Divina inſpiratione voluerint ire inter Sarracenos. *Recte* Divina inſpiratione *ait*, *nam & ipſe* Angelus Satanæ transfigurat ſe in Angelum lucis, *multo maxime id poſſunt miniſtri ejus, pſeudo-apoſtoli, ſubditicii, ac notbi Fratres. Neque enim omni ſpiritui credendum eſſe præcipit ſanctus Joannes, ſed antea probandi, num*

Diligenter examinandi Miſſionarii Indici.

1. Tim. 5. 22.

Philip. 1. 17.

Act. 1. 26.

Reg. Min. c. 12.

2. Cor. 11. 14.

1. Joan. 4. 1.

ex

ex Deo ſint ſpiritus; probatio vero ſpirituum quo fieri debeat pacto, Joannes de Gerſona, & Franciſcus Picus Mirandulanus, & nos in Monade noſtra paucis ſignis & notis indicavimas.

Gerſ. tract. de proband. ſpiritibus. Mirand. lib. 9. de verâ prænot. c. 6. Vide qua diximus in lib. de Scriptor.

Cum primis itaque, ut ad rem, poſthabitis ambagibus, redeamus, proſpiciendum vobis Patribus meis obſervandiſſimis, ut eos, quos mittere cernitis idoneos, ad verba mittatis Franciſci, quibus ait. Si qui Divino oraculo admoniti voluerint migrare ad infidelium partes. Neque enim humanum neque Satanicum aportet eſſe figmentum, quo adduci debent, tam arduum tamque difficile opus ut arripiant, ſed certe Divinum, ſed præcipuum, ſed ſummi Dei oraculum. Humanum enim voco figmentum, dum quidam novitate rerum ac curioſitate viſendæ terræ, cognoſcendi populi urgent, & ut mittantur, inſtant. Uno enim verbo tales a Paulo repelluntur. Omnes quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti. *Sua commoda ſpectat, quiſquis non Dei gloriam, neque hominum ſalutem ſpectat. Qui videlicet eo comnigrant, ut aurum, ut argentum, ut lopides pretioſos, quos multos ferunt in iis regionibus eſſe, corradant, colligant, ditioreſque egrediantur, quam fuerunt ingreſſi. Quod malum etſi ſeculi negotiis dediti ſpectare poſſint, tantum tamen abeſſe debet a Divini verbi miniſtris, quantum terrena a cœleſtibus.* Quæ enim comparatio Chriſti ad Belial, lucis ad tenebras, *ſpinarum (ita enim interpretantur divitiæ) ad roſas?* Eximendus eſt itaque cupiditatis affectus, ac porro evellendus a veris Evangelii miniſtris. *Id quod vel Chriſti exemplo docemur, qui eos quos ad prædicandum miſit diſcipulos, ſic inſtituit, ut æs e zonis excuteret, peram, baculum, calceamenta, denique omnem commeatum, quo homines ſibi proſpicere ſolent, auferret, detraheret atque eximeret. Satbanicum vero ſpiritum eum appello, quo multi ſub ovina pelle lupinam mentem contegunt, quorum in ore Chriſtus ſonat, mens vero atque animus hæreſeos aculeo pungit. Quales pleroſque multos ſuo malo habet, tolerat, ac alicubi nutrit Germania, Gallia vero, ac Hiſpania e finibus ſuis ceu perniciosiſſimos reipublicæ hoſtes pellit, ejicit, proſcribit, damnat. Hos minime ad mittendum idoneos non tam ego, quam Chriſtus, & Franciſcus judicat.* Attendite, *inquit Chriſtus*, a falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. *Et Paulus.* Cavete canes, videte conciſionem, videte operarios malos. *Sed & Franciſcus eos, qui ſuo Inſtituto initiari cupiunt, examinandos de fide præcipit, & Eccleſiaſticis Sacramentis, & quod ſint ſtabiles in ea fide, quam Eccleſia Catholica ſuſcepit, quod fideles & dicto audientes, quod ſinceriter doceant vitia & virtutes, pœnam & gloriam. Atqui hæc præſtare impoſtores & hæretici non poſſunt. Quæ enim fundamenta fidei in aliis jacient, cum ipſi interim naufragium in fide fecerint, cum ſint a Chriſto alieni, cum Eccleſiaſtica Sacramenta, ritus quoque & cæremonias peſſundaverunt, multiſque modis ſe Eccleſiæ hoſtes declaraverunt? Huc huc igitur animos veſtros ſtudiaque intendite, ut fideles ſint, ut catholici ſint, in fide conſtantes, ſint infracti, ad omnem doctrinæ ventum non nutent, non vacillent, non permoveantur. Fide enim ſtandum eſt, ut ait Paulus. Nam hac vincitur triformis ille cerberus, hæc baſis eſt & totius ſpiritualis ædificii lapis angularis. Sancti enim per fidem vicerunt regna, ſubjecerunt Chriſto orbem, alligaverunt Dæmones, victores evaſerunt, coronas commeruerunt perpetuas. Nemo itaque qui in fide ortbodoxa vacillat, qui a majorum noſtrorum religione, decretis, ſacris orgiis, cæremoniis vel latum digitum deflexit, eo mittendus eſt, ubi hæc oportuit doceri, auſpicari, & exordiri. Si qui inter veſtra penetralia tales eſſent, ut homines ſamus, nec Noe, nec Paulo, neque Auguſtino meliores, eos in ſpiritu lenitatis & verita-*

Phil. 2. 21.

2. Cor. 6 15. Greg. hom. 15. in Evang.

Luc. 10. 4.

Lutheranos novoſque Evangelicos Germaniæ tunc exorientes indicat.

Matth. 7. 15. Philip. 3. 2.

Reg. Minor. c. 2. & ſeqq.

Quales debeant eſſe miſſionarii.

Rom. 11. 20.

Hebr. 11. 33.

Loquitur de deceptis a novis Evangelicis.

tatis potius ab errore revocabitis, monebitisque ut ſuum intellectum in obſequium fidei Catholicæ & Apoſtolicæ captivent, ſe non ipſos per falſa adulterinaque dogmata perdant, quin reſipiſcant, redeantque ad Eccleſiæ gremium, & ſi quem errorem imbiberint, eum ad Patrum conſilia, placita, decretaque corrigant. Divinum vero ſpiritum, quo inſtinctos ac inſtructos voluit eſſe eos, qui ituri eſſent, ſacer Franciſcus, eum puto intellexit, quo Apoſtoli imbuti, quamlibet humano judicio imbecilles & abjecti, & omnium peripſema haberentur, ſolum Dei gloriam, lucrum animarum, extirpationem errorum, & falſarum religionum ſubverſionem ſpectantes, totum percurrerunt mundum, adierunt Æthiopes, migrarunt ad Græcos, pervenerunt ad Latinos. Niſi enim hunc ſpiritum ductorem habuiſſent, nemo non eos, ut inſanos, ut phanaticos, ut omnibus modis exſibilandos contempſiſſet. Verum adfuit eis cæleſte illud Numen, tribuit os & ſapientiam, ſubjecit gentes & regna, domuit furentes Tyrannos. Ceterum hic ſpiritus non ſinit Evangelii miniſtros a veri notione aberrare, ſi modo Chriſto credimus. Spiritus veritatis ducet vos in omnem veritatem: &, in vobis erit, & apud vos manebit. *Hujus ſpiritus energiam facile ex Evangelicis & Paulinis litteris licet colligere, modo oculatius eaſdem introſpiciamus. Chriſtus equidem præter hoc, quod eum veritatis doctorem appellat, notas quaſdam ob oculos in Matthæo & Joanne ponit, quibus graphice exprimitur, ut non tam veri notione & profeſſione, quam rebus ipſis facilisque illuſtribus internoſcamus, qui digniores ſint ad Evangelicam functionem ſuſcipiendam.* Ex fructibus, *inquit*, eorum cognoſcetis eos. *Fructus vero appellat Paulus* caritatem, pacem, patientiam, benignitatem, modeſtiam, continentiam, caſtitatem, *& id genus alias præclaras & ingenuas dotes, quas ſuis Galatis præſcribit Apoſtolus. Eaſdem vere habet & ſapiens quidam, ſeu Philo ille ſit, ſeu alius quiſpiam, quando teſtatur: hunc ſpiritum eſſe modeſtum, humanum, ſuavem, certum, ſtabilem, ſecurum, omnia proſpicere, ben facere, ac bene mereri de omnibus. Si quem jam videritis iis dotibus inſignem, eum bono animo, ac conſcientia ad Indos convertendos mittite. Alioqui ſi diſcolos, ſi homines otioſos, ſi carnales miſeritis, parum Chriſto lucri, nihil nobis reportabimus præmii, ſed multum ignominiæ. Secundo loco proſpiciendum iis, qui miſſi ſunt, ut quam ſinceriter Chriſtum doceant; ea maxime principe loco doceant, quæ ſciri facillimum eſt & ſaluberrimum. Ea enim ratio habenda eſt inter eas gentes, quæ noviſſimis diebus iſtis Evangelio vim faciunt, recenſque ſunt inautoroti fidei Sacramentis, quæ olim, ſub naſcentis Eccleſiæ exordio habita eſt: utpote ſimplicibus verbis ut doceantur ſe non ſuis meritis, ſed ſola Dei gratia agnoviſſe Chriſtum, quemadmodum de Romanis ſcribit Paulus:* Gentes ſuper miſericordia honorare Deum. *Cur ita?* Nam gratia ſalvati eſtis, ſi autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia. *Et item paulo ante.* Quos vocavit non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus, ſicut in Oſee ait: vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Et erit in loco ubi dictum eſt eis: non plebs meas vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi. *Quæ verba ſi intus excutiamus, propriiſſime Indis competunt. Paucos enim ante annos, imo nonnullis in regionibus, hoc eſt, in civitate Tumbes, vix ad ſeſquiannum, primum Evangelii gratia ac lux coruſcare cæpit. Antea enim ſimulacris matis filias filioſque ſuos, id quod horrendum eſt dictu, multo tamen magis miſerandum factu, initiati ſunt. Antea Solem & Lunam & omnem cæli militiam coluerunt; ante plerique eorum, ut ratione exterres, vitam magis petudum, quam hominum tranſegerunt;*

Spiritu Dei imbuti miſſionarii facile infideles convertunt.

Joan. 16. 7.
Ibid. 14. 17.

Matth. 7. 16.
Galat. 5. 22.

Philo lib. de Gigantib.

Rom. 15. 9.
Ad Epheſ. 2. 8.
Rom. 11. 6.
Rom. 9. 25.
Oſee 1. 10.

Quales ante Evangelium Indi?

runt; alii humanum ſanguinem ſine delectu effuderunt; alii profligata omni honeſtate & verecundia, intecto corpore inceſſerunt, aliaſque id genus abominationes perpetraverunt; adeoque a Chriſto alienati, & a veritate, ut præter externam corporis larvam nihil in eis deprehendi poſſet, quod mentem rationemque ſpiraret; ſicque deſperaverunt ſe ipſos, ut omni ſeſe immunditiæ traderent. Verum ubi eis Evangelium intonuit, ubi Chriſto manus dederunt, pœnitet pudetque veteris in peccatis circumactæ vitæ. Mire enim modo ſe ſe ipſos propter ante acta crimina mœrore, mœſtitia afficiunt; ſi modo vera ſint, quæ de iis vivæ vocis oraculo Fratres narrarunt, qui hos ad fidem Chriſti converterunt. Sunt igitur modo miſericordiam, ſunt Dei gratiam & clementiam conſecuti, eoque electi, hæredes & teſtamentorum participes facti, qui nuper a Chriſto alieni, qui adulteri, qui idololatræ, qui & rationis, & omnis gratiæ benignitatis Divinæ fuerunt extorres. Hanc gratiam ſæpe ob oculos revocare oportet, quidve ea efficiat, hoc eſt, quod hominem juſtificet, quod cohæredes regni conſtituat, quod omnis meriti & vitæ ſpiritualis ſit initium, ſemper ſunt commonefaciendi. Maxime autem miſericordia Dei, qua præventi ſunt, qua benedicti, qua cœleſtibus & eternis bonis digniati, eis eſt repetenda, & ſedulo inculcanda. Vere enim Indiis competit, quod ait Eſaias: Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma & Gomorra fuiſſemus. *Semen quod nobis Indiſque reliquum manſit, eſt Jeſus Chriſtus, qui nos benedictionibus cœleſtibus prævenient, in regnum adoptionis de miſeranda captivitate traduxit. In hoc enim ſemine, quod Chriſtus eſt, benedicentur omnes gentes. Quo benedicti ſunt, abluti ſunt, ſanctificati, Chriſtoque inſititii facti ſunt Indi noſtri, eoque non jam longe neque procul ſunt, ſed prope, ſed cives & domeſtici Dei, extructi ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ideſt, ſuper Chriſtum, qui fundamentum eſt & lapis angularis, cui tota domus Eccleſiæ innititur. Docendi igitur ſunt, ut porro omnem fiduciam in Chriſtum conſtituant, quandoquidem ipſe eſt* pax noſtra, qui fecit utraque unum. *Ipſe eſt ſanctificatio noſtra, redemptio noſtra, ſalus quoque tota. Epiſtolæ ad Romanos & Epheſios ſapicule his ob oculos ponendæ. Nam tales fere fuerunt olim Romani & Græci, dum alieni eſſent a Chriſto, quales ſunt modo Indi in magna Aſia. Erunt igitur eodem modo, eademque lege ad Chriſtum convertendi, & in fide ſuſcepta obfirmandi.*

Quales poſt?

Iſaiæ 1. 9.

Epheſ. 2. 14.

Fidei ſub hæc ſymbolum, quod Apoſtolicum vocant, paucis verbis eis eſt explicandum, quandoquidem in eo ſumma religionis noſtræ graphice depingitur, & quæ credere oportet quemlibet fidelem, exprimuntur. Nolo tamen ſi quando idipſum explicatur, ut ſimplicium ingenia argutiis Scoticis, & Occamicis involvantur: mittantur ejuſcemodi ad ſcholas Theologorum, & eorum hominum, qui ociosis verbis de iis perlibenter rixantur, ac ad verbera uſque contendunt. Monet nos non ſemel Paulus, ne quis nos per inanem philoſophiam decipiat, *ne quis deprædetur monet: & ſuum Timotheum,* noli contendere verbis, ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium. *Qui igitur Dei eloquia gentibus nuper ad fidem converſis enarrare volet, id neceſſum eſt ut obſervet, recte tractet ac breviter, adeoque ſinceriter verbum veritatis. Id quod facile quiſque præſtabit, ſi in ſacris litteris, in Doctoribus Eccleſiaſticis bene inſtitutus fuerit: quamquam audiam apud Indos eſſe ex noſtratibus, per quos, ceu organa quædam, ſpiritus veritatis ſeſe in auditorum & infantium animos tranſfundit. Qui porro ſimplices idiotæ, litterarum expertes, quales fuere Apoſtolorum complusculi ſub exordio naſcentis Eccleſiæ, interim tamen docent, prædicant, operantur in vinea Domini, ſed non ſine ſpiritu Domini. Spiritus enim ſanctus, qui linguas infantium diſſer-*

Fidei Symbolum qualiter Gentibus proponendum.

Coloſſ. 2. 8.

2. Timot. 2. 14.

De optimis his Indorum magiſtris vide quæ dicta ſunt anno 1524. n. 1. & ſeqq. & 1529. n. 2. & ſeqq.

fertas facit, qui affectus hominum ad ſe rapit, qui ex ore infantium & lactentium ſibi laudem occinere, ſeque agnoſci voluit, hos regit & imbuit. Novimus enim varias eſſe dotes, varia gratiarum, donorum & operationum genera. Alii, *inquit Paulus*, per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alii fides, alteri prophetia, huic diſcretio ſpirituum, illi interpretatio ſermonum. Hæc omnia operatur unus atque idem ſpiritus dividens ſingulis prout vult. Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. *Qui hoc ſpiritu imbuti, ſine litterarum cognitione Evangelium annunciant, quamvis mea opera meque doctore non egeant, volo tamen unum obſervent inter docendum: ut videlicet ſemper ſuos ſermones ad majorum noſtrorum placita accommodent, ut ad regulas communis fidei noſtræ errantium animos ac mores rediguant exigantque, non ambulent in mirabilibus ſupra ſe, ſed ſimplicem Chriſti doctrinam ſimplicibus verbis in auditores transfundant. Manifeſtatio enim ſpiritus datur ad utilitatem, nimirum Eccleſiæ. Quam vero utilitatem, quam frugem reportabunt auditores catechumeni, ſi altiora te quæſiverit, ſi quidditates rerum, diſtinctionum labyrinthos, intentionum monſtra, naturas communes, & alia id genus involuera Chryſippæa jactes, prædices, inculces? Certo hæc etſi eruditis multis arrideant, mihique olim ſic arriſere, ut vix multo negotio ab iis divelli potuerim, non ſunt tamen puſillis animis, ac infirmis conſcientiis inculcanda.* Lacte enim opus habent, non ſolido cibo. 1. Cor. 3. 2. *Eo hæc diximus, ut intelligant Fratres, quos tranſmiſimus, principia fidei noſtræ ſinceriter ac ſimpliciter eſſe tradenda, non ſubtiliter neque ſubobſcure, alioqui & operam & impenſa perdiderint. Utilitatem itaque non ſubtilitatem neque curioſitatem ſpectent, ſi quidem ſymbolum interpretentur. Utiliſſimum vero erit noſſe, quod unus eſt rerum omnium Artifex, qui cœli terræque, hominumque & ſpirituum plaſtes eſt, cui merito omnis honor, laus, gloria, cultus & internus & externus deputandus eſt.* Dominum Deum Matth. 4. 10. tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, *inquit poſt Moyſen Chriſtus. Eo pertinet quod ratio ſymboli continet:* Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ. *Idola igitur nihil ſunt, opera hominum ſunt; nihil habent Divinitatis, nihil præſtare poſſunt ſalutis. Id re ipſa diſtimus, ſi gentium ſimulacra deicimus, ſi incendio perdimus, ſi in priſtinam formam unde erant efficta, redigimus; tum comperiemus ea aurum eſſe, argentum eſſe, & quidvis aliud, quam quod miſeris mortalibus, qui hæc coluere, dæmones perſuaſere. Profuerit non parum, multum Lactantii libros de inſtitutionibus Divinis, Euſebii Pamphili de præparatione Evangelica, & aliorum alios, qui ſuperſtitionem Ethnicam denſiſſimis argumentis ſuberterunt, legiſſe, & memoria retinere atque reponere.*

Quæ ſequuntur mox in Symbolo ad Chriſtum ſpectant. Is enim nobis mediator, & veluti caduceator miſſus eſt, ut nos per ſanguinem ſuum reconciliaret Deo Patri, noſque in filios adoptaret, hæredeſque conſtitueret æterni regni. Id etſi alio modo potuiſſet efficere, quam morte Filii ſui, noluit tamen clementiſſimus ille Pater alium eſſe, quam hunc ipſum modum, quem in ſymbolum redegerunt Apoſtoli. Et in Jeſum Chriſtum, *inquiunt*, filium ejus unicum, qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus & ſepultus eſt. *Singula verba ſingulis canonicæ ſcripturæ ſententiis, iiſque multis reſpondent. Deinde ſingula verba certos quoſdam conjuratos fidei hoſtes hæreticoſque impugnant, explodunt, fundunt ac confutant. Legendus eſſet hoc loco Joannes Damaſcenus, qui juſto volumine hanc rem abſolvit, ploque Lectori ſatisfecit. Atqui, inquiet quiſpiam, cur tam exacte omnia Chriſti myſteria attigere Apoſtoli in compen-*

dioſa hac fidei formula? Ut eſſent æternum mentibus noſtris inſculpta, ac unquam fineremus elabi, neque emori eam caritatem, qua Deus nos adamavit, ſicque caros & dilectos habuit, ut non Angelum aliquem neque hominem quempiam, ſed proprium Filium ſuum in opus ſalutis noſtræ deſtinaret. Sic, *inquit Chriſtus*, Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in illum, non pereat; ſed habeat vitam æternam. *Et item Paulus*. Deus, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, cum eſſemus peccatis mortui, convivificavit nos in Chriſto, cujus gratia ſalvati eſtis; & *poſt*. Gratia enim Dei ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt. *Hoc donum, hæc munificentia Dei perpetuo gentibus eſt proponenda & infigenda. Nam memores vult eſſe Deus tanti beneficii, quod per Filium præſtitit generi humano, quod videlicet noſtri cauſa exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, & habitu inventus ut homo; quod prodiit ex utero intemeratæ Virginis in hunc mundum, quod habitavit in nobis, quod in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus: deinde quod incommoda multa, opprobria, convicia, contumelias, denique crucem ipſam paſſus eſt. Sublatus enim, & in crucem adactus eſt, ut omnibus inclaresceret paterna erga nos clementia, ut nemo de ſua ſalute deſperaret, modo in Chriſtum credat, Chriſto inhæreat, Chriſtum credens & amans imitetur. In hoc enim paſſus eſt, ut ſequamur veſtigia ejus. In hoc ſepultus eſt, ut nos quoque & moriamur peccatis, & ſepeliamur vitiis. Additur ſubinde alius fidei articulus, quo Chriſti triumphus & victoria declaratur.* Tertia die reſurrexit a mortuis, aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. *Ferunt ſingulos Apoſtolos ſingulos articulos quaſi ſymbola religionis & fidei, in unum quemdam acervum contuliſſe. Qui id ajunt, non infideliter rem ipſam attigerunt, quocirca & nos, cum in ea ſententia ſimus, dicamus eos articulos, quos hic aſſutos cernimus, in id adjectos, ut Chriſti regia majeſtas & dignitas mortalibus omnibus innoteſcat. Quod enim reſurrexit, potentiam ſpiritus declarat, & mortis interitum; id quod multis argumentis & Paulus & Oſeas declarat. Reſurrectionis vero cauſa fuit, ut oſtenderet ſe mortis ac vitæ habere imperium, ut nos in novitate vitæ ambularemus, ut jam non peccatis, ſed gratiæ, ſed miſericordiæ vivamus, omniaque membra noſtra in id conferamus, ut Chriſto vivere, Chriſto mori poſſint. Aſcendens vero in cœlum ſpem fecit miſero, ac calamitoſo Adamo, ac poſteris ejus eo veniendi, qua ipſe præceſſit, iter oſtendens & præmonſtrans eis. Et quod David ait.* Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. *Quo ſimul & ſe non tam mortis victorem & expugnatorem, quam novæ vitæ auctorem oſtendit. Nemo enim fuit, qui tam glorioſe egerit, cum & ſe a morte, & ſuos a miſeranda ſervitute liberaverit.*

Hinc illa admirationis vox prodiit: Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua. *Et David*: Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. *Nihil enim potentius quam morte mortem ſuperare, inferos ſpoliare, eliminare e Regno ſuo dæmones, redigere eoſdem in ſervitutem, qui hactenus ſuis impoſturis totum orbem dementaverunt. Glorioſius vero quid unquam vel dici vel cogitari potuit, quam eumdem ſuapte poteſtate conſcendere cœlos, transvolare ac tranſilire cœlites omnes, eoque dignitatis evehi, ut non modo homines, ſed etiam dæmones, ſed angelicos ſpiritus ſibi ſubjiciantur? Sedere vero ad dexteram Patris prædicatur, quod ſit in primis & ſummis paternæ hæreditatis bonis. Ita enim decuit, imo oportuit, ſi æquo jure, ut ita dicam, cer-*

Joan. 3. 16.

Epheſ. 2. 4.

Pſ. 67. 19.

Iſai. 63. 1.

Pſalm. 23. 8.

certandum eſt, repenſare beneficia, ita remunerari filium, qui omnibus ſe inferiorem fecit. Imminutus enim erat, & inferior factus non ſolum Angelis, ſed etiam hominibus multis, ſi externam faciem ſpectemus. Eo factum eſt, ut non jam ſuper homines ſolum, nec modo ſuper dæmones, ſed omnibus omnino ſpiritibus ſuperior ſit, dignior ſit, excelſior ſit: Sede, *inquit David in Dei perſona*, a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. *Et Paulus fatetur iiii tributum* nomen, quod eſt ſupra omne nomen, *& alibi*. Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus. *Quod venturus dicitur & judicaturus vivos & mortuos*, vox *eſt terroris iis, qui impie vixerunt, lætitiæ vero iis, qui probe ac præclare omnia geſſerunt. Hanc vocem omnibus domibus, angulis, imo frontibus noſtræ, manibus, oculis inſcribamus*. Veniet judicare vivos & mortuos. *Judicabit ſiquidem, ſed pro manſuetis terræ, contra infidos; ſed pro juſtis, contra juſtitiæ temeratores; ſed pro bonis, contra improbos; & ut in ſumma dicam, ita ſententiam pronunciabit, ut nemo juſtus, nemo malus, juſte vel queri, vel eaſari poſſit*. Reddet enim unicuique juxta opera ſua: *alteris quidem pœnam, ignominiam, cruciatus æternos; alteris gloriam, laudem & lætitiam incredibilem; ideſt, aliis vitam, aliis mortem*: Procedent, *inquit in Joanne Chriſtus*, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii. *Ut vere dixit Paulus*: oportet nos omnes manifeſtari ante Tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſque prout geſſit in corpore proprio, ſive bonum, ſive malum. *Jam & illum opere pretium eſt ut internoſcamus articulum*: Credo in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam. *Credi poteſt Spiritus ſanctus procedere a Patre & Filio, & nonniſi in imagine & ſpeculo intelligi & cognoſci. Hic Spiritus omnis boni & artifex & largitor eſt; quem moderari Eccleſium ſanctam Catholicam & Apoſtolicam ex colligitur, quod Chriſtus ait*: Alium Paracletum dabo vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere. *Et item*: Non relinquam vos orphanos. *Habent itaque hunc ſpiritum in arrabonem juſti; habent in doctorem veritatis neſcii; habent ductorem devii; habent paracletum triſtes & mœrore confecti. Non deſtitit hic Eccleſiam Chriſti moderari, quantumlibet ſævierint hoſtes, quamvis in errorem adducere conati ſunt impoſtores & hæretici. Stetit hactenus Eccleſia ſupra petram fundata, infracta ac immobilis adverſus improborum hominum adſultus*: Et portæ, *inquit*, inferi non prævalebunt adverſus eam. *Non prævaluit Herodes, non Nero, non Domitianus, non ceteri Tyranni, & fidei hoſtes, Turcæ, Tartari, Teucri. Multo minus, qui ex nobis prodierunt hæretici, ſchiſmatici, & pſeudoapoſtoli prævalebunt. Stat immobilis ſupra Chriſtum extructa; ſtat roborata doctrinis non variis neque peregrinis, ſed veris & germanis, & omnino talibus, quæ ex Divinis & canonicis litteris deſumptæ ſunt. Stat & Divina promiſſione fulta, obfirmata & conſolidata*. Ego, *inquit Chriſtus*, rogavi pro te ut non deficiat fides tua. *Si Chriſtus ſuis precibus obtinuit quominus fides Eccleſiæ deficeret, mentiuntur hæretici, Rutheni, Huſſitæ, Wiccleſiſtæ, Lutherani horum ſoboles, qui audent obgunnire trecentis annis Evangelium perperam prædicatum. Verum ſtat veritas pro nobis, ſtat pro Eccleſiæ defenſione*: Non, *inquit Chriſtus*, deficiet fides tua: *proinde atque diceret, maxima incrementa ſumet, dilatabitur enim, & ſeſe uſque ad ultimum maris Oceani propagabit, ut vere dixerit David*: A Solis ortu uſque ad occaſum laudabile nomen ejus. *Et Chriſtus*: Multi venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob in Regno Patris mei. *Quo ſimul & Indos, & eos qui*

Pſalm. 109. 1.
Philip. 2. 9.
Cor. 15. 25.
Apoc. 22. 12.
Joann. 5. 29.
2. Cor. 5. 10.
Joann. 14. 16.
Matth. 16. 18.
Luc. 22. 32.
Pſalm. 49. 2.
Matth. 8. 11.

qui Antichton inhabitant, ſignificare voluit. Nemo enim a Chriſto excluditur, nemo ab hoc reſpuitur, Una voce omnes & gentes Barbaras, & Judæos, & Græcos invitat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. *Et item:* Ego ſum paſtor bonus, & alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili. Et illas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus paſtor. *Paſtor Chriſtus eſt, ovile Eccleſia eſt una, ad quam adduxit complures, alios per ſe, alios per Apoſtolos, pleroſque per horum ſucceſſores Epiſcopos, Martyres, & Doctores. Noviſſime vero diebus iſtis per Fratres Minores adducit multos in majore Aſia. Omnes enim in unam navim, adeoque in unam claſſem inſcribuntur. Una enim eſt Eccleſia, unum corpus, unum ovile, cui inſerendi & annumerandi ſumus. Extra hanc Eccleſiam nemini ſperanda eſt ſalus, imo quiſquis extra hanc exiſtit, alienus a Chriſto eſt, hoſtis eſt, prophanus eſt. Id ſi credas, bene quidem habet res; ſi neſcias, cæcus es; ſi credere nolis, jam judicatus es. Credit hæc non tam Scripturis ſanctis, quam iis, quæ ex hac deduci poſſunt, neceſſarioque conſequuntur, eoque ſeptem recipit Sacramenta, ſuſcipit Eccleſiaſticas inſtitutiones, obſervat Patrum decreta. Moderatur præterea a ſpiritu inviſibili, qui fidelium mentes inhabitat; interim tamen & certis quibuſdam notis internoſcitur, ſacriſque & cæremoniis & ritibus ſeipſam declarat & oſtendit, ſeque ab Judæorum religione, adeoque a paganiſmo Ethnicorum, hac ratione diſtinguit & diſterminat, quod cultum ſuum uni Deo impendit, & hujus Filio regi ſeculorum immortali, & perpetuo triumphatori Chriſto Jeſu. Una igitur Eccleſia, & Catholicorum congregatio eſt, cujus primarium caput Chriſtus eſt, Vicarius Petrus, & hujus Succeſſores, Clemens, Cletus, Linus, Gregorius; & item alii qui in partem ſolicitudinis ſunt vocati. Nam diviſiones adminiſtrationum ſunt, idem autem Dominus, qui pro ea, qua eſt prudentia, ſingulis ſua munia partitur atque adminiſtrat. Dedit enim ſuæ Eccleſiæ moderandæ* quoſdam quidem Apoſtolos, alios autem Doctores, alios vero Evangeliſtas, *alteros alteris functionibus præfecit. Qui omnes unam Eccleſiam, Chriſti ſanguine redemptam ac repurgatam conſtituunt, modo idipſum ſentiant & profiteantur. Eſt & illud non abſre adjectum:* Sanctorum Communionem. *Communionem hanc intra unam Eccleſiam exordiri, coaleſcere ac confovere neceſſum eſt. Sunt invicem membra fideles in unum corpus per Chriſtum inſerta, quorum alii jam e mortali corpore evaſerunt, regnantque cum Chriſto, alii hactenus in terris adverſus triformem hoſtem militant; utrique tamen eodem ſpectent oportet, ſi modo bonorum ſpiritualium eſſe cupiant participes. Neque enim extra Eccleſiæ corpus ſeſe ſacrorum chariſmatum communio diffundit, ut proſit, ut ſalubris ſit; ſed intus eſt, intus operatur, intus agit. Senſit id David, quando ait:* Ecce quam bonum & quam jucundum habitare Fratres in unum: ſicut unguentum, quod deſcendit a capite in barbam, barbam Aaron: quod deſcendit in oram veſtimenti ejus. *Qui igitur volet particeps ſpiritualium bonorum eſſe, quibus a Chriſto dignati ſumus, in ſacra ſe monade contineat neceſſum eſt. Ab hoc enim nobis dona, ab hoc gratia, ab hoc omnia chariſmata Spiritus ſancti propagantur, ac veluti oleum in oram veſtimenti defluunt. Præcipua igitur Sanctorum Communio a Chriſto auſpicata eſt, quando nos corporis & ſanguinis ſui voluit eſſe participes, quando omnibus ex æquo paravit iter, adeoque ad gloriam viam aperuit, quando pro omnibus mortuus eſt, ut in ſeipſo juſtificaret omnes, ut omnes ad ſe per fidem amoremque traheret. Hæc ſunt illa bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis intraverunt. Sola fide intelligimus atque eapeſſimus omnia. Ipſa enim eſt* ſperandarum rerum ſubſtantia, argumentum non ap-

Matth. 11. 28. Joann. 10. 16. Ephes. 4. 11. Pſalm. 132. 1. Hebr. 11. 1.

apparentium. *Eſt & alia quædam ſpiritualium rerum communio, qua alii ſibi invicem citro ultroque, modo corporalia, modo ſpiritualia communicant; alii preces, ſacrificia, bona opera, merita, & id genus alia pietatis officia aliis impertiunt. Sic* qui cathechizatur, commnnicat ei, qui ſeſe cathechizat, in omnibus bonis: *Sic qui repromiſſam Regnum adepti ſunt Sancti, nobis, qui in terra, preces ſupplicationeſque communicant ac impendunt: alter enim alterius ſalutem, ut propriam deſiderat, cupit, precatur. Sunt enim amici noſtri, ſunt concives noſtri, ſunt in eodem, quo nos ſumus corpore conſtituti, ideſt in eadem Eccleſia; modo eum amicorum omnia ſint communia, alacri at voluntario animo nobis ſuos labores, merita, preceſque participant.* Galat. 6. 6.

Quod vero etiamnum peccatorum remiſſio *credenda ſit, multis ſcripturæ locis cogimur, velimus, nolimus, aſſentire, ac credere. Si enim Chriſtus noſtri ab cauſam mortuus eſt, neceſſum eſt eum chirographum damnationis tuliſſe, neceſſum eſt & ſatis pro noſtris erratis feciſſe, noſque a peccatis purgatos, adeoque ab Ægyptiaca ſervitute ereptos, in regnum tranſtuliſſe filiorum Dei. Id vera efficere non potuit, niſi condonatis delictis, & ære alieno ſoluto. Ob id Paulus alicubi teſtatur, Chriſtum pro nobis maledictum factum, imo peccatum ipſum, ut nos maledictione peccatoque liberaret, inque regnum adoptionis transferret. Per ſangainem enim ipſius remiſſa ſunt peccata noſtra, atque condonata, ſi Eſaiæ, ſi Paulo, Joannique credimus.* Ejus enim livore ſanati ſumus, *abluti ſumus, ſanctificati ſumus. Id quum ratione humana deprehendi nequeat, fide neceſſum eſt, ut intelligamus. Credi igitur a nobis peccatorum remiſſio poteſt, non effici, etiamſi ſine nobis fieri nequeat. Aſſentiat oportet voluntas, atque ſeſe gratiæ accommodet, ſi modo ſalutem, ſi remiſſionem, ſi noxæ condonationem obtinere voluerit. Vacat enim Deus, ſed ita ut voluntatem ipſam ſuos motus finere agat. Prævenit voluntatem, ſequatur ipſa vocantem, aſſentiatur vel impellentem vel invitantem gratiam. Id ubi fecerit, mox aderit Chriſtus, aderit cooperans gratia, purgabit ſimul & expiabit delicta noſtra, peccata noſtra; quamquam idipſum non nobis, ſed gratiæ dono tribuendum ſit, quemadmodum & Paulus ait:* Gratia Dei in me vacua non fuit, & gratia Dei ſum id quod ſum: &, non ego, ſed gratia Dei mecum. *Gratia itaque eſt, qua redempti ſumus; id quod fide non ratione humana colligitur.* Credo, *inquiunt Apoſtoli,* peccatorum remiſſionem. *Sequitur,* Carnis reſurrectionem. *Non, inquit, animæ reſurrectionem, ſed carnis: nam anima a multis etiam Ethnicis prædicata eſt immortalis; interire vero corpus ſeu carnem, non ſolum ratio, ſed & rei eventus, atque adeo res ipſa edocuit. Nemo enim ex mortalibus perpetuo vixit, niſi Enas & Elias, ſi modo probe ſentiunt, qui in ea ſententia ſunt, qua exiſtimant eos vivere vitaleſque auras carpere in paradiſo, qui tamen olim mortem oppetituri ſunt, cogente illa lege, qua dicitur:* Statutum eſt hominibus ſemel mori. *Ceterum qui ſemel fatis ceſſerunt, non ſic evanuerunt, ut in nihilum ſint redacti, ſed* juſtorum animæ in manu Dei ſunt, *eoque ſecuriores, quo vicinieres: corpora vero, etſi in pulverem cineresque reſoluta ſint, ſua tamen die reſuſcitabuntur, inque melioris vitæ ſtatum commutabuntur:* Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. *Erit enim quando & ipſum toga immortali decorabitur, modo ſe honeſte, decore, & in omnibus præclare geſſerit. Verum de hac re plenis verbis ad Corinthios diſputat. Poſtremo omnium, ubi mors domita victaque fuerit, poſteaquam ſuis dotibus corpus cohoneſtatum fuerit, poſteaquam & animæ unitum & copulatum fuerit: id enim miro quodam affectu appetit, & per-*

Iſai. 53. 5.

Galat. 3. 13.

1. Cor. 15. 10.

Hebr. 9. 27.

Sap. 3. 1.

1. Cor. 15. 53.

& perdius & pernox, ut quam primum fiat; alia nobis vita, aliud domicilium, alia vivendi conſuetudo parata eſt. Videmus enim Deum modo in ænigmate, & per ſpeculum, multiſque afficimur, dum terrenam hanc domum incolimus, incommodis: tum vero ubi evaſerimus has ærumnas, non jam in ænigmate, neque ſub involucris, ſed facie ad faciem amplexabimur. Id ubi contigerit, jam nihil deerit nobis, quod optari poſſit, nihil aderit quod incommodare ac obeſſe queat. Erit enim Deus omnia in omnibus. Eoque confitemur futura illa, & perpetuo manſura bona, dum dicimus, & vitam æternam. *Amen.*

Ad hanc regulam reſpiciendum omnibus, qui Chriſto inautorati ſunt, neque ulla ratione ab hac deflectendum, ſi modo ſalutem conſequi voluerimus. Recte igitur ait Athanaſius, vir alioqui & vita & eruditione illuſtris. Hæc
Athan. in Symb. eſt fides catholica, quam niſi quiſque firmiter & fideliter crediderit, ſalvus eſſe non poterit. *Erunt igitur Indorum animi & mores ad hanc exigendi, hacque roborandi adverſus priſtinos errores, quibus ſeſe intelligunt immerſos fuiſſe. Alioqui facile in deſperationem per mali dæmonis adducerentur præſtigia, fierentque noviſſima illorum deteriora prioribus.*

Porro poſtea quam ſic facta fuerint in eis fidei noſtræ initia, docendi ſunt, ut puris mentibus Deum Optimum Maximum pro venia condonationeque precentur peccatorum. Id quo commodius fiat, precatio illa Dominica principe loco eis objicienda eſt: in ea enim & Dei gloriam omnibus inclareſcere petimus, & noſtras neceſſitates abunde ſatis exponimus: id quod tota oratione ſatis conſtare poteſt, ſi introſpicias. Verum de hac re nos alias dicturi ſumus, nam juſtum volumen exigit, non ſuccidivum, & quaſi extemporale opus.

Sæpius ea, quæ Chriſtus in monte auditoribus prædicavit, quando evangelicam legis perfectionem oſtendit, Indis ſunt proponenda. Nam ex iis facile diſcent, quales oporteat eſſe Chriſtianos, quam integros, quam compoſitos, ac animo ſedatos, quam mites, humiles ſpiritu, miſericordes, & aliis id genus præclaris dotibus adornatos.

Docendi ſunt etiamnum præcepta Decalogi obſervare. Nam idipſum feciſſe Chriſtum, quando adoleſcentulo reſpondit: Si vis ad vitam ingredi ſerva
Matth. 19. 17. mandata. *Legimus, & item:* Vos diſcipuli mei eritis, ſi feceritis, quæ præ-
Joan. 15. 14. cipio vobis. *Nec modo id docendi ſolum ſunt, ſed etiamnum ut audiant Eccleſiam. Nam qui Eccleſiam non audierit, vobis ut ethnicus & publicanus vitandus eſt. Malo tamen eos, qui nuper Chriſto inautorati ſunt, lenitate ac manſuetudine duci, quam præſcriptis & legibus ac decretis humanis.*
Aug. ep. 219. ad Januar. cap. 19. Queritur Auguſtinus, *noſtram religionem, quam Chriſtus præceptis voluit eſſe contentam paucis, nimio plus decretis humanis gravari, ut tolerabilior fuerit olim Judeorum conditio, quam modo ſit Chriſtianorum. Temperandum eſt igitur a legibus, & eo uſque expectandum, donec ſua colla ſubjecerint Eccleſiæ, qui ab hac ſunt alieni. Quamquam ubi in deditionem Eccleſiæ venerint, nollem eos multis decretis onerari, niſi ejuſcemodi ſint, quæ pro carnis macerazione, proque gloria Dei augenda inſtituta ſunt: Si enim mox, ubi fidem noſtram delibaverint, Pontifex illis onus, quod nunc multi ſuapte temeritate rumpunt, annatarum, penſionum, reſervatarum, quæ magis avaritiam & cupiditatem, quam vel pietatem vel Chriſtianam caritatem ſpirant, impoſuerit; metuendum ne ſimul cum fide & gentem perdamus. Debet Eccleſia illis miſericordiæ ſinum, non crudelitatis exponere. Debet omne æs in harum converſionem effundere, non ab iis auferre, non corradere. Ita ad fidem plerosque Apoſtoli converterunt, & D. Laurentius Eccleſiæ theſaurum in uſus pauperum effudit omnem. Diſperſit enim, dedit pauperibus, non corraſit,*

raſit, non ſervavit ſed diſtribuit miſeris. Docendi ſunt quoque, ut omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſit ſubjecta. Poteſtates autem duæ in orbe Chriſtiano dignoſcuntur: alia quam Eccleſiaſticam vocant, cujus Summus Pontifex eſt caput, quæ res ſacras adminiſtrat, nempe Evangelium, legem Dei, ſacras hoſtias; quam, cum penes hanc paſcendarum ovium ſit auctoritas, enutrire opertet: Nemo enim ſuis ſtipendiis militat unquam. *Et Chriſtus*. Dignus eſt operarius cibo ſuo. *Cavendum tamen ne cupiditate adducti operarii, marſupia ſua magis conentur implere, quam ſaluti auditorum proſpicere. Proſpiciendum eſt ac ejuſcemodi ad Indos pergant, qui ſimulaque occupaverint, mox domum addunt domui, agrum agro. Quorum in album videmus multos religioſas & monachos conſcriptas. Eſt & alia poteſtas, nempe ſeculi, quæ rempublicam gladio armiſque tutatur, cujus ſupremus Monarcha Imperator eſt. Huic ut tributum, ut vectigal moderatum pendant, oportet*: Cui tributum, *inquit Paulus*, tributum, cui vectigal, vectigal, cui honorem, honorem. *Quæ verba certum eſt in ſeculi magiſtratus competere. Scripſit enim iis, qui ſub Romano vixerant imperio, nullam occaſionem Chriſtianiſmi & evangelicæ libertatis, vel negligi vel contemni magiſtratus, niſi ea præciperent, quæ Divinis mandatis eſſent contraria. Proinde & Chriſtus ait*: Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris, quæ Dei Deo. *Caveant tamen ſibi Hiſpani, ne plus nimio populum oneribus vectigalibuſque gravent: alioqui rebellem pertinacemque ſentient, fietque illud quod Hieroboam temporibus contigiſſe legimus*: Revertere Iſrael in domos tuas, & in tabernacula tua, quia non eſt tibi pars in domo Iſai. *Cito enim abjicient jugum, ſi ſe tyrannos, ſi prædones ſenſerint nactos Principes: Sin vero patres patriæ, ſi æquitatis & juſtitiæ adminiſtratores, non tam ſua quam ſeipſos in deditionem dabunt: vealeatque ſuapte ſponte, & offerent munera & dona & vectigalia. Nam homines ſunt, humaniter & docendi & inſtituendi ſunt. Quod ſi ſenſerint ſe humaniter, pie, juſte, ac religioſe a Præfectis tractari, quamlibet videantur feroces, quamlibet ſint extarres, noſtra tamen humanitate, noſtra lenitate redibunt ad cor, amicitiæ fœderu inibunt nobiſcum; ſtabunt a nobis, qui hactenus contra nos digladiati ſunt; & erit verum quod Phariſæis in Evangelio abjicit Chriſtus*: Auferetur a vobis regnum, & dabitur genti facienti fructum ejus. *Ut enim olim a Judæis regnum & Sacerdotium, quod Chriſtum repudiaverint, ablatum eſt, ita metuendum multis Chriſtianis, maxime Germanis noſtris, ne ubi defectionem a fide admiſerimus, ſimul cum fide & Chriſtum & imperium amittamus, eoque regnum tranſferatur, ubi hactenus Chriſtus fuit incognitus, jam autem cognoſci incipit, jam coli, jam venerari & glorificari. Germani templa ſubvertunt, Eccleſiaſtica Sacramenta plerique conculcant, alii negligunt, alii inceſtis manibus contrectant. Indi contra, ſimulacra quidem, Deorumque portenta demoliuntur, templa Deoque ſacra loca extruunt, Sacramenta Eccleſiaſtica ſumma religione & veneratione exoſculantur. Sic olim poſtquam periit Hieruſalem, ſuoque malo perdidit Chriſtum, rediit ad Chriſtum Græcia, tataque Latina Eccleſia. Fecit Deus Optimus ut ſim vates mendax, metuo tamen plus quam credi poteſt, ne idipſum malum, ſi non opportune proſpiciamus, nos maneat, qui malto quidem tempore agnovimus Chriſtum, degimus ſub Eccleſiæ obedientia: hoc vero ſeculo abjicimus omnia, nec fructus Evangelia dignos ferimus. Dabitur enim genti facienti fructus ejus. Valete in Chriſto Jeſu præſtantiſſimi Patres, & diligenter proſpicite rebus omnibus; potiſſimum vero curate, ut id præſtemus omnes, quod tam præclaris titulis jactamus, id eſt, præſtemus atque declaremus nos eſſe Fratres de vera non fucata Obſervantia. Id quo poſſimus*

Poteſtates duæ; una Eccleſiaſtica.

1. Cor. 9. 7.

Matth. 10. 10.

Altera ſecularis.

Rom. 13. 7.

Matth. 22. 21. Humaniter tractandi novitercouverſi.

2. Reg. 20. 1.

Matth. 21. 43.

commodius, noctu atque interdiu precandus eſt Deus, ut qui vocavit nos, ſeu Indiam, ſeu Græciam, ſeu Germaniam, aliaque regna Hiſpaniæ Gallicæque nationis incolimus, ipſe opus ſuum perficiat, confirmet, corroboret.

Reg. Vitr. f. 80.

VII. Celebratum eſt autem prædictum Capitulum Toloſanum tempore debito & conſueto, quantumvis illud differri repetitis litteris juſſerit Miniſter Generalis uſque ad diem Nativitatis beatæ Virginis, aut ſancti Michaelis Archangeli, ut ipſe poſſet præeſſe. Ægre quidem hoc tulit, ſed illius iracundiam & minas declinabant Patres, maxime Matthias Weyſſen Commiſſarius Generalis, illud prætendentes effugium, ſe neque ipſius, neque Pontificis mandata recepiſſe: de qua re diligenter ille plurimos interrogavit, poſtquam pervenit in Galliam, illos præſertim, quorum opera uſus erat in litteris dirigendis. Eluſa tamen univerſa ejus diligentia, oportuit quieſcere, & quæ in Comitiis geſta erant confirmare. Electus eſt Commiſſarius Generalis Ultramontanus Nicolaus Herbornus, provinciæ Colonienſis Miniſter, vir ſane doctus & religioſus; & in Curia Romana Commiſſarius Vincentius Lunellus Cuſtos provinciæ Carthaginenſis. Quædam hic edita ſunt ſtatuta, atque inſuper antiqua Ordinis, quæ dicebantur Barcinonenſia, reviſa ſunt & recognita, utque obſervarentur, ad omnes provincias tranſmiſſa. Decretum fuit ut Cuſtodia ſancti Evangelii in Yucatano, ſeu nova Hiſpania haberet unum ſuffragium in Capitulo Generali, addita tamen declaratione, ſuffragatorem hunc, & binos provinciæ ſanctæ Crucis teneri accedere ad illa ſola Capitula, in quibus fieri deberet electio Miniſtri Generalis. Audenter etiam ſtatuerunt Patres, nullatenus differendum eſſe tempus habendorum Comitiorum ultra feſtum Pentecoſtes, quod ſacrum & firmum voluit ſanctus Franciſcus ab initio. Probata eſt diviſio provinciarum Colonienſis, & Germaniæ inferioris, adjectis tamen Colonienſi Conventibus Campenſi, Leuvardenſi, & Bolſuardenſi, & Monialium Monaſteriis illorum regimini ſubjectis, necnon Conventu Danventrenſi, ſi aliquando reformari contigiſſet. Provinciæ vero Germaniæ inferioris adjudicati ſunt Conventus urbis Trajectenſis inferioris, & Amerſfordenſis. Studium generale pro provinciis Hiſpaniæ inſtitutum eſt Compluti. Ut autem locus eſſet tot ſtudentium eo confluentium capax, porrectæ ſunt Capituli preces Archiepiſcopo Toletano, ut Fratrum indigentiæ ſubveniret. Locus celebrandi futuri Capituli Generalis pro eligendo ſupremo Miniſtro deſignatus eſt Conventus Hiſpalenſis. Hæc & reliqua ibidem ſtatuta Pontifex confirmavit hoc Brevi anno ſequenti emiſſo.

Commiſſ. Gener. Ultramontanus Nicolaus Herborus.

Acta Congregationis Toloſanæ.

Dilecto filio Nicolao Herborno Commiſſario Generali, Miniſtris & Cuſtodibus familiæ Ultramontanæ Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ.

Reg. Vitr. f. 82.

VIII. *Dilecti filii &c. Cum, ſicut nobis exponi feciſtis, nuper in Capitulo Generali Ordinis veſtri in Civitate Toloſana celebrato, multa quietem, tranquillitatem, & augmentum Ordinis veſtri prædicti concernentia, facta, ſtatuta & ordinata fuerint, voſque, ut iſta uberiorem obtineant roboris firmitatem, Nobis humiliter ſupplicari feceritis, ut præmiſſis per vos in dicto Capitulo geſtis robur noſtræ confirmationis adjicere, ac aliàs ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos ipſius Ordinis veſtri proſperum & tranquillum ſtatum paterno zelantes affectu, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſupradicta per vos in dicto Capitulo Generali, ut præfertur, facta, ſtatuta & ordinata, quatenus ſacris Canonibus non ſint*

ſint contraria, auctoritate Apoſtolica, ex certa noſtra ſcientia, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ſupplentes omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, eaque perpetua roboris firmitate perpetuo obſervari debere decernimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ obſervari mandamus: irritum & inane decernentes, quidquid ſecus ſuper his a quoquam contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque & indultis Apoſtolicis dicto Ordini conceſſis, confirmatis, iteratis vicibus innovatis: quibus, quoad præmiſſa, omnium illorum tenores præſentibus pro expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, manu tui, fili Commiſſarie Generalis, & alicujus Notarii publici ſubſcriptis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXIII. *Maii Anno Domini* MDXXXIII. *Pontificatus noſtri anno* X. *Bloſius*

IX. Ante hæc Comitia celebraverat alia Miniſter Generalis Meſſanæ, quo advenientem majori ſe permiſit recipi apparatu & pompa, quam pauperem deceret Monachum, & humillimi ſancti Franciſci ſucceſſorem. Venerunt in occurſum uſque ad eam littoris partem, in quam aſcenſurus erat, heroes civeſque plurimi, & Fratres quingenti ritu proceſſionali. In area Conventus expectabat Magiſtratus cum ingenti populo & urbis militia. Exploſa ſunt omnia tormenta majora arcium & navium, quæ erant in portu, & procedentem comitati ſunt uſque ad Cœnobium tubicines & fiſtulatorii, cum ingenti ſtrepitu tympanorum. Laudanda Meſſanenſium pietas, & devotus erga ſancti Franciſci Inſtitutum, Viceſque gerentem affectus: improbanda tamen profana hæc Generalis inter ſtrepitoſos applauſus, vanoſque occurſus inceſſio. Qui Spiritu Dei aguntur, & ſancti Franciſci humilitatem æmulantur, norunt hujuſmodi pompoſa oblectamenta declinare, & ne fiant prævenire, & ſi fiant, conſtanter repellere. Quos novi, Miniſtri Generales, ne ſimili faſtu, qualitati ſuæ indecoro, a devotis populis exciperentur, vel noctu accedebant, aut incogniti & pedites, relictis ſocis, perſonam diſſimulantes ad domicilium procedebant, vel Fratres ſub gravi interminatione, ne quidquam hujuſmodi in urbibus fieri permitterent, prænonebant; & ne in diſcetſu, quod in acceſſu reſpuerant, fieri contigeret, noctu aut ſub auroram recedebant.

Reg. gen. Ciſm. fol. 102. Congreg. Generalis Meſſanæ. Nihil pompoſus Piſſotti acceſſus.

X. Habuit tamen nuper Piſſottus ſui faſtus æmulum, & in hac ipſa urbe Meſſanenſi pompæ ſectatorem. Bina celebraturus Comitia, illorum qui a Regulari, & aliorum qui a ſtrictiori nuncupantur Obſervantia, excipitur in portu clangore tubarum, fragore tympanorum, ſonitu fiſtularum & tibiarum, tonitru bombardarum. Arrident inſoliti honores, & medius procedit inter urbis primates, præcedente ordinatim Fratrum multitudine, & catervatim ſtipante procerum majeſtate. Triumphantis modo per alias tranſivit Civitates in curribus, in equis, imo & in lecticis. Siciliæ emporium, pulchram, magnamque Panormi Civitatem ita ingreſſus, Fratres pleroſque equites, lecticam ſequentes habuit in comitatu. Væ pauperibus ſuperbis, quærentibus vanam conſolationem in vanitatibus & inſaniis falſis: *Quod ſpecimen humilitatis eſt eam tanta pompa & equitatu incedere, tantis hominum Fratrumque ſtipari obſequiis, quatenus duobus Epiſcopis unius hujus Præfe-*

Redarguitur alterius faſtuoſus inceſſus.

Bern. in Apol. ad Guillelm. Abbat. an. fin.

Eli multitudo ſufficiat? ſi tranſeuntem videres, non patrem Monaſteriorum, ſed dominum caſtellorum; non rectorem animarum, ſed principem diceres Provinciarum. His conformia erant in menſis convivia, in lectis ornamenta, in veſtibus mollities. Heu dolens dico! habitus noſter, qui humilitatis eſſe debebat inſigne, ab his, quos ad ſuos mores erudiit, in ſignum geſtabatur ſuperbiæ. Quæſitum eſt ad veſtiendum, non quod vilius comparari potuit, ſed quod venuſtius, imo vanius oſtentari. Regularis Obſervantiæ nihil ab eo obſervatum, neque communis vitæ quidquam præferebat. Privata erant omnia, clancularia univerſa. Tamquam ſi illi dictum non eſſet: *Poſuerunt te Rectorem in fratribus, eſto in illis quaſi unus ex illis*: ita inter nos inceſſit, quaſi ex nobia non eſſet. Illis potius annumerari debet, de quibus Bernardus conqueritur: *Jam religionis antiquæ non ſolum virtutem amiſimus, ſed nec ſpeciem retinemus.*

Eccli. 32. 1.

Bern. cit. longe poſt med.

XI. Habebit fortaſſis hæc vanitas vanitatum, non vanior quam inſanior, ſuos patronos, qui ſpectare hæc dicent ad officii dignitatem, ad perſonæ reverentiam, ad Religionis, quæ præ multitudine numerari non poteſt, majeſtatem, ad Magnatis Hiſpaniæ (*grande d' Eſpana*, hoc enim honore Reges Hiſpani dignantur Franciſcanorum Primicerios) gravitatem. Mentior ſi non viderim florentiſſimarum & locupletum Monachalium Religionum ſupremos Præfectos, religioſius itinerantes, humilius incedentes, & qui in hoc ipſo Ordine virtute & ſapientia præluxerunt, Generales Miniſtri, ſemper & ubique valde religioſe, valde modeſte converſantes. His unicum & indefeſſum inerat ſtudium in concordia morum, in paritate vitæ, in animorum cohærentia, profectuque virtutum. Hæc magnum gravemque efficiunt Prælatum, iſta majeſtatem conciliant & reverentiam. Conſiderandum qualem quiſque perſonam induat, hanc agat, præferat & curet, ne perſonata appareat majeſtas in capite, ubi tanta paupertas effulget in membris. Satis ſit hæc breviter carpſiſſe, & inſolitos ac monſtruoſos faſtus damnaſſe, qui etſi rariſſime fieri videntur in Ordine, abſit tamen ut ſint de Ordine; nullus quippe ordo quippiam recipit inordinatum. Utinam vero hæc pauca ſcripſerim ſine ſcandalo; enimvero vitia carpens, ſcio me offendere vitioſos. At bonis & timoratis reor me placiturum, dum propalati criminis pudore, comprimo fortaſſe alios ne ſequantur; & moneo illos, qui has vanitates in paupere mirantur Monacho, a cœtu Monachorum gravi ſemper fuiſſe cenſura perculſas. Et quidem hic ipſe in Comitiis Generalibus a cœtu graviſſimorum Patrum, quorum partes erant cauſas majores Ordinia definire & determinare, magno animorum motu & conſenſu incuſatus perculſuſque fuit, & ab Ordinis Protectore N. Cardinale in ipſorum conſpectu graviter reprehenſus.

Reg. gen. Ciſm. fol. 101.

XII. Fuit autem prædictum Capitulum Meſſanenſe ſub Paulo Parmenſe celebratum Dominica IV. poſt Paſcha, in Conventu ſanctæ Mariæ de Jeſu, prope urbem, in quo quidem confirmatus ille fuit in officio, ſed dati ſunt ſocii duo, Aloyſius de Burgo novo provinciæ Bononienſis pro Ciſmontanis, & Joannes Morellus provinciæ Franciæ pro Ultramontanis. Procurator Ordinis inſtitutus eſt Honorius Cajanus provinciæ Tuſciæ Florentinæ: Vice-Commiſſarius in Curia Romana pro familia Ultramontana, donec adveniat Commiſſarius inſtituendus in Capitulo Toloſano, Mauritius de Poderino. Definitores Ciſmontani Thomas de Nurſia Miniſter provinciæ ſancti Franciſci, Michael Urceanus Miniſter Brixiæ, Franciſcus de Campitello Cuſtos Januenſis, Marchus Theatinus Miniſter provinciæ ſancti Bernardini, Franciſcus de Pontremulo Pater provinciæ Bononienſis, & Franciſcus Pongo-

Socii Ordin.

Acta Congreg. Meſſ.

nus

nus Miniſter Mediolanenſis. Admiſſa fuit provincia Turonenſis Conventualium ad unionem Obſervantum, habito tamen prius beneplacito ſummi Pontificis, & aſſenſu familiæ Ultramontanæ. Provinciæ Candiæ datus eſt Miniſter Seraphinus de Rhodio ejuſdem Provinciæ alumnus, & ſtatutum eſt, ejuſdem Provinciæ Miniſtros deinceps inſtituendos eſſe in Capitulo Generali. Guardianus Hieroſolymitanus electus eſt Marianus Meſſanenſis, Siculæ provinciæ Cuſtos. Commiſſarius ſeu Vicarius Generalis in abſentia Miniſtri Generalis profecturi ad partes Ultramontanas, deputatus eſt Hieronymus a Burgonovo Miniſter Bononienſis, & in caſu, quo decederet, Pongonus prædictus Mediolanenſis.

XIII. Deſignata ſunt loca duodecim ſtudii generalis Theologici, in urbibus Lucenſi, Neapolitana, Romana, Raguſina, Peruſina, Brixienſi, Vercellarum, Caletri, Veronæ, Senarum, & provinciis Baſilicatæ, & Dalmatiæ. Selecti ſunt ex omnibus Capitularibus, adjunctis aliquot abſentibus, viri graves, maturi judicii, in regimine probati, numero viginti; quorum opera Miniſter Generalis uti deberet in Provinciis viſitandis, ita tamen, quod nullus eorum aſſumi poſſet in Provincialem vel Cuſtodem illius Provinciæ, cujus foret Commiſſarius ſeu Viſitator. Declaratum eſt, omnes forenſes ſeu hoſpites, undequaque, ſeu quacunque de cauſa ad Curiam Romam advenientes, præter Romanæ provinciæ alumnos, ſubjici debere reſpective Procuratori Ordinis, vel Commiſſario Curiæ, ita quod nullo modo illorum correctioni aut regimini ſe ingerere poſſit Guardianus Aracœlitanus, niſi fuerint nimium defectuoſi, aut ſcandaloſi. Recurſus ad Curiam & ſeculares contra ordinationes antiquas in ſcandalum, & contra honorem ac libertatem Ordinis, & Prælatorum, adnumeratus eſt caſibus reſervatis, ſtatutis inſuper gravibus pœnis contra recurrentes. Locus celebrandi proxime futurum Capitulum Generale deputatus eſt Conventus ſanctæ Mariæ de Angelis, ſive Portiunculæ prope Aſſiſium.

Studia gen.

Hoſpites in Curia cui debeant eſſe ſubjecti.

XIV. In regreſſu ex urbe Meſſanæ celebravit Piſſottus Capitulum provinciæ Calabriæ in vigilia Pentecoſtes, in Conventu Scillatii, confirmato Miniſtro Ludovico de Amanthea. Ubi ad Urbem pervenit, offenſos invenit Pontificem, & Cardinales de Valle Prorectorem, ac Quiñonium, quod turbas Neapolitanas jam ſedatas auctoritate Commiſſarii Pontificii, denuo voluerit indiſcrete & temere ciere, ſevere agendo contra ſibi infenſos; & res provinciæ Conceptionis ab Imperatrice & Senatu Hiſpano protectæ, iterum voluerit perturbare, miſſis ternis Commiſſariis. In curia dictæ Imperatricis Commiſſarium inſtituit Chriſtophorum de Bovilla provinciæ Conceptionis, & in ejus abſentia Bonaventuram Ramirez ejuſdem Provinciæ. In Curia vero Cæſaris, ubicumque fuiſſet, Petrum de Caſtañeda. Poſtquam autem redierat Cæſar in Hiſpaniam, abrogatis his duobus, ſubſtitutus eſt Alphonſus de Salinas prædictæ provinciæ Conceptionis, ad ſuggeſtionem fratris Gondiſalvi de Coutinho Luſitani, Imperatrici a ſacris confeſſionibus. In curia Regis Chriſtianiſſimi Petrus Verduzan provinciæ Aquitaniæ.

Ibid. fol. 114.

Gondiſalus de Coutinho Imperatricis Confeſſarius.

XV. Profectus Miniſter Generalis ad partes Ultramontanas, ex Divione Burgundiæ die 1v. Octobris, ſcripſit ad ſingulos Provinciarum Miniſtros, ut quidquid illuſtre in eis contigerat, & quos habuerint viros, pietate, dignitate, litteris præſtantes, aut pias Sorores, vel Tertiarios ſibi ſubditos, a tempore, quo Bartholomæus Piſanus ſuum opus Conformitatum ediderat, in ordinem redigerent. Præcipua ex iis, quæ tunc collecta ſunt, ad manus pervenerunt Marci Ulyſſipponenſis, quæ magno fuerunt adjumento ſuis chronicis inſtruendis. Pariſiis recepit Miniſter litteras a Rege Angliæ Henrico VIII.

Reg. gen. Ultr. fol. 204.

Minoritæ adverſantur impio conatui Henrici VIII.

co VIII. qui jam divexare cœpit Minoritas, ſuæ opinioni & pravo deſiderio diſſolvendi matrimonii cum Catarina piiſſima Regina palam adverſos. Præcipue autem ei agendum erat contra Miniſtrum Provincialem, qui quod boni paſtoris erat, conſtanter faciebat, exhortans ſuos ſubditos, ut pro veritate diſpenſationis a Pontifice conceſſæ, & innocentia Reginæ violenter oppreſſæ, ſcribere & prædicare non dubitarent. In iis litteris petebat Rex ſub titulo pacis & concordiæ, ut amoto illo Miniſtro, Generalis inſtitueret Commiſſarium & Miniſtrum provinciæ Anglicanæ Joannem de la Hayæ provinciæ Flandriæ, ſibi notum & familiarem. Reſpondit Piſſottus, in ſua poteſtate non eſſe inſtituere Miniſtros Provinciarum: miſſurum tamen dictum Patrem cum titulo Commiſſarii.

Ibid. fol. 207.

XVI. Eadem in urbe ad eum venerunt Superiores, & præcipui Patres provinciæ Aquitaniæ, quæ hactenus reſtiterat reformationi, manens ſub obedientia Magiſtri Generalis Patrum Conventualium, petieruntque inſtantiſſime ut ad illius obedientiam & conſortium Obſervantum admitterentur. Litteras præſentarunt Chriſtianiſſimi Regis Franciſci, & Navarræ Regis ac Reginæ, quibus hoc ipſum ſe ſummopere deſiderare ſignificabant, necnon inſtrumentum ab omnibus, ad quos ſpectabat, ſubſcriptum in Capitulo Provinciali, apud Cœnobium Brageriaci hoc anno celebrato, in quo hoc ſuum deſiderium omnes unanimiter, adjectis quibuſdam conditionibus, exprimebant. Diu reſtitit Piſſottus, rogans ut rem maturius expenderent, & Vicarii ſui Generalis Pariſiis tunc commorantis licentiam expeterent, ſi tranſitum hunc rite, & ſecundum ſanctiones Pontificias, præſertim Leonis X. fieri deſiderarent. Illi vero ipſum Vicarium, Jacobum de Ancona nuncupatum, in conſpectum adduxerunt, ut præſens teſtaretur ſe aſſenſum præbuiſſe. Nihilominus iterum atque iterum eos rogavit Miniſter, ut ſub cura Conventualium remanerent: quos dum flectere non potuit, Regiæ obſequutus voluntati, admiſit, dato hoc receptionis inſtrumento.

Conventus Aquitaniæ reformantur.

In Chriſto ſibi cariſſimis Reverendis Patribus, Miniſtro, Cuſtodibus, Diffinitis, Vocalibus, & Magiſtris, necnon ceteris Fratribus Provinciæ Aquitaniæ Ordinis Minorum Obſervantiæ, olim Conventualibus & modo Reformatis, frater Paulus Parmenſis, totius ejuſdem Ordinis Generalis Miniſter, ſalutem.

Reg. gen. Ultr. fol. 207.

XVII. *Inter ceteras, quæ me in hujuſmodi officio, quo immeritiſſime fungor, poſitum angunt, curas, uni illi ſemper anhelavi, ut animarum ſalutem, pro quarum ſingulis Dominus noſter Jeſus Chriſtus non dubitavit Crucis aram ſubire, operoſius procurare; & eum vos, Patres & Filii mei dilectiſſimi, Spiritus ſancti, ut pie credendum eſt, ſuggeſtu, profeſſioni veſtræ ſatagentes, diligentius perpenderitis, abjectis quibuſcunque Regulæ ſanctæ noſtræ nitori obviantibus, ad Regularem Obſervantiam ſub Miniſtro Generali totius ejuſdem Ordinis convolantes, & juxta puritatem ejuſdem Regulæ amodo degentes, tutius quam eo modo quo uſque adeo vixiſtis, vivere conſulueritis atque ſtatueritis, mihique ſæpe & ſæpius inſtantiſſime ſupplicaveritis, ut vos ad conſortium Obſervantiæ noſtræ, & ſub mea obedientia admittere vellem. Quare ego, attenta cauſa zeli animarum veſtrarum, paulo ſuperius allegata, & non inſcius tenoris Bullæ* unionis & concordiæ *per felic. record. Leonem X. Pontificem Maximum olim inter Patres Obſervantes & Patres Conventuales factæ, ſic fonantis, quod ſi in poſterum contigerit, aliquos Conventus ſive Fratres non reformatos reformari velle,*

pe-

petita duntaxat, quamvis non obtenta ſuis Prælatis licentia, liber ſit eis auctoritate Apoſtolica aditus tranſeundi ad Obſervantiam Regularem, & ad obedientiam Miniſtri Generalis, veſque hujuſmodi tenorem ad unguem perfeceritis, & mihi pro certo conſtet de voluntate Chriſtianiſſimi Regis, Sereniſſimorumque Navarræ Regis & Reginæ, hoc ipſum magnopere cupientium, de nonnullorum Patrum Ordinis noſtri conſilio & aſſenſu, vos ad obedientiam meam libentiſſime admittere decrevi, & ita præſentium tenore, cum omni auctoritate tam ordinaria, quam extraordinaria, qua fungor, vos omnes præfatos nunc & pro tempore in eadem Provincia veſtra exiſtentes, una cum tota prælibata Provincia ad meam & aliorum Miniſtrorum Generalium Ordinis noſtri pro tempore exiſtentium, obedientiam & obſervantiam ad inſtar Provinciarum Franciæ & Turoniæ, confirmando vobis Miniſtrum noviſſime per vos electum, tamquam filios & Fratres meos in Domino benedictos recipio, & ad confraternitatem noſtram hilari fronte incorporo & compono, admiſſoſque & receptos atque incorporatos eſſe denuncio, cum omnibus gratiis & privilegiis noſtris propriis, & per Bullam Unionis *præfatam concitis, traditis & conceſſis, inhibens ſub obedientiæ ſanctæ tranſgreſſione, & ſub panis mihi viſis illico infligendis, & per contravenientes incurrendis, a quibus a nemine me inferiore relevari poſſit, præterquam in mortis articulo, omnibus Fratribus meæ curæ commiſſis, ne aliquid contra hujuſmodi meam receptionem & determinationem agere, tractare, aut quovis alio modo refragari audeant. In quorum omnium fidem has præſentes manu propria, & ſigillo noſtris conſignatas fieri fecimus: plurimum valete. Datum Pariſiis die* XXX. *Octobris anno* MDXXXII.

XVIII. Miniſtro autem hujus Provinciæ Joanni Fabri, a ſe in ipſa receptione confirmato indulſit, ut tempus Miniſteriatus inciperet a die incorporationis in cœtum Obſervantiæ, duraturum per triennium, & ſolito uteretur ſigillo, utpote diſtincto ab eo, quod præferebat Miniſter alterius Provinciæ Aquitaniæ, ab aliquot annis ſubjectæ Miniſtro Generali Obſervantum, nomenque retineret Provinciæ Aquitaniæ, donec de appellationis diſtinctione ageretur in Generalibus Comitiis proxime futuris. Quæruntur Conventuales.

XIX. Etſi vero tota ſuperius relata cautela Piſottus procedebat in admiſſione domorum Conventualium, nihilominus non defuerunt, qui apud Pontificum conquererentur, eum indebite, & contra tenorem Bullæ *Concordiæ* a Leone X. ſolemniter editæ, multa Monaſteria Sororum & Fratrum occupaſſe. Impetrarunt itaque has litteras, & Pariſiis excurrente hoc anno per duos ſocios Vicarii Generalis Piſotto præſentarunt: quibus ille reſpondit, ſe injuſte accuſatum apud Pontificem, illos vero a Concordiæ pactionibus exorbitare, dum ſuorum Superiorum, quando eliguntur, confirmationem non petunt a Superioribus Obſervantum, & vocantur *Miniſtri* Generales ac Provinciales contra decretum Leoninum, ac Fratres de Obſervantia, non petita Superiorum licentia, recipiunt. Do Clementinam.

Dilecto filio Paulo de Parma Ordinis Minorum de Obſervantia Miniſtro Generali.

XX. *Dilecte fili &c. Ex mitis Fratrum Minorum Conventualium frequenter audimus, Fratres tui Ordinis, de Obſervantia nuncupatos, contra concordium inter eos & Conventuales prædictos auctoritate Apoſtolica initam, litteraſque felicis recordationis Leonis Papæ X. prædeceſſoris no-* Ex origin.

noſtri deſuper confectas, multa Monaſteria Monialium, multaſque domos Fratrum ipſorum Conventualium in diverſis Regnis & locis, præcipueque in Regno & ditionibus Regis Chriſtianiſſimi, favore ſecularium accipere, cenſuras Eccleſiaſticas in litteris dicti prædeceſſoris contentas damnabiliter incarrendo. Quod quidem a propoſito Religionis, noſtra voluntate, & jaris dictamine alienum eſt, cum deceat vos, & ita nos velimus, veſtrum utrumque Ordinem, ſemotis diſcordiarum cauſis, in pacis amœnitate Deo ſervire. Quamobrem te hortamur, tibique in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipimus, ut operam in hoc præbeas effectualem & efficacem ut concordia & litteræ prædeceſſoris hujuſmodi ubique a tuis Fratribus obſerventur, aliter cogeremur per debita remedia, & proviſiones neceſſarias procedere pro concordia & voluntate prædeceſſoris hujuſmodi ad exequationem & obſervantiam effectualiter perducendum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die VII. *Novembris* MDXXXII. *Pontificatus noſtri anno* IX.

Statuitur nova Reformatio intra Ordinem.

XXI. Excitati plerique Fratres majoris perfectionis zelo, & exemplo novæ reformationis Patrum Capuccinorum, dum ad eos difficulter poterat tranſiri, tum propter vehementem Miniſtri Generalis, aliorumque Superiorum contradictionem, tum propter fluctuantem nutantemque ſtatum illius novellæ Congregationis; rogarunt Pontificem, ut intra Religionem ipſam, modum, domoſque præſcriberet, quibus Fratres ad ſtrictiorem vitam, perfectamque Regulæ obſervantiam aſpirantibus, eam aſſequi ſoret facilius. Inter hos præcipui fuerunt Franciſcus Æſinus, & Bernardinus Aſtenſis, viri integerrimi, æque pii, ac docti, de quibus alias mentio recurret. Gravi hoc diplomate Pontifex reformationis initia in univerſo ſtatuit Ordine.

Ad perpetuam rei memoriam.

Reg. gen. Cism. fol. 127.

XXII. *IN ſuprema militantis Eccleſiæ ſpecula, licet immeriti, diſponente Domino, conſtituti, inter multiplices nobis ex debito Paſtoralis officii incumbentes curas, illa potiſſimum premimur, ut qui ſub voluntariæ paupertatis habitu militantes, in humilitate ſpiritus devotum & ſedulum Altiſſimo impendere ſatagunt famulatum, non ſolum ad id, ſublatis impedimentis, intendant, verum etiam id eo ardentius efficiant, quo majores ſibi viderint exhiberi commoditates. Et ex hoc fit, ut quæ antea ex rationabilibus cauſis a prædeceſſoribus noſtris ordinata ſunt, videbantur expedire. Sane poſtquam felicis recordationis Leo Papa X. prædeceſſor noſter ex certis cauſis tunc expreſſis, voluerat & declaraverat ſub nomine Reformatorum, ac pure & ſimpliciter Regulam beati Franciſci Obſervantum comprehendi omnes & ſingulos Obſervantes tam de Familia, quam de Reformatis ſub Miniſtris, ac fratris Amedei, de Colletanis, Clarenis, de ſancto Evangelio, ſeu de Capucio, ac Diſcalceatos nuncupatos, aut alios ſimiles, quocumque alio nomine nuncuparentur, & Regulam beati Franciſci hujuſmodi, pure & ſimpliciter obſervarent, ex quibus omnibus unum corpus inſimul efficiens, eoſdem ad invicem perpetuo univerat. Itoque deinceps omiſſa diverſitate nominum prædictorum, Fratres Minores ſancti Franciſci & Regularis Obſervantiæ ſimul vel diſjunctive nuncuparentur, & nuncupari poſſent & deberent, omneſque, ut præfertur, unitos Generali & Provincialibus Miniſtris, & Cuſtodibus dicti Ordinis, in quorum Provinciis & Cuſtodiis reſpective morabantur, in omnibus & per omnia ſecandum Regulam eamdem ſubjici deberent. Cum nonnulli ipſius Ordinis profeſſores, ſicuti fideli relatione*

ne

ne percepimus, Spiritu ſancto inflammati, ut beati Franciſci alumni & veri filii, affectent Regulam ipſam beati Franciſci pure & pleae juxta ejus litteram, & declarationem bonæ memoriæ Nicolai III. ac Clementis V. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum firmiter obſervare. Nos, qui in ſinceris eorum conſcientiis delectamur, quique ab ineunte ætate ad hujus Ordinis profeſſores, & ad Ordinem ipſum totum, ſingularem geſſimus devotionis affectum, nunc autem ex communi cura Paſtoralis regiminis, quam immerici ſuſtinemus, ad ipſos fovendos dulcius & gratioſis favoribus attente proſequendos, tanto provocamur ardentius, quanto intenta mente ipſi Religioni, & toti univerſali Eccleſiæ ſperamus profuturos: attendentes etiam quod in his, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, advitandos gravantes remorſus, pars ſecurior eſt tenenda. Igitur tam pia & ferventi Fratrum prædictorum requiſitione commoti, ad peragendum diligentius, quod ab eiſdem deſideratur, ſtudia duximus convertenda. Habita igitur ſuper his cum venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac aliis de ipſo Ordine informatis, matura deliberatione præhabita, de eorumdem Cardinalium unanimi conſilio, his noſtris in perpetuum valituris, ſtatuimus & ordinamus, ac in virtute ſanctæ Obedientiæ diſtrictius præcipiendo mandamus, quatenus prædictis Fratribus dictam ſtrictiorem Obſervantiam deſiderantibus, per præfatos Generalem & Provincialem & Provinciales Miniſtros, ceteroſque dicti Ordinis Prælatos, & quemlibet ipſorum, cui vel quibus hæ noſtræ, vel earum tranſumpta præſentatæ vel præſentata fuerint, aſſignent loca, quantum fieri poterit, contigua, quatuor vel quinque juxta numerum Fratrum eorumdem: & ſi in futurum plures Fratres voluerint ſe vitæ præcedenti conformare, & ab eis acceptati fuerint, nullus eos impedire poſſit: ſed Miniſter Provinciæ cum Definitoribus in Provinciali Capitulo teneatur alia loca, quantum poſſibile fuerit, contigua prædictis, eis aſſignare, ac prioribus addere. Quæ quidem loca Fratres prædicti expropriare poſſint ſuperfluis & pretioſis, & ea in utilia & neceſſaria commutare, mediante Syndico a Nicolao IV. prædeceſſore noſtro ordinato. Et Generalis ac Provinciales Miniſtri & eorum Commiſſarii non poſſint impedire prædictos ab eorum ſtrictiori Obſervantia ipſius Regulæ, juxta præfatas declarationes Nicolai & Clementis, nec a ſuo bono modo vivendi, quem inter ſe pro dicta ſtrictiori Obſervantia ordinaverint. Nec etiam impediant, quin vilioribus & repeciatis induantur, & quin nudis pedibus ambulent; ſed qui non poterunt, portent calepodia, ut ceteris conformentur. In forma autem habitus & capitii ſint ceteris dictæ Obſervantiæ conformes. Volumus etiam quod Fratres recipiendi ſeu veſtiendi per Fratres in dicta Obſervantia ſtrictiori viventes, examinentur juxta Regulam per Miniſtrum Provincialem, & ab ipſo cum conſilio ipſorum Fratrum acceptentur. Nec poſſint quicumque dicti Ordinis Prælati, ſine præfatorum Fratrum conſenſu ad loca prædicta mittere alios Fratres, nec prædictos ab ipſis locis amovere, niſi ipſi petierint. In Provincialibus vero Capitulis removeantur per Miniſtros Provinciales & Definitores a locis prædictis illi Fratres, quos Cuſtos, ut infra eligendus, cum conſenſu majoris partis Vocalium dictorum locorum duxerit amovendos. Inſuper ſtatuimus, quod prædicti Fratres in dicta ſtrictiori Obſervantia vivere volentes habeant in ſingulis Provinciis ubi fuerint, Cuſtodem unum ex ipſis, quem ſibi ipſi petierint, a Miniſtro Provinciali, vel ab eo qui præeſt Capitulo, ſimul cum Definitoribus confirmandum & aſſignandum, qui habeat abſolutam poteſtatem plenarie in hoc tantum, ut Fratres prædictos viſitet, moneat & corrigat, ac manuteneat in dicta ſtrictiori Obſervantia Regulæ, ordinatio-

nam & gratiarum eis a nobis & ſucceſſoribus noſtris pro tempore exiſtentibus Romanis Pontificibus, & prædictis Miniſtris Generalibus conceſſarum & concedendarum in futurum, & in dicto ſuo bono modo vivendi. Nec propter hoc impediatur Miniſter Provincialis quin viſitare poſſit eoſdem, ac corrigere delinquentes. Qui etiam Cuſtos ire poſſit ad Capitulum Generale cum Miniſtro Provinciæ, ad intimandum neceſſitates & opportunitates dictorum Fratrum. Ordinamus etiam, quod Cuſtos, Guardiani, & Diſcreti vadant ad Capitula Provincialia, in quibus habeant vocem activam & paſſivam ſicut ceteri Vocales: in quibus Capitulis Cuſtos prædictus præſentet Miniſtro Provinciali & Definitoribus Fratres idoneos ad officium Guardianatus, ex quibus tantum fiant Guardiani ſupradictorum locorum. Poſſit etiam idem Cuſtos infra annum, cum conſenſu majoris partis Conventus ſinguli removere Guardianum ab ejus officio, & alium ſubſtituere, quem Miniſter Provincialis confirmet. Cuſtos vero poſſit a Fratribus reeligi uſque ad triennium. Quo Cuſtode infra annum decedente, Guardiani dictorum locorum alium, quem ſibi viderint expedire, petant a Miniſtro vel ejus Commiſſario confirmari & aſſignari, quem Miniſter ipſe vel ejus Commiſſarius benigne confirmet & aſſignet. Poſſit quoque dictus Cuſtos, ſi Fratribus eiſdem viſum fuerit, eſſe Guardianus dictorum locorum. Si igitur Miniſtri Provinciales vel eorum Commiſſarii his præfatis contravenerint, ſive aliqui eorum, immediate Fratres prædictorum locorum ſubjiciantur Miniſtro Generali. Et ſi, quod abſit, Generalis prædictus eos impedire tentaverit, vel eis in præmiſſis, aut aliquo præmiſſorum favere neglexerit, volumus præfatis Fratribus ad Apoſtolicam Sedem, & ad totius Ordinis Protectorem, liberum patere recurſum, a quo ſi quis eos impedire præſumſerit, ſententiæ excommunicationis, quam ex nunc prout ex tunc ferimus in his ſcriptis, illico ſubjacere auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & promulgamus. Quocirca moderno & pro tempore exiſtenti Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, necnon univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & Eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcumque in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi & eorum ſinguli, præfatos noſtras litteras & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte ipſorum Fratrum ſupradictæ ſtrictioris Obſervantiæ, ſeu alicujus eorum ſuper hoc requiſiti fuerint, faciant eoſdem omnibus & ſingulis prædictis pacifice frui & gaudere: non permittentes eos deſuper per quoſcumque quavis auctoritate fungentes quomodolibet indebite moleſtari, vel quovis quæſito colore vel ingenio, directe vel indirecte perturbari, aut alias quomodolibet inquietari; contradictores quoslibet per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ipſius Leonis X. & quorumcumque aliorum prædeceſſorum noſtrorum litteris, etiam Bulla aurea, mari magno, *vel aliis quibuſcumque dictique Ordinis ſtatutis, privilegiis & indultis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, etiam in forma Brevis, & anno præſenti, vel ſub quibuſcumque verborum formis, ſolemnitatibus, clauſulis etiam inſolitis, & quantumcumque fortiſſimis, dicto Ordini, vel quibuſcumque Prælatis ejuſdem conceſſis, vel concedendis in futuram: Etiamſi tales forent, quod pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio habenda foret: Illarumque omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro plenarie & ſuf-*

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 325.
1532.	an. 9. & 10.	anno 14.	

& ſufficienter expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſimpliciter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Ceterum, quia difficile foret præſentes litteras ad quælibet loca, ubi opus fuerit, deferri, volumus & auctoritate Apoſtolica deternimus, quod tranſumptis earumdem, manu Notarii publici ſignatis, & alicujus Prælati Eccleſiaſtici ſigillo munitis, ea prorſus in judicio & extra, fides adhibeatur, quæ adhiberetur, ſi præſentes originales litteræ exhiberentur & oſtenderentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinationis, promulgationis, mandati, derogationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit inturſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXXXII. XVI. *Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno* IX.

XXIII. Ad Capitulum ſupradictum Toloſanum miſit Joannes Luſitaniæ Rex litteras, quibus enarrabat multa de profectu fidei in Indiis Orientalibus, per operam præſertim & prædicationem Fratrum Minorum. Addidit etiam hiſtoriam Martyrii Andreæ a Spoleto, quem tamen a Caſſia nuncupat Codex MSS. Virorum ſanctimonia illuſtrium Provinciæ ſancti Franciſci, propter fidei Chriſtianæ prædicationem in urbe Feſſæ in Mauritania hoc anno, die Veneris IX. Januarii crudeliter occiſi. In Capitulo lectam, typis commiſſam tranſmiſerunt Patres ad omnes Provincias; jubentes, ut debitæ Deo laudes referrentur, qui dignatus eſt inſigni hoc martyrio Religionem decorare, ſuoque nomini gloriam & honorem advehere. Vitam omnem & glorioſam mortem hic dabo ſub compendium. Sæviente adhuc in Italia terra & crudeli feritate Guelforum, & Gibellinorum, erat Andreas unius factionis Anteſignanus. Pertæſus tamen calamitoſæ hujuſmodi vitæ, tot periculis obnoxiæ, & cædibus pollutæ, Ordinem ingreſſus ſancti Franciſci, paulo poſt exivit, parentes & conſanguineos collecturus, & ab adverſariis damna & mala pleraque inferentibus defenſurus. Denuo ad Ordinem regreſſus, ſacrarum litterarum ſcientiæ addiſcendæ diligenter incubuit, docteque cœpit per urbes & oppida prædicare. Ut a patria & parentibus procul abeſſet, & effuſo pro Chriſto ſanguine, alienum, quem toties ſparſit, rependeret, Superioris venia transfretavit in Corſicam, inde iturus in Mauritaniam; ſed conſcenſa nave, Genuam ventis fertur contrariis. Hiſpalim demum in Bæticam profectus, in multa oratione & jejunio ſe præparavit pro conſequenda, quam cupiebat, corona Martyrii.

Reg. gen. Ord. pag. 81.

Andreas a Spoleto Martyr.

Marc. 3. p. l. 5. c. 14. Boxius de ſignis l. 15. c. 5.

XXIV. Oblata occaſione in Africam cum Luſitanis mercatoribus trajiciendi, Septam, Chriſtianorum urbem pervenit, ubi cum Patribus Conventualibus aliquandiu permanſit. Explicato conſilio ad Mauros penetrandi, verumque Deum prædicandi, illi retinere vel deflectere ab itinere fruſtra pertentant. Feſſam itaque progreſſus, coram Rege & Principibus, populoque univerſo Chriſtianæ fidei neceſſitatem ad ſalutem cœpit prædicare. Petentibus ſignum fidei confirmandæ obtulit, vel cæco lumen, vel mortuo vitam reſtituere, vel cum Leonibus in lacum deſcendere, aut ardentis fornacis flammas ſubire. Nihil horum acceptantibus Mauris, atque ut unde venerat, regrederetur, ſevere præcipientibus, ad Synagogam abiit Judæorum, & cum Rabbinis circa Chriſti adventum multos habuit congreſſus, nullo tamen perfidæ gentis converſo. Inde rediit ad forum, contra Mahumetanam dicturus cæcitatem. Sed cum violenter repelleretur, petiit in comprobationem eorum, quæ dicebat, fornacem vehementer accendi; ſibique ingreſſum permitti. Opera Ferdinandi de Meneſes nobilis Luſitani,

filii Joannis de Meneſes Præfecti munimenti Tangeri, in cujus domo hoſpitabatur, tandem accenſa eſt fornax, in cujus ſummitatem, præmiſſa ſua & adſtantium Chriſtianorum oratione, Andreas aſcendit, retentis dumtaxat femoralibus; ibique inter voraces flammas genuflexus, facie ad Orientem orans & laudans Deum, remanſit illæſus. Hoc prodigio commoti & confuſi Mahumetani, ne ulterioribus ſignis diutius inter ignes exultans, ſuæ ſectæ præjudicaret, vociferantes illum magicis artibus indemnem inter flammas ſervari, conjectis in eum lapidibus, furentiſſime mortem intulerunt, populo, qui eo confluxerat, ex omni parte rem ſpectante. Ex dilaceraro corpore pedem obtinuit quidam Luſitanus, & ad Catarinam Reginam prædicti Joannis III. conjugem attulit, quem honorifice excepit, & inter Regii Sacelli Reliquias reponi curavit. Ex oſſibus unum decenter aſſervatur in Conventu ſancti Lucæ de Barrameda, provinciæ Bæticæ. Idem hic eſt cum Martino a Spoleto, cujus hoc idem martyrium denuo recenſet Pater Arthurus Monaſterienſis in ſuo Martyrologio ad XXIX. Septembris, cum prius idem retuliſſet de Andrea a Spoleto ad diem X. Januarii. Hiſtoriam hanc dicit ex Hiſpana Gallicam feciſſe Carolum Valeſium, Caroli IX. Gallorum Regis filium nothum, Ducem Engoliſmenſem, eamque typis commiſiſſe Lutetiæ anno MDCXXXVI. Robertum Regnaud Minoritam, magni Conventus Pariſienſis alumnum.

XXV. Miſit hanc hiſtoriam, & martyrium fratris Conradi Molitoris Provinciæ Saxoniæ ſanctæ Crucis, hoc anno a Lutheranis in itinere gladiis confoſſi, ſimul cum ſtatutis Barcinonenſibus, in Capitulo Toloſano recognitis, Bonaventura Mechlinienſis, Miniſter Provinciæ Germaniæ inferioris, poſtquam Capitulum Provinciale celebraverat in Conventu Alcmarienſi, VIII. Septembris, Præſide Herborno Commiſſario Generali, ut in omnibus ſibi ſubditis Cœnobiis legerentur. Adjunxit piam hanc exhortationem, quam, ut hic exſcriberetur, plane dignam adjudicavi.

Spiritum Domini, & ſanctam ejus operationem, venerabiles Patres & amantiſſimi Fratres.

Ex MSS. provin. Germ. inſer.

XXVI. *Soluto nuper noſtro provinciali Capitulo, & me interim variis occupato negotiis, viſum fuit mihi vobis tandem ea tranſmittere ac denunciare fideliter, quæ in tam ſpectabili Patrum Congregatione conſtituta ſunt. Mitto itaque eum præſentibus ſtatuta noſtra generalia Barchinonenſia, quemadmodum ea per Generale Capitulum Toloſanum reviſa ſunt, atque correcta, quæ per omnem noſtram Provinciam in quolibet Conventu exſcribantur. Mitto quoque aviſamenta Capituli Provincialis. Mitto denique martyrium beati Patris fratris Andreæ de Spoleto, ſacerdotis Ordinis noſtri, ſimulque enarrationem ſpiritualium fructuum & ſalutis animarum, quam per Fratres noſtros in extremis terris operatur Altiſſimus: pro qua Deo gratias exhibete, ac juxta definitionem Capituli Generalis, decantatione Hymni,* Te Deum laudamus *ſpiritualem gratulationem, ac eum gratulatione lætitiam animi declarate. Nec ſatis fuerit gratulari ſanctis Patribus noſtris majoribus, niſi hæc viva exempla, quæ pro ſua miſeratione Deus ponit ob oculos, imitemur, & ad terſiſſima iſta ſpecula vitam noſtram omnimodis componamus. Pudeat nos, Fratres, pudeat eos, quibus jam hoc noſtro ſterili tenebroſoque ſeculo fœcundatur ac illuſtratur ſancta mater Eccleſia, ex nobis aſſumptos alumnos noſtros non imitari, eorum fidei conſtantiam, animi vigorem, Divini honoris zelum, ſerventem ejus nominis caritatem, veræ pietatis*

Pia ad virtutem exhortatio.

tis ſtudium, ſuæ carnis perpetuam crucem, & exilium omnimodæ voluptatis; & interim ſtertere in noſtris miſeriis, quæ noſtra ſunt quærere, nempe noſtram voluntatem, commodum, gloriam & honorem, delicias denique & voluptatem totis ambire conatibus. Si hactenus de beatiſſimo Patre noſtro Franciſco, & Sanctis majoribus noſtris, jam vita defunctis, cum improperio juſte audivimus: Si Abrahæ filii eſtis, opera Abrahæ facite: *Non nos hodie pigeat imitari noſtros Confratres, inter quos vivimus, vita doctrinaque mirifice coruſcantes, quorum recentem videmus ſanguinem effluentem, univerſum orbem ſacris rumoribus adimplentem. Ad quorum imitationem, etſi non alliciat contemplatio perpetuæ felicitatis, & invitatio Divinæ vocationis, cogat nos vel timor extremi examinis, horrorque temporariæ ac ſequaturæ mortis perpetuæ. Et ſi obduratos animos, neque futura præmia moveant, neque ſupplicia, præſens eſt admovenda manus, conatus omnis explicandus eſt, conſtituendæ leges, ad quarum obſervantiam non jam obſecrationibus in omni patientia & doctrina, neque in ſpiritu lenitatis, quod abunde ſatis præſtitum eſt hactenus, ſed ad beati Pauli ſententiam in virga veniendum eſt. Quare hortor fraternitatem veſtram, ut præſentia generalia aviſamenta humiliter excipientes, diligenter obſervare, & moribus exprimere ſtudeatis; ut ſic in puritate ac honeſtate cordis & corporis Deo ac hominibus placentes, per omnia iram Dei, quæ demerito noſtro univerſo nunc orbi incumbit, precibus veſtris poſſitis avertere. Super omnia autem, juxta beati Petri conſilium*, mutuam in vobis metipſis caritatem habete continuam. *Unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, modeſti, humiles, & patientes eſtote; eum in hæc vocati eſtis, ut benedictionem hæreditatis poſſideatis. Valete in Chriſto Jeſu, & orate pro me. Datum in Conventu noſtro Bottedalenſi ſub mei officii ſigillo ac ſigno meo manuali. Anno Domini* MDXXXII. *menſe Novembris, die* XIII.

Joan. 8. 39.

1. Pet. 4.

Fr. Bonaventura Miniſter provinciæ Inferioris Alemaniæ manu propr.

XXVII. Irruente denuo hoc anno Solimanno Turcarum Imperatore in Hungariam, bellum illaturo contra Carolum V. & Ferdinandum fratrem, multa loca cædibus, rapinis, incendiis fœdavit. Malorum particeps fuit provincia Minorum ſancti Salvatoris nuncupata, incenſis ſunditusque everſis pleriſque Conventibus, Fratribus trucidatis. In Conventu Sellii Cuſtodiæ Ozoræ interfecti ſunt Georgius de Nagibard Guardianus, Laurentius de Hogimas, Matthias de Belthe, Matthæus de Wiſſegrado, Nicolaus de Sellie, Nicolaus de Bodaczion, Sacerdotes: Michael de Hedenſelis clericus, Albertus de Ozore, & Blaſius de Giula, laici. In Conventu Cziakan in eadem Cuſtodia, Franciſcus de Cadgia Sacerdos, Franciſcus de Bodmer laicus, & alii duo Fratres anonymi. Valachi etiam hoc anno occiderunt in Cœnobio Kilagiſag Michaelem de Keolis ſacerdotem, & Nicolaum de Iraz laicum. Sed & Lutherani Conradum Molitorem provinciæ Saxoniæ ſanctæ Crucis, in itinere gladiis confoderunt.

Mon. MSS. prov. Hung. S. Salvat. Multi Fratres a Turcis trucidantur.

XXVIII. Obiit hoc anno ſanctiſſime Gabriel Maria, ſive ab *Ave Maria*, cujus nomenclaturæ cauſam ſuperius aſſignavimus, cum prius vocaretur Gilbertus Nicolai, perperam ab aliis dictus Nicolaus Gilberti; illo enim modo non iſto audit paſſim in Regeſtis Ordinis, incorruptiſque monumentis, & apud meliores auctores, qui vitam & res ab eo geſtas paulo poſt ejus deceſſum ſcripſerunt. Sæpe illius mihi incidit commemoratio, & quibus functus ſit muneribus in Ordine, operamque præſtiterit Joannæ Valeſiæ Gallorum Reginæ in fundanda Annunciatarum Religione, ſuis locis enarravi. Poſtquam multa præclare geſſit in Ordine, & Miniſtros Generales circa regi-

Moritur Gabriel Maria. *An.* 1517. *n.* 36. *Marc. l.* 4. *c.* 17. & 39. *Gonz. in provin. Turon. Pictav. Mon. t. Tom.* 15. *anno* 1501. 1504. & *ſeq.* 1517.

gimen & pacem provinciarum Gallicarum, auctoritate, qua pollebat apud Principes, prudenti juvit consilio; postquam etiam aliquot refutavit Episcopatus, & multa condidit Monasteria Annunciatarum, quarum scapulare rubrum sub habitu perpetuo gestabat; post multos etiam pios editos libros, vitæ austeritate & laboribus fractus, prænuntiato sui obitus die, canticum Deiparæ recitans, VI. Kalendas Septembris placide expiravit Ruthenæ in Annunciatarum Monasterio. Hoc ipso anno, non præcedenti, uti quidam autumant, eum vitam terminasse, mihi manifeste constat ex Regesto Pauli Parmensis Ministri Generalis, in quo passim habetur Gabrielis mentio, & litteræ ad eum scriptæ usque ad mensem Augusti; & ex vita ejusdem per Nicolaum Gazæum, Annunciatarum Bethuniæ Præfectum, conscriptam. Beneficiorum a tanto viro receptorum memoriam Annunciatæ virgines hoc elogio quotannis, ipso migrationis die concelebrant.

Miraus de Annunc. c. 2.

XXIX. *Obiit reverendissimus Pater, quondam Generalis Commissarius Cismontanæ familiæ, mirandis virtutibus ornatus, frater Gabriel Maria, qui pro suis ingenuis naturæ dotibus, & meritis, semper apud Heroes Imperii & regii sanguinis fuit apprime existimatus, præsertim ob summam ad Dei Genitricem devotionem. Hic fuit sacratissimi Ordinis decem beneplacitorum Virginis Mariæ Legislator primus, correctior sincerus, amator, & protector præcipuus, qui post celebria in Ordine acta ad Dei laudem, Ecclesiæ & Ordinis ædificationem, post Conventuum in partibus diversis constructionem, & Ordinis propagationem, ipse plenus bonis diebus, vocante Domino, Ruthenæ in pace quievit, anno Domini* MDXXXII. *die* XXVII. *Augusti.*

Et Bernardina Antonii. *Jacobil. de SS. Fulgin. ad 28. Jul.*

XXX. Abiit ex humanis etiam hoc anno Bernardina Antonii nobilis Fulginas, ab infantia præclaris dotibus a Deo condecorata, suscepto habitu in Monasterio sanctæ Luciæ, in oratione & psalmodia assidua, Christi passionem, & sua aliorumque deflebat peccata tanto lacrymarum profluvio, ut lumen oculorum amiserit. Abstinentia erat singulari, ardentissimaque flagrabat erga proximos caritate, ita ut omnes tamquam fratres aut filios reputaret. Architriclinam aliquando agens, vinum non habebat, quod effunderet; dum autem oraret ut acciperet, dolium fuit Divina virtute repletum. Quartum facta Abbatissa in annonæ caritate, neque panem habebat, neque frumentum unde conficeret. Convocatis in Ecclesiam Sororibus, præcepit ut remedium a Deo postularent. Antequam e templo discederent, præostio pulsarunt agasones tres, totidem habentes mulos tritico onustos, a nobili benefactrice missos e longinquo. Plena dierum & virtutum, vita sancta est in eodem Monasterio die XXV. Martii.

Reg. gen. Cism. fol. 114.

XXXI. In Capitulo Calabriæ, quod diximus a Ministro Generali celebratum apud Cilianum, lectæ sunt litteræ fratris Bernardini Georgii de Rhegio, alibi memorato, quibus instanter petebat licentiam transeundi ad Conventuales, quæ communi Definitorii consensu concessa est. Lectæ sunt aliæ Ludovici item Rhegini petentis facultatem abeundi ad Capuccinos, quæ ultro missa est, adjecta acri reprehensione, quod tam irreverenter in epistola calumniatus sit Religionem, in qua enutritus sit, & a qua omnem, quam præferebat, disciplinam acceperit regularem. Nescio qualiter hæc conveniant cum prolixa narratione Boverii de toties petita & negata hac licentia Rheginis, & necessaria Ducis Nucerini protectione contra Commissarium a Ministro Generali missum, ut eos, & qui cum illis discesserant, Fratres triginta ad pristina claustra Observantum revocaret. In Regesto Ordinis commemoratur prædicti Ducis erga Generalem in eundo & redeundo hospitalitas & urbanitas, & erga Capitulares liberalitas; ut ut sit, abiit tota

Absque Observantum contradictione in Calabria prosperantur Capuccini.

Bover. hoc ann. n. 2. & seqq.

illa

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 325.
1532.	an. 9. & 10.	anno 14.	

illa multitudo abſque ullo, teſte ipſo Boverio, ceterorum Fratrum Obſervantum impedimento aut tumultu Philocaſium, ibique quadratum, ac pyrimidale caputium omnes ſuſceperunt, domoſque ſibi pauperes ædificarunt prope Panaliæ oppidum, & ad ædiculam ſancti Eliæ, olim Monachorum ſancti Baſilii, inter denſa nemora habitaculum. Sed ex hoc triceno numero plerique vel perſecutionis timore, vel timoratæ conſcientiæ ſcrupulis, aut mentis levitate ducti, ad Obſervantes redierunt, ita ut vix quindecim ſtabiles apud Capuccinos permanſerint. *Ibid. n. 9.*

XXXII. Statum ſuum & conſociorum conſolidaturus Ludovicus, Romam abiit, Pontificem rogaturus, ut cenſuras in diſcedentes ab Obſervantia ad vitam eremiticam, arctioremque diſciplinam fulminatas, dignaretur revocare. Id bonis interceſſoribus impetrat, & deinde dicta cauſa ſuæ tribulationis, repulſiſque adverſariorum objectis, aſſequitur, ut totius rei examen committatur Antonio de Monte Epiſcopo Portuenſi, & Andreæ de Valle Cardinalibus, qui dum majori prudentia & maturitate controverſiam decidere conſtituunt, a moleſtandis Capuccinis jubent interim Generalem abſtinere; & illis præcipiunt, ne ullum ex Obſervantibus ad ſuum admittant conſortium. Cardinalium diploma excripſit Boverius, nihilque amplius hoc anno effectum eſt, licet ille controverſiæ finem hoc anno dicat impoſitum, rebus ad communem concordiam reductis.

XXXIII. Franciſcus a Monte Politiano cœperat hoc tempore quamdam Reformationem, licet exilem, inter Patres Conventuales in Conventu ſuæ patriæ. Sed cum Capuccinorum Congregationem creſcere ac propagari cerneret, cum ſociis, omnium conſenſu, ad iſtos migrat, & Conventum in eorum transfert poteſtatem. Hinc provincia Etruriæ hujus Sodalitatis ſumpſit initia, ac brevi tempore adjecta ſunt alia domicilia. Creſcunt item in Etruria.

XXXIV. Joannes de Fano, olim Miniſter provinciæ Picenæ, ſub cujus regimine primi prodierunt hujus Inſtituti vitæ eremiticæ auctores, quique tantopere eos ad eamdem provinciam revocare tentavit, zelo animarum ductus, hoc anno die 1. Auguſti a Miniſtro Generali impetravit facultatem libere prædicandi per omnes provincias Ciſmontanas, quocumque impetus Spiritus eum dirigeret, & aſſumendi pro hoc pio miniſterio ſocios gratos, viros religioſos. Sæpe de hoc homine per annos ſubſequentes ſe offeret occaſio loquendi. *Reg. gen. Ciſm. fol. 120.* Joan. Fanen. ubique prædicat.

XXXV. Duos dumtaxat invenio hujus anni Epiſcopos Minoritas, Fratrem Petrum Mainardum Epiſcopum Aſponenſem in Galatia, ſub Archiepiſcopo Ancyrano, ſuffraganeum Epiſcopi Foro-Julienſis, creatum die XIII. Martii, & fratrem Simonem de Podio Archiepiſcopum Damaſcenum in Syria, ſuffraganeum Agatenſem, promotum die III. Julii. Fr. Petrus Epiſc. Aſponen. Fr. Simon Arch. Dam.

XXXVI. Cropanienſis oppidi in Calabria incolæ, circa hunc annum, aſſentiente Clemente Pontifice, die XXVI. Aprilis Obſervantibus Conventum poſuerunt. Conventuales vero provinciæ Terræ laboris & Cuſtodiæ Salernitanæ hoc anno alterum acceperunt, in Civitate ſanctæ Severinæ conſtructum a nobili familia Sanſeverinorum, Joanne Franciſco, Joanne Maria, & Antonino de Inſuſinis. Secundum dederunt die XXIII. Novembris in oppido Altilis provinciæ Calabriæ & Cuſtodiæ Cutronis, Dom. Agacius, & Hieronymus Cararius. Locum Archariæ ſive Alcariæ die XIII. Octobris, ſub titulo ſanctorum Michaelis & Antonii eiſdem traditum ſcribit Rodulphus, ſed numerorum notas inverſas monet Philippus Cagliola, & legendas MDXXIII. conceſſumque ait ab Archiepiſcopo Meſſanenſi anno MDXVIII. ibique vixiſſe refert Ludovicum Thomaſium innocentis vitæ, & modeſtiſſimæ virum conſuetudinis. Conven. Cropanienſis. *Gonz. in Provin. Calab. Conv. 16.* Conv. S. Severinæ. *Rodulf. fol. 276.* Conv. Altilis. *Idem fol. 279.* Conv. Archatiæ. *Idem fol. 280. Cagliol. in Prov. Sicil. explor. 3. manuſc. 1.*

XXXVII.

Conventus Venetus. *Reg. gen. Cism. fol.* 119.

XXXVII. Magna inſtantia multiſque litteris egerunt apud Miniſtrum Generalem Dominicus Triviſanus Senator Venetus, Eques, & Procurator ſancti Marci, univerſa ejus familia, & Joannes Cornelius frater germanus Franciſci Cardinalis Cornelii, cum ſuis cognatis & affinibus, necnon Franciſcus Cardinalis Piſanus Venetus, atque alii multi nobiles Veneti, ut facultatem concederet conſtruendi Conventum intra vel extra urbem Venetam, juberetque Fratres provinciæ ſancti Antonii, ut illum acceptarent, qui multiplicandis ea in urbe cœnobiis reſiſtebant: *Bono*, inquit Generalis in ſuo regeſto, *modo hoc eis negare non potui, tum propter magnam horum Dominorum poteſtatem, tum propter pium erga Religionem noſtram affectum. Conceſſi itaque die* XXIX. *Julii licentiam, ut conſtrueretur Conventus novus ſive in urbe, ſive in ſuburbiis, ſive in locis adjacentibus, eumque acceptarent Fratres prædictæ provinciæ, eique proviederent de Fratribus, aliiſque rebus neceſſariis; quod ſi nollent conſtitui, ut devolveretur immediate ad proximum Capitulum Generale, vel ad Miniſtrum in eo eligendum, qui ſecundum rei exigentiam providebit. Conſtitui inſuper Commiſſarium rei peragendæ fratrem Bonaventuram Venetum, ut plene ſatisfaceret votis prædictorum Magnatum.* An vero poſtea conſtructus ſit hic Conventus, aut quiſnam ſit, adhuc me latet.

Conv. Alcazati de Conſuegra. *Gonz. in Provin. Camb. Conv.* 22.

XXXVIII. Amplum & pulcherrimum hoc anno Obſervantibus Cœnobium erexit Didacus a Toleto Prior Caſtellæ, militiæ ſancti Joannis prope oppidum ſui Ordinis, nuncupatum Hiſpanice *Alcazar de Conſuegra*. Ita manifeſte probat hæc inſcriptio fornici Eccleſiæ inſculpta: *Hæc eſt domus Domini firmiter ædificata jubente Illuſtriſſimo Domino D. Didaco a Toleto Priore Caſtellæ, Clemente VII. Pont. Max. Imperatore Carolo V. Hiſpaniarum Principe anno* MDXXXII. VI. *Nonas Martii*.

Conven. S. Marthæ. *Herr. dec.* 4. *l.* 10. *cap.* 9.

XXXIX. In Civitate ſanctæ Marthæ, a qua tota Præfectura nomen accepit, in illa Americæ parte, quæ Continentis, vulgo *Terraferma*, vocabulo nuncupatur, hoc tempore Cœnobium regiis ſumptibus conſtruitur, ita jubente ſupremo Indiarum Senatu anno præterito, miſſo illuc primo Epiſcopo N. de Torres, inſignis collegii ſancti Bartholomæi apud Salmanticenſes candidato. In Epiſcopatu Tlaſcalenſi, & diſtrictu urbis præcipuæ dictæ Populæ Angelorum, Hiſpanis *Puebla de los Angelos*, præter alias relatos Conventus, alios accreviſſe conſtat ex Herrera dicente octo illic numerari Franciſcanorum Cœnobia, eorumque fabricas impenſe promoviſſe Sebaſtianum Ramirez Epiſcopum ſancti Dominici in inſula Hiſpaniolæ, Præſidem Senatus Mexicani.

Conven. Populæ Angelorum. *Idem l.* 9. *c.* 14.

Monaſt. Guadalfagiatæ. *Gonz. in Provin. Caſtel. Mon.* 34. *Salaz. l.* 8. *c.* 28.

XL. Intra urbis Guadalfagiaræ mœnia Monaſterium ſanctæ Conceptionis, ſub titulo ſancti Acaſii, hoc anno conſtrui fecerunt Petrus Gometius a Civitate regia, & Catarina Arias conjuges, Domini Villarum Piozii, & Atanzonis, vocatiſque Sororibus quinque e Monaſterio Conceptionis Turrigiano, Iſabella Peralta in Abbatiſſam, Magdalena de Alarcon, Maria de Leone, & duabus neptibus Peraltæ in futurarum Sororum inſtructrices, regendum dederunt Patribus provinciæ Caſtellæ, Antonio de Cruce tunc Miniſtro, reſervato ſibi jure patronatus. Horum hæredes Petrus Gometius Civitatis regiæ, & Mendoza, ac Catarina de Zuniga anno MDLXVI. amplam pulchramque ædificarunt Eccleſiam. Religioſiſſime cohabitant hic Sorores ſexaginta, genere & virtutibus illuſtres. Ex hoc Monaſterio prodierunt aliorum quatuor fundatrices, videlicet Turris Lacunæ, Eſcaritiarum, Complutenſis, & Fontis Roborei, vulgo *Fuente del Enzina*.

XLI. Delata ad Pontificem Fratrum querela, quod plerique locorum Ordi-

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 326.
1533.	an. 10. & 11.	anno 15.	

Ordinarii contra privilegia a Sede Apoſtolica conceſſa, Fratrum Conventus, & Sororum Monaſteria viſitare voluerint, præſertim in ſtatu Veneto, ſeu provincia ſancti Antonii, id fieri his litteris prohibuit: *Exponi nobis nuper feciſtis*. die VIII. Novembris. Confirmavit inſuper acta Capituli ſeu Congregationis Generalis Meſſanenſis: *Cum ſicut nobis*. die III. Julii. Privilegia Pontificia.

ARGUMENTUM.

Stabilitur concordia inter Obſervantes & Conventuales. Multa decernuntur circa provincias Galliæ & Hiſpaniæ. Objectis multis contra Piſſottum, Pontifex illius poteſtatem reſtringit, & demum admiſſa illius abdicatione, Generalem inſtituit Ordinis Vicarium. Fratres & Sorores pietate illuſtres ex hac vita diſcedunt. Mittuntur Minoritæ ad Maurorum Granatenſium converſionem. Propagatur in Sicilia Capuccinorum Inſtitutum. Epiſcopi & Cœnobia recenſentur.

I. TOTO hoc anno Miniſter Generalis in Gallia commoratus, unum & alterum Patrum, in Ordine præcipuorum, conventum coegit, primum die x. Januarii in Cœnobio Pontiſarenſi, ſecundum die XXIV. Junii Pariſiis prope Monaſterium de *Ave Maria*, ubi ægrotus decumbebat. In primo multa conſtituta ſunt tum pro univerſo Ordine, tum pro peculiaribus provinciis. Ante omnia conveniendum erat cum Patribus Conventualibus, eorumque Vicario Generali Jacobo Anconitano, in illis partibus Commiſſario Apoſtolico pro Joanne Vigerio Magiſtro Generali, circa controverſias provinciarum & domorum, quæ per Obſervantes reformabantur, ad hæc inſtigante potiſſimum Franciſco Rege Chriſtianiſſimo. Summa autem concordiæ hoc comprehenditur inſtrumento. Ineunt concordiam Obſervantes & Conventuales.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Amen.

II. *UNiverſis & ſingulis, ad quos præſens publicum inſtrumentum devenerit, notum ſit, quatenus ex pluribus cauſis importantibus, accerſitis omnibus Patribus Citramontanis Ordinis Minorum Obſervantiæ, qui pro tempore fuerunt Definitores in Capitulis Generalibus, a Reverendiſſimo Patre fratre Paulo Piſſotto de Parma totius prædicti Ordinis Generali Miniſtro, & illis, illorumque qui nequierunt perſonaliter intereſſe, vicibus ſuppletis, aliiſque Patribus, quamvis non Definitoribus neque eorum vices ſupplentibus, in Conventu Pontiſarenſi, provinciæ Franciæ Pariſienſis, ejuſdem Ordinis, die* x. *Januarii* MDXXXIII. *in unum congregatis, videlicet eodem Reverendiſſimo Patre Miniſtro Generali, Reverendis Patribus Miniſtro provinciæ Franciæ Pariſienſis, Miniſtro provinciæ Turoniæ Pictavienſis, Miniſtro provinciæ ſancti Bonaventuræ, Miniſtro provinciæ Flandriæ, Miniſtro provinciæ Alemaniæ inferioris, Miniſtro provinciæ Britaniæ, necnon Venerandis Patribus Reginaldo dictæ provinciæ Turoniæ Pictavienſis, Joanne de la Haye dictæ provinciæ Flandriæ, Guillelmo Peto de provincia Angliæ, Matthia Wenſſen dictæ provinciæ Alemaniæ inferioris, Petro de Verduzano de provincia Aquitaniæ, Aloyſio Burginovi ſcriba ejuſdem Reverendiſſimi Patris Miniſtri Generalis, Guillelmo Hugoth ejuſdem ſcriba, Guardiano Pontiſarenſi, Guardiano Rothomagenſi, Caſtode Normanniæ, Guardiano Sagienſi, Joanne Gerardi de provincia ſancti Ludovici, Chriſtophoro Mendes de* Ex Reg. gener. Vit. fol. 232.

provincia ſancti Jacobi, Rocho Moreyra de provincia Portugalliæ: Poſt multa tractata & definita, comparuit coram eis Reverendiſſimus Pater magiſter Jacobus de Ancona, Patrum Conventualium ejuſdem Ordinis Vicarius Generalis, atque Apoſtolicus Commiſſarius aſſertus, ex cauſa nonnullarum differentiarum ob quaſdam Conventus inter Fratres ſuos ſibi ſubditos, & Fratres ſubditos Reverendiſſimi Patris Miniſtri Generalis in partibus Gallicanis, propoſita ab eo coram prædictis ſua intentione & voto, paulo poſt concordarunt utræque partes ad invicem, & pro firmiori pace & concordia, ſicut Fratres decet, fœdera perpetua ſimul pepigere, devenerantque ad infraſcriptas conventiones tam per eos, quam per ſuos ſucceſſores & ſubditos perpetuo inviolabiliter obſervandas. In primis Reverendiſſimus Pater Miniſter Generalis prædictas, & Pater frater Petrus de Verduzano ad reformationem Conventuum Ordinis hic auctoritate Apoſtolica in Gallliis deputatus, tam nomine ſuo, quam præfatorum Patrum & ſuorum inferiorum ex una parte, & Reverendus Pater Vicarius Generalis Apoſtolicus prænominatus tam ſuo, quam inferiorum ſuorum nomine ex altera, de communi conſenſu & voluntate, ſponte, libere, & animo eorum deliberato cedant & ceſſerunt omnibus & ſingulis litibus & cauſis pendentibus inter partes prædictas, tam coram magno Conſilio Chriſtianiſſimi Regis, quam aliis parlamentis & judicibus tam ſecularibus, quam Eccleſiaſticis, in regno & dominio Chriſtianiſſimi Regis, & ad hunc effectum idem Reverendiſſimus Pater Miniſter Generalis, ſimili conſenſu R. P. Vicarius Generalis Apoſtolicus præfati revocant, caſſant & annullant, revocarunt, caſſarant & annullarant omnes & ſingulos Procuratores, Syndicos, Advocatos, tam eorum nomine, quam ſuorum inferiorum Fratrum, lites & cauſas hujuſmodi inſequentes & proſequentes coram dicto magno Conſilio & aliis Parlamentis, ſive Judicibus in dicto regno & dominio ipſius Chriſtianiſſimi Regis. Item Pater frater Petrus de Verduzano præfatus auctoritate Apoſtolica ſuper reformatione Conventuum Ordinis Minorum in Galliis deputatus, libere, ſponte & animo deliberato, & cum effectu poſthac cedit & ceſſit, ac libere renunciavit commiſſioni, quam habet de reformando Conventus, & ea uti nequaquam de cetero ſpondet & firmiter promittit. Item pro firmiori conſiſtentia concordiæ inter partes hujuſmodi, idem R. P. Miniſter Generalis de conſilio pariter & aſſenſu dictorum Patrum in dicta Congregatione exiſtentium, cedit & relaxat jariſdictioni ipſius R. P. Vicarii Generalis Apoſtolici præfati Conventum oppidi de Romanis in Delphinatu, cum omnibus ejus bonis mobilibus & immobilibus ntinentibus, accedente tamen ad id conſenſu Chriſtianiſſimi Regis, nondum reformatum, & per præſentes præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ, excommunicationis, ac privationis omnium actuum legitimorum, & officiorum Ordinis, aliarumque dignitatum pœna, necnon additis pœnis gravioribus ſibi arbitrariis, illico per contravenientes incarrendis, Patri Miniſtro provinciæ ſancti Bonaventuræ, ac omnibus & ſingulis Fratribus ſibi ſubditis, ut de dicto Conventu in futuram ſe non impediant, aut intromittant, ſed onus reformationis Conventus eidem Reverendo Patri Vicario Generali Apoſtolico juxta Bullam concordiæ relinquant. Item ordinat & determinat idem R. P. Miniſter Generalis de conſilio & aſſenſu prædictorum Patrum, ut Fratres ſibi ſubditi de provincia S. Ludovici, reſtituant, & cum effectu reſignent eidem R. P. Vicario Generali Apoſtolico, ſive ejus Commiſſariis ad ejus requiſitionem bona quæcumque mobilia & immobilia, calices, cruces, paramenta, Reliquias & alia jocalia, cum punas, ſpectantes & ſpectantia, exceptis bona fide conſumptis uſque ad præſentem diem, ad Conventum ſancti Ludovici prope & extra muros Civitatis Maſſilienſis, &

ad

ad Fratres Conventuales ſpectantis, olias demoliti; & inſuper ordinat ac præcipit idem R. P. *Miniſter Generalis Patri Miniſtro provinciæ ſancti Ludovici, & omnibus ac ſingulis Fratribus ſibi ſubditis ſub eiſdem pœnis, quibus præcepit Miniſtro & Fratribus provinciæ ſancti Bonaventuræ paulo ſuperius taxatis, ne in ullo quovis modo, aut quocumque quæſito colore, per ſe vel per alios, aperte vel occulte, directe vel indirecte, implicite vel explicite, aut quomodolibet aliter doloſe, aut bona intentione impediant Fratres ipſos Conventuales in reædificatione novi Conventus in dicta Civitate Maſſilienſi, quin potius eis favorabiles ſecundum caritatem exiſtant. Item Reverendus Pater Vicarius Generalis Apoſtolicus prædictus cedit & ceſſit tam ſuo, quam inferiorum ſuorum etiam Succeſſorum nomine, & relaxat libere, ſponte, & animo deliberato, atque relaxavit & renunciavit omnes Conventus in provincia Aquitaniæ ſancti Bonaventuræ, & ſancti Ludovici præfata per Fratres de Obſervantia alias reformatos, & quos de præſenti poſſident, promittens pro ſe & ſuis inferioribus, & Succeſſoribus de cetero Fratres ipſos de Obſervantia judicialiter, nec extra, de dictis Conventibus non eſſe moleſtandos, inquietandos, aut quovis alio modo perturbandos. Et ut hoc firmius obſervetur, præcepit idem R. P. Vicarius Generalis Apoſtolicus omnibus & ſingulis Fratribus ſibi ſubditis, & Succeſſoribus, ut hoc ſub illiſmet pœnis, quibus præceptum fuit a R. P. Miniſtro Generali ſuis ſubditis, obſervare tenentur. Item ordinat idem R. P. Miniſter Generalis de conſenſu prædictorum Patrum, & R. P. Vicarius Generalis Apoſtolicus præmemoratus, quod de cetero inter Fratres Regularis Obſervantiæ, & Conventuales Ordinis ejuſdem ſancti Franciſci ſit pax, concordia, & fraternalis dilectio, & inviolabiliter obſervetur inter eos Bulla* Concordiæ; *& ultra pœnas in eadem contentus per ſanctam Sedem, mandant & præcipiunt omnibus & ſingulis eorum inferioribus & Succeſſoribus reſpective ſub prædictis pœnis, totiens ſupra memoratis, ne aliquo modo dictæ Bullæ* Concordiæ *contraveniant, ſed illam inviolabiliter obſervent, & caritative Fratres ex utraque parte converſentur, & declinantes ad Conventum utræque partes ſe mutuo caritative ſuſcipiant: & ſub eiſdem pœnis, imo longe gravioribus* R. P. *Miniſter Generalis & R. P. Vicarius Generalis Apoſtolicus ſæpedicti mandant & præcipiunt eiſdem ſuis inferioribus quilibet reſpective, & Succeſſoribus, ne de cetero cauſa litigandi ad invicem ad Curiam regiam, nec ad alios judices ſeculares, ſive Eccleſiaſticos accedant, cum hoc de directo ſit contra mentem & Regulam ſancti Patris Franciſci. Item* R. P. *Miniſter Generalis de conſenſu prædictorum Patrum, & R. P. Vicarius Generalis Apoſtolicus præfati pro obſervatione ſupradictorum inſtituunt, creant & nominant in procuratores eorum, primo ſpectabilem virum Dominum Franciſcum Nerdum, & ſpectabilem virum Dominum Focier Aurelianenſem conjunctim, ad effectum dumtaxat ut dictas noſtras conventiones, concordias, paces, & dilectiones coram Chriſtianiſſimo Rege, ſive ejus magno Conſilio publicent & manifeſtent, & pro illarum obſervatione executorioles litteras ab eiſdem in forma rigoroſiori obtineant, cum clauſulis opportunis, & omni meliori modo, via & forma. Poſtremo idem R. P. Miniſter Generalis una cum prædictis Patribus, & R. P. Vicarius Generalis præfati, qua poſſunt humilitate procumbunt pedibus Mojeſtatis Chriſtianiſſimi, eique ſupplicant ut dignetur huic concordiæ inter partes ſic initæ adſtipulari & aſſentiri, & pro ratu & grata habere, necnon in ſuo regno & dominio executioni demandari jubere, ſibi, & ſuo invictiſſimo Sceptro placeat, attento quod Oratores ipſi non ſine magno conſilio pro manutentione Ordinis in hæc convenerunt; & ut Fratres ipſi ex utraque parte ex hoc commodius*

Deo omnipotenti famulari valeant, & pro ſua Chriſtianiſſima Majeſtate, ejuſque felici ſtatu, accrementoque Chriſtianitatis, ferventiores preces Deo optimo maximo fundere quietius poſſint. Pro quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum majori robore, auctentiori fide & teſtimonio, has præſentes litteras, & præſens publicum inſtrumentum Reverendiſſimi Patres Miniſter Generalis, & Vicarius Generalis Apoſtolicus præfati appenſis utrorumque pro ſuis officiis ſigillis majoribus utentibus & conſuetis, manibus ſuis propriis ſubſcripſerunt, & itidem prænominati in frontiſpicio præſentium Patres ejuſdem Congregationis manuum ſuarum propria conſignatione muniere. Datum Pontiſuræ, die x. *Januarii*, MDXXXIII. *anno a partu Virgineo, tempore prædictæ Congregationis noſtræ.*

III. Lectis die XXII. Januarii litteris Imperatricis, & Joannis de Tavera Cardinalis Compoſtellani, abſente Carolo, regno Hiſpaniæ Præfecti, quibus petebant ut mitterentur Commiſſarii duo vel tres, viſitaturi provincias Hiſpaniarum, & controverſias paſſim erumpentes ſopituri. Proponebantur tamquam apprime idonei huic muneri ſubeundo, Antonius de Calcena olim Ordinis Vicarius Generalis, tunc Aragoniæ Miniſter, & Antonius de Plebe, quibus ut Miniſter Generalis tertium pro libito adjungeret, dicebant nil ſibi diſpliciturum. Litteras pertulit Jacobus de Meneſſes, vir nobilis provinciæ ſancti Jacobi, cui alia pleraque verbo dicenda crediderunt. Poſt longam rei diſcuſſionem, multamque Generalis fluctuationem hinc timentis indignationem Cardinalis Quiñonii, nuper inſtituti Vice-Protectoris, propter Cardinalis de Valle deſperatam valetudinem, qui nullos deinceps volebat mitti in Hiſpaniam Commiſſarios; illinc metuentis Cardinalem Compoſtellanum comminantem, ſe, qua pollebat auctoritate Apoſtolica, remedium quod negabatur, adhibiturum; tamdem annuit, prænominatis adjungens ipſum Meneſium, qui illas in ſe aſſumpſit partes Quiñonium placandi. Juſſit tamen ut inciperent a provincia ſancti Jacobi, cui tunc præerat Chriſtophorus Mendes a Sedeño, in eaque moram traherent, donec ipſe perveniret Capitulum celebraturus. Differentiis vero paulo poſt Meneſii diſceſſum per ipſos provinciæ Patres compoſitis, revocatus fuit Triumviratus Commiſſariorum.

Mittuntur Commiſſarii in Hiſpaniam.

IV. Alios oportuit mittere ad provinciam ſancti Gabrielis, in qua male actum fuit cum Franciſco de Calzada, cui conceſſa fuit licentia Comitia ſuæ Provinciæ habendi, etſi omnia alia Hiſpanica Generalis ſuſpenderit uſque ad ſuum acceſſum. Joanni Fabri Miniſtro provinciæ Aquitaniæ reformatæ præceptum fuit, ut quamprimum expropriaret Conventus ſuos rebus omnibus Regulari Obſervantiæ contrariis, & bona quæque immobilia renunciaret Communitatibus vel Collegiis, quæ ſe obligarent ad ſatisfaciendum Miſſis, aliiſque ſuffragiis & oneribus in dictis Conventibus quoquo modo fundatis. Utriuſque deinde Aquitaniæ, & provinciarum ſancti Jacobi, ac Portugalliæ Miniſtris ſevere injunctum eſt, ne Patres Conventuales amplius moleſtarent circa reformationem aut ablationem Conventuum. Nicolao Herborno Commiſſario Generali data eſt eadem facultas & poteſtas in domos & Fratres familiæ Ultramontanæ, qua potiebatur ante Miniſtri Generalis acceſſum ad eamdem. Loco Bernardini de Arevalo anno præterito inſtituti Commiſſarii ſuper provinciam ſanctæ Crucis, & Cuſtodiam ſancti Evangelii in Indiis, ſe hoc onere levantis, ſubſtitutus eſt die XXVII. Januarii Joannes Granatenſis, cum facultate conducendi quos vellet cooperarios pro copioſiſſimæ meſſis labore, dummodo juxta Adriani Papæ VI. diploma, bonum haberent teſtimonium a ſuis Superioribus: confirmatumque

Multa decernuntur circa varias Provincias.

que eſt decretum Toloſanum circa hoſpitium & Superiorem ad Indias euntium & redeuntium. Commendati ſunt impenſe Bartholomæo de Populâ, de Puebla, Miniſtro Bætico Franciſcus Aragonius, & quos habebat in comitatu, ad regiones Peruvianas, uti alibi diximus, transfretaturi.

V. Orta controverſia inter provinciam prædictam Bæticæ & Canariæ Cuſtodiam circa olim pactorum obſervantiam, nimirum quod Cuſtos eligeretur ab ipſis Canarienſibus, & confirmaretur a Miniſtro Bætico; eoque renuente nuper electum confirmare, & volente ut unus a ſe nominatus gubernaret; ſtatutum eſt die XXI. Februarii, ut neuter regeret, donec in Hiſpaniam penetraret Generalis, reque mature diſcuſſa, quod facto opus eſſet, dijudicaret: interim vero præſideret Commiſſarii titulo Ildefonſus a Fonte, dignior ex Patribus Cuſtodiæ. Joanni de Zumarraga ex Minorita Epiſcopo Mexicano die VIII. Aprilis, conceſſi ſunt Fratres ſeni, eligendi ad placitum, quorum ope & ſocietate poſſet uti in quacumque parte moraretur. Quoniam in Capitulo Toloſano non fuerunt creati ſecundum Ordinis conſuetudinem Definitores, declaratum fuit, ſi occaſio foret eligendi Vicarium Generalem, vel aliud hujuſmodi faciendi per Definitorum ſuffragia, debere reaſſumi Definitores electos in Capitulo Parmenſi pro illa familia Ultramontana, uti factum eſt in morte Franciſci Lycheti Miniſtri Generalis, reaſſumptis Definitoribus Capituli Romani, quia in Capitulo Lugdunenſi intermedio non fuerunt alii inſtituti.

VI. Pro Franciæ Provincia die VIII. Maii peculiares iſtæ factæ ſunt conſtitutiones. Prima, quod cum illa non ſubjiceretur Prælato ordinario, Ultramontano aut Ciſmontano, niſi fuerit Miniſter Generalis, & utraque familia ſua habeat peculiaria ſtatuta, quorum neutra illa obſervat, debeat admittere conſtitutiones Martini V. ſaltem uſque ad Capitulum Generale, in quo ſi illas non placuerit retinere, aliæ efformabuntur. Secunda, quod Guardiani in officio non durent ultra triennium. Tertia, quod in utraque Cuſtodia ejuſdem Provinciæ eligatur Cuſtos, vir probus, ætate & judicio maturus, qui in ſingulis electionibus ejuſdem Cuſtodiæ præſideat, & auctoritatem habeat puniendi delinquentes. Quarta, quod nullus audeat equitare abſque licentia in ſcriptis Guardiani & Diſcretorum. Quinta, quod omnis evitetur acceſſus ad Monialium Monaſteria, neque quiſquam Sororibus loqui audeat, abſque licentia ſcripta per Miniſtrum toties, quoties loqui oportuerit. Pernoctandi illic nulli concedatur, neque manducandi niſi ſemel, gravi etiam de cauſa. Sexta, quod Fratres non promoveantur ad Doctoratum alioſve gradus in quacumque Univerſitate præter Pariſienſem, idque ſolemnitate conſueta. Septima, quod aſſignentur pro Recollectis ſeu ſtrictiori more vivere volentibus, tres Conventus, Gardiæ, Meduntæ, & Carnoti, in quibus Doctores inſtitui non poſſint Guardiani. Octava, quod quater in anno pauculæ hæ ordinationes legantur in Communitate Fratrum ſimul cum ſtatutis Martini V. & Regulæ declârationibus. Monitus eſt etiam de pauculis rebus circa diſciplinam regularem Germanus Aubbert, Miniſter provinciæ Franciæ Pariſienſis. Conſtitutiones pro provincia Franciæ.

VII. Tumultuoſam habuit hoc anno originem provincia Algarbiorum in Luſitania. Cum enim non valde convenirent Patres cis citraque Tagum, eaque creverit multitudine Conventuum Provincia, quæ Portugalliæ nomen habebat, & adhuc retinet, quod unius induſtria non poſſet viſitari, neque plene gubernari, & Luſitaniæ Rex Joannes cuperet pro bono regimine, & pace religioſorum Provinciam illam in duas ſeparari, Franciſcus Ulyſſipponenſis Miniſter in proxime præterito Capitulo Toloſano iſtud ipſum Erectio provinc. Algarbiorum.

ipſum poſtulavit a Commiſſario Generali, & Definitorio, renunciavitque ſuo Miniſteriatui, adhibitis quibuſdam conditionibus, quas Herbornus Commiſſarius acceptavit, & in litteris patentibus directis Antonio de Olave ut Provinciam viſitaret, & deinde in aliis ad Petrum de ſancta Catarina, ut Capitulum celebraret, & Provinciam in duas divideret, expreſſit. At iſte limites ſuæ commiſſionis in quibuſdam excedens, ſub finem anni præteriti tria habuit comitia, prima in quibus Ulyſſipponenſem a regimine nondum volentem abſolvit, & Provinciam diviſit: ſecunda, quibus limites conſtituit provinciæ Portugalliæ, & Miniſtrum inſtituit: tertia cis Tagum, ubi nomen & Superiorem dedit provinciæ Algarbiorum. Multa per eum geſta diſplicuerunt Ulyſſipponenſi, & amicis, appellavitque Miniſtrum Generalem, & ad ulteriora procedenteon, potentia qua pollebat in Provincia, compeſcuit. Re ad Piſſottum delata, appellationem admiſit, & diſcuſſis controverſiis inter Patres ad hnc convocatis, die XXIX. Maii judicatum eſt, etſi Commiſſarius in multis defecerit, neque rite illa celebraverit Capitula, eſſe tamen ratihabenda, & ſeparationem factam ſuſtinendam. Miniſtros tamen inſtitutos non hoc nomine, ſed Commiſſariorum Franciſci prædicti Miniſtri cenſendos eſſe, donec in Congregatione per Miniſtrum Generalem in Hiſpania cogenda, quid facto opus ſit, determinetur.

Deferuntur querelæ contra Piſſottum.

VIII. Interim, dum hæc Pariſiis aguntur, multæ deferuntur ad Pontificem querelæ contra Miniſtrum Generalem Piſſottum, quod male ſe haberent Provinciæ ſub ejus regimine; quod imprudenter agendo multas excitaverit turbas in Religione; quod cum pleriſque ſibi non cohærentibus ſevere egerit; quod amicis ampla nimis conceſſerit privilegia, & alia hujuſmodi, quæ Clementem impulerunt, ut ad Aram-cœli convocaret Definitores electos in Capitulo Meſſanenſi, alioſque Ordinis Patres, quorum audita ſententia, in eam itum eſt, ut tum propter præfata, tum maxime propter Generalis frequentes infirmitates & impotentiam, eligeretur Vicarius Generalis, qui his malis mederetur, & Piſſotto inane dumtaxat relinqueretur nomen Generalis. Communibus ſuffragiis electus eſt Vicarius Generalis pro Ciſmontana dumtaxat familia Benedictus Genelius, agnomine Fabrich, provinciæ Picenæ; & pro Ultramontana ſimiliter deputatus Vicarius Generalis Nicolaus Herbornus. Factum ratificavit Pontifex ſequenti Bulla, in qua pleraque a Piſſotto facta infirmavit. Deinde alias adjunxit litteras facti narrativas, ad ipſum Piſſottum tranſmittendas.

Inſtituuntur Vicarii Generales.

Ad futuram rei memoriam.

Ex Reg. gener. Ciſm. fol. 122.

IX. *NUper cupientes frequentibus & aſſiduis querelis, quæ ad Nos ex Ordine Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ in dies deferebantur, providere, ac ipſius Ordinis tranquillitati, & felici directioni conſulere; infirmitate dilecti filii Pauli Parmenſis, ejuſdem Ordinis Generalis Miniſtri, qui propterea, ſicut tunc accepimus, præfati Ordinis regimini & ſuo Generalis Miniſtri officio intendere nequibat, ac nonnullis aliis nobis tunc notis cauſis & reſpectibus moti, de conſilio nonnullorum S. R. E. Cardinalium ipſius Ordinis experientiam habentium, nonnullos ex ipſius Ordinis Fratribus Ciſmontanis in eodem Ordine magis probatis ad præſentiam noſtram evocavimus, ac eorum ſententiam ſuper præmiſſis omnibus diligenter quæſivimus. Et quoniam ſingulorum vota in id convenerint, ut eidem Paulo Miniſtro Generali, ob ejus impotentiam de aliquo Vicario Generali provideretur, coſdem ad Nos evocatos Fratres, ſuper electione Generalis Vicarii Ciſ-*

Cismontani canonice celebranda prædictos Vocales & electores constituimus & deputavimus. Cum autem deputati & evocati Fratres hujusmodi, pro ejusdem Vicarii Generalis Cismontani electione celebranda in unum convenientes, dilectum filium Benedictum Genesium, ipsius Ordinis professorem, Provinciæ Marchiæ Anconitanæ, in ipsius Ordinis Vicarium Generalem Cismontanum concorditer & unanimiter elegerint: Nos qui ejusdem Ordinis felicem & prosperum statum intensis desideramus affectibus, electionem hujusmodi Apostolica auctoritate approbantes & confirmantes, motu proprio & ex certa scientia, eumdem Benedictum Cismontanum, & in omnibus illis, quæ pro Cismontana: necnon dilectum filium Nicolaum Herbornum dicti Ordinis professorem, & Provinciæ Coloniensis, Commissarium Generalem Ultramontanum, & in omnibus illis, quæ pro Ultramontana Familia, secundum morem præfati Ordinis computari consueverunt, Provinciis, ejusdem Ordinis, Vicarios Generales usque ad Generale Capitulum proxime celebrandum tenore præsentium constituimus & deputamus: ac Benedicto in Cismontanis & Nicolao præfatis in Ultramontanis Provinciis hujusmodi, Ordinem prædictum, & illius Fratres, Moniales, personas, domos & loca quæcumque interim regendi & visitandi, ac tam in capitibus, quam in membris, & tam in foro judicii, quam conscientiæ, nostra auctoritate reformandi, corrigendi, puniendi, ac omnia & singula alia quæ dictus Paulus, & qui pro tempore fuerunt Generales Ministri ipsius Ordinis, de jure vel consuetudine, aut privilegiis eis per Sedem Apostolicam concessis, facere poterant, faciendi & exequendi; ita tamen quod dictus Benedictus ut sibi commissum Vicariatus officium hujusmodi plenius & maturius exequi possit, quatuor, quos maluerit ex probatioribus Familiæ Cismontanæ Fratribus in cooperatores, & ipsius Ordinis Visitatores sibi assumere, & quando expedient fuerit, ad Fratres, Moniales & personas hujusmodi visitandum, dirigendum, & reformandam mittere debeat, plenam & liberam facultatem concedimus: Districtius inhibentes eidem Paulo, cui nudum dumtaxat nomen Generalis Ministri, usque ad dictum proxime celebrandum Capitulum remanere volumus, omni Generalis Ministri officii exequutione ab eo penitus abdicata, ne de cetero de Ordine, aut illius Fratribus, Monialibus & personis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna; ut Cismontani, videlicet Benedicto, Ultramontani vero prædicto Nicolao, & non Paulo præfatis in iis, quæ ad dictum Generalis Ministri officium, & illius exercitium quomodolibet pertinent, pareant diligenter & intendant. Alioquin sententias, sive pœnas, quas Benedictus in Cismontanos, Nicolaus vero præfati in Ultramontanos rebelles rite tulerint sive statuerint, ratas habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Ut autem Fratres ac Moniales præfati & personæ dicti Ordinis eo facilius ad rectam vivendi normam, & mutuam inter se amplexandam caritatem inducantur, quo antiquarum enlparum & temeritatis scandalis & discordiis sublatis, se in quietiori statu repositos esse cognoverint, omnes & singulos Fratres, Moniales & personas hujusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, ac aliis sententiis, censuris & pœnis tam Ecclesiasticis, quam temporalibus, etiam exilii aut carceris perpetui, quibus quomodolibet condemnati, aut alias irretiti existunt, per præsentes absolvimus, & plenarie absolutos & liberatos esse decernimus & declaramus: Ad pristinamque in actibus legitimis integritatem quoad defectus personales tantum, dummodo de prioribus erroribus resipiscant, & in novæ vitæ puritatem se reforment, reducimus: Necnon prorsus acta & scripta, seu registra quæcum-

cumque pro delictis & culpis commiſſis uſque ad notitiam præſentium facta, delemus, caſſamus & annullamus, ac exules quoslibet, ut generalis abſolutionis & remiſſionis hujuſmodi participes fiant, ad propria revocamus: Ac, ut ſua utrique juriſdictio conſervetur, quod de cetero nullus Fratrum ſeu Monialium, aut perſonarum dicti Ordinis, tam Ciſmontanæ, quam Ultramontanæ Familiarum, Procuratore & Commiſſario in Romana Curia deputatis dumtaxat exceptis, aliqua exemptione, conceſſione, libertate, commiſſione, aut gratia ſibi a prædicto Miniſtro Generali hactenus factis, uti aut gaudere poſſit, auctoritate prædicta ſtatuimus & ordinamus. Ceterum ut felici directioni ipſius Ordinis, ac, ſi opus fuerit, reformationi melius intendi poſſit, volumus, ac motu & ſcientia ſimilibus decernimus, quod Generale Capitulum de proximo celebrandum in Alma Urbe, & in domo beatæ Mariæ de Aracœli in feſto Penteceſtes anni MDXXXV. *per convocationem omnium Miniſtrorum & Cuſtodum tam Ciſmontanorum, quam Ultramontanorum, ad electionem futuri Miniſtri Generalis faciendam juxta tenorem Bullæ* Unionis, *quos per præſentes loco & tempore prædictis ad Capitulum hujuſmodi citamus & requirimus, celebrari debeat, & interim Benedictus, & Nicolaus præfati Vicarii Generales hujuſmodi tam per ſe, quam dictus Benedictus per quatuor cooperatores & viſitatores prædictos, quantum poterunt, omnes & ſingulas Provincias eorum curæ, ut præfertur, commiſſas, ſollicite & diligenter viſitent, ut ſolidata confirment, errata corrigant, ac deformata reforment, ac quantum patitur humana fragilitas, ad puritatis Regulæ obſervantiam reducant. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramenta, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, eidem Ordini & illius perſonis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus vel præeminentiæ exiſtant, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & præſertim felicis recordationis Leonem Papam X. ſuper generali dicti Ordinis unione, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis; quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat motu & ſcientia ſimilibus derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcumque. Verum, quia difficile foret, præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus de eis forſan fides facienda erit, deferre, volumus etiam, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumptis quibuslibet, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigilli alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ impreſſione munitis, ea prorſus fides in judicio & extra, ubi opus fuerit, adhibeatur, quæ adhiberetur originalibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die* XI. *Auguſti* MDXXXIII. *Pontificatus noſtri anno* X.

Dilecto filio fratri Paulo de Parma Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Miniſtro Generali.

Ibid. fol. 123.

X. *Dilecte fili &c. Nuper cum frequentes & aſſiduæ querelæ Nobis ex tuo Ordine Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, non ſine animi noſtri moleſtia deferrentur, nuntiarentque te morbo podagræ laborantem, iis quæ in dicto Ordine agenda occurrebant, intendere commode non poſſe.*

ſe. Nos infirmitati tuæ compatientes, ac præmiſſis & ſcandalis, quæ exinde ſubſequi poterant, ex noſtri paſtoralis officii debito providere volentes, nonnullos ex ipſius Ordinis Fratribus, in eodem Ordine magis probatis, ad præſentiam noſtram evocatos, ſuper remedio in præmiſſis adhibendo diligenter quæſiverimus, & cum ſingulorum vota in id convenirent, ut tibi ob tuam impotentiam de aliquo Vicario Generali provideretur, dilectos filios Benedictum Geneſium per eoſdem Fratres, ut præmittitur, evocatos, ſub certis modo & forma electum Ciſmontanum, & in omnibus illis, quæ pro Ciſmontana, ac Nicolaum Herbornum, dicti Ordinis profeſſores, Ultramontanum, & in omnibus illis, quæ pro dicta Ultramontana Familiis, ſecundum Ordinis præfati morem computari conſueverunt, Provinciis ipſius Ordinis Vicarios Generales, uſque ad ejuſdem Ordinis Generale Capitulum proxime celebrandum conſtituimus & deputavimus, ac Benedicto in Ciſmontanis & Nicolao præfatis in Ultramontanis Provinciis hujuſmodi, omnia quæ tu, & qui pro tempore fuerunt præfati Ordinis Generales Miniſtri, de jure vel conſuetudine, aut privilegiis eis per Sedem Apoſtolicam conceſſis, hactenus facere potuiſſis, faciendi & exequendi plenam & liberam facultatem conceſſimus; prout in aliis noſtris in forma Brevis inde confectis litteris plenius continetur. Ut igitur Benedictus & Nicolaus præfati Vicarii demandato eis Vicariatus hujuſmodi officio liberius intendere, & illud plenius exequi poſſint, motu proprio, & ex certa ſcientia, te ut his æquanimiter acquieſcas, paterne adhortantes, tibi nihilominus in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis, ac privationis vocis activæ & paſſivæ, necnon inhabilitatis ad quoſcumque actus legitimos, per te in eventum inobedientiæ incurrendis pœnis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus receptis præſentibus, ab omni cura & regimine ejuſdem Ordinis, ac illius Fratrum & Sororum, necnon domorum & locorum quorumcumque realiter & cum effectu abſtineas, nec de Ordinis Fratribus & Sororibus & locis prædictis tamquam Generalis Miniſter, quovis modo te intromittere, aut aliquem actum ad Generalem Miniſtrum quovit. modo pertinentem, exercere præſumas. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac litteris tui Generalis Miniſteriatus officii, necnon aliis quæ in dictis litteris noſtris voluimus non obſtare. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xx. *Auguſti* MDXXXIII. *Pontificatus noſtri anno* x.

XI. Malorum ſibi Romæ impendentium præmonitus Generalis, ſecundum, quem diximus, Conventum coegit Pariſiis, in quo ſuam cauſatus impotentiam, & podagræ pertinaciam ſuprema ſe abdicavit Ordinis Præfectura. At Patres occultæ tribulationis ignari, propter varias cauſas abdicationem haud eſſe acceptandam judicarunt; eam tamen ei fecerunt poteſtatem, ut ſi languorem ſentiret mortalem, Vicarium Generalem inſtitueret, promittentes id ratum ſe habituros. Auditis deinde, quæ in Urbe agebantur, illuc mitti decreverunt Herbornum Commiſſarium Generalem, & Jacobum Meneſium, qui inferendas plagas averterent, & Vincentium Lunellum Curiæ Commiſſarium, ac Cardinalem Quiñonium magis redderent propitios. Etenim uterque Hiſpanorum querelis & turbis, per Generalis Commiſſarios excitatis, aliiſque cauſis commoti, ejus imprudenti regimini modum adhiberi cupiebant. At qui miſſi ſunt, nihil profecerunt, emiſſis jam litteris Apoſtolicis, antequam illi pervenirent. Hoc perculſus ſpiculo Piſottus, redire conſtituit, omiſſo itinere quod diſponebat in Hiſpaniam. Interim moritur Geneſius Vicarius Generalis Ciſmontanus, quod ubi Piſottus reſcivit, ægrotans apud Savillianum, Pedemontii oppidum, ſcripſit

Piſottus ſtudet malum averterc.

Sed ſruſtra.

Pontifici ſe liberam & integram renunciationem officii facturum coram Patribus Ordinis, ad quos de jure ſpectabat eam acceptare. Juſſit Pontifex ut Definitores, & illi, quorum intererat, illuc proficiſcerentur, admiſſaque Piſſotti abdicatione, Vicarium totius eligerent Religionis. Ita factum in vigilia Nativitatis Domini, electuſque eſt ad prædictum Vicarii munus ſubeundum Leonardus Publicius Provinciæ Januenſis, Ordinis Pater, Ducisſæ Sabaudiæ a ſacris confeſſionibus; etſi tunc a loco Capitulari procul abeſſet. Statim ubi Pontifex factum audivit, confirmavit primum vivæ vocis oracuło, deinde gravi diplomate, quod ſub anni ſequentis exordium exaravit, ſed ſimul cum litteris Cardinalis Quiñonii Vice-protectoris, propter neceſſariam materiæ connexionem, nos hic exarabimus.

Leonardus Publicius fit Vicarius Generalis Ordinis.

Dilecto filio fratri Leonardo Publicio, totius Ordinis Minorum Vicario Generali.

Reg. gen. Cism. fol. 124.

XII. *Cum, ſicut accepimus, alias, poſtquam dilectus filius Paulus Parmenſis, totius Ordinis Minorum Fratrum, Regularis Obſervantiæ nuncupatorum, Miniſter Generalis officio Miniſtri Generalis hujuſmodi, quo tunc fungebatur, juxta ipſius Ordinis conſtitutiones, noſtro ad id accedente conſenſu, in manibus Definitorum Capituli Generalis in Civitate Meſſanenſi ultimo celebrati, ſponte & libere ceſſerat, iidem Definitores pro Vicarii Generalis ipſius Ordinis electione celebranda in domo dicti Ordinis oppidi Savilliani, Taurinenſis diœceſis, in unum convenientes, ceſſione hujuſmodi per eos admiſſa, te dicti Ordinis profeſſorem, licet abſentem; in Vicarium Generalem ejuſdem Ordinis uſque ad primo celebrandum ipſius Ordinis Generale Capitulum concorditer & unanimiter dicta auctoritate elegerint, prout in inſtrumento ſeu ſcripturis deſuper confectis dicitur plenius contineri. Nos ceſſionem & admiſſionem prædictas ratas & gratas habentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, electionem hujuſmodi, ac prout illam concernunt, omnia & ſingula in inſtrumento ſeu ſcripturis prædictis contenta, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac plena roboris firmitate ſubſiſtere, ſuumque debitum effectum conſequi debere decernimus: Supplentes omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et nihilominus pro potiori cautela, te dicti Ordinis Vicarium Generalem, uſque ad dictum primo celebrandum ipſius Ordinis Generale Capitulum, cum omnibus & ſingulis facultatibus, juriſdictionibus, honoribus & indultis, Miniſtris ac Vicariis Generalibus dicti Ordinis pro tempore exiſtentibus conceſſis, auctoritate & tenore prædictis facimus, conſituimus & deputamus; tibique, ut pro majori Fratrum ejuſdem Ordinis tam Ciſmontanorum, quam Ultramontanorum Familiarum commoditate & quiete, primo celebrandum Capitulum hujuſmodi, quod per alias noſtras in forma Brevis litteras in Alma Urbe, & in domo beatæ Mariæ de Ara-cœli in feſto Pentecoſtes anni* MDXXXV. *celebrari deberi decrevimus, in ſancti Ludovici, vel alia de qua tibi videbitur, circumvicina Provincia per convocationem omnium Miniſtrorum & Cuſtodum tam Ciſmontanorum, quam Ultramontanorum ad electionem futuri Miniſtri Generalis faciendam, ut moris eſt, in dicto feſto celebrare & celebrari facere poſſis & valeas, auctoritate & tenore prædictis, licentiam concedimus, pariter & facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, pri-*

privilegiis quoque, indultis, & noſtris prædictis, ac quibuſcumque aliis litteris Apoſtolicis, eidem Ordini, & illius perſonis, enjuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus vel præeminentiæ exiſtant, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & præſertim felicis recordationis Leonem Papam X. ſuper generali dicti Ordinis unione, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis: quibus omnibus, omnium illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita inſerti eſſent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, motu & ſcientia ſimilibus derogamus; ceteriſque contrariis non obſtantibus. Verum, quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides forſan facienda erit, deferri, volumus & Apoſtolica auctoritate præfata decernimus, quod ipſarum tranſumptis quibuslibet, manu tua ſubſcriptis, & ſigilli tui impreſſione munitis eadem prorſus fides in judicio & extra, ubi opus fuerit, adhibeatur, quæ adhiberetur originalibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die x. *Maii* MDXXXXIII. *Pontificatus noſtri anno* XI.

Reverendo in Chriſto Patri fratri Leonardo Publicio totius Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Generali Vicario benemerito, nobis cariſſimo.

XIII. *Reverende Pater. Binas tuas nobis longe gratiſſimas accepimus, quibus integre intelleximus Generalis Miniſtri renuncintionem, & ſuffragantium in perſonæ tuæ electionem unanimem conſenſum: quorum utrumque uti rite recteque factum, ſtatim Sanctiſſimo Domino noſtro retulimus, addentes perquam optime Religioni proviſum fuiſſe de Paſtore, cujus non ſolertiam in rebus agendis, doctrinam, moreſque optimos multis annis probe noſcebamus. Hac relatione, tuiſque meritis allecta ſua Sanctitas, juxta Prædeceſſorum ſuorum ſanctiones, quas cupit inviolabiliter obſervari, ſtatim te totius Ordinis Prælatum electum confirmavit. Pacem inſuper, tranquillum ſtatum, & Regularem Ordinis diſciplinam ſtabiliri deſiderant, Breve expediri juſſit, quod nos Ordinis Procuratori commiſimus ſollicitandum. Omnia hæc libenter probavit Reverendiſſimus Dominus Protector, & ab eo atque Auditore Cameræ Apoſtolicæ jam admiſſum eſt Breve. Proinde quamprimum licuerit, æquum eſt ut te ad pedes Apoſtolicos conferas, quantumvis non prius perveniat ad te Breve prædictum. Invenies apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum, & Reverendiſſimam Dominum Protectorem omnem favorem & benevolentiam. Nos vero, uti multis nominibus tenemur, non defuimus, neque unquam deerimus Religioni, neque erga te veteris amicitiæ erimus immemores. Reliqua partim intelliges ex litteris Commiſſarii Curiæ, integre vero cum huc perveneris. Vale, & Chriſto Domino nos tuis precibus commenda. Ex ædibus noſtris Romæ,* XII. *Januarii* MDXXXIV.

Epiſtola Cardinalis Quinonii.

Uti frater.

Fr. Cardinalis S. Crucis.

XIV. Clemens Pontifex dum hoc anno in Galliam proficiſcitur, Maſſiliæ cum Franciſco Rege colloquium habiturus, per oppidum Caſtri Florentini in Tuſcia iter faciens, conceſſit ut in die beatæ Veridianæ, de qua alias ſermonem fecimus, horæ Canonicæ & Miſſa legerentur de communi Virginum, cum ante annos ferme triginta multi Cardinales ſpeciali

Tom. 3. an. 1542. n. 30. ſeq.

diplomate, prout tunc moris erat, centum dies Indulgentiarum, in ſupradicto beatæ Veridianæ, aliiſque certis diebus feſtivis Eccleſiam, in qua jacet, viſitantibus conceſſiſſent. Do Clementis Diploma.

Dilectis filiis Communi & incolis oppidi Caſtri Florentini, Diœceſis Florentinæ.

Conceditur cultus beatæ Veridianæ.

Dilecti &c. Expoſui nobis feciſtis, quod in iſto veſtro oppido quoddam eſt Oratorium, in quo beata Veridiana olim concivis veſtra, virginitatis laude, dum vixit, & poſt ejus obitum miraculis claruit, & in dies claret: Propterea quod ad dictum Oratorium frequens undique Chriſtifidelium concurſus & devotio exiſtit. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, quod nobis, ut in die obitus ejuſdem beatæ Veridianæ, qui primus dies Februarii fuit, & in quo eadem beata Veridiana, ut pie creditur, cœlum commutavit cum terris, horas Canonicas & Miſſas de communi Virginum, ſecundum morem Romanæ Curiæ, ad Dei laudem, & in ejuſdem Veridianæ venerationem pie recitari facere poſſitis, concedere dignaremur ad veſtram & eorundem Chriſtifidelium pietatem confirmandam. Nos, qui cunctorum Chriſtifidelium devotionem paterno confovemus affectu, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut deinceps ſingulis annis perpetuo, in dicto Oratorio dumtaxat, in eodem primo die Februarii horas Canonicas, & ſuper Altari portatili Miſſas de communi Virginum, ſecundum eundem morem Romanæ Curiæ, ad Dei laudem, & in ejuſdem Veridianæ venerationem celebrari facere libere & licite poſſitis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & indulgemus: Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum in oppido prædicto ſub annulo Piſcatoris, die XX. *Septembris* MDXXXIII. *, Pontificatus noſtri anno* X.

Moritur Sixtus a Riparolo. *Doneſm. l. 7. hiſt. Mant. Gonz. in Provin. S. Antonii Conv. 3.*

XV. Moritur hoc anno Sixtus a Riparolo, Cremonenſis diœceſis oppido, ſub dominio tamen temporali familiæ Gonzagæ. Natus an. MCCCCLXIII. pie pueritia tranſacta, anno ætatis XVII. habitum ſuſcepit Minorum, inter quos adeo in ſtudiis profecit, ut condiſcipulos ſuperarit, & optimas quaſque Italiæ urbes doctrina illuſtrarit, magno animarum profectu ubique concionatus, acquiſitis etiam ſuæ Religioni Cœnobiis ſancti Sebaſtiani in oppido ſancti Martini, ſanctæ Mariæ Magdalenæ in Inſula Scalæ, agri Veronenſis, ſanctæ Mariæ Gratiarum in Valdanno, frequenti oppido diœceſis Vincentinæ. Sæpe adſcitus eſt ad regimen magni Conventus Mantuani, ubi ſancto fine deceſſit, ſepultus in æde capitulari, inde propter populorum frequentiam, & repetita languentium vota ad ejus ſepulcrum, translatus eſt in Eccleſiam, ad Sacellum in hunc finem, ſub magno organo fabricatum, ubi coram ejus tumulo continuo lampas ardebat; & ſupra imaginem radiis decoratam inciſa erat hæc inconcinna memoria.

S I X T O

Qui Chriſto, & immaculatæ Conceptioni uſque ad ſeptuagintæ annos indefeſſe vigilavit, quicquid boni conſulunt ſperantes, nonne viventem putabunt, qui dum viveret aliquando miraculis claruit?

Obiit die XVII. *Novemb.* M. D. XXXIII.

Hinc propter novam Fabricam Chori, ſecundo translatus eſt ad Sacellum S. Bonaventuræ, nunc appellatum ſanctiſſimi Crucifixi. Conſervatur in ſupradicto Conventu Valdanni quoddam ejus ſcapulare magna reverentia, per illud enim operatus eſt Deus miracula, quibus manifeſtari voluit ſervi ſui adhuc viventis ſanctitatem.

XVI. Sub-

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 326.
1533.	an. 10. & 11.	anno 15.	

XVI. Sub hunc annum ex humanis abiit Michael ab Angelis, provinciæ ſancti Jacobi alumnus, patria Cordubenſis, Joannis Guadalupenſis, de quo ſæpe egimus, fidelis ſocius, & coadjutor in fundanda provincia ſancti Gabrielis, cujus etiam Commiſſarius inſtitutus eſt. Multis perfunctus laboribus, ſancto fine quievit in Conventu Salvæ-terræ, a ſancta Maria de Jeſu nuncupato. Iſtud ejus habet encomium Gonzaga: *Hoc in loco ſanctiſſimam egit vitam, ſanctiſſimamque mortem obiit, atque ſepultus eſt eximiæ religionis Pater, frater Michael a Corduba, qui religioſiſſimus, & ſui ſtatus zelantiſſimus, atque unus ex fundamentalibus hujus Provinciæ lapis fuit.* Et Michael ab Angelis. *Gonz. in provin. S. Gabriel. Con. 6. Mon. MSS. præd. Provinc.*

XVII. Hi placide in Domino quieverunt: alius vero ejuſdem Conventus alumnus, nonniſi effuſo ſanguine animam ſuam hoc anno pro Chriſti fide tradiderat. Is fuit Damianus a Valentia, qui dum laici habitum ſuſcepiſſet in Conventu Pacis Juliæ, & pauperrimam vitam egiſſet, ac martyrii ardore flagraret, impetravit a Miniſtro Generali faculiatem ad terras infidelium proficiſcendi, mutato prius ſtatu laicali in ſacerdotalem. Per Italiam pergens, e Neapoli, ubi pietatis operibus addictus in publico Xenodochio curabat infirmos, trajecit in Africam, cœpitque veram fidem enunciare. Captus continuo, & in ignem conjectus, ſed in nullo læſus, tandem lapidatus & gladio confoſſus, glorioſe curſum conſummavit. *Iidem.* Damianus a Valentia martyrio coronatur.

XVIII. Piæ etiam virgines duæ hoc anno ad Sponſum evolarunt; in Monaſterio Ovetenſi Clara Rodriguez, mira abſtinentia, aſſidua oratione, profunda humilitate & ardentiſſima caritate inſignis, in cujus obitu Angelico miniſterio lyram pulſari audierunt quæ aditabant ſorores. In Monaſterio ſanctæ Mariæ Magdalenæ Alcarazii Tertii Ordinis, Maria Muñozia multis egregiiſque virtutibus illuſtris, anno ætatis trigeſimo defuncta, conſummata in brevi explevit tempora multa. Moritur Clara Rodriguez. *Gonz. in provin. S. Jacobi Mon. 10.* Et Maria Muñozia. *Idem in provin. Carthag. Mon. 8.*

XIX. Dura cervice, & incircumciſis cordibus Mauri Granatenſes Spiritui ſancto, ejuſque miniſtris, Divini verbi concionatoribus, & doctrinæ Chriſtianæ magiſtris ſemper reſtiterunt. Etſi enim debellati, & imperio Chriſtianorum ſubjecti multos acceperint Catechiſtas, omnemque poſuerint operam, adhibita etiam vi & metu, Ferdinandus & Iſabella Reges Catholici, eorumque nepos Carolus V. necnon Franciſcus Cardinalis Ximenez, ſicuti alias diximus, & Archiepiſcopi Granatenſes, ut ad fidem converterentur, attamen id per longam annorum ſeriem conſequi non potuerunt, præſertim in abruptis quibuſdam montibus, & inacceſſis rupibus, quas *Alpuxarras* vocabant. Sæpe hi montani vincendi erant; quotieſcumque etenim ſe ad deteſtandam Mahumetanam perfidiam compelli timebant, toties a Regis fide deficientes, ad arma conſpirabant. Mitius itaque cum illis agendum erat, & mittendi viri religioſi, qui fructum ferrent in patientia. Inſtituto proinde graviſſimo cœtu Prælatorum, & doctorum virorum, qui tanti momenti negotium ſedulo curarent, mittebantur viri ſelecti ex præcipuis Ordinibus, qui virtute & doctrina efferam gentem manſueſacerent, & ad Chriſti fidem bonis artibus paulatim attraherent. Inter hos miſſus eſt ab ipſo Carolo Rege, illoque cœtu frater Petrus Carvajalius, ſanguine & virtutibus illuſtris, provinciæ ſancti Jacobi alumnus, cui Franciſcus Cardinalis Quiñonius, dum Miniſtrum ageret Generalem, licentiam impertiit hulc pio miniſterio ſe totum conſecrandi, atque in provincia Bætica, ejuſque Cœnobiis regni Granatenſis, ut ſemper expeditus eſſet ad opus, commorandi, & ſeligendi ex quibuſcumque Provinciis Fratres ſex pios & doctos, alioſque binos linguam callentes Arabicam. Licentiam hanc a Quiñonio conceſſam, invenio hoc anno die xt. Julii, a Generali Piſſotto confirmatam, Mauri Granaten. Mahometiſmi tenaces. *Tom. 15. anno 1501. n. 6. & ſuperius nn. 1505. num. 6. Vide Bledam hiſtor. de Mauris Hiſp. lib. 5. c. 25.* Mittuntur ad eos Minoritæ aliique concionatores. Petrus Carvajalius.

Reg. gen. Vitr. p.216.

tam, additamque alteram ſibi ſubſtituendi fratrem Georgium N. provinciæ Bæticæ, qui in ejus abſentia, vel quotieſcumque ad Curiam Cæſaream oporteret accedere, in converſionis negotio procederet juxta Carvajalii inſtructiones.

Capuccini ereſcunt in Calabria. Boverius hoc anno. An. 1529. n. 31.

XX. Novella reformatio Patrum Capuccinorum, ſive Minorum de vita eremitica, hoc anno majores vires acquiſivit in Calabria, auctis profeſſoribus & domiciliis. Multis enim ex Obſervantium cœtu, aliiſque e ſeculo accedentibus, Ludovicus Rheginus primis duobus, quæ ſuperius diximus Cœnobiolis, ſex alia paupercula magno temporis & ſumptus impendio, ſolitariis in locis adjunxit. Atque ſub id tempus, ut inſtitutum in proxima Siciliæ inſula propagaret, Bernardinum Georgium, ſocium fidumque cooperatorem, deſtinavit. Et quidem ille feliciter tum vitæ probitate, tum ex roſtris dicendi virtute, Meſſanæ, Panormi, Catanæ habitacula præparavit, ſed cum deeſſent qui inhabitarent, monuit Ludovicum ut accolas miniſtraret. At hic, cum Calabrorum familia adhuc eſſet exigua, ſuppetias petiit a Foroſemproniano Vicario Generali. Miſit ille protinus aliquot concionatores, quorum opera & doctrina, non modo in Sicilia verum etiam in utraque Apulia religioſum hoc diffunditur Sodalitium. Inter hos potiſſimus fuit Tullius a Potentia, qui ante biennium a Conventualibus ad Capuccinos tranſmigraverat, qui Lucaniæ, Apuliæ, Salentinorumque regiones Evangelica prædicatione percurrens, nonnulla Cœnobia conſtruxit.

Et in Sicil.

Ibid. n. 30. & ſeqq.

XXI. Ipſum autem Foroſempronianum ad Siculos proficiſcentem, qui & religionis profectum diligentius inſpicere, & opportunum rebus preſidium poſſet adferre, dum fretum Siculum trajicere parat, ter mirabiliter ad littus revectum ſcribit Boverius, & per littus incedenti a Romano tabellario litteras traditas, quibus ſumma cum feſtinatione Romam revocaretur, ſi graviſſimo, quod ſuæ Religioni imminebat, periculo vellet occurrere. Regreſſum porro multa ſibi ſuiſque a Miniſtro Generali, tum apud Pontificem, tum apud Cardinales objecta diluiſſe, eumdemque ab eodem Miniſtro ſub doloſa familiaris colloquii ſpecie ad Aram-cœli accerſitum, carceribus mancipatum, & nobilis viri, ſub cujus fide ad Generalem acceſſit, potentia miniſque liberatum. Sed vel tempore, vel fide iſta non conſtant; cum in menſe Auguſti anni præteriti Generalis, Italiæ valedicto die XX. Septembris Gratianapolim pervenerit, & in Gallia per totum ferme hunc, de quo ſcribimus, annum permanſerit, neque unquam deinceps Romam viderit, ſed in patriam urbem Generalatu ſpoliatus abierit, ubi anno ſequenti vitam terminavit. Eamdem patitur difficultatem quod de incarceratione Bernardini Rhegini apud Meſſanenſes, eodem Generale jubente, hoc anno idem auctor enarrat. Sed mirabilius eſt quod de illius extemporanea liberatione per ipſum Siciliæ Pro-Regem, angeli miniſterio per epiſtolam ex alto cadentem, in ſecretiori conclavi incluſum, protinus admonitum, ſtatimque ad carceris locum proficiſcentem, æque ſubjungit. Hoc anno Præfectura erat penes Hectorem Pignatellum Montis Leonis Ducem. Quid ſi tunc res Sicanicas Panormi non Meſſanæ procuraſſet?

Fr. Franciſcus Epiſcopus Cinnerenſis.

XXII. Inſtitutus eſt hoc anno Epiſcopus Cinnerenſis in Galatia ſub Archiepiſcopo Ancyrano, & ſuffragraneus Archiepiſcopi Toloſani, frater Franciſcus de Curia, die IV. Auguſti. Solum iſtum hujus anni reperio Minoritam electum Antiſtitem.

Conv. Montis-Cœlii. Rodul. fol. 265.

XXIII. Patres Conventuales provinciæ Tuſciæ, & Cuſtodiæ Maritimæ, hoc anno ſub Paulo III. locum accepiſſe Montis Cœlii, ſub titulo ſancti Martini, ab oppidi Univerſitate ſcribit Rodulphus, & Eccleſiam Cathedra-

drali annexam pia liberalitate fuiſſe donatam a Petro Franciſco Cinugo Rectore. Sed vel hoc anno poſteriora ſunt iſta, vel ſub Paulo III. facta non ſunt, cum ille non niſi ſub finem anni ſequentis ad Pontificatum aſcenderit. Obſervantes aliud obtinuerunt hoc anno habitaculum non longe ab oppido Rendæ in Calabria, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Gratiis. Præceſſit Clementis Pontificis facultas die XI. Maii anno antecedenti. Item aliud acceperunt in eadem regione Calabriæ, ſed non in eadem Provincia, ſibi intra mœnia oppidi Montis Leonis, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Jeſu, per Hectorem Pignatellum ejuſdem oppidi dominum conſtructum, quod multis Sanctorum ſimulacris tum marmoreis tum alabaſtrinis deinde fundator exornavit.

Conv. Rendæ. *Gonz. in provin. Calabriæ Con. 17.*

Conv. Montis-Leonis. *Idem in prov. 7. Marr. Conv. 17.*

XXIV. In Gomeræ inſula ex Fortunatis ſeu Canarienſibus una, vir illuſtris Guillelmus Peraza Comes, erga Minores Obſervantes addictiſſimus, eorumque veſte & cingulo, prout licebat indutus, illis intra oppidi S. Sebaſtiani mœnia hoc anno amplum & commodum, hortis irriguum conſtruxit Cœnobium, ſacra Eccleſiam, & reliqua ſupellectile neceſſaria inſtruxit; ejuſque conjux ſuperaddendis aliis, quæ deeſſe videbantur, pinguem eleemoſynam adjunxit. Sub annum MDLXXI. aliquot Fratres hic in odium fidei crudeliter ab hæreticis piratis occiſi ſunt, quod ſuo loco dicetur.

Conv. Gomeræ. *Idem in provin. Canar. Conv. 8.*

XXV. Sorores octo Monaſterii ſanctiſſimæ Conceptionis, apud Capitis Bovis oppidum conſtructi, de quo alias dictum eſt, in unum congregantes quidquid bonorum aut redituum a fundatore relictorum, ſibi pro rata portione obvenire poterat, ex aliarum Conſororum aſſenſu decreverunt alterum ejuſdem Inſtituti Monaſterium in Scalabienſi urbe (vulgo *Truxillo*) hoc anno inchoare. Votis obſecundavit Chriſtophorus a Sedeño provinciæ ſancti Jacobi Miniſter, cujus patrocinio fideliumque pietate tamdem opus perfectum eſt, quinquaginta capax Sanctimonialium.

Mon. Capitis Bovis. *Idem in provin. S. Michael. Mon. 14. Tom. 15. anno 1508. n. 18.* Mon. Scalabienſe.

XXVI. Intra muros oppidi Fontis-Salidæ Ferdinandus Alphonſus, Presbyter ſecularis, pietate plus quam divitiis abundans, humile poſuit hoc anno principium domicilii, ſub titulo Spiritus ſancti pro quibuſdam Sororibus Tertii Ordinis eo in oppido commorantibus. Domus perficiendæ & familiæ introducendæ curam aſſumpſerunt Alphonſus Manriquius, & Ludovicus Complutenſis, ita jubente Antonio a Cruce, provinciæ Caſtellæ Miniſtro. Primæ fundatrices accerſitæ ſunt ex Monaſterio Conceptionis Illeſcarum, ſcilicet Maria de Chriſto, prima Abbatiſſa, Catarina a Cruce, & Anna de Conceptione.

Domus Sororis Fontis ſalidæ. *Idem in provin. Caſtell. Mon. 24. Salaz. l. 7. c. 13.*

XXVII. Delatis ad Clementem Pontificem variis querelis contra Fratres pleroſque, qui ſub diverſis titulis, prætenſiſque licentiis & privilegiis Apoſtolicis extra Ordinem diverſabant, gravi conſtituto declaravit, facultates omnes, quibus fulciebantur, & excuſationes, quas promebant, irritas eſſe & inanes; & proinde omnes ad clauſtralem diſciplinam ſubeundam eſſe compellendos: *Sedis Apoſtolicæ providentia*. die XXVI. Julii.

Anno Christi 1534.	Clementis VII. anno II.	Caroli V. Imp. anno 16.	Religionis Minorum anno 327.

ARGUMENTUM.

Moritur Clemens VII. ſuccedit Paulus III. Decedit Andreas Cardinalis de Valle, Ordinis Protector. Subſtituitur Franciſcus Cardinalis Quiñonius. Ex humanis abeunt Paulus Parmenſis Generalis Minister, & Martinus de Valentia Novæ Hiſpaniæ Apoſtolus, cujus acta recenſentur. Henricus VIII. aperte recedit ab Eccleſia Romana, magnamque excitat contra Minoritas perſecutionem. Male inſuper habent in Weſtphalia ab Anabaptiſtis. Moriuntur Hieronymus a Meſſurata, & Joanna a Cruce, cujus vita diffuſius enarratur. Antonius de Calcena mittitur ad inſtruendos Mauros Valentinos. Conventuales Comitia celebrant Generalia, in quibus Jacobus Anconitanus fit Magiſter Generalis. Cuſtodia ſancti Evangelii in Indiis erigitur in provinciam. Multiplicatur Capuccinorum Inſtitutum. Creantur Epiſcopi, ædificantur Monaſteria.

I. ETsi luctuoſum ſe nobis exhibeat hic annus morte Summi Pontificis Clementis VII. Andreæ Cardinalis de Valle, Ordinis Protectoris, & Pauli Parmenſis recens functi Generalatus officio; aliunde tamen celeri optimorum virorum ſubrogatione Pauli III. Franciſci Cardinalis Quiñonii, & Leonardi Publicii matura inſtitutione fauſtum ſe reddidit & felicem. Quod vero alii, ſive morum pietate, ſive fidei ardore illuſtres, vel placide dormierint, vel ſanguinem profuderint, hoc etiam Religionis accedit felicitati, quæ tot filios cœlo inſerit, quot hujuſmodi tempeſtive præmittit. De his autem poſteriori loco acturi, præmittemus quos amiſimus, & quos accepimus heroes, Ordinis patronos. Atque ut ab optimo maximo ſumamus exordium, Clemens Papa, poſtquam ex Urbe Maſſilienſi, & Conventu triginta quatuor dierum cum Franciſco Galliarum Rege magnifice ibidem celebrato, in Urbem hoc anno ineunte rediiſſet, ſtatimque ſepulcrum, & amictum omnem, quo Pontifices cum ſepeliuntur, ornari ſolent, ſibi fieri curaſſet, & familiaribus ſedatiſſimo animo ſe brevi moriturum dixiſſet, ſub ætatis initium ſtomachi doloribus cœpit excruciari, deinde febri, mox aliis offenſionibus vexari, donec VI. Kalendas Octobris ex hac vita migravit, anno ætatis quinquageſimo ſexto, menſe quarto, Pontificatus anno decimo, menſe decimo, die ſeptimo. Fuit vir valde gravis, ſagax, victor ſui, maximoque ingenio, ſummo erga Franciſcanos affectu. Taxatur tamen nimiæ in conſanguineos propenſionis, & tremuli in periculis animi, quæ in rebus graviſſimis aliquando judicium poterant perturbare.

Moritur Clemens VII.

II. Cardinales triginta quinque, v. Idus Octobris conclave ingreſſi, biduo poſt, Alexandrum Farneſium Epiſcopum Oſtienſem, collegii Decanum, ſexageſimum ſeptimum annum agentem, unanimiter in Summum Pontificem elegerunt. Nomen ille accepit Pauli, ejus nuncupationis tertii, propterea quod ſedente Paulo II. natus fuiſſet; coronatuſque eſt III. Nonas Novembris ſuper gradus Baſilicæ Vaticanæ.

Succedit Paulus III.

III. Andreas Cardinalis de Valle, Epiſcopus Præneſtinus, poſtquam annis multis Religionem protexiſſet, hoc ipſo, non præcedenti, uti aliqui autumarunt, III. Nonas ſextiles, poſt diutinum languorem ex humanis abiit, ſepultus apud Minores ad Aram-cœli. Illius vices, dum ægrotaret, ſubivit Franciſcus Cardinalis Quiñonius, cui paulo poſt ejus mortem integre commiſſa eſt Ordinis Protectio. Paulus Parmenſis anno præterito, dum male cœpit haberi Andreas, eoque eſſet ſtatu deſperatæ ſalutis, ut brevi crederent

Obiit Card. de Valle Ord. Protector.

Subſtituitur Cardin. Quiñonius.

rent moriturum, ad Galliæ Provinciales, & Commiſſarium Generalem Ultramontanum ſecretis notis, ſuoque celato nomine ſcripſit, ut communibus ſuffragiis, accitiſque Regum & Principum favoribus, Protectorem unanimi cum ipſo conſenſu eflagitarent apud Pontificem, Auguſtinum Cardinalem Trivultium. Duplici id de cauſa, tum ut ipſe Gallis valde addictus, fautorem haberet peculiarem, a Rege Galliarum conſtitutum ſui regni Protectorem; tum ut imperium declinaret viri Hiſpani, Cardinalis ſcilicet Quiñonii, cujus amicos offenderat, & potentiam quantum poterat, imminuit. Facile enim ſibi perſuaſit, Clementem, niſi validiſſimis Principum precibus flecteretur, non alteri quam Quiñonio, ſibi ex prædictis, quæ retulimus, obſequiis gratiſſimo, & in rebus Ordinis longe verſatiſſimo, Religionis protectionem commiſſurum.

IV. Diſpares fuerunt cogitationes Vicarii Generalis Leonardi Publicii, qui ſtatim ubi deceſſiſſe audivit Cardinalem de Valle Protectorem, ad alium petendum mox animum adjecit; congregatiſque, quos potuit, Ordinis Patribus, ex illorum conſilio non alium quam dictum Cardinalem ſanctæ Crucis Quiñonium peti voluit a Pontifice, commiſſa cura Honorio Chayano Procuratori Ordinis, Pontificis Clementis confeſſario, & Vincentio Lunello Curiæ Commiſſario, ad quos Commiſſionis inſtrumentum iſtud publicum ab urbe Spoletana tranſmiſit. Honor. Chayanus Pontificis Confeſſarius.

V. *Univerſis ad quos ſpectat, facio præſentibus manifeſtum ego frater Leonardus Publicius, Generalis Ordinis Minorum Vicarius, quod quoniam ex ſpeciali & expreſſo mandato Regulæ, ſemper debeamus habere Protectorem Ordinis a ſancta Sede Apoſtolica conceſſum, unum de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, u', proh dolor! defuncto nuper Reverendiſſimo de la Valle, qui eam Protectionem exercebat, de alio nunc provideatur ut neceſſe eſt, & eo celerius, quo emergentibus in dies difficultatibus poſſit Religioni mora minus obeſſe. De multorum venerabilium Patrum maturo conſilio atque aſſenſu, nomine meo, & ejuſdem Religionis univerſæ, eligo, nomino, & omni cum reverentia peto per præſentes a Sanctiſſimo Domino noſtro, Domino Clemente Papa VII. in Protectorem, correctorem & gubernatorem dicti Ordinis ad formam Regulæ, Reverendiſſimum atque ac obſervandiſſimum Dominum, Dominum Cardinalem ſanctæ Crucis, ſupplicisſime exorans Beatitudinem ſuam, quatenus pro ſua clementia velut Zelatorem præcipuum, & benigniſſimum honoris & profectus ipſius Ordinis, ac illius negotia ſalubri cura longioris experimenti plenius agnoſcentem. Et non valens ipſe ad pedes prædicti Sanctiſſimi Domini noſtri tam cito, ut oporteret, propterea me conferre, ne mora poſſit interim Religioni præjudicium aliquod afferre, de Reverendi Patris fratris Honorii Chayani Procuratoris in Romana Curia optima probitate & ſapientia non immerito fretus, vices meas pleniſſimas, quoad dictum Reverendiſſimum Cardinalem ſanctæ Crucis in Protectorem, ut ſupra, petendum & impetrandum a prælibato Sanctiſſimo Domino noſtro, ſuæ præfatæ Reverentiæ committo; volens Reverendum Patrem Vincentium Lunellum pro intereſſe nationis Ultramontanæ, cujus ibi commiſſionem agit, equidem ipſi petitioni faciendæ præſentialiter adeſſe, ipſi R. P. Honorio coaſſiſtendo. Quos rogo, & utrique ad meritum & in virtute ſalutaris obedientiæ injungo, quatenus, præſentibus receptis, ad pedes ejuſdem Sanctiſſimi Domini noſtri, pro dicti Reverendiſſimi Protectoris obtentu, quamprimum ſupplices ſe præſentent, pro Sua Beatitudine & ſanctæ Matris Eccleſiæ felici conſervatione, noſtras & Ordinis univerſi preces propterea devovendo. In quorum fidem has propria manu ſubſcripſi, & ſigilli Ordinis munimine annotatas tradidi. Datum Spoleti, XII. Auguſti* MDXXXIV. Reg. gener. Ciſm. fol. 119.

VI. Annuit autem Pontifex libenter Vicarii Generalis & Curiæ Miniſtrorum petitioni, inſtituto Quiñonio Protectore hujus diplomatis tenore.

Dilecto filio Franciſco tituli ſanctæ Crucis in Jeruſalem Presbytero Cardinali.

Reg. Vat. f. 85. *Dilecte fili &c. Cum ſacer Ordo Fratrum Minorum, cujus bonæ memoriæ Andreas Epiſcopus Præneſtin. dum viveret, Protector, gubernator & corrector exiſtebat, per obitum ejuſdem Andreæ Epiſcopi, qui apud Sedem Apoſtolicam debitum naturæ perſolvit, Protectore, gubernatore & correctore careat ad præſens: Nos præfuto Ordini uberes in agro Domini fructus aſſidue afferenti, quem in viſceribus gerimus caritatis, de idoneo & utili Protectore, gubernatore & correctore providere volentes, ad circumſpectionem tuam, prudentia & caritate eximia præditam, animum noſtrum convertimus, ſperantes dictum Ordinem ſalubre in Domino ſub tua protectione incrementum ſuſcepturum. Motu igitur proprio te univerſi præfati Ordinis Protectorem, gubernatorem & correctorem, eum auctoritate, facultate, poteſtate, honoribus & emolumentis, aliis Protectoribus dari & concedi ſolitis, facimus, conſtituimus & deputamus; ac dilectis filiis Generali, & aliis Miniſtris, Guardianis & Fratribus dicti Ordinis, & quibuſvis aliis, ad quos ſpectat, ut te in eorum & totius Ordinis prædicti Protectorem & gubernatorem ac correctorem accipiant & admittant, & tibi tamquam Protectori, gubernatori & correctori pareant & obediant, ac obſequia aliis Protectoribus, gubernatoribus & correctoribus impendi ſolita exhibeant, diſtricte præcipiendo mandamus. Hortantes eamdem circumſpectionem tuam, ut præfatum Ordinem, velut cupimus & ſperamus, pro bonitate tua, proque officii debito, ita protegat, gubernet & corrigat, ut apud Deum bonorum operum retributorem præmium, & apud Nos recommendationem mereatur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris,* XVII. *Auguſti* MDXXXIV. *Pontificatus noſtri anno* XI.

Decedit Paulus Parmenſis.

VII. Paulus Piſſottus Parmenſis, depoſito, uti diximus, Generalatu, podagra, aliiſque morbis vexatus, in patriam ſe recepit, ubi hoc anno die VII. Novembris requievit in pace. A Cœnobio veteri Obſervantum per Ducem Parmenſem Petrum Ludovicum Farnelium diruto, ubi fuerat primum ſepultus, translata ſunt illius oſſa ad novi Cœnobii templum, uti alias retulimus, & appoſitum hoc Epitaphium.

Tom. 10. anno 1454. n. 13.

Paulo Piſſotto Parmenſi Lud. Piſſ. F. Univerſi Ordinis Minorum Miniſt. Gener. ſapientiſſ. Theologo, vita atq. ſcientia rariſs. Nep. IV. e gente Zandemaria avunculo B. M. P. Obiit an. ſalutis MDXXXIV. *Ætatis ſuæ* LIV. M. IX. D. XI. VII. *Idus Novembris.*

Necnon Martinus de Valentia.

VIII. Ex humanis inſuper abiit hoc anno vir ille vere Apoſtolicus Martinus de Valentia, novæ Hiſpaniæ ſive imperii Mexicani primus Prælatus & Apoſtolus, de quo ſparſim ſuperioribus annis pleraque delibavimus. Illius morti opportune duximus præmittendum hoc vitæ compendium. In Valentino oppido, Legionem inter & Beneventum in Hiſpania piis & honeſtis parentibus ortus, a pueritia cœpit Deum timere & revereri. In juvenili ætate poſt ſuperatas difficultates multas, quibus eum Satan a propoſito deterrebat, habitum ſuſcepit Minorum in cœnobio Majoricano, provinciæ ſancti Jacobi, ſub diſciplina Joannis de Argomanis, viri docti & pii, ejuſdem provinciæ poſtea Miniſtri. Inter alios libros ſpirituales legit unum

Qualis ille vir? *Gonz. in Provin. S. Evang. Conv. 10. Torrecr. l. 20. c. 1. & ſeqq. Ximenez vita MSS.*

Fit Minorita in Prov. S. Jacobi.

Bar-

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 327.
5534.	anno 11.	anno 16.	

Bartholomæi Piſani de conformitate vitæ Chriſti & ſancti Franciſci, ex quo plurimum hauſit virtutis, & ardoris pro Chriſto martyrium ſubeundi. Audita proinde famæ ſtrictioris vitæ Religioſorum virorum provinciæ novellæ Pietatis in Luſitania, impetravit licentiam ad eos tranſmigrandi. Rediit poſt aliquot annos in Caſtellam, Joanni Guadalupenſi, de quo ſæpe dictum eſt, ſtabiliendæ Cuſtodiæ ſancti Gabrielis cooperaturus. Illo defuncto, ſuam præſtitit operam Petro Melgario aliiſque Joannis diſcipulis, donec redactis illorum domunculis in poteſtatem Miniſtri provinciæ ſancti Jacobi, ad illam oportuit reverti. Solitarium arctumque vivendi genus cupienti conceſſa eſt facultas prope Belviſium, Conventum Dominæ noſtræ de Berrocali conſtruendi. Ex hoc aliiſque a nobis narratis Cœnobiis, dum provincia coaluerat ſancti Gabrielis, in ea poſt multos toleratos labores deinceps permanſit. Longum iter aggreſſus pro confirmando ſtatu provinciæ, incidit in latrones, qui primo & ſecundo comprehenſum, dure verberaverunt, illo patienter ictus ferente, & pro cædentibus deprecante.

Abit ad Provinc. Pietat.

Inde ad S. Gabrielis.

IX. Fama virtutum per vicinas provincias diſperſa, Comes Ferianus ſuperiores exoravit, ut ad Conventum ſancti Onuphrii Lapenſem deſtinaretur; ubi graves ſimultates inter prædictum Comitem & Marchionem de Pliego propter rem graviſſimam exortas, prudentiſſime compoſuit, concionatus integra Quadrageſima in oppido de Montilia, ubi Marchionem habuit auditorem, & ad vitam Chriſtiane componendam, inſtructa per ſacramentalem confeſſionem conſcientia, cunctis admirantibus, perduxit. Etſi vero virtutibus omnibus clareret, abſtinentia præcipue & pœnitentia, ita tamen profundiſſima eminebat humilitate, ut ſibi ipſi diſpliceret; vilſque, contemptibilis, & inutilis ſervus appareret. Nihil proinde magis cogitabat, quam qui fieri poſſet, ut relicto aliorum conſortio, ſibi ſoli corrigendo, Diviniſque rebus contemplandis, totus vacaret. Penſitavit huic rei aſſequendæ Carthuſianorum Inſtitutum valde opportunum; ſed dum poſt orationes multas, obtenta repetitis precibus Superiorum facultate, ad eos proficiſcitur, tantus eum, nulla præcedente occaſione, pedis dolor invaſit, ut minime poſſet progredi, licet ſæpe tentarit. Quo indicio facile mente concepit, illam tranſmigrationem Deo non placere, ſtatimque ad ſuos reverſus eſt. Huic tamen ſolitudinis cupidini magna ex parte ſatisfecit in deſerto, & ab hominum commerciis ſemoto Cœnobio Dominæ noſtræ Montis-Cœlii de Fovea, ubi a Deo ſæpe confortatus, plurimas habuit internas illuſtrationes.

Ejus virtutes.

Cupit tranſire ad Carthuſianos.

X. Multas tamen hic paſſus eſt tribulationes & immiſſiones per angelos malos, quibus Deus, uti aurum igni, probandum permiſit. In oratione factus remiſſior, deſertum abhorrere cœpit, & quæ prius camporum atque arborum ſpecies erat jucundiſſima, tunc ultra quam credi poſſet, diſplicebat; erga Conſratres frigide afficiebatur; nulla rei ſpiritualis voluptate capiebatur; & quod gravius eſt, contra fidei arcana moleſtæ ſuggerebantur dubitationes, atque in Miſſæ ſacrificio exiſtimabat ſe non conſecrare; ſibique vim pene inferens, difficulter ſacra ſumebat libamina. Vehementi hac imaginatione ita potenter agitabatur, ut nec celebrare vellet, nec cibum capere poſſet; eoque debilitatis tanta abſtinentia, pœnitentia, & ſpiritus afflictione devenerat, ut conſumptis carnibus, oſſa ſola pelle conſtarent. Atque hic etiam latebat dolus inimici, qui perſuadebat vires eſſe integras, & magnis laboribus ſufferendis opportunas. Statuit itaque per diem unum nihil manducare, & ſequenti dicebat ſe melius habere: quod cum per quatuor aut quinque dies feciſſet, & vires omnino deficerent, Fratribus ut

Multas ei parat damon inſidias.

manducaret urgentibus reſpondebat; ſe numquam ſenſiſſe robuſtiorem. Ita ſub pœnitentiæ rigidioriſque vitæ ſpecie illum Satanas illaqueabat, ut præcipitaret: tanta etenim inedia oportebat ut ſibi mortem inferret, aut mente decideret, maxime cum corpori exangui etiam ſomnum ſubtraheret. Sed Deus, qui ſuos numquam deſerit, dum certamini committit, ad unius mulierculæ vocem, laqueos omnes & tricas Satanæ diſſolvit. Conſpicata etenim exhauſtum, ſola ante hærentem, greſſibus incertum, exclamavit: *Heu me, pater, quid tibi mali eſt? videris propemodum animam exhalare.* Ad hanc vocem, tamquam ab Angelo cordi incuſſum, perinde ac ſi e ſomno exſuſcitaretur, in ſe reverſus, periculoſas hoſtis percepit inſidias; mox profligato inimico, nubilum omne diffugit, viditque quantis involvebatur erroribus, quos plene, Deo auxiliante, correxit.

Ingens illius amor erga proximos.

XI. Inde in amorem proximi exardeſcens, non ſolum qui prope erant, ſed & qui longe aberant, Chriſto cupiebat lucrificare. Ingens ergo mentem ſubiit cupido ad longinquas nationes proficiſcendi, & infideles convertendi. Creſcebat autem hoc deſiderium internis, iiſque frequentibus revelationibus vaſtiſſimarum regionum vocandarum ad fidem, quas ſæpe videbatur ſub oculos habere. Cum matutinas preces in choro Fratribus concineret feria quarta Adventus, in ſupradicto cœnobio Montis-cœlii, cœpit interius delectari, & futura numeroſiſſimæ gentis converſione exultare; amplioriſque lætitiæ cauſam ſibi paſſim in Pſalmis miniſtrari cenſebat, dum pleroſque verſiculos in hunc ſenſum explicabat. In Pſalmo illo: *Eripe me de inimicis meis*, quo bis occurrunt illa verba, *Convertentur ad veſperam, & famam patientur ut canes*: prædici gentilium converſionem exiſtimans, ſecum dicebat: *Quando hæc erunt? Quando implebitur hæc ſcriptura? Quando perveniet hoc veſperum? An noſtro fortaſſis tempore? Indignum me reputo, qui numeroſam hanc converſionem aſpiciam, ſiquidem inclinat jam dies, & corpuſculum noſtrum in terram, ex qua exierat, recurvatur.* Multa hujuſmodi ſecum ernctabat, plurima Pſalmorum loca in hunc ſenſum interpretatus.

Infidelium inhiat converſioni.

Pſ. 58. 7. & 15.

XII. Firmiori adhuc ſpe ſalvandæ gentis erectus eſt, cum abſolutis Pſalmis, ad ipſum ſpectaret recitare Lectiones ex Iſaia Evangelico Propheta, in quibus palam hoc fidei incrementum prænunciabatur. Protinus in ſpiritu raptus, immenſam vidit infidelium multitudinem ad fidem converti, & ſacris aquis intingi, cœpitque tanta perfundi voluptate, ut ſe continere nequiret, quin veluti lymphaticus ter proclamaret: *Laus ſit Jeſu Chriſto*, & extra ſe factus, ulterius progredi non valeret. Immobilis factus, toto corpore rigebat, ductuſque in cellam, judicatus eſt mentis inops, unde obſeratis feneſtra & oſtio, recluſus eſt, ne quidquam amenter aggrederetur. Ita in raptu permanſit, donec ſacrum ſolemne inchoandum erat, quo tempore in ſe reverſus, dum in choro cum Fratribus convenire vellet, oſtium feneſtramque videns firmata repagulis, ſubriſit, judicium quod efformaverant Fratres, ſuſpicatus. Rurſum deinde cogitans quæ in ſpiritu toto illo tempore conſpexit, Deum rogavit, ut concederet univerſa illa corporeis oculis intueri. Et quidem hanc gratiam obtinuit, toties videns ingentem Indorum multitudinem doctrinam Chriſtianam audientem, & Baptiſmum avide poſtulantem. Atqui tunc viſionem iſtam, ingentes Deo gratias agens, Fratribus aperuit.

Tentat in Africam proficiſci.

XIII. Hoc percitus ſpectaculo, in dies magis creſcebat deſiderium ad infideles proficiſcendi. Statuit itaque ad Afros transfretare, illiſque veram fidem nunciare. Sed cum ſemel & iterum facultatem petit incaſſum a Su-

pe-

periore, tertio decernit idipſum poſtulare. Arrepto itinere, ut Superiorem alio hærentem Cœnobio deprecaretur, in cujuſdam fluvii tranſitu magnum paſſus diſcrimen, excidentes ſacrorum Bibliorum alioſque Codices, quos in prædicationis munus præparaverat, Deo & Genitrici commendavit, atque magno, ab eo loco, quo perdiderat, intervallo illæſos recepit. Opportune autem quidam notæ pietatis vir, cœleſtibus arcanis aſſuetus, eum commonuit, ut a cœptis deſiſteret, futurumque poſt aliquot annos tempus, quo ad Indos, non ad Afros, cum pleriſque ſociis eſſet deſtinandus. Acquievit protinus pii viri monitis, tamquam cœlo dilapſis, nec quidquam amplius circa iſta intentavit, donec duodecimo poſt anno a Miniſtro Generali Quiſtonio, uti ſuo loco diximus, ad novæ Hiſpaniæ ampliſſimas amandatus eſt regiones. *Anno 1525. n. 16.*

XIV. Dum adhuc in Hiſpania ante profectionem Indicam hæreret, multis florebat virtutibus, diſciplinæ Regularis obſervantiſſimus. Rigidæ paupertatis amator; nudis pedibus, unaque tunicula obſoleta incedebat, cilicium geſtans aſperrimum. In cibo parciſſimus, fruſtulum aliquando carnis admittebat diebus feſtivis. Præter Eccleſiaſtica & Regularia jejunia, alia obſervabat, cibumque ut plurimum injecto cinere reddebat ingratum. In ſenectute magni Hilarionis ſecutus exemplum, abſtinentiam augebat, quatuor in Hebdomadæ diebus jejunans, pane tantum & leguminibus contentus. Aſpere ſe flagellabat, in multam noctem ſupplicium ſæpe perducens. Chriſtum crucifixum præ oculis ſemper habebat, cujus recordatione ſevere in ſe animadvertebat, nulli parcens corporis moleſtiæ. Morbis ſæpe vexatus, nihil ſterni præter exilem culcitram permittebat, neque pharmacorum aut medicorum præſidia requirebat; ſalutem & vitam ſoli Chriſto auctori humiliter committens. Humilitatem omnium virtutum ſolidiſſimum fundamentum, ſummo ſtudio moleſtiſque comparavit exercitiis, quibus elati animi, & cholericæ naturæ conditionem ſuperavit. Magna contentione humiles æmulatus, illorum ſorti ſancte invidebat, & quales erant, fieri cupiebat. Franciſcum Ximenium ſibi valde familiarem, affabilem, manſuetum, perquam humiliter de ſe ſentientem, imitari deſiderans, ſæpe dicebat: *O quam vellem huic Fratri aſſimilari!* Rigida ſe exercebat pœnitentia. Ejus humilitas.

XV. Inter alia ejus humilitatis documenta, illud recenſeri poteſt, quod cum ſancti Gabrielis Provinciæ Miniſter eſſet, ad quam moderandam primum anno MDXVIII. in vigilia Aſſumptionis Marianæ ſuſceptus eſt, & Fratrum culpas in aula capitulari corriperet, prius propalabat ſuas, & flagello vindicabat, nudas acriter ſcapulas cædens; quo tempore cilicium, quod ab ingreſſu Religionis perpetuo geſtabat, Fratres perſpiciebant, exemplum inde ſumentes humilitatis & pœnitentiæ, certumque argumentum, quod ſupplicium ipſis inferendum a paſtorali procedebat affectu. Neque illud ſuæ humilitatis exemplum alterum reticere licet, quod e prædicta Provincia in Patriam magno intervallo diſtantem, parentes & conſanguineos viſurus, profectus, ubi pervenit, cauſam tam immenſi itineris, tantique laboris ſecum recogitans, non aliam fuiſſe quam vanum mundanumque erga ſuos amorem; ut ſe vilificaret, commiſſumque corriperet errorem, ante oppidi ingreſſum, exutis præter fœmoralia veſtibus, injecto ad collum fune, ſe a ſocio, per univerſum oppidum, eamque præſertim callem, in qua cognati habitabant, tamquam facinoroſum ſceleſtumque hominem trahi præcepit. Quo peracto, uti rariſſimo, ita mirando ſpectaculo, conſanguineorum neminem inviſens, nullumque allocutus, ad Monaſterium unde exierat, longo remenſo itinere reverſus eſt. Hujuſmodi exer-

exercitationibus, in quibus frequens erat, perfectam aſſecutus eſt humilitatem, & ſe omnibus reputabat viliorem.

Mittitur in novam Hiſpaniam.

XVI. Tot tantiſque virtutibus illuſtrem, perquam idoneum reputavit ſupradictus Quiñonius, quem in Mexicanam mitteret Provinciam, ſicuti ſuperius diximus, & duodenis præficeret Miſſionariis. Primus fuit Cuſtos & Vicarius Apoſtolicus in illis partibus, cui poſt triennium ſucceſſit Ludocus a Fuenſalida, ad quod munus ſecundo aſſumptus eſt Martinus anno MDXXX. quod abſolvit poſt annos tres, ſubſtituto Jacobo de Teſtera Gallo, viro religioſiſſimo. Etſi vero Prælatus ſuerit Fratribus, Pontificia polleret auctoritate, & Caroli V. privilegiis fulciretur, ſummæque eſſet venerationis apud Corteſium, ampliſſimarum gentium dominatorem; numquam tamen pauperculi & humiliſſimi Fratris perſonam depoſuit, imo tunc magis ſe abjectum volebat, quando ſtudioſius ab aliis efferebatur. Hoc utique fundamentum ſolidum poſuit prædicandi Evangelium illis gentibus, impenſeque curabat ut humilitas iſta, & paupertas externe appareret in Fratribus, quos nudis pedibus, laceriſque veſtimentis, huic ſubeundo miniſterio mittebat. Ipſe ſolus Provincias luſtrabat ampliſſimas, nolens comitem circumducere cum aliarum regionum diſpendio. Fratres erant pauci, & meſſis maxima: nullius itaque miniſterio uti volebat in portandis libellis, ſive itineri neceſſariis, quibus ipſe humeros ſupponebat, licet exilis eſſet corpuſculi, atque ætatis provectæ.

Anno 1523. n. 16.

Qualiter Gentilium procurabat converſionem.

XVII. Sive vero in itinere, ſive domi eſſet, nullam ſibi concedebat requiem, modo orationibus, modo moleſtis intentus exercitationibus, otium procul faciebat. Propoſuit crebro in genua procumbere, Deumque humiliter pro gentium converſione deprecari; quod dum perſæpe noctu, magnis gemitibus & ſuſpiriis compleret, putantes Fratres quod ſpiritu deficeret, accurrebant auxiliaturi. Qua mentis teneritudine Dominicæ paſſionis myſteria recolebat, vel inde conſtabat ſociis, quod ab illa Dominica, quæ Paſſionis appellatur, uſque ad diem Reſurrectionis, adeo debilitabatur, ac ſi per multos dies ægrotaſſet, ſtatimque hac lætitiæ & exultationis feſtivitate ad priſtinas vires roburque corporis reſtituebatur. Tantam autem totius hominis tranſmutationem Ximenez ſecretorum conſcius revelavit Fratribus, ex aſſidua illius temporis, & vehementi paſſionis Chriſti meditatione proveniſſe. Poſt matutinas preces, beneficia Divina hominibus collata ſecum perpendens, cantica quædam Divinas laudes continentia ſonora voce promebat; quæ præ foribus audientes mirum in modum afficiebant, licet quæ recenſebat myſteria, aut blandula, quæ cum Deo inibat colloquia, non exacte perciperent.

Dominica afficiebatur paſſione.

XVIII. Quantus ei inerat zelus ſalvandorum Indorum, tantus cruciabat dolor non poſſe cum eis expedito ſolutoque idiomate converſari, ut facilius poſſet inſtruere. Cum etenim ingraveſcente annorum numero, curarum multitudine & gravitate laborum, linguis peregrinis & variis addiſcendis, facultas & tempus minime ſuppeteret, quibus poterat modis defectum ſupplebat. Quod enim loquelæ deerat, vitæ probitate, piorumque morum exemplis abunde compenſabat. Inſtruendis pueris diligenter intendebat, quos facilius erudiri poſſe judicabat, & per quos ſperabat, quam hauriebant ſanam doctrinam, ad parentes tranſmittendam. Datis inſtructionibus, orationi vacabat in loco, ex quo illos intueretur, & ab eis viciſſim perſpici poſſet; tum ut illi ſtudium non intermitterent, tum ut hoc docerentur exemplo jugiter orandi, jam compertam habens Indorum naturam, maxime proclivem ad aliorum ſectanda veſtigia; eamque præ reliquis gentibus, plus

Quomodo pueros inſtruebat.

plus oculis quam auribus, atque operibus facilius flecti quam verbis. Cum illis poſt matutinas preces, hymnos pioſque rhythmos canebat, & extenſis in crucis formam brachiis aliquoto orabat intervallo, mox aliis piis erudiebat diſciplinis: quo factum eſt, ut diſcipulos habuerit Divinis rebus, pro cujuſque talento egregie addictos.

XIX. Multum iis populis, quibus eſt commoratus, contulit pietatis & beneficii, propter quæ jugis illius permanet memoria, nomenque percelebre, præſertim in Tlaxcallenſi, & Tlalmanalcenſi Provinciis. In priori fidem Chriſti firmavit, deſtructis in urbe ejuſque circuitu idolorum fanis, contritiſque ſimulacris, præſertim fani Matlalcueye, quam in monte alto prope urbem ad Orientem, tamquam Deam & pluviarum Patronam feſtivis ritibus paſſim colebant, ubi ſancti Bartholomæi Indiæ citerioris Apoſtoli, Templum ædificavit, cuſtodeſque adhibuit, ne ad conſuetæ idololatriæ præſtigia, vanoſque ritus ſacrificuli clam populos attraherent. In poſteriori oppidum eſt Amaquemecani, Cœnobio Ordinis Prædicatorum, frequenti populo, & fertili agro inſigne, ab urbe Mexicana leucis ferme duodecim diſtans ad Orientem, in quo diu hæſit, loca omnia in circuitu percurrens, Dei verbum cumulato fructu diſſeminans, illiſque oppidanis innumera advehens beneficia. Incredibili in hunc uſque diem affectu ejus memoriam concelebrant, tamquam ſuum Apoſtolum e cœlo miſſum, & protectorem, ac tutelarem contra Hiſpanorum injurias jugiter prædicantes, Oratorium in quo per aliquot intervalla, uti mox dicemus, latebat, effuſa venerantes pietate. Joannes Zumarraga vir ille optimus, primus Mexicanorum Antiſtes, de quo ſæpe ſuperius, quando ex Hiſpania ad illas oras transfretavit, ſummo ferebatur deſiderio hominem vivendi, multa cum illo conferendi, ea præſertim, quæ Indorum, ſuæque animæ concernebant ſalutem. Utque commodius illo frui poſſet, in ſua volebat ſocietate. Abiit itaque Tlaxcallam, ubi Martinuus Guardianum agebat, & totam illam procurabat Provinciam, eique ſuum aperuit deſiderium. Reluctantem multaſque afferentem cauſas ne faceret, rogavit Antiſtes, ut ſaltem Dei judicio rem committeret, & in oratione peteret, ut ſuam mentem aperiret. Annuit Martinus: ſed dum in oratione perſiſtit, ſopore corripitur, & ſe conſtitutum in cymbula abſque remis in viſione conſpicit, mare vero concitatum, commotoſque fluctus, cymbulæ inſilientes. Timore ingenti perculſo mox dictum eſt in ſpiritu, mare perturbatum ſeculum eſſe; in illo verſantes naufragii ſubire periculum, nihilo minus quam qui in navicula abſque remige fluctibus agitantur. Hoc Divinæ voluntatis indicio excuſatum ſe habuit apud Epiſcopum, qui majori deinceps eum proſecutus eſt amore & reverentia.

Fana Idolorum deſtruit, & Idola comminuit.

Renuit Epiſcopo cohabitare. *An.* 1523. *n.* 31. *& an.* 1530. *nu.* 28. *& alibi.*

XX. Non minori ejus ferebatur deſiderio Dominicus de Betanzos, vir ſanctiſſimus Ordinis Prædicatorum, primorum illius Inſtituti Patrum, qui ad Mexicanas miſſi ſunt regiones, anteſignanus & rector. Cum vero tanto homine ſibi cariſſimo, pro voto frui non poſſet, tum propter diverſum vitæ Inſtitutum, tum propter diſſitas regiones, in quibus Indorum oportebat operari ſalutem, ſaltem ejus effigiem ſub oculos voluit habere. Tres illi religioſiſſimi viri, Joannes, Dominicus, & Martinus ardentiſſimo flagrabant deſiderio ulterius pergendi, & ad Sinas penetrandi, quorum jam in Hiſpania revelationem habuerat Martinus, & in Indiis percrebuerat notitia, licet navigationis curſus non plene innotuerat. Cupientes illi viam aliis aperire, & explorare, an ultra portari poſſet Chriſti nomen, ejuſque fides gentibus inferri, decreverunt ſimul ad illas regiones longinquas proficiſci, &

Dominicus de Betanzos Ordin. Prædic. ſtudioſus.

Cupit ad Sinas proficiſci.

Fer-

Ferdinando Corteſio perſuaſerunt, ut illic navigationem inſtitueret, fide-jubente Martino ampliſſimas adhuc latere verſus Occidentem regiones, aere ſaluberrimo, ſolo fertili, aurifodinis abundantes, ingenioſiſque viris præſtantes. Paraverat navigia Corteſius, ſed hi conſcendere non potuerunt, reſervante Deo aliis provinciam, & volente ut iſti in illa manerent regione, ad quam fuerant deſtinati. Cum enim e portu de Tequantepeco ſolvere cogitabant, nautæ compererunt adeo carioſa & corrupta fuiſſe navigia, ex viridi & immatura materia compacta, ut tanto itineri procelloſoque mari minime potuiſſent committi. Secundo poſt aliquot annos hanc profectionem tentarunt Dominicus & Martinus, ſed fruſtra, diſſuadentibus navarchis, ut vetuſtæ quaſſatæque rati confiderent, quibus tamen Martinus: *Mittite*, inquit, *me in cucurbitam, nihil enim dubito, quin Deus quo cupio, me ſit profuturus nominis gloria deducturus.*

Sed non potuit.

Frequentes pectus extaſes.

XXI. Divinis myſteriis contemplandis aſſuetus, tam vehementer aliquoties immergebatur, ut quid circa ſe fieret exterius, protinus neſciret aut ſentiret. Vacans aliquando orationi, vocatus ingenti clamore nihil audivit, idque ſæpius contingebat, ut ſe vocantibus tamquam e ſomno experrectus reſponderet. In Conventu Salmanticenſi, per rimulas oſtii cubiculi viſus eſt e terra in altum ſublatus, totoque corpore & brachiis contremiſcens. In Belviſiano cum Chriſtianis Paſſionem prædicaret, ubi crucifixionem explicare aggreditur, tanto eſt affectus dolore, ut toto riguerit corpore, & immobilis hæſerit in ſuggeſto, cui unus adſtantium religioſorum, vir notæ ſanctitatis, & probati ſpiritus, Didacus de Almonte, magno exclamavit fervore: *Martine, Martine, ſiſtitor iſthic, neque ad nos amplius revertaris.* Sæpe itidem accidit, ut dum eandem annunciaret Paſſionem, extra ſe potenter raperetur. Cum in Tlalmanalci oppido ad ejus cellam ſemel improviſo veniſſet Antonius de Nava, oppidi Prætor, orantem & e ſolo vidit ſublevatum; idque ipſum vidiſſe ferunt Ferdinandum Corteſium, regionibus illis præfectum. Teſtabatur inſuper Bernardinus de Sahagun, qui annis quinque poſt duodenarium illorum primorum Fratrum numerum ad illas oras pervenit, quod cum in prædicti oppidi Cœnobio audiret Martinum frequenter ita rapi, voluiſſe rei facere periculum. Poſt matutinas preces ad ſecretum chori angulum ſe recepit, unde quid circa Martinum, tunc Fratrum Cuſtodem fieret, liceret aſpicere. Vidit autem mirifico quodam ſplendore circumdatum, & obturbata oculorum acie, illum amplius videre non potuit, totoque contremiſcens corpore inde receſſit.

Martyrii fervet deſiderio.

XXII. Tertium tentaverat ad Sinas proficiſci, martyrii exæſtuans ardore. Cum enim inter Indos ſe id conſecuturum deſperaret, & anno proxime elapſo, ter centum leucas emenſus, dum ultra progredi non liceret, Mexicum regreſſus eſt, plurimum fatigatus, ægro crure, & corpore extenuato. Nihil tamen lenimenti aut medicamenti adhiberi voluit, nec calceamenta, ſed nudis pedibus incedens, crus potius trahere, quam exercere videbatur. Erant tunc quadrageſimales dies ultimi, & Paſſionis tempus, quo Chriſto compati volens, dolores illos, & incommoda patienter tolerabat, Divinis ſemper laudibus, uti in cunctis laboribus ſolebat, illa demulcens. Celebratis deinde Fratrum comitiis, exoneratus Cuſtodis, quod ſecundo geſſit, munere, ut ſibi, Indorumque quos tenerrime diligebat, ſaluti proſpiceret, ad Tlamanalcæ ſe recepit Monaſterium, tempuſque omne, quod Indorum inſtructioni, & puerorum ſupererat doctrinæ, in Oratorio montis Amaquemecæ, quod ipſe fabricaverat, orationi & pietatis operibus impendebat.

Ægrotat.

Hoc autem anno lateris correptus dolore, dixit ad ſocium: *Conſummatum eſt*:

eſt: eoque rogante: *Quid pater?* nihil reſpondit, ſed paulo poſt, dolere caput, expoſuit. Aucto morbo, in Cœnobium Tlalmanalci regreſſus, ſtatim ſibi dari poſtrema Sacramenta curavit. Illinc Mexicum transferri volentes, uſque ad pagum de Ayotzinco vehi fecerunt. Illinc vero ubi in cymba tentant inclinare, ille mortis horam ſentiens appropinquaſſe, rogavit in terram referri, ubi genua flectere liceret. Deinde flexis genibus, ad Antonium Ortiz converſus: *Jam*, inquit, *tempus advenit in quo complebitur, quod ante annos multos in Hiſpania tibi cariſſime frater prædixi, me ſcilicet cognoviſſe quemdam fratrem, qui extra Provinciam ſuam in longinquis terris in brachiis tuis extra lectum erat morituras; exerce ergo nunc in me opus iſtud pietatis. Suſtine pauliſper ulnis tuis ſpiritum meum, jam jam ab ergaſtulo corporis egreſſurum.* Deinde lugubri voce ſubjunxit: *heu frater, fraudatus ſum a deſiderio meo.* Quibus dictis, genuflexus, oculis in cœlum erectis, placide piam animam exhalavit. Per illa autem poſtrema verba innuebat, ſe fraudatum voluptate martyrii, quod ſummopere ſemper optavit. Moritur.

XXIII. Exanime extenuatumque corpuſculum ſocii Tlalmanalcum advexerunt, perſolutiſque juſtis honoribus, in medio majoris ſacelli ſepelierunt. Jacobus de Teſtera, Fratrum Cuſtos, ubi defunctum intellexit, illuc feſtine ſe contulit, exhumatumque cadaver capſa concluſit, & lapidem ſepulcro impoſuit, pii viri nomine inſcripto. Deinde ſancti Michaelis Archangeli Miſſam cantari curavit, propter ſummam venerationem, qua Martinus Angelorum Primatem colebat: ſed ab incepto hymno Angelico *Gloria in excelſis*, uſque ad ſacrificii finem, a probo integerrimoque viro teſtatum ferunt, ſe vidiſſe Martinum ante ſepulturam in pedes erectum, oculis manibuſque religioſe compoſitis. Poſt aliquot annos putrefacta illa capſa, aliam oovam affabre compoſitam & intus depictam dum Fratres ſufficiunt, magnus in tumulo ſtrepitus auditur; nec prius ceſſavit, quam prior illa capſa, utcumque refecta, reſtituta eſt: quod pii Viri etiamnum defuncti erga paupertatem amori Fratres tribuerunt.

XXIV. Corpus ultra annos triginta integrum permanſit, recluſo intra illud ſpatium perſæpe ſepulcro. Multi etenim ex Minoritis, plerique ex Dominicanis, & aliquot Heroes Hiſpani illuc adventabant, ut ſacrum depoſitum conſpicerent. At cum anno MDCLXVII. illuc perveniret Commiſſarius Generalis novæ Hiſpaniæ cum Michaele Navarro Miniſtro provinciæ ſancti Evangelii, perſuaſit, qui cum illis erat, provinciæ Secretarius Hieronymus de Mendieta, ut ſanctum hoc ſibi concreditum pignus, quo in ſtatu eſſet, vellent contueri. Anno etenim præcedenti dicebant apertum fuiſſe loculum, & corpus apparuiſſe illæſum. At refoſſa ſepultura, nihil repertum eſt, præter aliquot tabularum fragmenta, quæ corruptæ capſæ credebantur ſupereſſe. Conturbatis Fratribus & Indis, diligens & religioſa facta eſt ubique inquiſitio: ſed neque tunc, neque anno MDLXXX. quo per ſuas litteras ſub gravi pœnarum & cenſurarum interminatione Petrus Moya de Contreras præcipiebat ablatum corpus reſtitui, potuit quidpiam comperiri. Aliqui Divinæ hoc adſcribunt voluntati, ne tanti hominis corpus tam crebro, & indecentius quam oporteret, in dies contrectaretur. Corpus e ſepulcro ſublatum.

XXV. Miraculis in vita claruiſſe ſcribunt, qui ejus acta recenſent. Puer ægerrimus ad eum in Tlalmanalco adductus ut baptizaretur, ante oculos priuſquam baptizari poterat, expiravit. Doluit ille vehementer, ſuſceptumque infantulum ſuper Altari collocavit: oravit, pauloque poſt vivum recepit, ſacris aquis intinxit, incolumemque reſtituit. Cum Tlaxcallæ omnia præ nimia ſiccitate areſcerent, & circumvicini populi ne in tanta rerum Miraculis claret in vita.

omnium penuria perirent, ſe illius precibus commendarent, inſtituta ſupplicatione ad Crucem, quam alias erexerat, ubi nunc eſt vicus, quem Nativitatis Dominæ noſtræ compellant, ipſe nudus ſeque flagellans, totum iter flexis genibus confecit. Vix ad Crucem pervenerant, cum, turbato cœlo, copioſi imbres deciderent, quibus abundanter irrigata terra dedit fructum ſuum. Idipſum evenit, cum ſimili modo ad aliam Crucem in loco de Tlaelpan, cum univerſo populo proceſſiſſet. In Hiſpania dum ex Cœnobio ſanctæ Mariæ Angelorum prædicatum iret ad villam ſanctæ Crucis, diœceſis Corianæ, & fatigatus ex itinere, cum ſocio perveniret ad domum cujuſdam pii viri, qui Fratres hoſpitio ſolebat excipere, nec haberet ille quem apponeret eſurientibus panem, rogata a Martino conjux, ut in arcam, quam paulo antea abſque ullo panis fruſto recluſerat, reſpiceret; dum aperit, plenam invenit pane recenti. Ad aliud hoſpitium nocte intempeſta & tempeſtuoſa, in vico Torris prope Almendralum accedens, eum denſis tenebris omnia confunderentur, nec oſtium poſſet aperiri, orans Vir Dei, per portæ rimulas tantam immiſit claritatem, ut domus univerſa luce clareſceret, & hoſpes potuerit, quæ volebat aſpicere, ut præ foribus ſub pluvia expectantes accenſa candela poſſet excipere. Et hæc quidem dum viveret, præter alia multa, quæ exciderunt, patraſſe fertur miracula. Poſt mortem pleriſque etiam inclaruiſſe dicitur, ex quibus unum aut alterum ſubjiciam. Joannes de Oviedo, qui in Angelorum Civitate Tecamachalci Guardianus deceſſit, cum ſemel Martini corpus, recluſo ſepulcro, monſtraretur, & ſuavitatem odoris ſentiret ex corpore manantis, odoratus ſenſum, quem antea penitus amiſerat, integre recuperavit. Mulier quædam ægrota, & religioſus quidam a dæmone variis tentationibus agitatus, ſe illius orationibus commendantes, perfectam conſequuti ſunt ſalutem; necnon ejus meritis mortuum ad vitam ferunt fuiſſe revocatum.

Et poſt mortem.

XXVI. Celebrem diximus adhuc vigere hujus ſervi Dei memoriam apud Amaquemecam, provinciæ Tlalmanalci oppidum, ad fimbrias ignivomi cujuſdam montis ſitum, curæ Minorum primo commiſſum, quod poſtea fide Chriſtiana jam imbutum, ceſſit adminiſtrationi Patrum Dominicanorum. Prope oppidum mons alius exurgit, frugifer, arboribus opacus, viſu gratiſſimus; prope ejus cacumen, ex quo amœniſſima, fertiliſſima, dives opum & animalium vallis conſpicitur, natura ipſa duos inter lapides ſpeluncam repoſuit, pedes quindecim paulo plus minuſve longam, latam & altam, ad Eremitorii ſeu Sacelli modum efformatam. Hanc caſu quodam nactus Martinus, ſtatuit quoties per occupationes liceret, ſolitarie illic degere, rebuſque cœleſtibus meditandis inſiſtere. Illuc frequenter ibat, illic per dies multos hærebat, illic piis exercitiis animum recreabat, & corpus producto jejunio, multiſque injuriis affligebat. Illinc ſummo mane ad montis verticem prodibat, Deum liberius & alacrius ad auroram & ſolis ortum pro commiſſis ſibi populis ſub procera arbore oraturus, convolantibus undique avibus ad concentum, & æmulantibus laudem Creatoris. Illic ei apparuerunt ſanctiſſimi Viri, ſui Sodalitii coryphæi Franciſcus & Antonius, ea replentes conſolatione, quod ex parte Dei nunciaverint, eum adſcriptum eſſe felici numero Prædeſtinatorum. Illuc Indi aliquot heroes furtim aliquando veniebant conſpicaturi ſanctas hominis actiones, aliquando reverenter accedebant animabus conſulturi.

Oratorii Amaquemecanum.

XXVII. Ubi vero Vir ſanctus deceſſit, populus ille Amaquemecanus, quod in ſacro antro, vel alibi aſſequi poterant, ſive veſtium ſacerdotalium, ſive corporis indumentorum, aſperum ſetoſumque præſertim, quo utebatur,

tur, cilicium diligenter & ſtudioſe aſſervant, tamquam ſacri hominis exuvias. Virtutem in iis latuiſſe Divinam ſæpe probarunt, liberati illarum contactu a malis peſtiferis, quæ novam Hiſpaniam non ſemel afflixerunt, & ab aliis moleſtiis. Annis quinquaginta indumenta quædam ſacerdotalia tanto ſtudio, & ſecretis artibus apud ſe retinuerunt, ut neque Franciſcani, dum populum illum procurarunt, neque Dominicani, qui ſucceſſerunt, ea potuerint obtinere. Tamdem anno MDLXXXIV. dum Joannes Paez Ordinis Prædicatorum, ſuorum Fratrum in illo tractu Mexicano jam pridem Vicarius Provincialis, & tunc Amaquemecanii Cœnobii itidem Vicarius, Martini ſamæ & virtutis amore illectus, cuperet & quæreret aliquas ejuſdem Reliquias, ſerioque de hac re cum oppidanis ſermonem haberet, poſtero die ex illis unus ſecreto acceſſit, & ubi aliquot Martini exuviæ, craſſa ſcilicet rudiſque Viri Dei tunica, caſulæ duæ lintei Indici, & cilicium abſcondebantur, revelavit. Diligenti facta inquiſitione, quem cupiebat, abſconditum theſaurum invenit, & aſportavit. Hujus inventionis monitus Provincialis, juſſit omnia ad Conventum Mexicanum ſancti Dominici transferri. Paruit Vicarius, accepta prius cautione de reſtituendis omnibus Cœnobio Amaquemecano. In magna illa urbe ad Martini vocem & pignora omnes avide concurrerunt, & Reliquias coluerunt, adſtante ſemper, & ſollicite res ſuas cuſtodiente Vicario. *Quanta ejus memoria apud illos populos.*

XXVIII. Reductas in ſuum Cœnobium repoſuit in ſacrario: ſed dum cilicium & tunicam, ne diſcinderentur in particulas, cuſtodire non poſſet, transferenda duxit in ſpecum, quem ad Sacelli modum ornate compoſuit, appenſa in medio lampade argentea, erecto ex uno latere Altari, ex altero Chriſti ſepulcro, in quo ad Chriſti jacentis pedes, quod ex cilicio & tunica ſuperfuit, per ferream craticulam licet intueri. Prope vero Altare appenſæ planetæ ex oppoſito conſpiciuntur. Ea ſeruntur Indi pietate & veneratione erga antrum iſtud, quod uſitato vocabulo appellant ſpeluncam ſancti fratris Martini, ut tametſi foribus obſeretur, nihilominus in alia proxima ſpelunca, cuſtodia ſemper advigilet Indorum. Die Veneris ſemper illic fit ſacrum Dominicæ paſſionis, erga quam adeo tenere Martinus afficiebatur, concurrente magna hominum multitudine tum illorum, qui ſancti Viri affectu tenentur, tum aliorum illac Mexicum tranſeuntium. Reliquiæ autem cum in conſpectum extrahuntur, conveniunt in antrum Religioſi, accenſiſque cereis, Vicarius ſacris indutus, Reliquias thure adolet, atque reverenter expandit, offertque oſculandas, canentibus interim Religioſis. Fiunt hæc tam devoto ritu, ut antri religio, pia modulatio, aſperitas veſtis & ciliciі, ac memoria rigidæ pœnitentiæ, a Viro Dei illic peractæ, duriſſima quæque corda compungant & emolliant. Sancti hujus Viri vitam primus omnium ſcripſit Franciſcus Ximenez, illius ſocius, & a ſecretis arcanis conſcientiæ, anno tertio poſt ejus diſceſſum. Ex Hiſpana fecit latinam Franciſcus Gonzaga, ex his alii plerique tum noſtri, tum exteri exſcripſerunt; paucique ſunt, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam horum temporum compilarunt, qui cum laude illius non meminerint. Omnium diffuſiſſime ejus geſta recenſet Joannes e Turrecremata in ſua Monarchia Indica, preſſius, & pie quidem Thomas Boſſius de ſignis Eccleſiæ. *Boſſ. tom. 1. & 2. plerisq. in locis.*

XXIX. A pia & glorioſa hiſtoria ad impii & infamis viri geſta tranſimus; a ſancti Viri rebus pro Dei gloria, & animarum ſalute nobili ſtudio patratis, ad turpem & vituperoſam Henrici VIII. Angliæ Regis a ſanctiſſimæ uxoris Catarinæ thoro, & ab Eccleſiæ Romanæ communione ſeparationem. Infelix vir, poſt felix & pacatiſſimum multorum annorum connubium, de- *Initia defectionis Henrici VIII.*

dementatus amoribus Annæ Bolenæ, ſuæ, quod multi ſcribunt, filiæ, cogitavit de repudianda Catarina Regum Catholicorum Ferdinandi & Eliſabethæ filia, eo ſcilicet colore, quod uxor fuerit fratris ſui, natu majoris, Arthuri Walliæ Principis, Henrici VII. Regis, deſtinati in regno ſucceſſoris; quam tamen ille poſt quintum a nuptiis menſem, lenti morbi tabe confectus, reliquit prorſus intactam. Præceſſerat pro ſecundis iſtis nuptiis Julii II. Pontificis diſpenſatio; neque in ulla natione per univerſam Eccleſiam inventus eſt vir unus, qui contradiceret aut negaret, ſi quæ objici poterat turpitudinis ſpecies ex priori Arthuri connubio, non cum publico pacis bono, Regumque fœdere ſatis eam cooperiri, & abunde compenſari. Nihilominus Henricus, poſtquam annis viginti quatuor cum Catarina cohabitaverat, & ex illa filios tres, duaſque filias ſuſtulerat, ineſcatus artibus Bolenæ, quam deperibat, & incenſus flabellis Volſæi Cardinalis, in cujus totus erat poteſtate, in tantam prorupit inſaniam, ut Catarinam mulierem lectiſſimam & ſanctiſſimam repudiaverit, & Bolenam impudicam, proſtitutamque juvenculam ſuperinduxerit. Controverſia ab Henrico ejuſque aſſentatoribus contra matrimonii validitatem mota, diu agitata fuit, primo coram Judicibus a Clemente VII. deputatis, deinde coram ipſo Pontifice; donec Henricus amatoriis furiis agitatus, moræ impatiens, Pontifice diſſuadente, & ſaniora ſuggerente conſilia, verecundiæ laxatis habenis, in omnem ſe præcipitavit contumeliam. Ad Catarinæ repudium ſubſequuta ſunt Romani Pontificis contemptus, ſacrorum vilipendium, bonorum Eccleſiaſticorum rapina, ordinis ſacerdotalis & monaſtici odium ferale, Eccleſiæ Anglicanæ uſurpatum regimen, a fide Romana finalis apoſtaſia, & demum horrendum, quod videmus, ſchiſma & hæreſes Anglicanæ.

Sander. de ſchiſ. Anglic. l. 1.

XXX. Clemens Pontifex nihil omiſit, ut Henricum ad ſaniorem mentem revocaret: ſed nihil obtinuit, effreni & præcipitato curſu Henrico ad deteriora prolabente. Cauſa itaque cognita, ac diligentiſſime examinata, anno proxime elapſo Clemens ſententiam unanimi Cardinalium conſilio tulit, qua primas Henrici nuptias probavit, & ſecundas rejecit, prolem ex iſtis ſuſceptam illegitimam declaravit, Catarinam ad ſuum priſtinum ſtatum, & ad conjugalem, ac Reginalem dignitatem reſtitui, Annamque a cohabitatione Regis, & quaſi poſſeſſione juris conjugalis & Reginalis ejici ac amoveri præcepit, diriſque non obſequentem Henricum devovit, fulminatis in eum graviſſimis cenſuris. At miſerrimus Rex, hac audita ſententia, tantum abfuit ut eidem pareret, aut pœnitentiam cogitaret, ut perditorum potius hominum more, pervicacius multo progrederetur, & doloris ſui ulciſcendi cauſa, nihil aliud verſaret animo, quam vindictam.

Excommunicatur.

In omne ſcelus prolabitur.

XXXI. At primum quidem iratus uxori Catarinæ, quod in illius gratiam hæc omnia facta a Pontifice affirmaret, ſub pœnis graviſſimis edixit ne quis in poſterum illam Reginæ nomine, vel Henrici uxoris appelatione dignaretur, ſed ut tantum Arthuri Principis defuncti vidua ab omnibus vocaretur. Deinde admonitus ab Anna, quod gravida jam eſſet, ac partui proxima, Mariam ex Catarina filiam, decem & ſeptem annos natam, quam antea Walliæ Principem, Regnique hæredem univerſi Ordines juramento profeſſi fuerant, omni Regio ornamento detracto, tamquam ſpuriam & illegitimam, ad Catarinam matrem remitti juſſit, ut privatam cum ea vitam ageret. Simul etiam cuſtodes & exploratores in ipſa Catarinæ domo, famulorum loco conſtituit, qui renunciarent quid ibi ageretur, quibuſcum Catarina conſilia conferret, qui domum illius frequentarent, quibuſnam ipſa fideret. Inquirebat etiam diligenter in Catarinæ amicos, eoſque leviſſimis de cauſis in cuſtodiam tradebat.

XXXII.

Anno Christi 1534.	Clementis VII. anno 11.	Caroli V. Imp. anno 16.	Religionis Minorum anno 327.

XXXII. Et primo quidem loco, ut ceteris timorem faceret, Reverendum admodum, doctumque virum Joannem Foreſtum, Minorum de Obſervantia religioſum, Sereniſſimæ Reginæ a ſacris confeſſionibus, in carcerem conjicit, eo prætextu, quod Hugoni cuidam Latimero hæretico, liberius in Papam, coram ipſo Rege debacchanti, reſtitiſſet: deinde nonnullos alios, & in iis tres Sacerdotes ac Doctores Theologos, qui cauſam Catarinæ paulo ante apud Legatos Pontificis defenderant, Thomam Abelum, Eduardum Povellum, & Riccardum Fetterhoſtonum, recludi juſſit in arctiſſimas cuſtodias, ea criminatione, quod cum Moniali quadam Cantuarienſi, de qua ſtatim dicemus, conſilium habuiſſent contra Regis divortium. Atque hos quidem omnes poſtea, alioſque plurimos diverſis mortis generibus mactandos curavit Henricus. Joannem Foreſtū Minoritam comprehendit.

XXXIII. Dum ſic fureret, ac inſtar alterius Herodis fæviret, inſtigante eum ſua impiiſſima Herodiade, voluit humani generis hoſtis adhuc ei occaſionem ſæviendi præbere. Nata eſt enim Saltatrici filia, quæ ob innumeras Sanctorum cædes, quæ illius cauſa factæ deinde ac perpetratæ fuerunt, non immerito *Filia ſanguinis*, a multis fuit appellata. Edita eſt in lucem VII. Idus Septembris, in ipſo profeſto Natalis beatiſſimæ Mariæ Virginis, quem diem illa poſtea delevit e Faſtis, eodem ipſo anno quo matrem ejus Henricus duxerat, ideſt, non totis quinque menſibus poſt ſolemnem nuptiarum celebrationem; neceſſe ut fuerit, Annam prius cognitam ab Henrico, vel ab alio fuiſſe, quam publice duceretur. Et certe non deerant, qui eo ipſo tempore dubitarent, propter notiſſimam Annæ Bolenæ incontinentiam, num proles hæc ad Henricum pertineret: non enim ignorabatur etiam tum, quam familiariter uteretur Anna amatoribus illis, quos poſtea prodidit, & una ſecum perdidit: quam ipſam ob cauſam Maria Princeps, quæ tum aderat, plurimaque quæ alios latebant, per matrem matriſque amicos expiſcabatur, numquam poſtea adduci potuit, ut exiſtimaret Eliſabetham ſororem ſuam eſſe, hoc eſt ab Henrico genitam. Naſcitur ex Anna Eliſabetha.

XXXIV. Baptizandam tamen curavit Henricus Eliſabetham ſummo ſplendore ac celebritate apud Grenvicum in Eccleſia Cœnobii ſancti Franciſci de Obſervantia, quod univerſo Ordini infauſtum fuiſſe deinde viſum eſt, eo quod undecimo poſt menſe, nihil adhuc contra alios Religioſorum Ordines decreto, omnes illius Inſtituti Monachi, per univerſam Angliam locis ſuis pulſi fuerunt, Fratribus ſancti Auguſtini in eorum ædes pro tempore ſubſtitutis. Eliſabetha vero cum poſtea ad Regnum perveniſſet, illud ipſum Monaſterium Grenvicenſe, in quo baptizata fuerat, a Maria Regina paulo ante reſtitutum, iterum deſtruxit, & ad uſus profanos ſui palatii, cui adhærebat, ædificia deſtinavit. Baptizatur apud Minoritas infauſto omina.

XXXV. Celebre erat his diebus Eliſabethæ Bartonæ Monialis nomen, quæ propter famam ſanctitatis, *Virgo ſancta Cantiana* vulgo appellabatur. Hæc aſſerebat Henricum non amplius jam eſſe Regem, eo quod ex Deo non regnaret: Mariam vero Catarinæ filiam, quæ tunc minus legitime habebatur, ad Regni gubernacula ſuo iure ſeſſuram eſſe. Ob quæ verba in jus vocata, & in publicis Regni Comitiis una cum duobus D. Benedicti Monachis, Eduardo Bochingo, & Joanne Deringo, duobus etiam Minoritis Hugone Richeo, qui Conventui Cantuarienſi præerat, & Richardo Risbeo, de quibus infra dicemus, duobus etiam Sacerdotibus ſecularibus, Richardo Maſtero, & Henrico Goldo, qui omnes eam ſpiritu Dei afflatam credebant, capitis condemnata fuit; & poſt ludibria publica, omnes conſtantes ſupplicium ultimum ſubjerunt, XII. Kalendas Maii. Quam fœminam cum in- Monialis Cantiana, duo Minoritæ, & alii capite damnantur. Anno 1537.

inter ceteros Roffenſis & Morus diligenter examinaſſent, confeſſi ſunt, ſe nullo indicio deprehendere potuiſſe, eam fanatico ſpiritu, quod in ejus invidiam tunc ſpargebatur, agitatam fuiſſe. Unde & ipſi in ſuſpicionem apud ipſum Regem venerunt, quod cum illa ſentirent. Et Roffenſis quidem nominatim de eo crimine in comitiis accuſatus fuit, & Joannes Adeſonus, qui ei fuit a ſacello, una cum tabellione Cantuarienſi, duo etiam nobiles laici, Thomas Goldus, & Eduardus Thuatus, in vincula eam ipſam ob cauſam conjiciebantur. Conſtat tamen illas res, quas tum cum nihil minus quam futuræ putabantur, futuras illa prædixit, ſuo tempore poſtea eveniſſe. Maria enim, quæ tunc Eliſabethæ poſtponebatur, ante Eliſabetham poſtea jure ſuo regnavit.

XXXVI. Quo vero die hæc Ancilla Dei ad patibulum tracta eſt cum ſociis, eo ipſo Londini optimates omnes juſſi ſunt coram Archiepiſcopo Cranmero, Audlæo Cancellario, Cromuelo Secretario, aliiſque Regis Conſiliariis jurato profiteri, ſecundas ejus nuptias legitimas eſſe, prolemque inde natam, Eliſabetham nomine, veram eſſe Regni hæredem, Maria Principe excluſa, tamquam ex matrimonio illegitimo prognata. Quam juris jurandi formulam, ut multis de cauſis iniquiſſimam, cum Epiſcopus Roffenſis, ac Thomas Morus, aliique nonnulli ſuſcipere nollent, in cuſtodiam conjecti ſunt. Fratres autem Minores de Obſervantia, cum hac iniquitate permoti, liberius loquerentur, tam in publicis diſputationibus, quam concionibus ſacris, matrimoniumque Catarinæ acerrime defenderent, præcipue vero Londini duo Patres doctiſſimi, Eſtonus & Paitonus, ob hanc rem totus Ordo in tanto apud Regem odio fuit, ut III. Idus Auguſti Fratres univerſi ex omnibus Ordinis ſui Monaſteriis, ut ſupra diximus, pellerentur, varioſque in carceres conjicerentur, adeo ut pluſquam ducenti eodem tempore in cuſtodiis numerarentur. Qualiter autem cum illis actum ſit, & quam conſtanter pro fidei & veritatis confeſſione illi ſe geſſerint, per ſubſequentes annos, ſingula quæque ſuis locis diſtribuemus.

Fratres Obſervantes ſe opponunt Regis dementiis.

In carceres conjiciuntur.

XXXVII. Alia graviſſima mota eſt contra Franciſcanos hoc anno perſecutio in Weſtphalia, maxime vero in Monaſterienſi Civitate. Illic plurimum prævaluit ſpurciſſima illa, & ſeditioſa hæreſis Anabaptiſtarum, quibus dum Minoritæ, qua poterant, reſtiterunt, & Catholicos in Eccleſiæ Romanæ obedientia continuerunt; illi collecta ſuæ nefariæ ſectæ ingenti multitudine, urbem invadunt & diripiunt, ac religioſorum domicilia funditus evertunt, omnia ſurſum deorſumque revolvunt, reliqua pietatis antiquæ veſtigia tollunt, fornices & columnas disjiciunt, & injecta flamma obvia quæque exurunt & peſſumdant. Inceptum eſt a Franciſcanorum Cœnobio, deinde a Theutonicorum Collegio, mox a ſacrarum Virginum Monaſteriis, inter quas turbas aliquot Clariſſæ perierunt. Miſerrimum erat tantam hominum ſtragem, ſacrarumque ædium conſpicere ruinam. Sed non diu diſtulit Deus vindictam, immiſſis inter ipſos tribulationibus per angelos malos, collectiſque exercitibus per Principes circuli Rhenani, qui dura eos obſidione cinxerunt, & ſevere mox plexerunt.

Male habent in Weſtphalia. *Meibom. l. 7. hiſtor. Anabaptiſt.*

Et Clariſſæ.

XXXVIII. In Conventu ſancti Franciſci Sturnorum in Calabria hoc anno die VI. Auguſti ex humanis abiit religioſiſſimus vir Hieronymus a Meſuraca, cui Chriſtus Dominus ſui tranſitus hnram revelare dignatus eſt. Cum itaque bene valeret, Guardianum rogavit, ut convocatis in ſuam cellam Fratribus, eum aliquantiſper expectare & audire placeret. Advenit poſtea injecto ad collum func, & humi prnſtratus, humiliter veniam petiit errorum & ſcandalorum, ſi quibus aliquando Fratres aut ſeculares offendit,

Moritur Hieronymus a Meſuraca. *Gonz. in Provin. Calab. Conv. 18.*

ro-

rogavitque ut pro ſe jam jam morituro preces effunderent. Præcepit Guardianus ut palam ediceret, unde tanta certitudo mortis, aliis incertæ, proveniret? Reſpondit humiliter, a Chriſto Domino coram beata Virgine Maria, & ſancto Franciſco ſibi revelatum fuiſſe, illo die ex hoc mundo migrandum eſſe, antequam Miſſæ omnes abſolverentur. Verum dixiſſe, licet illuſionem, qui eum audierant, putarent, rei exitus comprobavit. Inventus enim eſt in cubiculo flexis humi genibus, & oculis ad cœlum elevatis exanimis, antequam ultimum Miſſæ Sacrificium terminaretur.

Necnon Joanna a Cruce. *Tom. 12. Ann. 1449. n. 65.*

XXXIX. Hoc anno migravit ad aſtra religioſiſſima Virgo Joanna a Cruce Hiſpana, in Monaſterio ſanctæ Mariæ de Cruce, prope oppidum Cubarum, diœceſis Toletanæ, de cujus conſtructione alias diximus, ibique promiſimus hujus nos Virginis, apud Hiſpanos & exteros celeberrimæ, vitam & geſta narraturos. Excidit valde e ſuo ſtatu prædictum Monaſterium, & infelici caſu Agnetis fundatricis, primæque Abbatiſſæ, ſed Dei gratia poſtea reſipiſcentis, ad ultimam tendebat ruinam. Reparatricem ſuæ domus voluit beata Virgo Maria Joannam hanc, Joanne Vaſquez, & Catarina Gutierez, piis ruſticanis, in humili vico Hazañæ ſupradictæ diœceſis progenitam; eamque tantis donis & gratiis per ſua merita prævenit, ut ab utero vocata, & a ventre matris ſegregata videretur ad Divinum obſequium. Etenim non prius nata, quam donis abundare cœpit cœleſtibus. Ubera non ſugere diebus Veneris, ante uſum rationis viſiones videre cœleſtes, a malis morbiſque liberari, modo beatæ Mariæ Virginis, modo ſancti Bartholomæi favore. Anno ætatis quarto gloriam vidit Paradiſi, Chriſtum infantulum ſub ſpecibus ſacramentalibus, & Angelum ſibi deſtinatum in Cuſtodem. Grandior effecta, nullis puellaribus vacabat jocis, nil indecorum faciebat, verbum nullum proferebat otioſum, ſed orationi ſemper intenta, colloquia miſcebat Divina. Septennis, matre nuper defuncta, ſtatuit cum matertera pia adoleſcentula Monaſterium Regium Toletanum ſancti Dominici ingredi, ſed Deus, qui reſtauratricem voluit Cubani, bis terque impedivit, & Monialium dolo capere cupientium, artes eluſit. Ab avunculis in domum ſuam translata, res domeſticas ſumma regebat prudentia, & corpus mira terebat pœnitentia. Aſperrimo a ſe contexto totum obduxit cilicio, duris cædebat flagris, continuis extenuabat jejuniis panis & aquæ, nihil per triduum aliquando manducans. Frigidiſſimis noctibus e lecto prodibat, & ſolo tecta cilicio, coram Chriſti imagine orationem producebat uſque ad auroræ crepuſculum.

Ejus nativitas & pueritia.

XL. Viſionibus aſſueta Divinis, Seraphinos vidit aureis vaſis aquas Divinorum beneficiorum transfundentes; Chriſtum diverſis temporibus, diverſos illos paſſionis cruciatus ſubeuntem; Mariam Virginem Chriſtum infantulum ulnis geſtantem, eamque amoroſis oculis aſpicientem. Accendebant autem hi favores cœleſtes deſiderium Monachatus, quo flagrabat, ut liberius, curis ſoluta mundanis, Divinas exciperet miſſiones. Affectu itaque quanto poterat, ſupplex petebat coram ea Chriſti imagine, quam Veronicæ appellant, atque illa ſecum continuo habebat, ut tandem hanc gratiam concederet; cui ſub illa ipſa effigie Chriſtus apparens dixit ſe illam ſibi ſponſam adoptaturum. Etſi vero quod tantopere appetebat, aliquoties aſſequi tentarat, non potuit, a patre & avunculis impedita. Virili demum animo moras omnes tollere decrevit, contemptaque contradicentium auctoritate, obducta viri veſte, gladioque munita, domo caute proſiliit, Monaſterium petitura Cubarum, leucis diſſitum duabus. Adfuit ſtatim Satanas iter præpediturus, objectiſque multis periculis, & difficultatibus plurimis pavitare fe-

Monachatus deſiderium.

fecit, & mente deficere. In terram cadenti vox e cœlo ter intonuit: *Fac animose, inceptum iter prosequere: Deus tibi erit adjutor.* Etsi tunc nullum viderit, scivit tamen postea quod monitor ille fuit Custodiæ Angelus, qui labantem confirmabat. Paulo ultra progressa, vidit sequentem adolescentem Yllescanum, equo insidentem, qui sæpe patrem rogavit hanc sibi dari conjugem. Tanto perterrita periculo, Deum invocans adjutorem, paululum e via deflexit, donec procus pertransivit. Genuflexa gratias egit beneficii recepti, Deique Matrem rogavit, ut propitiaretur ad domum suam proficiscenti. Apparuit sanctissima Virgo, utque bono esset animo, commonuit, illamque fore illius domus reparatricem. Ubi pervenit ad Monasterii templum, resumptis fœmineis vestibus, quas in sarcinula secum asportavit, accedens ad habitaculi portam, conspectaque superposita beatæ Virginis imagine, oravit, ut prosperum suum faceret desiderium. Responsum accepit omnia fore felicia; & congratulata ejus adventui beata Virgo, potestatem fecit, ut domum suam renovaret, dissipando errores, evellendo abusus, ædificando probis legibus, plantando virtutes. His adjuta favoribus, magna fiducia Abbatissam, suæ viæ vitæque cursu relato, interpellavit, ut ad Sororum admitteretur consortium. Re cum illis, & cum provinciæ Ministro, qui Deo ita disponente, paulo antea inde digressus, redierat, omnium calculis fuit admissa, reluctantibus valde genitore & avunculis, qui antequam septa ingrederetur Monasterii, supervenerunt.

Illud assequitur.

Qualiter vitam hanc aggrediatur.

XLI. Iam voti compos, summo servore Monasticam vitam aggressa, perpetuum sibi indixit silentium, abstinentiam omnem possibilem, pœnitentiæ modos admirabiles, somnum brevissimum, vestimentorum vilitatem, personæ contemptum, in laboribus & opere manuali consolationem; in omni re considerans propter quem, & pro quibus laborabat. Vitam tamen semper sectata communem, nihil aggressa est singulare, quod Præpositæ, aut confessarii non probaretur judicio. Ad hunc semel accessit mœrore & lacrymis confecta, quod assueta Christum ab infantia videre in communione sacramentali, in postrema non viderit, mira putans simplicitate, ab omnibus, qui sacræ communicant synaxi, Christum corporaliter videri, & propterea hoc sibi denegatum, vel propter aliquem suum reatum, vel propter Sacerdotis in consecratione defectum. Afflictam paterne consolatus confessarius, docuit id beneficii loco reponendum, quod Dominus aliquando se abscondat, & suos subtrahat favores, ut ardentiori expetantur ardore, & humilientur in conspectu Dei, qui tam ingentes recipiunt. Ne magnitudo revelationum Paulum extolleret, datus est ei stimulus carnis, angelus Satanæ, qui eum colaphizaret.

2. Cor. 12. 7.

XLII. Statim post emissam solemniter professionem, in qua *a sancta Cruce* voluit cognominari, tum quia Monasterium sanctæ Mariæ de Cruce nuncupabatur, tum quia in die Inventionis sanctæ Crucis nata est, habitum suscepit, & professionem emisit, cœpit robustiori florere virtute, & manifestiori splendere sanctimonia. Multis magnisque signis hanc Deus confirmavit. Vas figuli ejus inadvertentia comminutum, ejusdem precibus fuit integre restitutum. Sanctimonialis una primum a febre tertiana, secundum a periculoso mammillarum tumore illius meritis sanatur: puella a cordis molesta affectione, illius apposita manu liberatur. Valetudinario præfecta incredibili caritate infirmas curabat, in se aliquando transferri morbos Deum deprecata & exaudita. Nihil vile, nihil immundum abhorrebat in hoc religiosæ caritatis ministerio. Ad aliud ostiariæ & rotariæ translata, patientiæ virtutem frequens exercebat, tum propter molestum illud genus servitutis,

Floret miraculis.

Et virtutibus.

tum

tum propter ſenioris ſociæ imperium in præcipiendo, & indiſcretum modum agendi. Atqui illa in omnibus obſequentiſſima, numquam mandatis reſiſtebat, neque impatienter quidquam reſpondit, ſed in ſingulis humillima omnia prompte peragebat. Meruit itaque Chriſtum ſæpe habere conſolatorem, eumque ſub infantuli ſpecie conſpicere. Ab ejus brachiis ſemel in ſua tranſtulit beata Virgo Maria, & Joannam ad hortum invitavit, ubi matris & filii fruens colloquio, campanulæ tinnitu ad oſtium vocata, receſſit, & completo miniſterio regreſſa, utrumque invenit expectantem, & obedientiæ virtutem commendantem, atque ita aliquando Deum propter Deum eſſe relinquendum: Ex conſortio Divini amoris reſplenduit facies ejus, & cognoverunt Sorores, viſiones habuiſſe cœleſtes. Alia vice in aula laboritii communis extra ſe rapta, meruit Chriſtum ex Genitricis manibus excipere.

XLIII. Erga ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum toto ardeſcens affectu, cupiebat illud ſingulis diebus ſuſcipere; ſed præ debita reverentia & humilitate abſtinebat, illis contenta, quos confeſſarius præſcribebat, reliquis interno affectu ſpiritualiter manducabat, dum voto panem illum cœleſtem comedens, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem ſentiebat. Tintinabulum audiens pro adoranda hoſtia, quam elevabat Sacerdos, accurrit veneratura; ſed dum ad cratem unde poſſet intueri, in tempore pervenire non potuit, procumbens humi, mente voluit adorare, quod oculis non potuit aſpicere: cum ecce magno hiatu ſciſſo pariete, videre patenter licuit, quod devote adorare cupiebat. Hujus ſciſſuræ remanent adhuc indicia. Majori etiam miraculo ex Monaſterii officinis per tres vel quatuor parietes, idipſum Divinum videbat & adorabat objectum, Deo ſuæ ſponſæ votis annuente. Impio homini in peccato morienti Parochus rei ignarus, pro viatico ſanctum miniſtravit edulium, ſtatimque ille deceſſit. Angeli ex impuris faucibus illud educentes, ad cubiculum aſportarunt Joannæ, decentique loco repoſuerunt: Cuſtodiæ Angelus rem revelavit Joannæ, atque illa e longa exſtaſi reverſa, ſacram ſynaxim, prout Angelus præcepit, pie reverenterque ſuſcepit. Factum hoc largius enarrat Petrus Navarrus, doctis notis adhibitis.

Erga Euchariſtiã devotio. *Vide Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 8. & ſeſſ. 22. c. 6.*

Never. in vita Joan. l. 2. c. 3.

XLIV. Magnum illud quidem Dei beneficium erga virginem, quod in illius cuſtodiam deputaverit unum e ſupremis ſpiritibus, magnorum illuſtriumque Sanctorum alias Cuſtodem, qui tam diligenter, tam amanter, & tam prompte corporis animæque damna pellebat, invocanti aſſiſtebat, cœleſtibus recreabat ſolatiis, ut in neceſſitatibus patrem, in tribulationibus refugium, in dubiis magiſtrum, in triſtitia conſolatorem comprobaret, & demum in omnibus pro ſuo deſiderio compoſitus videretur. Sæpe illi variis pulcherrimiſque formis apparens, ſecreta revelabat cœleſtia: amicorum Sororum Monaſterii res procurabat, ita ut Conſodalibus manifeſta illius paterent beneficia, illique ſe omnes devoverent, & Joannæ Cuſtodi ſe ſuaque commendarent. Aliorum etiam Angelorum habuit familiaria colloquia, præſertim Sororum illius Monaſterii Cuſtodum. Ex illorum apparitionibus, & triſti lætoque vultu cognoſcebat, in quibus aliquæ deficiebant, & in quibus aliæ proficiebant. Multa ab iis diſcebat ſancta & ſalutaria documenta, quibus ſubditas, dum Monaſterio præeſſet, inſtruebat. Illorum miniſterio ſæpe in aera ferebatur delitiis fruitura cœleſtibus, a quibus inſuper quæ circa Sorores ſuas in Monaſterio fiebant, percipiebat. A ſuo Cuſtode, quod ſumme cupiebat, cauſam ſeriemque cognovit prælii Angelorum, victoriam bonorum, caſum iniquorum, eorumque per varias partes ſublunares pœnale exitium.

Qualis ei deputatus Angelus Cuſtos.

Alii Angeli ei familiares.

Frequentes raptus.

XLV. Rapi & levari ſupra ſe frequenter ſolebat, & in hujuſmodi ſenſuum alienatione glorias & triumphos videre cœleſtium, ſuaviſſimos ſentire cordis affectus, & pulcherrima facie ſplendere. Semel accidit, ut io vehementi raptu valde torqueretur, ora pallerent, oculi languerent, labia nigreſcerent, dentes ſtriderent, brachia penderent, nihilque videretur in corpore abſque cruciatu. In ſe reverſa, & ſæpe interpellata, ut tam pœnoſæ transformationis cauſam ediſſeret, dixit, tunc ſibi revelatum, quot & quantas pœnas, tribulationes & perſecutiones tam ab immundis ſpiritibus, quam ab iniquis hominibus illam pati oportebat; quarum recenſione ita ſe perterritam ait, ut mente deficeret, & toto corpore torqueretur.

Neceſſitatibus & periculis providebat alienis.

XLVI. Reſponſa dabat prudentiſſima, & monita ſaluberrima omnibus, qui malorum tam ſpiritualium, quam corporalium ab illa petebant remedia. Undique ad illam tamquam ad cœleſte concurrebant oraculum, quod illa numquam promebat inconſulto ſuo Cuſtode & Magiſtro. Ab hoc diſcebat omnium adventantium neceſſitates, qualitates, & corporis animæque diſpoſitiones. Illo revelante, penetrabat cogitationes hominum, & ſciebat quid circa eos, qui e longinquo ſe illi commendabant, patraretur. Illo aſportante, apparebat infirmis, & in periculo conſtitutis, eoſque ab adverſis liberabat. Illo auxiliante, ſuperabat poteſtates tenebrarum, ſive ipſam ſive alios offendentes. Annos tredecim, poſtquam per menſes aliquot obmutuit, variis linguis in extaſi loquebatur, difficilla ſacræ Scripturæ loca explanabat, myſteria pleraque revelabat, & conciones doctiſſimas, quarum integrum extat volumen, ad ſecundam vel tertiam horam producebat. Ut concionantem audirent, ex omni hominum genere magna adveniebat multitudo, atque inter hos multi Heroes, Principes, Prælati, Epiſcopi, Franciſcus Cardinalis Ximenez, Magnus ille Dux Gondiſalvus Fernandez a Corduba, & ipſe Carolus Cæſar Auguſtus. Omnes in conſpectum extaticæ admittebantur; non enim recluſarum Inſtitutum adhuc erat introductum, quorum ſingulis, etſi nullum videret, ea dicebat quæ conditioni, & malis, quibus laborabat, erant opportuna. Penetrabant autem ſermones cordis intima, neque ullus erat, qui ad mores reformandos non compungeretur.

Ejus raptus multa probantur experientia.

XLVII. Multi voluerunt horum raptuum & ſermonum, an ex Deo eſſent, experimentum facere. Miſſus Toleto quidam ex fidei Inquiſitoribus, ſimulata veſte, in raptu concionantem audivit. Ita illa locuta eſt, & hominem commovit, ut prope ſermonis medium genua flexerit, eoque corporis habitu profuſis lacrymis reliquam partem exceperit; & poſtquam in ſe reverſa eſt, pios cum illa protraxerit ſermones de rebus animam concernentibus, & valedicens ſe illius orationibus impenſe commendaverit. Alii temere ſcire cupientes, an vere extra ſe fieret, vel hujuſmodi raptus ficte venditaret, eas adhibuerunt ſcrutationes, quæ virginem offenderunt. Quædam Heroina lectulo aſſiſtens, dum Joanna in raptu prædicaret, aciculam magnam per occiput infixit, quæ cranium offendit. Immota virgo nihil ſentiens, in concione perrexit, eaque finita, atque in ſe reverſa, tunc cœpit dolere, viſuſque eſt ſanguis per collum dilabens. In alio ſermone quidam magni nominis Eccleſiaſticus eam per brachium violenter attraxit, ut e raptu retraheret; nec quidquam profecit, illa immobiliter hærente, & ſermonem proſequente. Tanto concurſu populorum, & indiſcretis quorumdam experimentis commotus Miniſter provinciæ Caſtellæ, cui ſubeſt Monaſterium, præcepit ut nullus deinceps in conſpectum rapiæ, aut concionantis admitteretur. Ita factum: ſed dum ad cubiculi oſtium una ex Sororibus accederet, ut quæ dicebat, audiret, proſpiciens per rimulas, vidit aves multas erectis

Aves concionantem audiunt.

ro-

roſtris, quaſi attente loquentem audientes. Vocatis aliis, quæ idipſum viderunt, judicatum eſt, Deum velle, ut ab hominibus audiretur, quorum defectum aves ſupplebant. Re coram Superiore probata, permiſit ut audiretur.

XLVIII. Miniſtro provinciali, ex Cantabria oriundo, diſerte locuta eſt idiomate Cantabrico, ut diſſuaderet, quod ſecum tacitus cogitabat, ei Monaſterii præfecturam commendare. Ea re amplius confirmata ejus ſanctimonia, firmius perſtitit in ſententia, & Abbatiſſam inſtituit. Ubi aderant viri docti, vel qui Hiſpanum ignorabant idioma, Latine ſacræ Scripturæ myſteria explicabat, & quæ opportuna erant, exprimebat. Dederat Monaſterio Franciſcus Ruiz, ex Minorita Epiſcopus Abulenſis, Cardinalis Ximenii in expeditione illa celeberrima expugnati Orani ſocius, mancipia duo inde ducta, mulierem provectam & juvenculam, Arabes. Sæpe tentatum eſt ut ad fidem accederent Chriſtianam, ſed fruſtra, pertinaciſſime illis adherentibus Mahometanæ. Aderant ſemel hujuſmodi ſpectaculo virginis raptæ concionantis, audieruntque ad ſe converti ſermonem expedita lingua Arabica, adeoque ſibi corda compungi, & tam efficaciter ad veram religionem capeſſendam commoveri, ut ſtatim, diſſoluto cœtu, baptizari voluerint. In aliis concionibus ſæpe illas vocabat, eaſque alloquebatur Arabice, illis reſpondentibus, & Joanna circa multa monente. Ad mortem uſque in Monaſterio perſeverarunt, pie humiliterque Sororibus ſervientes. Anno uno ſeptuaginta unum ſermones habuit hujuſmodi, partim ſpectantes ad vitam Chriſti & Genitricis, partim ad encomia Apoſtolorum, partim ad Evangelia Adventus, & Dominicarum, in quibus multa reperiuntur ſub parabolarum involucris, plurima manifeſta ad morum reformationem conducentia. Mirabiliter omnes excepit calamo Maria Evangeliſta, illius Monaſterii alumna, cui hæc gratia a Domino conceſſa eſt, ut diſerte & integre ſcriberet poſt concionem, quidquid in illa virgo proferebat, cum prius neque ſcribere ſciret neque legere. Vir vere Apoſtolicus Franciſcus a Turribus Minorita plurimi faciebat ſermones iſtos, libro uno eoque magno comprehenſos, in quibus profunda myſteria contineri aſſerebat, non tamen omnibus obvia, neque omnibus committenda: quod judicium etiam protulit Tribunal ſanctæ Inquiſitionis Hiſpanicum, poſtquam accurate legi & examinari librum præcepit.

Varia loquitur linguis.

Multos habuit ſermones in raptu.

XLIX. Majora adhuc ſuæ dilectionis indicia erga Virginem hanc Chriſtus exhibuit. Etenim coram B. Virgine & multitudine Angelorum eam ſibi dilectiſſimam ſponſam, immiſſo anulo pretioſo ſubarrhavit, & in feria ſexta Paraſceves Chriſti Paſſionem intenſiſſime meditantem, quinis plagis in manibus, pedibus, & latere inſignivit, impreſſis totidem rubicundis in pelle ſignaculis, ſub quibus ardor & dolor erat vehementiſſimus. Apparebant hæc ſingulis ſextis feriis & Sabbatis, uſque ad feſtum Aſcenſionis, quo illa propter intolerabilem importunitatem iſta videre cupientium oravit, & exoravit ut prorſus abolerentur. Ita tamen ejus precibus Chriſtus aſſenſit, quod prænunciaverit fore ut pro purpureis roſis plagarum, quas auferri volebat, pungentes ſpinæ ipſius coronæ infigerentur; quod vere illa probavit puncta & repuncta multis doloribus & tribulationibus.

Eam ſibi Chriſtus deſponſavit.

L. Delectabatur illa concentu avicularum, quibus aliquando concinebat, laudans & glorificans Deum, multiſque adventantium precibus, audiendiſque miſeriis valde diſtrahebatur. Eam itaque ſolis myſteriis cœleſtibus percipiendis aptiorem redditurus, ſurditate afflixit Dominus a Februarii decimo uſque ad Auguſti duodecimum, ſanctæ Claræ ſacrum, quo Soro-

Privatur auditu per aliquot menſes.

Anno Christi 1534.	Clementis VII. anno 11.	Caroli V. Imp. anno 16.	Religionis Minorum anno 327.

res omnes inſtanter petierunt, ut auditum Monaſterio commodius regendo, & proximorum malis facilius medendis neceſſarium reddere dignaretur. Exauditæ ſunt ſacrarum Virginum preces, miſſo ſancto Petro Apoſtolo, qui tactis auribus in raptu poſitæ ſenſum reſtituit. In die ſanctæ Barbaræ in extaſi abſorptæ, ſancta illa Virgo apparuit, multa illi revelavit, ſeque apud Deum uberis illi collatæ gratiæ fuiſſe mediatricem. Viſa inſuper eo tempore anima cujuſdam infantuli ad cœlos aſcendentis, quæ Virginem rogavit, ut genitricem ſuam, indicato nomine, moneret, ut potiorem curam gereret in educandis filiis, taleſque dixit ſuos Fratres, quales Deus nollet, eumque ſtrictam ab ea hujus rei rationem exacturum. In aliis ſimilibus elevatæ mentis affectibus, modo hos, modo illos Sanctos aſpexit, Franciſcum, Dominicum, Antonium, Luciam, Acatium cum ſociis Martyribus, ita ut ſemper in cœlis converſari videretur, tot viſionibus Dei, Mariæ Virginis, Angelorum & Sanctorum aſſueta.

Multa illi revelantur.

Egregiè Monaſterium gubernat.

LI. Anno ætatis vigeſimo octavo, & ab ingreſſu Religionis tertiodecimo, electa Abbatiſſa unanimi conſenſu Sororum omnium, Præſide, quem diximus, Cantabro Miniſtro, annis ſeptemdecim ſumma tranquillitate, miraque prudentia Monaſterium rexit, fabrica & reditibus neceſſariis auxit, cum in miſerrimo eſſet ſtatu, antequam illa regimen ſuſciperet. Inter pleroſque benefactores præcipuos habuit, quos ſupra nominavimus, Gondiſalvum, & Ximenez, qui larga manu ſuppetias tulerunt. Illud ſingulare præſtitit Sodalitio beneficium, quod Regularem firmaverit Obſervantiam, & prævenerit, quæ oriri poterant, ſcandala, introducta Monaſtica clauſura, cum prius Sorores paſſim exirent mendicatum, & exteris pateret aditus ad penetralia Monaſterii. Officium porro facile peragere poterat, adjutore Cuſtodiæ Angelo, qui in omnibus aſſiſtebat, & ſcitu neceſſaria quæque opportune revelabat, ac protectrice Maria Virgine, quæ ſe perpetuam illius domus Abbatiſſam conſtituit, & Joannam ſuam Vicariam ſeu Subſtitutam. In hoc officio multa recepit a Domino beneficia, & ſingulares revelationes; viditque præ reliquis animam ſui Confeſſarii, illius Monaſterii Vicarii, Petri a ſancto Jacobo, ſive *de Santiago*, viri probatiſſimæ vitæ, notæ virtutis & ſanctimoniæ, magna in cœlis gloria coronari.

Petrus à S. Jacobo ejus confeſſarius.

Roſaria ejus interceſſione benedicta.

LII. Flagitantibus Sororibus, oravit Dominum ut benediceret, virtuteſque infunderet Roſariis multis, quæ ſtudioſe collegerant, & illa in arcula ſub alterius cuſtodia & clave recluſerat. In extaſim acta, diu ſine ſenſu permanſit, quo tempore Sorores avide ſcrutantes quid circa Roſaria fieret, arculam referarunt, vacuamque viderunt; & extaſi completa, reſpicientes, repoſita compererunt, miro fragantia odore, quæ paulo antea ablata mirabantur. De his interrogata Joanna dixit, a Deo fuiſſe benedicta, ipſius manu contacta, atque inde impreſſum odorem infuſamque virtutem ad mala plurima pellenda morboſque curandos. Verum dixiſſe, mirabiles conſecuti eventus probaverunt; atque illi rite examinati ſunt coram Judicibus variis in locis, compactis legitime publicis inſtrumentis. Rem hanc aliqui ultro magnificarunt, & nimia pietate corruperunt, indulgentiarum plurimarum abſque ullo fundamento gratias adjicientes: quos juſte reprehendit, qui poſtremo Virginis vitam deſcripſit, adjectis inſuper probatiſſimis documentis, quæ rei veritatem confirment.

Navar. in prolog. & l. 3. c. 2. & ſeq.

Suffragatur animabus Purgatorii.

LIII. Perſpectis in viſione pœnis duriſſimis, quas animæ fidelium in Purgatorio patiuntur, ſumma eis pietate Joanna compatiebatur, & quod ubique per ſe vel per alios levamen poterat, præſtabat; orationum ſuffragia, Miſſarum ſacrificia, afflictiones corporis, pias operationes, & religioſa

pro

pro eis exercitia quotieſcumque licebat, offerebat, atque ut alii offerrent, procurabat. Petiit a Deo, ut in ſatisfactionem pro animabus purgandis admitteret ſui corporis pœnas, eaſque infligeret graviſſimas, & animabus infligendas remitteret. Juxta votum quidem tormenta ſuſtulit duriſſima, eo tamen alacrius, quo certius ſcivit per ſuum Cuſtodem, ea miſeris animabus profuiſſe. Multæ proinde animæ illi apparebant, rogantes ut illas etiam ſua caritate complecteretur; idque protinus faciebat, nulli ſuum qualecumque denegans auxilium. Hac pietate & ſingulari caritate plurimum apud Deum promeruit, & animas ſibi devinxit, ut illius meritis liberatæ, efficacius in cœlo pro illa interpellarent. Merito quidem ex illorum numero poterat eenſeri, de quibus ad ſanctam Birgittam Angelus pronunciavit: *Benedicti ſint illi, qui in mundo juvant animas orationibus, & bonis operibus, laboreque corporis ſui.* *Birg. l. 4. revel. c. 7.*

LIV. Indicibili affectu ſanctiſſimam Chriſti Crucem venerabatur, & merito quidem, quippe in feſtivitate Crucis inventæ tot beneficia a Deo recepit. In illa diximus in ſeculo natam, in Religione renatam, ſolemni voto Deo conſecratam; in illa inſuper, Deo jubente, Monaſterii per illam reformandi præfecturam accepit; & demum in illa tranſivit ab hac valle lacrymarum ad patriam cœleſtem, vitæ ſanctiſſime tranſactæ præmium receptura. Singulis hebdomadæ diebus peculiares habebat circa Crucis myſteria meditationes, fructus Crucis ita per dies univerſos diſtribuens, ut abundantiſſime defæcatæ animæ, & contemplandis Divinis aſſuetæ, materia ſuppeteret meditandi. Valde afficitur erga Chriſti Crucem.

LV. Virginem glorioſiſſimam Mariam totis cordis medullis, præcordiorum affectibus, & votis omnibus venerabatur, probe ſciens ita eum velle, qui totum nos habere voluit per Mariam, eamque factam eſſe ſcalam cœleſtem, per quam Deus ad terras deſcendit, ut per ipſam aſcendere meeamus ad cœlos. Erat in Monaſterio vetuſtum ſimulacrum ligneum ſacratiſſimæ Virginis, non adeo pulchre, neque ad artem dolatum, magnæ tamen venerationis apud Sorores & exteros. Ut majori adhuc reverentia coleretur, impetravit ut a Domino benediceretur, eamque imagini tribueret virtutem, ut coram orantes petita acquirerent, & in publicis neceſſitatibus hic invenirent remedium. Et quidem inveniunt: paſſim namque hujus imaginis intuitu magna fiunt miracula; & dum mala publica premunt, atque in ſupplicationibus circumfertur, ſive pro avertenda lue, ſive pro pluvia petenda, aut ſerenitate poſtulanda, ſemper probat populus ſuarum calamitatum ſperare ſe poſſe levamen. Et erga Virginem Mariam.

LVI. Indicant hæc & multa his ſimilia, quantam gratiam invenerit Joanna apud Deum; quantam autem ei conceſſerit Deus gratiam ſanitatum, ſæpiſſime probarunt Sorores. In una extinxit æſtum mortiferum ignis, quem appellant ſancti Martialis: alteram a canceris morbo ſanavit, aliam a pleuritide, alterius contortos humeros rectificavit. Præ doloris impetu cuidam ex Sororibus oculus unus in terram proſiliit, quem manu excipiens Joanna, linteoque abſtergens, ad locum unde exierat, reſtituit, ſtatimque quæ paulo antea erat monocula, oculo perfectiſſime vidit, ab omni malo liberata. Monaſterii famulum Joannem de la Fuente temere tranſvadantem Xaramæ fluviun, torrente aquarum exundantem, ne mergeretur, effecit. Famulam Antoniam Rodriquez ne ab impetente tauro occideretur, defendit; & Monaſterium ab impetu rebellium, qui ſub titulo Communitatis, & ſpecie boni communis, magnam Hiſpaniæ partem occuparunt. Vervex infectus rabie, Joannæ Sororumque confeſſarium cornibus petiit, & ſuo malo contaminavit. Donatur gratia ſanitatum.

vit. Oravit pro illo instanter Virgo, & resanavit. Infantulam mortuam ulnis exceptam, impositа cruce quæ ad collum pendebat suum, ad vitam revocavit.

Petit pro Christo pati.

LVII. Tantis donis cœlestibus illustrata, & Divino lumine perfusa, cœpit cogitare, tot gratiarum cumulis a Deo receptis se nihil rependisse; consolationes fuisse plurimas & maximas, afflictiones paucas & exiles; præmia ingentia, merita humilia. Anhelabat itaque aliquid pro Deo pati, & sicut erat consolationum particeps, ita volebat fieri tribulationum. Probe sciebat verum illud esse, *quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*; & propterea Prophetam hac luce percitum exclamasse: *Computrescant ossa mea, & subter me vermes sternantur, tantum ut requiescam in die tribulationis*. Instanter proinde rogabat ut laboribus, doloribus, afflictionibus & morbis corpus contereret, & tamquam aurum in fornace tribulationum examinaret. Exauditam fuisse, mœsto illi vultu Custos Angelus revelavit, monens magnam necessariam esse patientiam, ut reportaret promissiones, & aliorum indigere auxilio, Sororumque precibus, ne in certamine deficeret: *Corpus*, inquit, *conteretur gravissimis morbis, & spiritus affligetur persecutionibus, invidia, detractione, denique nominis injuria*.

2. Cor. 4. 17.

Habet. 2. 16.

Exauditur.

LVIII. Paulo postquam hæc audivit, & Sororibus retulit, toto corpore contracta est, nulla remanente parte absque gravi læsione. Ita vehementer dolebat, ut sæpe strideret & clamaret, a Deo petens auxilium & patientiam. Artubus omnibus, juncturis, nervis cruciabatur, nullo potens uti membro ad destinatum ministerium. Omnium fortissimus erat dolor capitis, quo tam vehementer aliquando torquebatur, ut mortuæ similis videretur. Stomachi insuper & iliacæ passiones tam intensæ pungebant, ut toto corpore algeret, frigidoque sudore tota maderet. Atque hæc mala per annos quatuordecim incredibili robore, invictaque sustinuit patientia. His demum accedebant dæmonum torturæ, verbera, flagella, & quandoque vulnera, quibus medendis multis diebus adhibere oportebat remedia; atqui unum nullo potuit medicamine per totum vitæ cursum sanari. Attamen in tot tantisque doloribus bis habuit Christum consolatorem, qui eam suo aspectu & colloquio dulciter recreavit.

Detractiones domesticæ.

LIX. Altera pars tribulationis & doloris a domesticis oritura, prænuncios habuit spiritus malignos, qui innumerabili multitudine fœdisque figuris immundorum animalium, serpentum, quadrupedum, tristiumque volatilium nocturnorum, domum omnem replebant, tectum occupabant, muros circuibant. Quos in visione contemplata Joanna, exhorrescens adjutorium imploravit spirituum cœlestium. Adfuerunt cum Michaele Archangelo Custos Angelus, & alii plerique cœlestis aulæ milites, qui vilissima illa inferni monstra, & si pertinaciter reluctantia, confestim abegerunt. Interroganti autem Joannæ, quid sibi Cacodæmones, & tetra illa colluvies volebant? Custos respondit: domum illam perturbare, & pœnitus evertere, jamque eis aditum apertum per Monialium rancores & discordias recenter exortas, quarum fructum amarissimum illa propediem erat gustatura. Atque ita factum est, ut conspirante cum aliis Vicaria contra Abbatissam Joannam, quasi bona Monasterii adhuc pauperrimi dissipasset, ut Bullam impetraret pro confirmanda unione beneficii curati, quod Cardinalis Ximenez applicaverat Monasterio, & illa Fratri germano contulerat, interpellatus sit Minister, qui rem omnem discuteret & judicaret. Accedens ille, nimis facile credidit Abbatissæ æmulis, eamque ab officio removit, substitu-

Ab officio Abbatissa removetur.

tuta in ejus loco Vicaria, quæ tam indignis artibus officium ambivit. Pertulit omnia patientissime Joanna: quæ multis colloquiis a suo Custode didicit, Deum ita permisisse, ut ancillam suam amplius tamquam aurum in fornace tribulationis excoqueret, & ne illa tot tantisque favoribus ac revelationibus Divinis assueta, vana gloria, dulci spiritualium opum spoliatrice, jucundo animarum hoste caperetur. Alia vitia locum habent in servis diaboli; inanis gloria etiam habet in servis Christi.

LX. His confortata sermonibus, quibus potuit modis consolabatur eas Sorores, quæ graviter ferebant illam permutationem officiorum a Ministro factam, omnesque hortabatur, ut noviter electæ prompte obedirent. Ipsa omnium prima humillime obsequia præstabat universa, & tamquam a Domino datam, toto affectu venerabatur Abbatissam. At Dominus non diu distulit ultionem injuriæ Joannæ irrogatæ: nam falsam accusatricem, quæ sibi a Domino prælatam supplantavit, gravi morbo repente percussit, incusso insuper ingenti timore & tremore criminis perpetrati. His edocta suppliciis misera fœmina, cœpit suas culpas confiteri, & quæ in Joannam commisit propalare. Deinde ab ipsa veniam humiliter petiit, & facile impetravit, illam insuper rogans, ut a Deo tot delictorum remissionem consequeretur. Oravit pro ea Joanna, & indulgentiam obtinuit, mox illam monuit præmaturæ mortis, quæ instabat, ne imparata raperetur. Paravit quidem illa morti præmittenda, & Sacramentis procurata pœnitens decessit, injungens Sororibus, ut Joannam reeligerent Abbatissam, suisque suffragiis, quod illa inique abstulit, illæ æquanimiter restituerent. Injuste autem Joannam loco suo remotam constitit, dum re melius discussa compertum sit, nonnisi exiguam summam aureorum septem pro diplomate Romano fuisse solutam, ejusque Fratrem acceptasse onus ministrandi Sacerdotii, submini-stratis tamen fructibus Monasterio. Restituitur.

LXI. Appropinquante jam tempore, quo Joannæ tot pressuris & tunsionibus expolitæ, & in vivum lapidem cœlestis ædificii dolatæ, ex hoc seculo erat migrandum, apparuit Angelus & dixit, Deo placuisse, ut ad majorem sui gloriam, suorumque Servorum ædificationem & instructionem innotescerent, quæ illi contulit beneficia tum spiritualium consolationum & revelationum, tum corporalium afflictionum & dolorum; quæ beneficii etiam loco reponenda erant, & proinde omnia distincte exararet. Illa quanta potuit animi demissione, se protinus ab hujusmodi donis sibi secreto commissis, palam referendis excusavit. At cœlestis monitor æquis rationibus, imperio & comminatione tamdem induxit ut faceret, scribamque dedit, quam diximus Mariam Evangelistam, quæ scribere nesciebat, ut amplius constaret præceptum hoc a Deo emanasse. Illa porro scripsit duos illos libros, quos supra memoravimus, sermonum, & vitæ actorumque Joannæ adeo diserte & discrete, ut supra humanum excellentius habuisse adjutorium colligatur. Jubetur beneficia quæ a Deo recepit, scribere.

LXII. Tamdem ubi decrevit Dominus ancillam suam ad tot meritorum præmia ex corporis ergastulo evocare, præmonere voluit per fidelissimum suæ Custodiæ Angelum in pervigilio Apostolorum Philippi & Jacobi, quorum uterque illi apparuit, & congratulatus est de præparata diuturni certaminis corona. Illa lætificans & exultans confestim se paravit ad transitum, dissolvi cupiens & esse cum Christo. Receptis Sacramentis, oravit Sorores, ut ad longinquam regionem abituram suis orationibus adjuvarent: mox se convertit totam ad contemplanda Divina mysteria & beneficia, quæ ab infantia cumulatissime a Divina recepit clementia. Tribus diebus ante illum, qui Præmonetur sui obitus.

qui ſacræ Crucis inventioni dicatus eſt, multas habuit revelationes & viſiones Chriſti Domini, ſanctæ Mariæ Virginis, Mariæ Magdalenæ, ſui Angeli Cuſtodis, aliorumque Sanctorum, necnon horribiles dæmonum apparitiones, qui ad ultimum vitæ terminum inſidiari, & adverſari non ceſſarunt. Demum poſt integri diei continuam pulchramque extaſim, quæ ab illis incepit verbis: *Congratulamini mihi, congratulamini mihi*: coruſcante facie, prodeunte ex ore ſuaviſſimo odore, oculis in cœlum fixis, multiſque prolatis ſanctiſſimis verbis, & habitis cum variis perſonis, quæ apparebant, piis colloquiis, obdormivit in Domino die prædictæ Inventionis, ſibi ſemper fauſto, ut diximus, & felici, anno ætatis quinquageſimo tertio, ab ingreſſu Monaſterii quadrageſimo.

Pie moritur.

Acta poſt mortem.

LXIII. Poſt mortem os illud exangue, facies pallida, corpus attractum, oſſibus dumtaxat conſtans & nervis, pulchra facta ſunt & ſpecioſa, qualia in juventute apparebant, dum frueretur conſortio ſermonis Divini. Quinque dies remanſit inſepulta, ſuaviſſimum emittens odorem, concurrente ex omni hominum genere, tam e propinquis, quam e longinquis locis innumera multitudine. Ut omnium commodius ſatisfieret pietati, Minoritæ, quorum plurimi convenerant, corpus humeris circumtulerunt, & ſpectandum præbuerunt extra Monaſterium, in cujus penetralia irruere non potuerunt cupidi ſpectatores. Recta in cœlum aſcendentem, plene in hoc ſeculo tot pœnis purgatam, ſe conſpexiſſe retulit religioſiſſima quædam Sanctimonialis Monaſterii Conceptionis Almeriani, ejuſdem ferme virtutis ac pietatis cum Joanna, eique in ſpiritu valde familiaris. Statim autem poſt obitum cœpit clarere miraculis. Sofotem ex caſu in tibia & pectore graviter læſam, hominem dentibus vehementer dolentem, alterum cruribus attractum ſulcris incedentem mirabiliter ſanavit. Tandem ſepulta in Odæo inferiori, abſque ullo receptaculo, præter nudam terram, injectaque copioſa calce & aqua, integra permanſit per ſeptennium. Accidit ut puella Comitis Populæ filia, quæ in Monaſterio piis educabatur inſtitutis, dum eo loco luderet, ſenſerit gratum odorem, & digitulis terram effoderit. Accedentes Sorores, eodemque recreatæ odore, conſtituerunt cauſam inquirere, & in quo ſtatu eſſet Joannæ corpus aſpicere. Altum effodientes, invenerunt corpore & veſte incorruptam, in nullo penitus offenſam. Decenter itaque ornatam, tranſtulerunt ad Odæum ſuperius, ubi in capſa reconditam ſub Altari collocarunt.

LXIV. Illic remanſit annis quatuordecim, frequenter contrectatum a Sororibus, veteribus ſpoliatum, novis veſtibus indutum, donec nobilis fœmina Iſabella Menduzia conjux Condiſalvi Chacconi, Domini de Caſarubios, illud transferri curavit ad ſacellum præcipuum Templi, & a latere Evangelii collocari in arcuato tumulo, ex quo tam Sorores a parte interiori, quam ſeculares ab exteriori nobilem arcam circulis ferreis firmatam, in qua ſacrum corpus requieſcit, conſpiciunt & contigunt. Facta eſt translatio anno MDLII. die XIV. Septembris, Exaltationi ſanctæ Crucis ſacro, præſentibus multis heroibus & heroinis. Anno milleſimo ſexcenteſimo Franciſcus de Soſa Miniſter Generalis, poſtea Epiſcopus Canarienſis, Oxomenſis, & Segovienſis, ſimul cum Petro Gonzalez de Mendoza Miniſtro Provinciæ Caſtellæ, poſtea Commiſſario Generali Familiæ Ultramontanæ, Archiepiſcopo Granatenſi, mox Cæſarauguſtano, demum Epiſcopo Seguntino, accedens ad Monaſterium, recludi fecit arcam, in qua quotquot aderant, viderunt corpus integrum, facie dumtaxat & manibus aliquantulum denigratis, reliqua cadaveris compagine illæſa, vegeta, & firmiter cohæren-

Anno Christi 1534.	Clementis VII. anno 11.	Caroli V. Imp. anno 16.	Religionis Minorum anno 327.

rente. Detracto vetuſto habitu, ſuperinductus eſt novus, & pro duobus albis capitis velamentis, unum reſtituit candidum, & alterum adjunxit nigrum Miniſter Generalis, hoc eam dignatus honore poſt mortem, quæ omnibus ſui Monaſterii Sororibus illum concupierat in vita. Abſcidit autem digitulum pedis ſiniſtri, in alio collocaturus Monaſterio, ſed contremuit videns poſt annos ſexaginta ſex ſanguinem effluere e vulnere.

LXV. Difficile explicari poſſet, quanta ſeruntur erga ſacram Virginem devotiune populi omnes in circuitu, & quantis illius ſepulcrum muneribus cohoneſtant. Facile itaque ſuit Sororibus nobiliſſimam, affabre compoſitam tbecam argenteam egregiis cælaturis operoſam, valoris aureorum quinquies millium, procuratore Alphonſo de Eſpinoſa, Monaſterii Vicario, condendo corpori comparare, in qua depoſitum fuit die feſtivo omnium Sanctorum anno MDCXIV. præſente Antonio de Trejo Ordinis totius Vicario Generali, poſtea Oratore Romano, & Epiſcopo Carthaginenſi, Franciſco de Ocaña Provinciæ Miniſtro, immenſa multitudine populi e Curia Regis Catholici, & oppidis vicinis confluentis. Ut omnium ſatisfieret votis, expoſitum ſuit in Templi ſacello majori loco eminenti, ubi per biduum omnium patuit conſpectui. Demum arcæ prædictæ illatum ſuit, adjectis ſeris duabus, clave una tradita Provinciæ Miniſtro, altera Abbatiſſæ. Anno ſequenti venit ſacrum depoſitum veneraturus Philippus III. cum tota prole Regia, Cardinali Lermenſi, & præcipuis aulæ Magnatibus. Satiandæ omnium pietati expoſitum fuit corpus in nobili ſtrato per diem integrum, quem corporis venerationi dedicarunt aſſiſtentes in choro, excepta dumtaxat hora prandii, quod in atrio Monaſterii ſumpſerunt. Poſtremo Philippi IV. conjux digniſſima Iſabella Borbonia anno MDCXXII. in comitatu habens Carolum Infantem, Ferdinandum Cardinalem Toletanum, Regis fratres germanos, & Regiæ Primates, pretioſum hunc theſaurum voluit aſpicere, & donariis honorare. Quantus eius cultus.

LXVI. Ultimo demum Epiſcopi Trojæ & Cyrenes, Apoſtolici Commiſſarii pro ſacræ Virginis actis examinandis delegati, arcam recludentes, conteſtati ſunt ſe corpus incorruptum, & viſu pulchrum aſpexiſſe, illudque per triduum pluſquam qnadraginta millium undique adventantium aſpectui permiſiſſe. Hic in Urbe de connumeranda Sanctorum cœtui agitur, præbebatque olim ſumptus cauſæ proſequendæ Gabriel Cardinalis de Trejo, ſupradicti Antonii frater; ſed & Comitia Generalia Regni Caſtellæ quatuor millia aureorum decreverunt in hunc finem eroganda. Veneratio & cultus eo in loco perquam maximus eſt, & fama per univerſa Hiſpaniæ Regna valde diffuſa. Sepulcrum inſuper glorioſum, accenſis in circuitu multis lampadibus argenteis, appenſis pretioſis donariis, & depoſita apud ædituum locuplete ſupellectile. Agitur de ejus Canonizatione.

LXVII. Documenta ſanctitatis, & actorum proceſſus Romam tranſmiſſi, innumera magnaque continent miracula, omnis generis ſanitatum, vitæque aliquibus reſtitutæ. Præcipua, firmiſque teſtimoniis commendata refert Petrus Navarrus, qui omnium ultimus ſacræ Virginis acta conſcripſit, docte quidem & prudenter, conſultis & diligenter perlectis quæ de ſua magiſtra omnium primam diximus ſcripſiſſe Mariam Evangeliſtam. Antonius Daza præter ea, quæ in Chronicis a ſe editis recenſuit, peculiari libello integram complexus eſt vitam, ſed magis pie quam ponderoſe concinnatam, quod anſam præbuit gravibus viris quædam objiciendi, & aliqua ſeverius judicandi, in magnam tantæ Virginis offenſionem. Occurrit docta Apologia Franciſcus a Soſa, quem ſupra retulimus, aliique viri docti; ſed om- Quinam ejus vitam ſcripſerunt.

Cimarel. l. 2. cap. 25. 28 & ſeqq. Gonz. in Provin. Caſtellæ Monaſt. 4. Salaz. lib. 7. cap. 11. & in fin. lib. 8.

omnium accuratiſſime dictus Navarrus. Dazæ opus, adjectis Soſæ notis, Bartholomæus Cimarella quartæ parti Chronicorum a ſe compoſitæ Italice traductum inſeruit. Franciſcus Gonzaga, Petrus Salazarius, & ex neotericis multi præclaram habent hujus Virginis mentionem.

Franciſca N. *Gonz. in Provin. S. Angeli Conv. 25.*

LXVIII. Alia Tertii Iuſtituti virgo illuſtris, multis virtutibus exornata, Franciſca N. circa hunc annum deceſſit in Apulia, & ſepulta eſt in Conventu Minorum Ripæ Limoſani, de qua hoc habet Franciſcus Gonzaga teſtimonium: *Honeſtiſſimæ pariterque religioſiſſimæ ſororis Franciſcæ, Tertii Ordinis Franciſcani olim alumnæ, quæ innumeras larvarum inſidias declinavit, & glorioſa de inimico Satana trophæa ſæpius retulit, quapropter illi ſumme formidabilis fuit.*

Anno 1525. n. 6. Fonſeca de expulſion. Maurorum l. 1. c. 3.

LXIX. Clemens Pontifex & Carolus Imperator audientes Mauros regni Valentiæ, quos diximus ſuperius innumera multitudine baptizatos, Mahometiſmum potius quam fidem profiteri Chriſtianam, non ſemel incuriæ & torporis in re tanti momenti arguerunt utriuſque ſtatus Eccleſiaſtici & ſecularis Præfectos, ac demum Imperator hoc anno duos inſtituit Commiſſarios, qui perfidam gentem ad præcepta & regulas veræ Religionis inſtrui, & plene catechizari curarent. Primus fuit frater Antonius de Calcena, provinciæ Aragoniæ Miniſter, olim totius Ordinis Vicarius Generalis, & demum Epiſcopus Dertuſanus. Secundus fuit Antonius Ramirez de Haro, Abbas Arvaſarum, quorum induſtria factum eſt ut plurimi per gentem illam numeroſiſſimam diſtribuerentur prædicatores, quorum diligentia magna pars in fide confirmata eſt.

Antonius de Calcena inſtruit Mauros Valentinos.

Capitulum Generale Conventualium. *Rotul. fol. 196. & 244.*

LXX. Hoc anno Patres Conventuales celebrarunt Capitulum Generale Mediolani, cui interfuit, & ſubſidia ampla miniſtravit Franciſcus Sforzia, nuncupatus Maurus, Dux Mediolanenſis. Electus eſt Magiſter Generalis Jacobus Antonius Ferdutius Anconitanus, de quo diximus anno præcedenti, prius functus officiis Procuratoris & Vicarii Generalis Ordinis, quem annis ſeptem laudabiliter rexit, donec a Paulo III. ad Eccleſiam Marturanam, quod ſuo loco dicemus, aſſumptus eſt.

Cuſtodia ſancti Evangelii erigitur in Provinciam.

LXXI. Statim in exordio Pontificatus expoſitum fuit Paulo III. Pontifici per Commiſſarium Generalem Ultramontanum, & Miniſtros Hiſpanos expedire, ut Cuſtodia ſancti Evangelii in nova Hiſpania Indiarum Occidentalium erigeretur in Provinciam, & Provincia ſanctæ Crucis in Inſulis Indicis deprimeretur in Cuſtodiam. Utrumque conceſſit Pontifex, emiſſo ſequenti diplomate. Sed cum in proximis Comitiis Generalibus de hac re controverteretur, quoad erectionem Provinciæ, Bulla in ſuo robore permanſit, firma etiam remanente ſanctæ Crucis Provincia.

PAULUS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

Reg. Ultramon. fol. 86.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Commiſſarius Generalis Ordinis Minorum Obſervantiæ Regularis in partibus Ultramontanis, ac Miniſtri Provinciales Hiſpanicæ Nationis ejuſdem Ordinis, quod in partibus Indiarum, nova Hiſpania nuncupatis, una Cuſtodia ſub ſancti Evangelii, & una Provincia prædicti Ordinis ſub S. Crucis invocationibus, ſecundum morem ipſius Ordinis, ſunt inſtitutæ, & ob varias & juſtas cauſas expedit, quod Cuſtodia in Provinciam, & Provincia hujuſmodi in Cuſtodiam mutentur. Quare ſupplicari fecerunt nobis humiliter, ut ſuper his opportune providere de

de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod de cetero in perpetuum Cuſtodia ſancti Evangelii cum omnibus & ſingulis domibus ejuſdem Cuſtodiæ nuncupetur, & ſit Provincia ſancti Evangelii, & e converſo Provincia S. Crucis hujuſmodi cum illius omnibus & ſingulis domibus nuncupetur, & ſit Cuſtodia ſanctæ Crucis in omnibus & per omnia, perinde ac ſi a principio non ut fuerunt, ſed juxta ſtatutum hujuſmodi & ordinationem hujuſmodi fundatæ & inſtitutæ fuiſſent: irritum & inane decernentes quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, necnon conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, ac litteris Apoſtolicis quomodolibet etiam pluries conceſſis, confirmatis & innovatis: quibus, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modos & formas ad id ſervandos pro individuo ſervatis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXIV. *Novemb.* MDXXXIV. *Pontificatus noſtri anno* I.

Bioſius.

LXXII. Multi hoc anno ab Obſervantibus ad Capuccinos tranſierunt. *Viri omnes*, inquit Boverius, *virtute inſignes*, atque inter hos Bernardinus Aſtenſis, quem *virum plane admirabilem, prudentia ac vitæ ſanctimonia illuſtrem* vocat Boverius, in eo tamen errans, quod Procuratoris Generalis officio anno ſuperiori apud Obſervantes functum eſſe affirmet; cum Honorius Chayanus, in Capitulo Meſſanæ huic deſtinatus muneri, in eo perſeveraverit uſque ad ſequentis anni Capitulum Generale Nicæoum, atque hoc ipſo anno procuratorio nomine impetraverit a Pontifice, ut ſupra diximus, dari in Protectorem Ordinis Cardinalem Quiñonium. Eamdem viam ingreſſus eſt Joannes Fanenſis, olim Miniſter Provinciæ Marchiæ, qui primos Capuccinorum auctores, a ſua dilapſos obedientia, ad eamdem modis omnibus revocare tentavit. Hunc diximus ante biennium impetraſſe a Miniſtro Generali facultatem prædicandi per univerſam Italiam, & aſſumendi ſocios gratos, quem tamen hoc anno Boverius facit Guardianum Conventus Cingulani, inferioris valde, improportionati tanti hominis, quantum ipſe Boverius deprædicat, dignitati. Hunc ſecutus eſt Franciſcus Æſinus vir religioſiſſimus, qui laboravit in aſſequenda Bulla pro reformandis Fratribus intra ipſas Provincias Obſervantuoi, ſub obedientia Miniſtrorum, & deſignandorum pro Conventibus Reformatis Cuſtodum. Addit inſuper hic auctor, totam ſupradicti Conventus Cingulani familiam hoc anno ad Capuccinos migraſſe, non ſine uno & altero ſtupendo miraculo.

Bover. n. 21.

Creſcit Capuccinorum Inſtitutum.

Notæ aliquæ circa aſſerta Boverii.

Idem n. 7.

LXXIII. Aliquam mihi ingerunt iſta difficultatem, & ſuſpicionem erroris vel in facto vel circa annum, quo contigerunt. Etenim hoc ipſo anno, juxta tenorem Bullæ reformationis ſupradictæ, aſſignati fuerunt tres Conventus in Provincia Marchiæ, ex qua potior pars horum Fratrum dicitur tranſiiſſe, atque ex his tribus unus fuit ſupradictus Conventus Cingulanus. Exſcribo hujus rei monumentum ex regeſto Leonardi Publicii Vicarii Generalis. *Anno*, inquit, *præſenti* MDXXXIV. *die* XVI. *Aprilis miſſus fuit Commiſſarius in Provinciam Marchiæ R. P. frater Hieronymus de Valentia Provinciæ Genuæ, ab eadem Provincia Marchiæ requiſitus, cum poteſtate*

Reg. gen. Ciſm. fol. 129.

plena viſitandi &c. & tenendi Capitulum, in quo novus Miniſter erat eligendus, & fuit electus R. P. fr. Paulus de ſancto Severino ejuſdem Provinciæ, & in eadem Provincia nonnulla loca ad vivendum reformate Fratribus requirentibus conceſſa fuerunt per auctoritatem ipſius Rev. P. Commiſſarii, dictique R. P. Miniſtri, & PP. Definitorum Capituli, & ſunt hæc: locus Annunciatæ apud Auximum, locus ſancti Jacobi apud Cingulum, & Eremitæ apud Maſſaccium, ſub obedientia & favore Miniſtri, ſine tamen Cuſtode.

LXXIV. Inſuper ſub anni exordium & finem impetraverunt Obſervantes diplomata duo, unum Clementis, alterum Pauli III. rigoroſe interdicentia hujuſmodi Obſervantum tranſitus ad Capuccinos; refertque Boverius, Clementem in die ſancti Marci Evangeliſtæ, edicto præcepiſſe, ut quotquot Capuccini erant in Urbe, ad unius candelæ ardentis tempus ab ea confeſtim abſcederent: quæ quidem lectoris fidem retardare poſſunt, ſaltem circa tempus tam multiplicis tranſmigrationis, & receſſus omnium Fratrum Cœnobii Cinguli, nulla obtenta, ſed neque petita Superioris licentia, juxta pleraque alias a nobis relata Pontificum decreta. Bullas autem Clementis, & Pauli hic exſcribo.

CLEMENS PAPA VII.

Dilectis filiis Ludovico de Foſſambruno Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, Fratri Capucciato nuncupato, & ejus ſociis, ac eorum cuilibet.

Reg. gen. Ciſm. fol. 126.

LXXV. *Dilecti filii &c. Cum, ſicut accepimus, vos prætendentes velle Regulam beati Patris veſtri Franciſci ad unguem juxta ejus litteralem ſenſum, & non declarationes ſuper illam per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros hactenus editas obſervare, a propriis domibus Ordinis veſtri Fratrum Minorum, Regularis Obſervantiæ nuncupatorum recedentes, & ad diverſas alias domos & loca etiam ipſius Ordinis vos transferentes, ac inibi vos Fratres Capucciatos nuncupantes, maximam in dicto Ordine perturbationem ſuſcitare, & ceteris ipſius Ordinis profeſſoribus, an per eos Regulæ prædictæ ad plenum ſatisfiat, hæſitandi materiam præbere viſi fueritis, in gravem animi ipſorum profeſſorum trepidationem. Nos volentes perturbationi & ſcandalo prædictis, quantum cum Deo poſſumus, obviare: Motu proprio & ex certa ſcientia, vobis & veſtrum ſingulis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam vos & veſtrum ſingulos, ſi præſentibus noſtris contravenerittis, incurrere volumus ipſo facto, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus de cetero aliquem ex ipſius Ordinis Fratrum Minorum, Regularis Obſervantiæ nuncupatorum profeſſoribus, etiamſi ad Fratres ipſius Ordinis Conventuales nuncupatos, antea tranſiverit, & ab eis receptus fuerit, ſeu habitum ipſius Ordinis prius dimiſerit, & in habitu ſeculari exiſtat, in ſocium vel fratrem veſtrum, aut novas domos vel loca ad habitandum recipere abſque Sedis prædictæ licentia ſpeciali, plenam & expreſſam de præſentibus mentionem faciente, nullatenus præſumatis. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac litteris Apoſtolicis etiam in forma Brevis vobis ſub quibuſcumque tenoribus, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, confirmatis & in-*

innovatis, contrariis quibuſcumque: Auc ſi vobis communiter vel diviſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſitis per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verba ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die IX. *Aprilis* MDXXXIV. *Pontificatus noſtri anno* XI.

PAULUS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

LXXVI. *Accepimus, quod ex eo quod nonnulli Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſores, ob frugem, ut aſſerunt, melioris vitæ, aut ex aliis cauſis eorum animum moventibus, habitum per Fratres dicti Ordinis geſtari ſolitum dimittere, & ſe de domibus & locis ejuſdem Ordinis ad domos & loca Fratrum Ordinis ſancti Franciſci, Capucciatorum nuncupatorum, ſe transferre nituntur, Religio ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia plurimum perturbatur & ſcandalizatur. Quare nos non valentes ad præſens ob varia & diverſa negotia, quibus in noſtri Pontificatus .... in quo ſumus, occupamur, huic rei, ut vellemus, vacare: & cum dicti Ordinis de Obſervantia Generale Capitulum, a quo maturius informari ſperamus, in proximo Pentecoſtes feſto celebrandum ſit: de conſilio nonnullorum S. R. E. Cardinalium, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ſtatuimus & ordinamus, quod nullus dicti Ordinis Minorum de Obſervantia profeſſor ad domos & loca dictorum Fratrum Capucciatorum, quovis prætextu, ſine noſtra ſpeciali licentia ſe transferre poſſit & valeat, & contraveniens excommunicationis pœnam ipſo facto incurrat. Inhibentes ſub eadem pœna excommunicationis, univerſis & ſingulis Fratribus Capucciatorum prædictis, ne aliquos dicti Ordinis de Obſervantia profeſſores, aut cujuſcumque alterius Religionis vel Ordinis, aut domos vel loca recipiant, donec, ut prædiximus, a Capitulo Generali prædicto plenius informati, huic negotio opportunum cum Domino apponamus remedium. Interim vero, ſi qui Fratres ex Capucciatis ad Ordinem de Obſervantia, unde digreſſi ſunt, reverti voluerint, a Generali Ordinis Vicario caritative recipi poſſint & valeant. Mandantes dilectis filiis Gubernatori Urbis, ac Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, ac dictæ Urbis Vicario, & eorum cuilibet, quatenus ſtatutum & ordinationem prædictam inviolabiliter obſervari faciant: Non permittentes aliquid per quoſcumque quacumque dignitate, præeminentia & auctoritate fungentes, contra præſentium tenorem quomodolibet attentari; contradictores quoslibet & rebelles, contra quos etiam manu regia procedi poſſe volumus, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſeculari. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, ſigillo alicujus publici Notarii ſubſcriptis, eadem prorſus adhibeatur fides, quæ adhiberetur originalibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die* XVIII. *Decembris anno* MDXXXIV. *Pontificatus noſtri anno* I. *Ibid. fol. 127.*

LXXVII. Promotus ad Epiſcopatum Chienſem in Archipelago, ſub Archiepiſcopatu Coloſſenſi, ſeu Rhodiano, ut alius habet Codex actorum Con- Fr. Hieronymus Epiſc. Chienſis.

Conſiſtorialium, ad Chiomenſem, ſeu Kiovienſem in Polonia, ſub Archiepiſcopatu Leopolienſi, frater Hieronymus Viginus, ſeu juxta alterum illum codicem Joannes Vigerius, niſi ſortaſſis ſint duo ad duos Epiſcopatus aſſumpti, ſacræ Theologiæ Magiſter, *die* XIV. *Januarii*. Ad Septenſem in Africa, olim inſignem & Primatem in ea regione, nunc ſub Archiep. Eboren. in Luſitania (paret enim hodie Septa Regibus Luſitanis) frater Didacus de Silva, de Caputio nuncupatus in actis Conſiſtorialibus, propterea uti ſuſpicor, quod ex provincia fuerit Pietatis, in qua aliquanto acuminatum geſtant Caputium, & Fratres omnes trium provinciarum ſtrictioris Obſervantiæ in Luſitania, ſimili utentes Caputio, vocantur vulgo *Capuchos*, ſicuti etiam Patres Capuccini ita nuncupantur a ſuo capitis velamento, *die* IV. *Martii*. De homine iſto, natalibus & virtutibus inſigni, dicemus plura annis ſequentibus. Alterum inſignem Minoritam Franciſcum Ximenez unum ex primis illis duodecim viris Apoſtolicis, miſſis in Indiam Orientalem, præfecto Martino de Valentia, uti ſuo loco diximus, propoſuit Carolus V. Imperator Clementi Pontifici pro Eccleſia Antiqueræ, noviter erectæ in provincia Guezacualci, ſcriptis litteris ad ſuum Oratorem Romanum, Comitem Centum-fontium, vulgo *Cifuentes*, in quibus hominem valde commendat a virtute, doctrina, agendorum peritia, plurima gentis converſione, exactaque notitia, quam habebat illius provinciæ, in qua per aliquot annos verſabatur. Petebat inſuper a Pontifice, ut in illa regione Epiſcoporum indiga, liceret Ximenio ab uno conſecrari Epiſcopo, aſſiſtentibus duabus Dignitatibus, vel Canonicis alicujus Eccleſiæ Cathedralis. Licet tamen Imperator omnem hanc poſuerit operam, ut novellæ Eccleſiæ tantum provideret virum, eam ille conſtanter reſpuit, malens in ſua humilitate permanere, & liberius converſioni miſellæ gentis inſiſtere. Unde anno ſequenti die XXI. Junii, Joannes Lopez ad eamdem aſſumptus eſt Eccleſiam.

Fr. Didacus Septen.

Vide infra anno 1539. Fr. Franciſcus Antequeræ.

Herrer. dec. 5. l. 5. c. 14.

LXXVIII. Deceſſit hoc anno, ſicuti in libro de Scriptoribus probavimus, non MDXXIV. uti ſcriptum eſt in libro Fratrum defunctorum Lovanii, neque MDXXV. uti habet Gonzaga, Amandus Zierixenſis Zelandus, vir doctus & pius, antiquitatum & hiſtoriarum Eccleſiaſticarum ſtudioſiſſimus; qui præter alia multa ſcripſit Chronicon a mundi exordio ad annum MDXXXIV. quod ſcrutinium veritatis hiſtoriæ nuncupavit. Ex anno hoc, ad quem hiſtoriam perduxit, deduximus nos in opere citato de Scriptoribus errorem ſubeſſe in numeris, quos habet liber Lovanienſis in hoc, quod exſcribimus epicedium: *Obitus venerabilis, zeloſi & devoti Patris Armandi Zierexenſis ſacerdotis, Prædicatoris & Confeſſoris, qui fuit ante unionem Miniſter & Cuſtos Fratrum reformatorum hujus provinciæ Coloniæ, necnon & Guardianus & Lector in diverſis Conventibus, etiam poſt unionem. Vir utique in ſacra pagina litteratiſſimus, Latinæ, Græcæ & Hebraicæ linguæ peritiſſimus, ſepultus in choro Lovanii ante ſummum Altare anno Domini* MDXXIV. VIII. *Junii*.

Gonz. in Prov. German. infer. Conv. 1. Moritur Amandus Zierixenſis.

LXXIX. Non longe a Marrubio, Apulorum oppido, pii incolæ hoc anno Convenium extruxerunt Fratribus Obſervantibus, ſub invocatione ſanctæ Mariæ Gratiarum. Alterum apud Caſtilionum, diœceſis Brixienſis oppidum, poſuit Ludovicus Gonzaga Caſtilionenſium Marchio, ſub titulo beatæ Mariæ de Laureto; eiſdemque Obſervantibus dedit, accedente facultate Matthiæ Hugonis Epiſcopi Famaguſtani, Franciſci Cornelii Brixienſis Epiſcopi S. R. E. Cardinalis Vicarii. Patres Conventuales hoc anno ad jactum lapidis extra oppidum Caſtri-veterani in Sicilia, diœceſis Ma-

Conv. Marrubii. *Gonz. in Prov. S. Nicol. Con. 19.* Conv. Caſtilionis. *Idem in Prov. Brixiæ Conv. 11.* Conv. Caſtriveterani. *Rodul. fol. 282.*

Anno Christi 1534.	Clementis VII. anno 11.	Caroli V. Imp. anno 16.	Religionis Minorum anno 327.

Mazariæ, locum acceperunt ſub titulo ſancti Franciſci. Eccleſia pulchra eſt & commoda, ſed reliqua fabrica paupercula & inconcinna.

LXXX. Prope oppidum Alviti, diœceſis Eborenſis in Luſitania, cœpit hoc anno conſtrui ſub Eremitorii forma, & titulo Dominæ noſtræ de Martyribus, Fratrum Obſervantum Conventus, quem ampliorem & commodiorem fecit quidam Baro Alvitenſis, ſervitque nunc Fratribus Recollectis. Reformatus eſt hoc anno Conventus Lymiricenſis in Hibernia.

Conv. Alviti. *Gonz. in Prov. Algarb. Con. 16.*

Conv. Lymiricen. reformatur.

LXXXI. Apud Indos Occidentales inſignis eſt provincia Yucatanæ, quam primam occuparunt Hiſpani in continenti novæ Hiſpaniæ, in eaque Civitatem Meridæ, ubi quondam magnum Barbarorum municipium Mayapan fuiſſe dicitur, conſtruxerunt, ad ſimilitudinem Auguſtæ Emeritæ, vel Meridæ Hiſpanæ. Illius provinciæ primaria eſt & Epiſcopalis, diſtans ab Æquatore verſus Arctum gradus viginti, ibique degit Præfectus totius provinciæ, una cum Regiis miniſtris. Ad hanc urbem cum anno iſto appuliſſet frater Jacobus de Teſtera, de quo dictum eſt, Cœnobium humile auxiliis oppidanorum, quorum gratiam ſua virtute & doctrina inivit, ſub invocatione *Matris Dei* conſtruxit, quod poſtmodum propter Hiſpanorum militum nimiam licentiam Indos vexandi, aurumque cumulandi, dereliquit. Reſumpſit tamen frater Laurentius Bienvenida, ſub annum MDXLIV. & indigenarum ope in pulchriorem amplioremque formam reduxit. Jacent hic frater Franciſcus a Turre, provinciæ Bæticæ alumnus, provinciæ Yucatanæ fundatorum unus, deinde Cuſtos & Miniſter, de cujus virtutibus, & propagandæ fidei zelo ſuo loco dicemus; & frater Didacus Landa ex provincia Caſtellæ illuc profectus, vir inſignis, demum Yucatanæ Meridæ Epiſcopus, de quo alias ſermo recurret.

Conv. Meridæ Indicæ. *Idem in Prov. Yucat. Conv. 1.*

Franciſcus a Turre.

Didacus Landa. *An. 1579.*

LXXXII. In Civitate Regum ſeu Limana, a valle in qua ſita eſt, frequenter nuncupata, ab Æquatore duodecim gradus & triginta, vel ut alii quadraginta, ſcrupulos verſus Auſtrum diſtante, Peruviani Imperii Metropoli, magnitudine, opulentia & magnificentia, urbium omnium prima, ſub hunc annum frater Franciſcus a Cruce ex inſula Hiſpaniola illuc trajiciens, Cœnobium Minoritarum inchoavit, aſſentiente & auxiliante Marchione Franciſco Pizarro illius gentis admirabili, ſed infelici, domitore. Infeſtis autem ſignis dimicantibus, & implacabili odio diſſidentibus Hiſpanis, atque hinc inde trucidatis Pizarro, ejuſque æmulo Didaco de Almagro, cum omnia cæde & ſanguine polluerentur, oportuit Fratres abire. Sedatis aliquantulum rebus, poſt biennium regreſſi, auctoribus fratribus Franciſco a Marchena, Cuſtodiæ Peruvianæ tunc Præfecto, & Franciſco Aragonio, aliud extructum eſt domicilium loco ſalubriori, multoque amœniori, quod nunc omnium Religioſorum illius urbis maximum eſt; occupat enim cum ſuo horto quadras duas Civitatis, & ſecundum illius parietes ducitur ſecundus urbis callis ad Monaſterium ſanctæ Claræ, rectaque inde tenditur ad ſuburbium indigenarum verſus Arctum, & hinc ad ſtagnum ſive pulcherrimum fontem, e quo per fiſtulas ſubterraneas ſive aquæductus, aqua deducitur ad reliquos fontes Civitatis. Conventus hic duas habet doctrinales domos, nempe Divæ Mariæ Magdalenæ, & ſancti Jacobi Apoſtoli de Surco, in quibus Fratres puerorum & juvenum doctrinæ inſiſtunt. Obiit hic frater Alphonſus Alcañizes laicus, ſingulari pietate præditus, Beneventano oppido in Hiſpania oriundus. Maxima in veneratione habetur tum ab Indis, tum ab Hiſpanis, ob inſignes virtutes, quibus eluxit. Alii etiam pii Viri virtute illuſtres illic requieſcunt, vivuntque in Cœnobio Fratres ultra centum quinquaginta.

Conv. Limanus. *Idem in provin. duodecim Apoſt. Conv. 1.*

Domus doctrinales Limanæ.

Alphonſus Alcañizes.

LXXXIII. Hu-

Con. del Cuſco. *Indiæ. Conv. 2.*

LXXXIII. Hujus etiam temporis fœtus eſt Cœnobium urbis del Cuſco, olim Peruviæ Metropolis, & Yngarum Regum domicilii, Civitatis nobiliſſimæ, ſitæ ad decimum tertium gradum & ſemiſſem altitudinalis Auſtralis, centum & triginta leucis ab urbe Limenſi verſus Ortum. Nihil videtur natura huic Civitati negaſſe, quæ ad opulentiam, magnificentiam & decorem ſpectabant. Multa hic erant ædificia regia, & imprimis Templum Soli dicatum, longe ſumptuoſiſſimum, auro atque argento locupletiſſimum, ad quod omnes ferme nationes conveniebant, ſuaſque ſuperſtitiones, & varia idololatriæ genera exercebant. Ubi primum illuc Minoritæ pervenerunt, omni ſtudio gentis converſioni inſtiterunt, atque ut humaniores erga illam eſſent Hiſpani, cum ſupradicto Pizarro, ejuſque Tribunis quotidie intercedebant. Invenit præ ceteris frater Petrus Luſitanus gratiam in oculis Pizarri, ejuſque ope Cœnobium ſui Inſtituti cœpit ædificare. Poſt aliquot annos ſedem mutarunt Fratres, propter aeris intemperiem. Sed cum neque illo in loco ex toto eſſet ſalutaris, commodiori loco intra urbis mœnia, interceſſoribus fratribus Petro de Algarbiis, & Ferdinando de Hinojoſa, vir nobilis Joannes Rodriguez de Villalobos tertium domicilium conſtruxit, ſibique Eccleſiæ jus patronatus reſervavit. Deceſſit hic magna ſanctitatis opinione frater Joannes Callellena laicus, qui relicta ſeculari militia, Chriſto felicius, ſub vexillo ſancti Franciſci inſervivit.

Joannes Callellena.

Conv. urbis S. Franciſci. *Idem in provin. S. Franc. de Quito Conv. 1.*

LXXXIV. Ex prædicti Pizarri Ducibus unus, Sebaſtianus Belalcazar Popajanicæ poſtea Provinciæ Gubernator, hoc ipſo tempore, quo Pizarrus Yngas, & potiſſima Peruvianæ provinciæ oppida debellabat, in amœniſſima quadam valle, ſita ad altitudinem triginta tantum ſcrupulum citra Æquatorem verſus Auſtrum Civitatem ædificavit, ſub nomine ſancti Franciſci ſuper ruinas oppidi Quito, vetuſto Regum illius Provinciæ Palatio percelebris, in eaque pulchrum Franciſcanorum Cœnobium, ſub titulo ſancti Pauli, tum ſuis, tum aliorum iſtius regionis expugnatorum ſumptibus conſtrui curavit. Huic Conventui ſubſunt domus doctrinales tres, prima ſanctæ Claræ oppidi Pomazquii, ſecunda ſancti Joannis Cotocollai, tertia ſancti Georgii Perruhii. Primus Franciſcanorum in hanc urbem venit frater Jodocus de Riicke Belga, Mechlinienſis, uti ipſe in epiſtola ad Guardianum Gandenſem ſcripta teſtatur his verbis, quæ in lectoris gratiam illiuſque gentis perfectiorem notitiam libenter exſcribo. Præmiſſo exordio ſubjungit. *Noſcat tua Reverentia me reſedisſe in Civitate Divi Patris noſtri Franciſci de Quito viginti duobus annis. In his autem partibus meſſi magnæ, meſſores non habentur, cum tamen omnes fidem ſitiant. Civitas hæc de Quito participat de Æquinoctio, & aliquando de Auſtro. Per anni circulum temperata eſt hæc Provincia, quemadmodum finis Aprilis ibidem, ſic hic per anni circulum. Longum foret hominum illorum conditiones & mores enarrare. Quamvis barbari & ſine litteris, tamen natura habent optimas conſuetudines. Inter ipſos pauper non invenitur, quamquam pauperes omnes in victu & veſtitu. Apud hos tanta juſtitia & rectitudo vivendi, ut ſuperent illos, qui legibus & libris & litteris abundant. Facile in fide inſtituuntur. Omnium rerum Creatorem eſſe affirmant, quem venerantur quidem, ſed* Soli *ſummam venerationem exhibent. Divinationes, ſuperſtitiones & ſimilia abundant inter eos. Sunt ingenioſi, & facile litteras addiſcunt, canere item & ludere inſtrumentis muſicis. Oremus Deum, ut mittat operarios in hanc Domini novam vineam, & nos conſervet in ſalute animæ & corporis, & tandem, Domino annuente, cœleſtibus perfruamur. Tantæ ſunt noſtræ occupationes, ut hanc epiſtolam ſine impedimento ſcribere nequiverim.* Et paulo poſt. *Ego fui pri-*

Domus tres doctrinales.

Mores gentis de Quito.

Anno Christi	Clementis VII.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 327.
1534.	anno 11.	anno 16.	

primus Franciſcanorum, qui hanc Civitatem Divi Patris Franciſci incolui, & hinc reliqui omnes Conventus & Cuſtodiæ principium habuerunt. Conſodalem habeo fratrem Petrum Goſſeal a Lovanio, profeſſum Brugis in provincia Flandriæ, qui in hunc uſque diem comes individuus extitit, hic apud omnes in veneratione eſt &c. Data ex Conventu de Quito, anno MDLVI. XII. *Januarii.*

LXXXV. Videtur hoc anno conſtructum fuiſſe Monaſterium Conceptionis beatæ Mariæ Virginis in oppido de Villa-Pedrochæ, diœc. Corduben. in provincia Angelorum, & aliquas obortas fuiſſe difficultates, propter quas Patres illius Provinciæ nolebant illud admittere ſub ſuo regimine. Requiſitus tamen Vicarius Generalis a digniſſimis, uti habetur in ejus regeſto, & devotiſſimis Viris, inito conſilio cum nonnullis Patribus, illud acceptavit, præcepitque Miniſtro & Patribus dictæ Provinciæ, ut illud admitterent & Sororibus Confeſſarium deputarent, ac neceſſaria quæque bono regimini peragerent. Acta ſunt hæc Romæ hoc anno, die 1. Septembris. Nihilominus apud Gonzagam non invenio hujus Monaſterii memoriam, neque in monumentis MSS. illius Provinciæ ad me nuper tranſmiſſis. Monaſt. Conceptionis Villæ-Pedrochæ. *Reg. gen. Ciſm. fol.* 131.

LXXXVI. Bina Fratribus conceſſit hoc anno privilegia Clemens VII. unum exemptionis a ſolvendis decimis, & canonica portione: *Exponi nobis.* die XXIII. Junii. Alterum, quo liberabat a moleſtiis & gravaminibus Inquiſitorum, quod & alii Prædeceſſores conceſſerunt: *Accepimus quod alias,* eadem die. Sed & Paulus III. ſtatim in limine ſui Pontificatus confirmationem adjecit tum horum, tum aliorum omnium privilegiorum, hactenus eiſdem Fratribus vel Sororibus ſibi ſubjectis conceſſorum: *Dum fructus uberes.* die VIII. Novembris. Privilegia Pontificia.

ARGUMENTUM.

Moritur Catarina Anglorum Reginæ, fœmina lectiſſima, propter cujus defenſionem multa ab Henrico VIII. impio conjuge, patiuntur Minoritæ Obſervantes. Totius rei breve exhibetur compendium. Joannis Foreſii, Reginæ confeſſarii virtus & conſtantia explicatur. Obſervantes Comitia celebrant Generalia. In cauſa Capuccinorum varia proferuntur decreta. Illi etiam ſua celebrant Comitia, & Vicarium eligunt Generalem Bernardinum Aſienſem. Florent viri docti, & conſtruuntur Cœnobia.

I. Dedimus anno præcedenti exordia nefanda turpis Schiſmatis Anglicani, & inſanæ metamorphoſis Henrici VIII. qui ex fidei defenſore, religionis deſertor & hoſtis; ex obediente filio, impius Apoſtata, ex humili ſubdito Eccleſiæ Romanæ, monſtruoſum Eccleſiæ Anglicanæ caput effectus, in omnes pios proboſque viros, qui libidini & furori ejus non applaudebant, erudeliter deſæviit. Animadvertit enim quamplurimis indiciis, bonorum omnium animos vehementer abhorrere ab eis quæ faciebat; & quo quiſque erat vir melior ac religioſior, eo alieniore animo ab eiſdem eſſe. Sciebat autem in regno ſuo tres eſſe Ordines Religioſorum hominum, qui præcipua laude regularis Obſervantiæ, præ ceteris omnibus florerent, ſummaque inde auctoritate apud omnes valerent; Carthuſianorum nimirum, ſanctæ Birgittæ, & Divi Franciſci de Obſervantia. Hos ergo primo aggrediendos ſtatuit, ut illis debellatis, facilior eſſet de aliis victoria. Sed in hoc ipſo mirabilis apparuit ſummaque Dei providentia, ut ab *Sanderus de Schiſm. Anglic. lib.* 1.

his ſanctiſſimis Viris initium faceret, quo & ipſius tyranni major eſſet conſuſio, & ipſorum Martyrum cum clarior triumphus, tum illuſtrius etiam pro veritate teſtimonium.

An. præced. n. 36. II. Multos ex Carthuſianis variis tormentis e medio ſuſtulit hoc anno Henricus: Franciſcanorum nullum; nam quamvis, uti diximus, ferme ducentos hujus Inſtituti Religioſos comprehenſos teneret, variiſque moleſtiis ac calamitatibus affligeret; tamen poſt illos duos, quos ſupra cum Bartona Moniali occiſos retulimus, nullum alium adhuc publice mactandum curavit: cujus rei cauſam fuiſſe aſſerunt, vel quod nihil amplius lucri ex eorum morte ſperare potuerit, cum antea ex Monaſteriis omnibus eos ejeciſſet; vel quod Thomas Vrislæus magnæ apud Regem auctoritatis, quem etiam poſtea Cancellarium, & Eduardus Rex Suthantoniæ Comitem fecit, pro Franciſcanis, quos præcipue amabat, magno conatu intercederet, ſpem faciens eorum nonnullos poſſe fortaſſis adduci tempore, ut Regis voluntati ſe accommodarent. Quod tamen minime conſequi potuit, perſiſtentibus omnibus uſque ad unum in conſtanti fidei profeſſione, & generoſa Reginæ Catarinæ defenſione.

Ibid. n. 35.

Catarinæ Reginæ Angl. canæ mors.

III. Illa autem hoc anno ineunte, ea, qua vixit pietate deceſſit. Porro hic opportune vitæ compendiolum exhibere operæ pretium duxi; tum quod magnam habet connexionem cum hiſtoria Fratrum, propter ipſius cauſam graviter afflictorum, præſertim ſui Confeſſarii fratris Joannis Foreſti, de quo ſtatim; tum quod Tertium profeſſa fuerit Inſtitutum Franciſcanum.

Ejus ortus.

Ferdinando & Eliſabetha, Catholicis Hiſpaniæ Regibus orta, anno MDI. deſponſata eſt Arthuro Walliæ Principi, Henrici VII. Angliæ Regis filio natu majori. Nuptiæ Londini apud Eccleſiam ſancti Pauli celebratæ ſunt, XVIII. Kalendas Decembris, qui dies apud Anglos D. Euchenualdo ſacer eſſe conſuevit. Principes ſumma nocte ad thalamum ſolemni ritu deducti ſunt. Ceterum Henricus VII. de medicorum conſilio caverat, ut gravis quædam matrona in eodem cum illis thalamo ſociata, videret, ne carne conjungerentur; eo quod Arthurus decimum quintum ætatis annum vix dum attingens, ex lento præterea morbo laboraret, cujus tabe poſt quintum menſem confectus ex hac vita migravit.

Prima ſponſalitia.

IV. Mortuo jam Arthuro, cum Catholici Principes filiam ſuam repeterent, nova nuptiarum conditio ab Henrico VII. propoſita, & poſt maturam deliberationem a Regibus Catholicis accepta eſt: ut impetrata Summi Pontificis legitima diſpenſatione, Catarina Henrico, Arthuri Principis fratri, duodecimum ætatis annum agenti deſponderetur. Cauſa domi primum per utriuſque regni Theologos & juriſconſultiſſimos viros, an fieri honeſtè poſſet, examinata; deinde, cum de jure conſtaret, per utriuſque Regis Legatos relata eſt, primum ad Alexandrum VI. deinde ad Pium III. Sed cum uterque prius vita, quam hoc negotio defunctus eſſet, demum Julius Papa II. adhibitis in conſilium doctiſſimis viris, ob pacis inter tanta regna confirmandæ publicum bonum, juris humani, quod ſolum obſtabat, vinculum, in hac quidem cauſa locum non habere declaravit, & nuptias contrahendi veniam poteſtatemque fecit.

Secunda.

V. Dum autem nuptiarum tempus expectabatur, Eliſabetha Catarinæ mater in Hiſpania, itemque Henricus VII. in Anglia diem ſuum obierunt. At Henricus VIII. eximia corporis forma præditus, in qua etiam regiæ majeſtatis auguſta quædam ſpecies elucebat, jam decimum octavum ætatis annum ingreſſus, cum nec ipſe judicii expers haberetur, nec defuncti patris imperium amplius timeret, quamquam ſemel dixiſſet, ſe a nuptiis Catarinæ ab-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Mino-
1535.	an. 1. & 2.	anno 17.	rum anno 328.

abſtenturum, tamen re accuratius perpenſa, & diſpenſatione Pontificis in omnium optimatum conſpectu publice recitata, nullo mortalium vel tantillum ſcrupuli opponente, de totius Concilii ſententia, Catarinam in uxorem, III. Nonas Junii palam accepit, ac die Joannis Baptiſtæ proxime ſubſecuto, non minus uxori, quam ſibi regium diadema cum ingenti omnium lætitia imponendum curavit, apud celebre ſancti Benedicti Cœnobium, quod Londino ad Solis occaſum adjacens, *Weſtmonaſterium* appellatur.

VI. Genuit Henricus ex Catarina filios tres & duas filias, ex quibus major natu filius, cui etiam Henrico nomen fuit, nono poſt nativitatem menſe, e vita ſublatus eſt. Cumque ceteri etiam non diu poſtquam nati erant, vixiſſent, ſola Maria, anno ſeptimo Henrici VIII. apud Grenuicum, XII. Kalendas Martias in lucem edita, utrique parenti ſuperſtes manſit. Proles.

VII. Fuit inter Henricum & Catarinam tum aliqua ætatis, tum longe major morum diſſimilitudo. Superabat illa virum ætate, ad ſummum quinquennio, moribus vero amplius quam mille annis. Catarina ſurgebat media nocte, ut nocturnis Religioſorum precibus intereſſet, mane hora quinta ornabat ſe quam citiſſime, nihil ſibi temporis, præter hoc ſolum in quo veſtiebatur, perire dictitans. Sub regio veſtitu, Divi Franciſci habitu, ad cujus Tertium Ordinem ſeſe adſcripſerat, utebatur. Omnibus ſextis feriis & Sabbatis jejunabat, omnibus vigiliis beatæ Mariæ Virginis ſolo pane & aqua vivebat, quartis & ſextis feriis peccata ſacerdoti confitebatur. Dominicis etiam ſumebat Euchariſtiam; Officium beatæ Virginis quotidie recitabat; ſex horis continuis mane in templo vacabat ſacris officiis; a prandio autem Sanctorum vitas, ancillis etiam adſtantibus, ad duas fere horas legebat; inde templum repetens, ibi fere manebat uſque ad horam cœnæ, quam ſumebat longe parciſſimam. Orabat ſemper flexis genibus, abſque pulvinali, aut alia quampiam re inter ipſam & pavimentum interjecta. Quis jam miretur, ſi tam ſancta fœmina, majori quodam tribulationis igne probanda fuit, ut virtutum odor in totum orbem Chriſtianum facilius diffunderetur? Diſpar marito. Tertii Ordinis S. Franciſci.

VIII. Henricus interim omni luxu diffluens, ex ipſius Reginæ ancillis, nunc duas, interdum tres concubinarum loco habebat: ex quarum una, cui nomen fuit Eliſabethæ Bluntæ, genuit filium, quem Richmundiæ Ducem creavit. Admirabatur quidem uxoris ſanctitatem, ſed deteriora conſilia & inſtituta ſequebatur. Mariam vero filiam regio ſplendore educatam, & in diſciplinam nobiliſſimæ ſanctiſſimæque fœminæ Margaritæ, Eduardi Regis IV. ex fratre neptis, Reginaldi Poli matris traditam, declaravit Britannorum ſeu Wallorum Principem; qui populus & inſulam primum occupavit, & ei nomen Britanniæ impoſuit, & lingua propria, quam nemo fere Anglorum intelligit, adhuc utitur. Germani autem exteros vocant Wallos. Itaque cum Anglo-Saxones ex Germania in Britanniam ad fines Britannorum tuendos evocati, tamdem in ipſos Britannos arma convertiſſent, eoſque ſubjugaſſent, ut ſuum populum ab alieno diſtinguerent, Britannos vocarunt Wallos, hoc eſt, non Germanos, ſed præ Germanis, exteros & alienos. Hujus autem provinciæ adminiſtratio & præfectura, ei tantum Regis proli conceditur, cui proximum regnandi jus ex hæreditaria lege debetur. Quod enim Delphinus apud Gallos, hoc idem eſt apud Anglos Walliæ Princeps. In Walliam ergo, quæ ad occidentalem inſulæ oram ſub quatuor Epiſcoporum diœceſibus longe lateque diſtenditur, Maria cum illuſtri Senatu & ſplendida familia delegatur, ut eam regionem ſuo jure moderetur & gubernet. Mariæ Catarinæ filia. Walliæ Princeps.

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 328.
1535.	an. 1. & 2.	anno 17.	

IX. Cum ea Catarinæ gravitas & moderatio, eaque Henrici levitas & libido eſſet, ut nihil magis repugnans & contrarium facile reperiri poſſet, atque ideo hominem petulantem & luxurioſum, tam venerandæ Matronæ prorſus tæderet, nec ea res latere Palatinos diu poſſet: Thomas Volſæus, homo præter ceteros ambitioſus & audax, cujus etiam opera erant Regis, quam Reginæ operibus ſimiliora, omnes occaſiones captabat, quibus & Regi placeret, & Reginam læderet, & ſuum negotium proveheret. Hic homo non humili tantum loco, ſed & vili natus, cum in aulam irrepſiſſet, Regique a ſacello factus eſſet, tamdem Ricardi Vintonienſis opera, Regiis eleemoſynis præficitur; mox Tornaco apud Morinos in poteſtatem Henrici redacto, Tornacenſis Epiſcopatus vectigalia ex Regis donatione capit: paulo poſt fit & ipſe Epiſcopus, primum Lincolnienſis, deinde Dunelmenſis, tum autem Vintonienſis, ac ſimul etiam Archiepiſcopus Eboracenſis, nam Vintonienſem & Eboracenſem duos locupletiſſimos Epiſcopatus ſimul poſſedit, demum ſit totius Regni Cancellarius; addo etiam Cardinalis, & ad univerſum Angliæ Regnum de Latere Legatus. Quid, quod tum Franciſci Galliarum Regis, tum Caroli Cæſaris annuis præterea penſionibus & numeribus augeretur, præter locupletiſſimas Abbatias, in quas ubique terrarum involavit; quodque omnium caput erat, ipſe Rex Angliæ totus erat in Volſæi poteſtate, omnia pro illius arbitratu diſtribuens atque adminiſtrans.

Thomas Volſæus quis.

X. Et tamquam hæc omnia parum eſſent, primam totius Eccleſiæ ſedem occupare, ac unitatis Sacerdotalis faſtigium conſcendere conatu ſummo nitebatur. Quod cum Carolus Imperator perſentiſceret, hominis ingenio ad ſuam rem abuſus, Volſæum tanta obſervantia colere cœpit, ut crebras ad eum litteras, nec alterius quam Cæſarea manu perſcriptas daret, ſubſcriberetque in hæc verba, *filius vefter & cognatus Carolus*. Quin etiam ſpem maximam dedit, ſi Volſæus efficeret, ut Henricus Angliæ Rex perpetuum fœdus cum Cæſare coleret, Regemque Franciæ bello ſimul petendum decerneret, ſe ex altera parte effecturum, ut Volſæus mortuo Leone X. ficret Summus Pontifex. Implet Volſæus conditionem quam cupide. Sed cum Carolus tantum ab eo quod obtulerat, præſtando abfuiſſet, ut potius magna cum ſua laude Adrianum VI. ei loco præficiendum curaret, licet paulo ante fama eſſet diſſeminata per univerſam Italiam, Volſæum eſſe Papam factum, Volſæus adhuc diſſimulandum ratus, mortem etiam Adriani expectat. Porro cum ne tunc quidem rationem ſui a Carolo haberi animadverteret, quinimo poſt Franciſcum Regem Galliarum in bello Ticinenſi captum, & duos filios loco patris deinceps in poteſtatem ejus redactos, Cæſar & raro ad Volſæum, & nonniſi aliena manu ſcriberet, nec aliud quam nudum Caroli nomen ſubſcriptionis loco apponeret: tunc Volſæus aperte furere, Carolo ſummis viribus adverſari, ad hoſtes Caroli tranſire, & Chriſtianiſſimo Regi ſe totum cœpit addicere.

Summum ambit Pontificatum.

Et fruſtratus irafcitur Carolo Imperatori.

XI. Hac ergo de cauſa ira inflammatus, cum & Henricum Regem alieniore animo a Catarina, & ambitionem ſuam gravem & moleſtam eſſe ſanctiſſimæ fœminæ intelligeret, ratus conſilium hoc ſuum & ſibi utile, & Regi non ingratum, & Reginæ odioſum, & Carolo moleſtiſſimum fore, ſi materteram ejus a regio thalamo penitus disjunxiſſet, Joannem Longlandum, Lincolnienſem Epiſcopum, qui Henrico Regi erat a confeſſionibus, ad ſe vocat: ei narrat quantæ ſibi curæ ſit æterna Regis ſalus: nam nec ſilcri poſſe quod tanti ſit momenti, nec alteri prius aperiri debere, quam ei viro, qui omnia ſecreta Regis optime noverit. Quid multis? demum ait ma-

Inſidiatur Reginæ ejus materteræ.

matrimonium Regis cum Catarina parum ſibi firmum videri, & cur id ſentiat, multas oſtendit rationes. Longlandus hominem ſincere loqui arbitratus, nec auſus tanto viro contradicere, ſciens etiam hanc rem ingratam Regi accidere non poſſe, id tantum reſpondit; par eſſe, ut Rex tantæ rei, non ab alio prius, quam ab ipſo Volſæo admoneatur. Hoc in ſe Volſæus recipit, quem ſimul ac Rex in eum ſermonem veniſſe audivit: *Cave*, inquit, *ne rem ſemel judicatam, iterum in controverſiam vocemus*.

Ejus nuptias dicit illicitas.

XII. Triduo autem poſt, Longlandus a Volſæo ad Regem ductus, id ſaltem petit, ut ſua Majeſtas rem cognoſci & examinari permittat. Cum Rex non abnueret, Volſæus Intulit ſpectatæ formæ ac nobilitatis fœminam in Gallia eſſe, Margaritam Chriſtianiſſimi Regis ſororem, quæ Duci Alenſonio aliquando nupta fuerat, hanc regio thalamo in primis convenire. *De hoc*, ait Rex, *agemus poſtea: nunc ſilentium ante omnia neceſſarium eſt, ne res immature patefacta, honorem noſtrum aliquo pacto læſiſſe videatur*. Ipſe enim ſciebat quam potiſsimum fœminam, repudiata ſemel Catarina, ducturus eſſet.

XIII. Cum ergo ſilentium ſinguli promiſiſſent, Rex in hanc de ſuo repudio quæſtionem totus incumbens, cum certis Theologis ea Scripturæ ſacræ loca, quæ ad rem facere videbantur, maxime, quæ in Levitico & Deuteronomio ſcribuntur, ſtudioſiſſime perlegit & contulit, diligenter etiam Julii II. litteras diſcuſſit, quæ ipſius cum Catarina matrimonium confirmabant. Ubi autem in hoc genere quæſtionis examinando integrum fere annum clam inſumpſiſſet, nec aut in ſacris litteris, quod eum juvare, aut in Pontificis diplomate, quod juſte reprehendi poſſet, quidquam reperiſſet, cum præterea, ſi quid in Papæ litteris ambiguum ante videbatur, id per novas litteras, Ferdinandi Regis opera poſtea impetratas, clarius expoſitum, & planius expreſſum vidiſſet; viſum eſt & Regi & ceteris, quos in conſilium adhibuerat, nihil amplius in ea re tentandum eſſe. Atque ita ſane eveniſſet, niſi quod partim Volſæus illum quieſcere non patiebatur, partim animus Regis Catarinæ pertæſus, Annæ Bolenæ potiundæ cupidus, & utramque ob cauſam divortii avidus, minimo quolibet momento in novam ſemper ſpem atque opinionem inclinabat; ac tamdem eo uſque libidine percitus proceſſit, ut palam diſcuti cauſam voluerit, a Clemente VII. Summo Pontifice, judices decidendæ impetrarit, nec Pontifici ad ſe revocanti, & ſevere præcipienti, ut a primo non recederet matrimonio, obtemperare voluerit.

Hoc audit Rex libenter.

Et examinari cupit.

XIV. Ante Pontificis ſententiam, jam ille Anna Bolena ut uxore legitima palam fere utebatur, & Sereniſſimam Catarinam non tantum a thalamo Regio, ut antea diu, verum etiam a cohabitatione ſuoque palatio excluſit; quapropter illa in villam quandam, cui nomen erat *Cimbalton*, in Provincia Bedfordienſi, locum minus ſalubrem, tribus tantum ancillis, parvaque familia comitata ſeceſſit, ibique orationibus, jejuniis, aliiſque ſanctis operibus, dies noctesque ſe exercuit, Deum etiam obſecrans pro ſalute adulterorum, quos in aula reliquerat. Quod cum Populus animadverteſſet, nec ulli mortalium jam amplius eſſet dubium, quin Anna Reginæ locum brevi eſſet habitura; incredibile fere dictu eſt, niſi quod hæc ſit mundi perpetua conſuetudo, quantus ſtatim omnium Ordinum concurſus, ad Annæ gratiam ineundam fieret: alii quidem, ut per eam a periculis imminentibus ſe tuerentur, in quibus erant Sacerdotes & Abbates nonnulli, qui ideo Annæ inſervire, & ei a ſacello eſſe cupiebant, ut bona Eccleſiaſtica, ac Monaſteriorum, quibus jam tum valde timere incipiebant, per ipſius

Annam Bolenam deperit, Catarinam repellit.

Annæ gratiam ambiunt univerſi.

ipſius auctoritatem & patrocinium conſervarent ; ſed res ex votis non ſuceſſit, neque ad hoc idoneum erat Annæ patrocinium, quamvis illa omnibus omnia promitteret: alii autem, iique multo maxima pars, ideo confluebant, ut ex rebus novis & perturbatis creſcerent ; in his erant primi, qui Lutheranam hæreſim, cui etiam Anna clanculum favebat, ſectabantur. Itaque ſtatim Henrici aula ejuſmodi hominibus completa eſt, qui ſacra omnia ridere, Sacerdotibus illudere, Religioſorum vitam in contemptum adducere, Eccleſiaſticorum divitias ac potentiam carpere, ridiculas de Monachis fabulas fingere, & ſupra omnia Pontifici Romano detrahere, invidamque facere ſolebant ; & qui in his ſe petulantiſſimos & audaciſſimos præbebant, ii primas apud Annam, & per eam apud Regem obtinebant.

Perrumpit hæreſis Lutheranæ.

XV. Ceterum Henricus Annam in uxorem duxerat, quam multo antea cognoverat, licet ſolemnem nuptiarum pompam ad quinque menſes, in ipſam ſcilicet Dominicæ Reſurrectionis vigiliam diſtulerit. Anna igitur pridie Idus Aprilis anno MDXXXIII. qui dies ſepulto Domino eo anno ſacer fuit, publice deducta, & poſtridie Kalendas Junii proxime ſequentis Regio diademate, longe inſigniori, ac celebriori pompa, quam ulla unquam antea Regina, coronata fuit. Cum vero matrimonii hujus fama fines Angliæ egreſſa, ad exterorum aures perveniſſet, dici non poteſt, quantum admirationis, doloris & indignationis in Chriſtianorum Principum animis excitaverit. In primis vero Carolus Cæſar, qui per illa tempora in Italia fuerat, indigniſſime rem ferens, Pontificem obnixe rogavit, ut pro ſumma auctoritate a Chriſto ſibi commiſſa, ad filios petulantes & rebelles caſtigandos, tam inſignem Henrici nequitiam impunitam eſſe non permitteret. Clemens Pontifex, ut rei ipſius indignitate, ſic Caroli etiam juſtiſſima petitione vehementer commotus, tandem poſt reditum ſuum ex urbe Maſſilienſi, quo ad colloquium Franciſci Regis Galliarum abierat, ſententiam tulit definitivam pro Matrimonio Henrici cum Catarina, & contra ſecundas ejuſdem nuptias cum Anna Bolena, graviſſimis cenſuris & interminationibus præcipiens, ut veram & legitimam uxorem Catarinam, repudiata Bolena, ad ſuum conſortium & thorum revocaret.

Henricus Annam ducit.

Excommunicatur a Papa Clemente.

XVI. Hinc furore percitus Henricus, in Catarinam, in Mariam filiam, in fratrem Joannem Foreſtum ejus confeſſarium, omneſque fautores ſævire, uti diximus, cœpit, in eaque ſe præcipitare diſcrimina, toti orbi notiſſima, ex quibus numquam potuit deinceps reſurgere. Eccleſiæ bona rapuit, Papæ nomen & auctoritatem per univerſa ſua dominia aboleri præcepit, in Religioſos quoſque viros ſibi adverſantes crudeliter animadvertit, maxime in univerſum cœtum Fratrum Obſervantum, uti narravimus, quos per varios carceres diſtribuit. Gloria quidem magna fuit hujus religioſi Sodalitii, quod nullum ex tota illa Provincia, neque blanditiis, neque pollicitationibus, neque minis aut terroribus in ſuam potuerit Henricus protrahere ſententiam. Etſi vero omnes comprehenſos teneret, variiſque moleſtiis ac calamitatibus affligeret, tamen poſt illos duos, quos ſupra cum Bertona Moniali occiſos retulimus, nullum alium adhuc publice necandum curavit.

Furit in Eccleſiaſticos, Minores præſertim.

Anno præcedenti num. 25.

XVII. Attamen hoc anno illius miniſtri, barbara & inhumana ſævitia cruciarunt Joannem Foreſtum ſupradictum, & poſt duorum annorum duriſſimam captivitatem, qua inter latrones Vir ſanctus jacuerat, plurimas perpeſſus calamitates, ſententiam tulerunt, ut ſimul ſuſpenderetur ac combureretur vivus, quia noluit aſſentiri impio dogmati de Regis ſuprema auctoritate in Eccleſia Anglicana. Hæc ubi audivit piiſſima Regina, patris ſui ex ani-

In Joannem Foreſtum.

animo commiſerata, continere ſe non potuit, quin ad eum ſcriberet, quamvis illud non niſi magno periculo faceret. Miſit ergo ad carcerem Londinenſem, qui Nova porta dicitur, litteras ſequentes.

Regina ad ipſũ epiſtola.

XVIII. *Mi venerande Pater: qui dubiis aliorum caſibus conſilio adeſſe conſueviſti, ignorare non potes, quid tibi nunc conveniat, ad certamen pro Chriſti cauſa vocato. Si paucas has breveſque tormentorum pœnas, quæ tibi decretæ ſunt, pertuleris, æternam, ut ſcis, mercedem es recepturus, quam qui propter ullam vitæ hujus præſentis tribulationem amittere voluit, eum ego omni ratione deſtitutum arbitrarer. Sed, o te felicem patrem meum, cui Deus dedit, ut præ multis ipſe mortalibus hoc cognoſcas, & ut ſanctiſſimæ vitæ, ac laborum tuorum curſum haud aliter, quam bis pro Chriſto vinculis, tormentis ac crudeliſſima morte conſummares! Et, o me miſeram filiam tuam, quæ hoc tempore mœroris & ſolitudinis meæ tali monitore, ac tam adamata in viſceribus Chriſti patre ſum privanda! Atque ſane ſi liceat mihi in hac re, quid ardentiſſime cupiam, tuæ caritati, cui arcana cordis ac conſcientiæ meæ omnia, hactenus, ut debui, ſemper revelavi, libere confiteri, fateor me ſummo vel tecum, vel ante te moriendi deſiderio flagrare; utque id quidem modo Divinæ voluntati, cui omnia vota, vitamque meam libens ſemper ſubjicio, non repugnaret, maximis quibuſque tormentis compararem: ita mihi non libet hoc infelici mundo gaudere, iis ſublatis, quibus dignus non eſt mundus. Sed tamquam una ex inſipientibus mulieribus forſan loquuta ſum. Quia igitur Deus ita videtur diſpoſuiſſe, præcas potius, mi pater, feliciter ac fortiter, precibuſque tuis apud Chriſtum contende, ut per hoc ipſum, licet difficile iter, ego te cito & intrepide ſequar, & interim ut tuorum ſanctorum laborum, ſuppliciorum ac certaminum particeps eſſe queam. Hoc ut poſtremam tuam in hac vita benedictionem habebo; poſt certamen autem tuum & coronam, e cœlo uberiores a te gratias expectabo. Nunc vero ad illam immortalem mercedem, præ omnibus omnino expetendam, & per quaſcumque pœnas interpoſitas capeſſendam, ut te tanta generis nobilitate, tam excellenti Divinarum rerum cognitione, & quod primum eſt, tam ſanctæ Religionis ac profeſſionis Franciſcanæ a puero inſtitutione, horter, ſupervacaneum judico: tamen, quia hoc eſt ſummum a Deo datum hominibus bonum, ut pro ipſo patiuntur, a ſua Divina Majeſtate continuis precibus, lacrymis, ac pœnitentiis poſtulabo, ut feliciter curſum conſummes, & ad immarceſcibilem vitæ æternæ coronam pervenias. Vale, mi venerande Pater, meique in terra, & in cœlo ſemper apud Deum memor eſto.*

Filia tua mœroris pleniſſima, Caturina.

Foreſti reſponſum.

XIX. Hanc epiſtolam religioſus confeſſor ſumma cum animi lætitia accepit, & nactus chartam, ac aliquam ſcribendi commoditatem, in hæc fere verba ex carcere reſpondit. *Sereniſſima Domina Regina, filia mea in viſceribus Chriſti longe cariſſima. Thomas Miniſter veſter mihi litteras tuæ Sereniſtatis tradidit; eæ in hac continua depoſitionis corporis mei expectatione & triſtitia, non ſolum incredibilem mihi lætitiam ac conſolationem attulerunt, ſed me etiam ad patientium & conſtantiam mirifice excitarunt. Licet enim ipſe facile videam, non modo mortalia omnia bona, ſed & miſerias ac mala hujus mundi univerſa, præ futura gloria, quæ revelabitur in nobis, ſi legitime certaverimus, nihili computanda; tamen ſentio dulciſſimæ caritatis tuæ piiſſima verba, animam meam uſque ad mortem aliquo modo, ut fit, ſubtriſtem, & de ſua indignitate ac imbecillitate timidam ac ſollicitam, mirum in modum ad ſupplicionum omnium contemptum, ac cæleſtium gaudiorum ſpem & contemplationem crexiſſe. Chriſtus Jeſus reddat bonitati tuæ, Domina & filia*

& filia ſuper omnes mortales dilectiſſima, pro hac conſolatione gloriam felicitatemque æternam; teque vehementer rogo, ut continuis precibus inſtantem agonem & certamen meum ſableves: quod ſi feceris, ſicut certe facies, nec de conſtantia mea velim dubites, nec de gravibus mihi deſignatis pœnis ſis ſollicita: non enim decet hos canos meos iſtis terriculamentis puerorum in cauſa Dei moveri, nec virum qui ſexaginta quatuor annis jam vixit, mortem turpiter effugere; nec Religioſum quadraginta tribus annis in habitu ſancti Franciſci diſcentem & docentem terrena contemnere, non amore, & omni conatu aſpirare ad cœleſtia. De te, filia & Domina mea unice in Chriſto Jeſu dilecta, vivus & mortuus cogitabo, Deumque miſericordiæ ſemper orabo, ut det tibi ſecundum magnitudinem dolorum tuorum, omnem e cœlo gratiam ac ſolatium. Interim pro me devotiſſimo ſervo & oratore tuo, digneris tum inſtantius orare, cum intelliges me in illis horrendis ſuppliciis, mihi præparatis conſtitutum: mittoque tuæ pietati Roſarium meum, quod triduum tantum vitæ meæ ſupereſſe dicatur.

XX. Reginæ mœrori & luctui compatiens Domina Eliſabetha Hammonia, fideliſſima Reginæ ancilla, ad eumdem Patrem litteras dedit, quibus eum certiorem reddidit de continuis lacrymis & mœrore Dominæ ſuæ, in quibus ex intellectis acerbiſſima morte, & pœnis intollerabilibus, ad quas Vir ſanctus condemnatus erat, verſabatur. Earum damus exemplar, adjecta etiam Viri ſancti reſponſione.

Eliſabethæ Hammoniæ ad Foreſtum epiſtola.

Colendiſſime mi Pater. Incredibile eſt quanta Domina mea Sereniſſima Regina & ego mœſtitia afficiamur, dum de graviſſimis acerbiſſimiſque tuis pœnis intelligimus, atque ea magis de re, quod omnes nos ſimus conſolatione deſtitutæ, ita quod Domina mea ſine ulla intermiſſione lacrymis ſe ſe irrigans, nihil aliud quam preces agat. Si fieri poſſit aliquo modo, ut amicorum quorumdam opera evadas, queſo, ne nos te orbatas velis relinquere; timeo enim ne Domina mea Regina tam funeſto commota caſu, in gravem incidens morbum, mortem incurrat; eo maxime, quod furor Regis iſſit, qui Reginæ intolerabilis videatur. Die ſiquidem lunæ noviſſime elapſo venerunt ad nos Regis ſatellites, qui neſcio quid perquirentes, minis nos uſque adeo terruerunt, ut quid conſilii caperemus, non ſatis agnoſceremus, ita ut terrifico hoc actu quid Rex ſibi velit, penitus ignoremus. Unice autem te rogo, ut ſupplices ad Deum preces fundas, eum deprecans pro me, & ſocia mea Dorothea Liebfilde, quæ te ſalutat ex animo. Vale, & pro nobis Deum exora.

Foreſti ad Eliſabetham reſponſio.

Hominis pietas. Et conſtantia.

XXI. *Filia mea Eliſabetha, doleo ſummopere propter gravem illum Sereniſſimæ Reginæ tuumque mœrorem, ob has meas, quas ſuſtineo, pœnas, quaſi vero non ſit reſurrectio ad gloriam. Non ſunt certe hæc, quæ ſæpius inter alia pietatis documenta tibi inculcavi: quod ſi ſint, me longe tunc a veritatis via aberraſſe tibi ſciendam eſt. Si velim fidem frangere, & præ tormentorum timore, ac divitiarum hujus ſeculi cupiditate diabolo me prodere, non dubium, quin facile ſim evaſurus. Tu autem non ita arbitrare, addiſce ergo pro fidei Chriſti veritate pati, & pro ejus ſponſa, & tua matre Eccleſia mori, & non me ab illis tormentis, quibus ſpero æternam beatitudinem conſequi, coneris diverti. Obſecro ut veſtigia ſequaris Dominæ tuæ Reginæ, præclara, quæ in ea comperies, exempla ſequens; & pro me ora, ut tormentorum, quæ adverſarii inferre cogitant, cum pro gloria Dei conſequenda exigua ſint, augeant aſperitatem.*

XXII. Ter-

XXII. Tertiam jungo epiſtolam ad nobilem Anglum nomine Abelum, concaptivum ſuum, omiſſis aliis, quas ad quoſdam Reginæ domeſticos dederat, præmiſſis tamen Abeli litteris ad eumdem. Epiſtola Abeli nobilis Angli.

Reverende admodum Pater. Quamvis tormentorum gravitatem exhorreant ſenſus, profectò ea tamen ſuſtinenda fides noſtra exigit & requirit. Dixi, motus eſt pes meus, propter averſionem faciei tuæ. Verum, quo hæc tardatio, cui avide expectatur ſumma illa beatitudo? O beata facies, in qua conſiſtit ipſa ſatietas. Unde inquit David: Satiabor cum apparuerit gloria tua. Sed avertiſti faciem tuam a me & factus ſum conturbatus: conturbatus, inquam, quia tormentorum, quæ pereupio, prolongatur cruciatus. Prolongatus itaque eſt, eum & ſim humiliatus, humiliatus & non exaltatus, quia ad Salvatorem non tractus: non autem tractus, quia peccatorum pondere oneratus: oneratuſque, & ab ipſo non refectus. Quid ergo proderit mea condemnatio, ſi ulterius fuerit expectandum? Expectans expectavi Dominum, & non intendit mihi. Quare quæſo? quia nimirum fuſis pro me precibus, Dei miſericordiam, qua erga me uterctur, non imploraſti. Scio enim quanti ponderis ſit oratio juſti apud Deum: quia apud Dominum miſericordiu, & copioſa apud eum redemptio. In te ſperaverunt Domine patres noſtri: ſperaverunt & liberaſti eos; idque propter David ſervum tuum. Quare ergo his finis non imponitur? Per triginta ſeptem jam dies ſuſtineo, & requiem non invenio: attamen ſpes mea eſt, quod ſimul uno ſupplicio moriemur. Moriamur quæſo, ut vivamus cum illo, cui precum tempore plurimum te commendo Martyrum omnium Martyri. Vale, & pro me ora.

Pſal. 16. 15. Iſai. 29. 8.

Pſal. 39. 2.

Jacob. 5. 16. Pſal. 139. 7. Pſal. 21. 5.

Reſponſum Foreſti.

XXIII. *Multum generoſe Domine. Sicut in claritate cognitionis, ita & in fruitione gaudii & æternæ habitationis. Unde beatus Auguſtinus in libro de Civitate Dei. Multæ, inquit manſiones in domo una ſunt, erunt etiam variæ præmiorum dignitates: ſed ubi Deus erit omnia in omnibus, erit quoque in diſpari claritate per gaudium, ut quod habebunt ſinguli, commune ſit omnibus; quia etiam gloria capitis, omnium erit per vinculum caritatis, & ſic tantum quivis gaudebit de alterius bono, quantum gauderet ſi in ſeipſo haberet. Noli fili mi, numerare pœnas: quia hoc eſt dolori dolorem addere: ſed quod dicit Divus Paulus exiſtimans paſſiones hujus ſeculi eſſe indignas ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Cujus verbis bene additur dictum Prophetæ, qui ait ad Dominum. Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies heſterna, quæ præteriit. Si patienter fers, quæ inferuntur, tormenta, ne dubites de retributione. De qua Pſalmographus ait: inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem. O beata, & ter felix illa retributio, quæ ſit timentibus Deum. Unde oramus, retribue ſervo tuo Domine. Non tamen, niſi quia euſtodivi ſermones tuos. Si ergo eſt retributio in euſtodiendis ſermonibus Domini, euſtodi eos fili mi. Sed ais quouſque? uſque in finem. Quia dixit ipſe Salvator: qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Neque igitur pœnæ triginta ſeptem dierum, nec mille annorum, ſed ultimus finis coronabit opus tui certaminis. Laborantibus unico die non ſatisfit pro anno integro: neque qui Romam ſtipendio mittuntur, tantum recipiunt, quantum ipſi, qui proficiſcuntur Hieroſolymam. Si tu tantum curas, ut Romam offequaris, putas ne Hieroſolymas venires? Hieruſalem, inquam, quæ eſt magni Regis Civitas: in domibus ejus cognoſceris, eum ſuſcipies eam: eam dico, in qua eſt*

Aug. 10. civit. 1.

Ad Rom. 8. 18.

Pſal. 89. 4.

Pſal. 118. 112.

Pſal. 47. 2.

pax ſumma & tranquillitas maxima. Putas fili mi, quod ſimul curremus, & in uno ſupplicio gaudebimus, & de uno calice bibemus? Majora me expectant certamina; te vero leviora ſupplicia manent. Verum qualiacumque tamdem ea fuerint, viriliter age ſuſtinens Dominum. Vale.

Vitam claudit ſanctiſſima Regina.

XXIV. Et quidem cum hæc ſcribebantur, exiſtimabat Chriſti martyr, brevi admodum ſe deceſſurum fuiſſe, multoque tempore ſanctiſſimam Reginam ad gloriæ coronam ſe præceſſurum. Sed longe aliter ſtatuerat Divina providentia: nam & hujus Patris certamen ad duos deinde annos reſervatum dilatumque fuit, & Catarinæ dies ex magna Dei miſericordia abbreviati, adeo ut ad octavum Idus Januarii, partim ex aeris inſalubris intemperie, ſed præcipue ex aſſiduo dolorum ac calamitatum concurſu, nec tamen ſine veneni ſuſpitione, ex hac vita diſceſſit in villa, quæ Cimbaltona dicitur, anno Chriſti MOXXXV. ætatis vero ſuæ quinquageſimo, trigeſimo autem tertio poſtquam in Angliam venerat.

Ejus conſtantia & pietas.

XXV. Corpus ejus mediocri honore, in vicina Civitate, quæ *Petri-Burgum* dicitur, ſepultum fuit. Memorabilis plane fœmina ſive ſanctitatem, ſive prudentiam, ſive in omni vita conſtantiam, animique magnitudinem conſideres. Nullo unquam periculo adduci potuit, ut vel Monaſterium ingrederetur, cujus tamen vitæ erat aviditſima, vel quidquam aliud faceret in matrimonii ſui præjudicium, nec ulla ratione perſuaderi ei potuit, cum jam ex aula ejecta eſſet, plurimiſque injuriis ac periculis expoſita, ut vel in Hiſpaniam vel in Belgium concederet, quo tamen honorificentiſſimis conditionibus a nepote ſuo Carolo Imperatore invitabatur. Æquiſſima ſemper animo calamitates omnes ferebat, eaſque ſuis peccatis attribuebat, infelices ſui matrimonii ſucceſſus ex eo præcipue proveniſſe ſæpe dictitans, quod Henricus VII. ante nuptias Catarinæ cum Arthuro, ut Regni ſucceſſionem ſecuriorem faceret, innocentiſſimum juvenem Eduardum Plantagenetam, Ducis Clarentiæ filium, & Eduardi Regis IV. ex fratre nepotem, matriſque Reginaldi Poli fratrem, ſine omni crimine occidendum curaverit, quo facilius & ſuis liberis proſpiceret, & Ferdinandum Hiſpaniæ Regem ad filiam ſuam Arthuro Principi tradendam induceret.

XXVI. Solebat Catarina ſæpiſſime dicere, fortunam ſe nec aſperrimam, nec leniſſimam, ſi daretur optio, electuram, cum utraque ſuas tentationes ac pericula habeat, ſed mediam potius ac temperatam; ſi tamen alterutra eligenda eſſet, malle ſe triſtiſſimam, quam blandiſſimam; infelicibus enim raro deeſſe conſolationem, fortunatiſſimis fere ſemper mentem.

XXVII. De lecto de quo decubuit, cum mortem adventantem præſentiret, Henrico Regi ſcripſit in hanc ſententiam: *Domine mi Rex, ac conjux dilectiſſime, adventante jam mortis meæ hora, amor, quo te proſequor, facit, ut admoneam te paucis æternæ ſalutis animæ tuæ, quam univerſis hujus mundi bonis ac rebus mortalibus anteferre debes, neglecta etiam tui corporis cura, propter quam & me in calamitates multas, & teipſum in plures ſollicitudines conjeciſti. Sed ego tibi ex animo condono, precorque ut eadem condonet tibi Deus. Quod reliquum eſt, commendo tibi Mariam communem noſtram filiam, ut patris officium in illam præſtes. Tres item ancillas, & miniſtros meos omnes, ut illæ nuptui commode tradantur, his autem præter id, quod jam eis debetur, etiam unius anni ſtipendium integrum velut cumulus accedat, ne plane inopes deſerantur. Poſtremo, hoc unum teſtor, quod oculi mei te ſolum præ omnibus rebus mortalibus deſiderant. Vale.*

XXVIII. Harum litterarum duo ſcripſit exemplaria, unumque Henrico, alterum Euſtachio Capucio, Cæſaris apud Regem Oratori miſit, in quo

quo etiam adjunxit, ut ſi Henricus, quod petebatur pro famulis, non faceret, Euſtachius curaret ut vel Cæſar præſtaret ipſe, vel Henricum officii redderet memorem. Henricus autem, acceptis Catarinæ litteris, temperare ſibi a lacrymis non potuit, Euſtachiumque rogavit, ut ſtatim ad eam proficiſceretur, multamque ſalutem ſuo nomine diceret. Sed prius mortua eſt Catarina, quam Euſtachius Cimbaltonam perveniret: quo audito, præcepit Henricus, ut omnes ſui domeſtici pullis veſtibus diem funebrem Catarinæ agerent, cui tamen præcepto Anna Bolena parere noluit, ſed in ſignum potius lætitiæ, flavi coloris ornamentis ſe ſuaſque ancillas veſtiri curavit. Cumque ei nonnulli de æmula e medio ſublata gratularentur: *Imo*, inquit Anna, *doleo, non quidem quod ſit mortua, ſed quod tam honeſto mortis genere obierit*. Nimirum tantus extitit invidiæ livor, ut nec mors Catarinæ eum extinguere poſſet. Bolenæ de Catarinæ morte gaudium.

XXIX. Cum Principes exteri Sereniſſimæ Catarinæ mortem accepiſſent, mirabile eſt dictu, quanto ſtudio, quanto honore, quantis etiam impenſis exequias ejus ubique fere terrarum celebraverint, multæ orationes ac conciones habitæ, multi libri editi in laudem Catarinæ, & in Henrici ſuorumque conſiliariorum deteſtationem, quod fœminam tam illuſtrem tam indignis modis ad mortem compuliſſent. Aſcribam huc apoſtrophen unam ex oratione funebri doctiſſimi viri Friderici Naufeæ Germani, qua Regem regioſque miniſtros ſic alloquitur: *O vos ſanguinarii Regis Angliæ adulatores, o vos nequiſſimi conſultores, o vos ſceleſtiſſimi homicidæ, o vos patriæ proditores nequiſſimi: plorate & ululate ſuper mortem juſtiſſimæ & nobiliſſimæ veſtræ Reginæ, quoniam pluſquam nequiter & impie vendidiſtis Regem veſtrum ſceleratis aſſentationibus, ut faceret malum longe omnium peſſimum! O Rex Henrice, quandam feliciſſime, plora, luge, plange, ulula, pro tuo horrendo coram Deo & homine peccato, qua innocentiſſimam tuam conjugem, contra leges tam humanas, quam Divinas repudiaſti, iniquiſſimeque afflixiſti, cum qua nunc mortua, ſimul tua etiam apud omnes cœpit mori exiſtimatio, niſi piiſſima illius apud Deum interceſſione, tuaque aliquando emendatione reſtituatur.* Atque hæc foris. Principum aliorumque dolor.

XXX. Domi autem ingenti lætitia perfundebatur Anna Bolena, quod tamdem ſibi Regina eſſe, jam ſecura omnique metu alicujus æmulæ ſoluta videbatur. Sed ſit aliquando, ut cum maxime nobis ſecuri videmur, tunc ſummis involvamur periculis. Ecce enim, qui juſtus eſt Deus, Annæ glorianti ac ſuperbienti, e veſtigio aliam ſuſcitavit æmulam, multo graviorem quam Catarina unquam fuerat. Rex enim cœpit & Annæ tædio, & alterius puellæ, quæ Annæ inſerviebat, cui Janæ Seimeræ nomen fuit, amore affici, quod Annæ celerem & infamem mortem ob inceſtum cum fratre, & adulterium cum multis juſto Dei attulit judicio. Atque hic quidem apud Deum gloriosus, apud ſeculum deplorandus, per univerſa ſecula memorandus finis fuit tantæ Reginæ, quæ tot ærumnis, pœnis & afflictionibus ad bravium pervenit regni cœleſtis. Infamis Bolenæ finis.

XXXI. Celebratum eſt hoc anno Capitulum Generale Obſervantum in Cœnobio ſanctæ Crucis urbis Nicienſis, provinciæ ſancti Ludovici, in vigilia Pentecoſtes, in quo electus eſt in Miniſtrum Generalem Vincentius Lunellus provinciæ Carthaginenſis, perfunctus officio Commiſſarii Generalis Curiæ: Commiſſarius Generalis familiæ Cismontanæ deputatus eſt Leonardus Publicius Ex-Vicarius Generalis Ordinis: Procurator Generalis, Franciſcus de Caſtillo Cuſtos provinciæ ſancti Jacobi: Commiſſarius Curiæ, Joannes Calvius Miniſter Corſicanus. Capit. Generale Obſerv. Niciæ. Miniſt. General. Vincentius Lunellus.

Definitores familiæ Ultramontanæ.

Matthias Weyſſen Miniſter provinciæ Germaniæ inferioris, functus olim officio Commiſſarii Generalis familiæ Ultramontanæ.
Germanus Aubert Miniſter provinciæ Franciæ Pariſienſis.
Gaſpar Segerus Commiſſarius Saxoniæ ſanctæ Crucis.
Bernardinus de Arevalo Miniſter provinciæ Conceptionis.
Antonius de Cruce Miniſter provinciæ Caſtellæ,
Arnoldus de ſancto Felice Miniſter provinciæ ſancti Ludovici.

Definitores familiæ Ultramontanæ.

Joannes Calvius Miniſter provinciæ Corſicæ, & Curiæ Commiſſarius.
Michael de Carmaniola Cuſtos provinciæ Januæ.
Franciſcus Georgius Cuſtos provinciæ ſancti Antonii.
Joſeph de Perufio Miniſter provinciæ ſancti Franciſci.
Joannes de Jovenatio Miniſter provinciæ ſancti Nicolai.
Andreas Alamanus Miniſter provinciæ Tuſciæ Florentinæ.

Acta quædam Capituli.

XXXII. Circa reformationem Religionis ſtatutum eſt, ut in omnibus provinciis inſtituantur domus peculiares, juxta numerum Fratrum reformate vivere volentium, & ſecundum ea quæ in ſuis litteris Clemens VII. conſtituit. Pro pacificanda provincia ſancti Gabrielis, quorumdam diſſidiis a longo tempore perturbata, inſtitutus eſt Miniſter Bartholomæus a Populo, ſive *de la Puebla*, provinciæ Bæticæ pridem Miniſter, ſub cujus prudenti regimine, ſi pax & concordia ſtabiliri poſſit, relinquitur ipſi provinciæ libera electio futurorum; ſin autem, abolito nomine provinciæ, unitur provinciæ ſancti Jacobi, indemni tamen ſuo peculiari modo vivendi. Inſularum Fortunatarum ſeu Canarienſium Cuſtos inſtitutus eſt Franciſcus Sanctazilla provinciæ Bæticæ, cui, ut Fratres omnes omnino obediant, non obſtantibus iis, quæ retulimus, rigoroſe præceptum eſt. Cuſtodia ſancti Evangelii in nova Hiſpania, in provinciam erigitur, & in regno Peruviano nova inſtituitur Cuſtodia, ſub titulo *Peruviæ*. Omnibus Hiſpaniarum Miniſtris præcipitur, ut ſingulis trieniis exhibeant duos vel tres Fratres idoneos Indorum converſioni, juxta promiſſionem factam Cæſareæ Majeſtati, quando a Guardiano Hiſpalenſi requirentur. Cum autem Hiſpalim pervenerint, Miniſtro provinciæ Bæticæ parebunt, eoque abſente, Guardiano Hiſpalenſi, qui in illa urbe congregatis, vel ad Indos transfretaturis unum ex ipſorum conſortio præficiet, qui reliquis imperabit, donec ad præſentiam Ordinarii Prælati pervenerint. Ex aliis nationibus præter Hiſpanam, nullus eo mittatur, niſi immediate ab ipſo Miniſtro vel Commiſſario Generali ad hoc opus aſſumatur, & præmiſſo examine, idoneus reputetur.

Provincia ſancti Evangelii. Cuſtodia Peruviæ. De mittendis in Indiam.

XXXIII. Poſtquam anno proxime præterito Clemens VII. Patres Capuccinos Roma juſſerat abſcedere, & prohibuerat ne Obſervantes ad illos tranſirent, idque ipſum in limine ſui Pontificatus vetuerit Paulus III. conceſſa inſuper facultate, ut qui vellent Obſervantes e Capuccinis ad priſtinum Sodalitium poſſent redire, utraque pars variis modis, magnatumque adſcitis favoribus, Pauli animum in ſuam ſententiam attrahere conabatur, ejuſque aures pulſare non deſiſtebat, ut ſuam firmam illæſamque vellet familiam. Fluctuare viſus eſt inter vehementes diſſidentium ardores, & modo his, modo

modo illis benigna dabat reſponſa. Tria invenio ejus diplomata hoc anno circa hoc unum negotium emiſſa, & quartum ejus auctoritate datum a tribus Cardinalibus, quibus commiſerat importunæ controverſiæ deciſionem. Omnia hic ſubjicio.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum, Capuccinis nuncupatis.

XXXIV. *Dilecti filii &c. Nuper accepto per Nos, quod ex eo quod nonnulli Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſores habitum per eos geſtare ſolitum dimittere, & ſe de domibus & locis ejuſdem Ordinis ad domos & loca veſtra ſe conferre nitebantur, Religio ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum plurimum ſcandalizabatur. Nos non valentes tunc ob varia negotia, quibus occupabamur, huic rei, ut voluiſſemus, vacare, ac ſperantes in Generali Capitulo Fratrum dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatorum in proxima Pentecoſtes feſto celebrando, maturius de hac re informari poſſe, de conſilio nonnullorum S. R. E. Cardinalium, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, per alias noſtras in forma Brevis litteras ſtatuimus & ordinavimus, quod nullus dicti Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſor, ad domos & loca veſtra quovis prætextu, ſine noſtra licentia ſe conferre poſſet & valeret, & contravenientes excommunicationis pœnam ipſo facto incurreret. Inhibuimuſque ſub eadem vobis, ne aliquos dicti Ordinis Fratres, de Obſervantia nuncupatos, aut cujuſvis alterius Religionis vel Ordinis, aut domos vel loca reciperetis, donec a Capitulo Generali prædicto plenius informati, huic negotio optimum remedium apponeremus: volentes, quod ſi interim aliqui ex vobis, qui ex Ordine Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum egreſſi eſſetis, ad ipſum Ordinem, de Obſervantia nuncupatum reverti velitis, ab ipſius Ordinis, de Obſervantia nuncupati Vicario caritative recipi poſſetis, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem poſtea a fide dignis certiores redditi ſimus, ex Fratrum aliorum Ordinum & Religioſorum, ac ipſorum domorum & locorum receptione nullum ſcandalum naſci ſeu provenire. Nos, qui ad inhibitionem prædictam ſolum, ut ſcandala tollerentur, devenimus, motu & ſcientia ſimilibus mentis noſtræ eſſe declaramus, per litteras prædictas, ſolum Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum, perſonarum, & locorum receptionem uſque ad dictum Capitulum Generale vobis prohibere, & quoad alios, vos remanere in eodem ſtatu, in quo antequam dictæ litteræ emanarent, eratis. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, per quas vobis, aliorumque dictorum Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum, & eorum receptio locorum prohibeatur, ac quibuſcumque ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis: quibus omnibus, etiamſi ad eorum derogationem requiratur expreſſa & ſpecialis ipſorum, & clauſularum in eis contentarum mentio, ad effectum prædictorum ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus etiam quod præſentium tranſumptis, ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſignatis, ac manu alicujus publici Notarii ſubſcriptis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die* XII. *Januarii* MDXXXV. *Pontificatus noſtri anno* I.

Bloſius.

Bover. tom. I. fol. 993. Revocat Pontifex prohibitionem tranſeundi ad Capuccinos.

Ad

Ad futuram rei memoriam.

Reg. Ciſm. fol. 70.

XXXV. *Paſtoralis officii cura Nos admonet, ut ad ea diligenter intendamus, per quæ ſinguli Religioſi, & præſertim Ordinum Mendicantium profeſſores, qui ſub voluntariæ paupertatis habitu Domino militant, ſemotis perturbationibus & ſcandalis quibuslibet, gratum & ſedulum impendere valeant Altiſſimo famulatum. Dudum ſiquidem per Nos accepto, quod ex eo quod nonnulli Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſores ob frugem, ut aſſerebant, melioris vitæ, aut ex aliis cauſis eorum animos moventibus, habitum per ipſos profeſſores geſtari ſolitum dimittere, & ſe de domibus & locis ejuſdem Ordinis ad domos & loca Fratrum Ordinis ſancti Franciſci, Capucciatorum nuncupatorum transferre nitebantur, Religio ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum plurimum perturbabatur & ſcandalizabatur. Nos tunc de conſilio nonnullorum S. R. E. Cardinalium ſtatuimus & ordinavimus, quod nullus ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſor, ad domos & loca dictorum Fratrum Capucciatorum, quovis prætextu ſine noſtra ſpeciali licentia ſe transferre poſſet, & contravenient excommunicationis pœnam ipſo facto incurreret, inhibendo ſub eadem pœna excommunicationis univerſis & ſingulis Fratribus Capucciatorum prædictis, ne aliquos ipſius Ordinis Fratrum Minorum profeſſores ad eorum domos vel loca reciperent, donec a Capitulo Generali ipſius Ordinis Fratrum de Obſervantia, quod tunc proxime celebrandum inſtabat, plenius informati, eidem negotio opportunum cum Domino apponeremus remedium, prout in noſtris inde in forma Brevis confectis litteris plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, Capitulum Generale hujuſmodi poſtmodum celebratum fuerit, & dilecti filii Miniſter Generalis & alii Vocales ejuſdem Capituli opportune ordinaverint & ſtatuerint, quod ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia profeſſoribus, arctiorem vitam ducere cupientibus, in provincialibus Capitulis aſſignarentur congrua loca, in quibus eamdem vitam ducere poſſent: Nos poſt communicationem negotii hujuſmodi cum nonnullis S. R. E. Cardinalibus, ordinationem & ſtatutum hujuſmodi, cum omnium & ſingulorum tam juris, quam facti defectuum, ſi qui forſan intervenerint, ſuppletione, confirmantes & approbantes, ac ab omnibus inviolabiliter obſervari debere decernentes, motu proprio & ex certa ſcientia noſtra ſtatuimus & ordinamus, quod de cetero omnes & ſinguli Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſores arctiorem vitam hujuſmodi ducere cupientes, ad loca per Capitula provincialia juxta ejuſdem Generalis Capituli determinationem ad hunc effectum deſignanda ſe transferre debeant, nec ad domos aut loca Fratrum Capucciatorum quovis prætextu ſine noſtra, aut Sedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia, ſpecialem præſentium noſtrarum litterarum mentionem faciente, aut ſaltem abſque Miniſtri ſeu Commiſſarii Generalium dicti Ordinis Minorum de Obſervantia ſpeciali licentia in ſcriptis habita, ſub pœnis & cenſuris in eiſdem prioribus noſtris appoſitis ipſo facto incurrendis, ſe transferre, aut illorum habitum aſſumere vel geſtare poſſint. Eiſdem Fratribus Capucciatis nihilominus ſub excommunicationis hujuſmodi pœna diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus dicti Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſores etiam in habitu ſeculari, aut cujaſvis alterius Religionis ad eos accedentes, aut eorum domos ſeu loca, quovis prætextu, ſeu quæſito colore non recipiant. Si qui vero ex præfatis Capucciatis*

Sed iterum renovat.

Fra-

Fratribus, qui olim de Obſervantia fuerunt, ad eumdem unde digreſſi ſunt, Ordinem redire voluerint, ab eiſdem Generalibus Miniſtro ſeu Commiſſario dicti Ordinis infra annum dumtaxat a data præſentium computando, caritative recipi poſſint & valeant. Mandantes dilectis filiis Gubernatori almæ Urbis noſtræ, ac Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, aut dictæ Urbis Vicario, & eorum cuilibet, quatenus ſtatutum & ordinationem prædictam inviolabiliter obſervari faciant, non permittentes aliquid per quoſcumque quacumque dignitate, præeminentia & auctoritate fungentes, contra præſentium tenorem quomodolibet attentari. Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis, etiam in forma Brevis eiſdem Fratribus Capucciatis, aut aliis quibuſcumque quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſignatis, ac manu alicujus publici Notarii ſubſcriptis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub anulo Piſcatoris, die XIV. *Auguſti* MDXXXV. *Pontificatus noſtri anno* I.

Bloſius.

Ad futuram rei memoriam.

XXXVI. *Dudum poſtquam per Nos accepto, quod eo quod Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum Profeſſores, ſub prætextu frugis melioris vitæ, aut ex aliis cauſis, habitum per ipſos Profeſſores geſtari ſolitum, dimittere, & ſe de domibus & locis ejuſdem Ordinis ad domos & loca Fratrum Ordinis S. Franciſci, Capuccinorum nuncupatorum tranſiferre nitebantur, Religio ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum plurimum ſcandalizabatur: Nos per quaſdam ſtatuimus & ordinavimus, quod nullus ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſor ad domos & loca dictorum Fratrum Capuccinorum quovis prætextu ſine ſpeciali licentia ſe conferre poſſet, & contravenientes excommunicationis pœnam ipſo facto incurreret. Superioribus autem diebus cum acceptiſſemus, quod Capitulum Generale ipſius Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum ſtatuerat, quod ejaſdem Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſoribus, arctiorem vitam ducere cupientibus, congrua loca, in quibus eamdem vitam ducere poſſent, aſſignarentur: Nos per alias noſtras in forma Brevis litteras ſimiliter ſtatuimus & ordinavimus, quod ex tunc de cetero omnes & ſinguli dicti Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſores, arctiorem vitam hujuſmodi ducere cupientes, ad loca per Capitula provincialia, juxta ejaſdem Capituli Generalis determinationem ad hunc effectum deſignanda ſe tranſferre deberent, nec ad domos ſive loca dictorum Fratrum, quovis prætextu, ſine noſtra, aut Sedis Apoſtolicæ expreſſa licentia, ſpecialem litterarum earumdem mentionem faciente, aut ſaltem abſque Miniſtri ſeu Commiſſarii Generalis dicti Ordinis Minorum de Obſervantia ſpeciali licentia in ſcriptis habita, ſub pœnis & cenſuris in eis prioribus litteris appoſitis ipſo facto incurrendis, ſe transferrent, aut illorum habitum aſſumere vel geſtare poſſent: Eiſdem Fratribus Capucciatis nihilominus ſub excommunicationis pœna diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus dicti Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupa-*

Bover. cit. fol. 295.

Revocat priores litteras ſub quibuſdam conditionibus.

cupatorum profeſſores, etiam in habitu ſeculari, aut cujuſvis alterius Religionis ad eos accedentes, in eorum domibus ſive locis quovis prætextu ſive quæſito colore non reciperent. Si vero ex præfatis Capucciatis Fratribus, qui olim de Obſervantia fuerunt, ad eumdem, unde digreſſi erant, Ordinem redire vellent, ab eiſdem Generalibus Miniſtro ſeu Commiſſario dicti Ordinis infra annum dumtaxat, ex tunc computandum caritative recipi poſſent, prout in eiſdem litteris plenius continetur. Cum autem, ſicut nobis ex fide dignorum relatione innotuit, provincialia Capitula dicti Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia aliqua loca, ad quæ Profeſſores arctiorem vitam ducere cupientes, juxta dicti Capituli Generalis ordinationem ſe transferre poſſint, nondum deputaverint. Nos, ne ipſi Profeſſores arctiorem vitam ducere cupientes, quominus illam ducere poſſint, prætextu dictarum poſteriorum litterarum impediantur, providere, ac eos in eorum propoſito confovere volentes: Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & decernimus, quod niſi Capitula provincialia prædicta, juxta tenorem poſteriorum litterarum noſtrarum, loca, ad quæ ipſi Profeſſores arctiorem vitam ducere volentes, transferri poſſint, infra duos menſes a die, qua præſentes dilecto filio Miniſtro Generali dicti Ordinis Minorum de Obſervantia, vel dicti Ordinis Generali Commiſſario in Romana Curia exiſtenti intimatæ fuerint, computando, realiter & cum effectu deſignaverint & deputaverint; quicumque ipſius Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia arctiorem vitam ducere volentes, ad loca dictorum Fratrum Capucciatorum ſe abſque alicujus cenſuræ & pœnæ incurſu transferre, ac in illis permanere, & dicti Fratres Capucciati tam illos, quam etiam quoſcumque alios etiam ſeculares, & cujuſcumque alterius Religionis ad eos accedentes, in eorum domibus ſeu locis, ac etiam nova loca, eis a quibuſvis concedenda recipere & retinere libere & licite poſſint, nec præterea aliquas cenſuras ſive pœnas incurrant, nec incurriſſe cenſeantur. Non obſtantibus noſtris prædictis, & quibuſvis aliis litteris, privilegiis & indultis Apoſtolicis, eiſdem Fratribus Minorum de Obſervantia, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam motu proprio conceſſis. Quibus omnibus, illorum tenores & datas, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, quoad præmiſſa ſpecialiter & expreſſe derogamus, & adverſus illas nullatenus ſuffragari poſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Decernentes præſentium tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem in judicio & extra adhibendam fore, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub anulo Piſcatoris, die XIX. *Auguſti* MDXXXV. *Pontificatus noſtri anno* I. *Fabius Vigil.*

Sententia interlocutoria trium Cardinalium.

XXXVII. *Laurentius Epiſcopus Præneſtinus, & Franciſcus tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem, totius Ordinis Minorum Protector, ac Antonius tituli ſanctorum Quatuor Coronatorum, Presbyteri miſeratione Divina ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſuper differentiis inter Fratres de Obſervantia, & Capuccinos nuncupatos, Ordinis Minorum componendis a S. D. N. Paulo Papa III. in ejus Conſiſtorio ſecreto deputati. Religioſis viris Generali & aliis Miniſtris ac Guardianis domorum Congregationis Capucci-*

no-

norum nuncupatæ dicti Ordinis Minorum, & ſingulis ejuſdem Ordinis tam de Obſervantia, quam de Capuccinis Fratribus, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Cupientes contentionibus veſtris, & ne interim ſcandala exinde oriantur, ſalubriter providere, de mandato præfati Domini Noſtri Papæ, ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, univerſis & ſingulis veſtrum in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis, quam contrafacientes incurrere volumus ipſo facto, & a qua nonniſi per nos aut Sedem Apoſtolicam, etiam vigore quorumcumque indultorum Apoſtolicorum, abſolvi poſſitis, præterquam in mortis articulo conſtituti, & carcerum pœnis, tenore præſentium diſtricte inhibemus, ne de cetero vos Capuccini, de Obſervantia Fratres aliquos ad vos ſe transferentes, ſeu alias venientes recipere; aut vos de Obſervantia ad eoſdem Capuccinos tranſire, aut eorum habitum aſſumere, ſeu geſtare præſumatis quoquo modo, quouſque præfatus D. N. Papa ſuper eiſdem contentionibus de opportuno remedio proviſerit. Non obſtantibus quibuſcumque litteris Apoſtolicis etiam in forma Brevis, aut motu proprio, vel vivæ vocis oraculo, aut aliis vobis & cuilibet veſtrum in genere vel in ſpecie quomodolibet conceſſis. Et ſi quis veſtrum, quod abſit, contrafecerit, noveritis commiſſurum hujuſmodi, altra præmiſſa, ſeveriſſima animadverſione fore puniendum. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Epiſcopi, aut Prælati in dignitate Eccleſiaſtica conſtitati munitis, eadem fides adhibeatur tam in judicio, quam extra, quæ adhiberetur præſentibus originalibus litteris, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. In quorum fidem præſentes ſigillorum noſtrorum per Notarium impreſſione munitas, ac manibus noſtris fieri juſſimus. Dat. & act. Romæ in Palatio Apoſtolico XXIII. *menſis Decembris, ſub anno a nativitate Domini* MDXXXV. *Pontificatus præfati S. D. N. anno* II.

L. Epiſcopus Præneſtinus Card. Campegius.
Franciſcus Card. S. Crucis Protector.
Antonius Card. Sanctorum Quatuor, Major Pœnitentiarius.

XXXVIII. Nihilominus aliquot tum ex Obſervantibus, tum ex Amadeis, qui Obſervantibus ſuberant, a Capuccinis hoc anno ad ſuam Congregationem admiſſos enarrat Boverius. Joannes autem Fanenſis, qui anno elapſo ad eos tranſiverat, illud Sodalitium non mediocriter adauxit, qui poſtquam in Gallia Ciſalpina Dei verbum ſeminaverat, Bergomi Monaſterium ſuis extruxit, prope ædiculam ſancto Alexandro Martyri dicatam. Secundum poſuit Veronæ. Tertium anno ſequenti, II. M. P. ab urbe Brixienſi in quodam ſancti Gervaſii Cœnobio; & quartum Mediolani extra portam Vercellenſem, prope ſancti Joannis Apoſtoli templum, quod deinde in urbem ad ſancti Victoris Martyris memoriam anno MDXLII. translatum fuit. In Apulia frater Paulus Seſtinenſis Cœnobium extruxit provinciæ ſancti Angeli primum, cui anno ſequenti adjuncti ſunt Conventus duo, Serræ Capreolæ, & ſancti Joannis Rotundi.

Bover. n. 9. Joannes Fanenſis inſtitutum promovet Capuccinorum.

XXXIX. Dum itaque Congregatio domibus & incolis augeretur, graviores & prudentiores, qui in ea erant viri, judicarunt tum propter Regulæ præſcriptum, tum propter Religionis utilitatem expedire, ut Capitulum celebraretur Generale. Id Ludovico Foroſemproniano hactenus officii Vicarii Generalis perfuncto, non placebat: timebat enim ne alium, ſe neglecto, Superiorem adoptarent. Cum vero Fratres id ei perſuadere non poſſent, neque Victoria Columna, Inſtituto addictiſſima, & potentiſſima olim

Idem n. 12. & ſeqq.

Anno Christi 1535.	Pauli III. an. 1. & 2.	Caroli V. Imp. anno 17.	Religionis Minorum anno 328.

Capitulum Generale Capuccinorum.

Ludovici patrona, ab eo conſequi poſſet; tamdem actum eſt, ut id ei Pontifex præceperit, cujus mandato cum ille refragari non poſſet, Romæ circa Novembris initium celebrat Comitia. In his electus eſt Vicarius Generalis Bernardinus Aſtenſis, vir doctus & prudens, qui anno præcedenti, uti diximus, ab Obſervantibus ad Capuccinos tranſmigravit. Indigne & impatienter hoc tulit Foroſempronianus: apud omnes tum Religioſos, tum ſeculares vehementer conqueſtus eſt de Conſodalium ingratitudine, qui tot beneficia a ſe recepta vel hac exigua mercede continuati officii compenſare noluerunt. Multas hujuſmodi querelas ubique ſpargens, tamdem a ſuorum Fratrum cætu cum pauculis recedit ad ſancti Thomæ Templum quoddam, ubi ſeorſum a reliquorum ſocietate & Vicarii Generalis obedientia vitam ducebat. Sed opera Cardinalis Tranenſis, obtenta alterius Capituli celebratione, cum aſſeclis redit paulatim ad Monaſterium. Quid deinde factum ſit, dicetur anno ſequenti.

Vicarius Generalis Bernardinus Aſtenſis.

Ludovici Foroſempronianni indignatio.

Florent Viri docti.

XL. Floruerunt hoc tempore Henricus Regius Paderbornenſis Provinciæ Saxoniæ ſanctæ Crucis; Joannes ab Aquiſgrano Provinciæ Germaniæ inferioris, & Joannes a Daventria Provinciæ Colonienſis, viri docti, libris editis clari. Obiit autem hoc anno die IV. Decembris Toloſæ Arnoldus a ſancto Felice Definitor Generalis ſupra memoratus, vir magnæ auctoritatis in Gallia, Regularis Obſervantiæ zelantiſſimus; & Novi-Comi Protaſius Porrus Conventualis, celebris per univerſam Italiam concionator, Doctoratus Laurea Pariſiis inſignitus. Magnam partem ſui Cœnobii reſtauravit. Apud Tunetum in Africa frater Barholomæus Cordonus nobilis proſapiæ ex Civitate Caſtelli in Italia, illuc ſecundum profectus martyrii deſiderio. Primum inde expulſus, in capite percuſſus, rediit cum Carolo V. cujus milites magno fervore, electa voce, & ſublata in altum Chriſti Crucifixi imagine, ad pugnandum animabat, donec Golettam expugnarunt. Religionem ingreſſus anno XXXIII. ſuæ ætatis, poſtquam aliquotum temporis cum nobili uxore pie tranſegit, pœnitentia, paupertate, humilitate aliiſque virtutibus Conſodalibus præluxit. Apud Concives *Beati* nomine audit, & vita circumfertur inter Sanctorum piorumque illius urbis Virorum monumenta. Tribus poſt obitum annis eam diffuſe ſcriptam edidit Peruſii anno MDXXXVIII. frater Hilarion Pichus Biturgicus Minorita, quam dedicavit Marino Cardinali Grimano tunc Peruſino Legato. Deceſſiſſe etiam hoc anno Magdalenam Budriſich, Comitiſſam Zironi Croatam, Tertii Inſtituti ſancti Franciſci, habent quædam Monumenta MSS. Provinciæ Dalmatiæ. Ejus vero vitam, certe inſignem, ſcripſit Joannes Tomeus Marnavitius Epiſcopus Boſnenſis, quam ego ut typis committeretur anno MDCXXXIV. legi & probavi, in qua auctor ejus mortem ſub an. MDXXXII. reponit. Videnda porro alia hujus piæ fœminæ vita a quodam Franciſcano carmine Illyrico conſcripta, & ab eodem Tomeo typis Romæ publicata. Electus eſt hoc anno Epiſcopus Sidonienſis in Theſſalonia, ſub Archiepiſc. Lariſſeno, frater Joannes Bratianus, Regularis Obſervantiæ die XXI. Junii.

Moriuntur alii.

Ballarin. in hiſt. Comen. 346.

Conv. Baſteriæ.

XLI. Incolæ oppidi Baſteriæ in Corſica, diœceſis Adiacenſis, hoc anno Eremitorium ſanctiſſimæ Trinitatis ab ipſis conſtructum, & Fratribus Regularis Obſervantiæ pro recipiendis hoſpitibus conceſſum, in Conventum erexeruut: *Cum ſicut nobis nuper*. die III. Decembris, Gonzaga aliter hujus Cœnobii & Oratorii originem recenſet. Similem habuit ortum Conventus Rupis, Theatinæ diœceſis. Etenim Seraphinus de Rupe Presbyter ejuſdem diœceſis, Oratorium quoddam conſtruxit, & domum quam-

Gonz. in Provin. Corſicæ Conv. 29.

Conv. Rupis.

dam

dam cum terræ portione eidem oratorio adhærentem Fratribus Provinciæ ſancti Bernardini pro hoſpitandis Fratribus hoc anno conceſſit: *Exponi nobis*. die XXVI. Novembris. Alias ex Gonzaga egimus de Conventu ſancti Joannis de Rupe Montis Plani, prædictæ Provinciæ ſancti Bernardini, quod ſi hic idem eſt, ad hunc annum reducendus eſt.

Tom. 10. anno 1481. n. 15. Idem in Provin. S. Bernard. Conv. 1.

XLII. Patres Conventuales hoc anno conſtruxerunt Cœnobium in Vico Liciani, diœceſis Bretonorienſis, datis ad hoc per Sebaſtianum & Andream, quondam Jacobi Candoli de Villa Liciani, tabulis decem terræ, quas admiſit nomine Religionis Magiſter Bernardinus Bretonorienſis in fundo Fontis veteris, vulgo *Fontana vecchia*. Spectat hic locus ad Provinciam Bononiæ, & Cuſtodiam Forolivienſem. In Provincia Siciliæ & Cuſtodia Drepani alium obtinuerunt hoc anno locum ſanctæ Mariæ de Alto, ab Antonio de Grignano fundatum, poſtea tamen ob ſitus diſtantiam & ſolitudinem, ab eiſdem derelictum. Bona autem, & ſi quæ ſpectabant ad hunc locum, aggregata ſunt Conventui ſancti Franciſci de Marſala. In eadem Cuſtodia alius hoc anno vel circa, eis datus eſt locus Reſidali, incultus tamen & inhoſpes.

Conv. Liciani. *Rodul. fol. 269.*

Conv. S. Mariæ de Alto. *Idem fol. 281.*

Conv. Reſadali. *Idem fol. 282.*

XLIII. Conventum habuiſſe hoc tempore Minoritas in urbe Africana Tuneti ab illa parte, quam Chriſtiani, quos Rabatinos nuncupabant, incolebant, ſcribit Prudentius Sandovalius, qui a Carolo V. res geſtas ampliſſimis Commentariis proſecutus eſt; additque Cæſarem, redacta in ſuam poteſtatem Civitate, in eo celebraſſe ſolemniter feſtivitatem ſancti Jacobi Apoſtoli, ſimul cum reliquis illius ſacræ Militiæ profeſſoribus, præſentibus totius numeroſiſſimi exercitus viris præcipuis. Miniſtro & Fratribus Provinciæ ſancti Ludovici conceſſit hoc anno Pontifex licentiam fabricandi duos Conventus, unum in Civitate Foro-Julii, alterum in oppido de Oriolis, Tolonen. diœceſis: *Exponi nobis*. die IX. Auguſti. Foro-Julienſem autem non fuiſſe ædificatum ſcribit Gonzaga, ſed Minores ſucceſſiſſe Minimis, qui ſub annum MDLXXI. reliquerunt, quod habebant Cœnobium ſanctæ Mariæ de Pietate. Minoritas ut locum incolerent, advocarunt Dominus Romanus Epiſcopus, & urbis Conſules, Provinciale Joanne Rivotorto. Oriolenſis porro Conventus non niſi anno ſequenti inchoatus eſt, de quo tunc diffuſius agemus.

Conv. Tuneti. *Sandoval. in Carolina lib. 22. §. 42.*

Conv. Foro-Julii. *Gonz. in Provin. ſancti Ludovici Conv. 12.*

Conv. Oriolenſis.

XLIV. Petrus ab Acunha, & Beatrix a Villena nobiles conjuges, facultate ſibi hoc anno a Paulo Pontifice conceſſa, conſtruxerunt intra mœnia Portuenſis urbis in Luſitania, Monaſterium inſigne Clariſſarum, ſub nomine Matris Dei, in quo numeroſus cætus Virginum ſub Regula Urbani IV. religioſiſſime converſatur. Obiit hic Eliſabetha ab Annunciatione, quæ domum annis viginti octo ſanctiſſime gubernavit. Tam aſſidue orabat genibus flexis, ut inſtar Jacobi Apoſtoli callum obduxerit. Frequenti morbo purgata, in ultimo ſæpe hæc verba repetebat; *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Et morti propinqua illa ſubjunxit: *Ego dormivi & ſomnum cepi, & exurrexi, & Dominus ſuſcepit me*. Corpus, poſt aliquot annos caſu effoſſa terra, detectum, ſuaviſſimum ſpiravit odorem.

Monaſt. Portuenſe. *Idem in Provin. Portugallia Monaſt. 9.* Eliſabet. ab Annunciatione.

XLV. Monaſterium Clariſſarum Aquenſe extra muros incerto tempore conſtructum, hoc anno cœpit gubernari a Patribus Provinciæ Aquitaniæ recentioris, ſub quorum regimine permanſit uſque ad annum MDCXVI. quo tempore auctoritate Pauli V. ob cauſas in diplomate expreſſas, & diſtantiam Conventuum illius Provinciæ ab hac urbe, die XX. Januarii, in Capitulari Congregatione Villæ novæ celebrata, Provinciæ Aquitaniæ antiquioris Monaſteriis adnumeratum eſt.

Monaſt. Aquenſe. *Monumen. MSS. Provin. Aquitan. antiq.*

Anno Christi 1536.	Pauli III. an. 2. & 3.	Caroli V. Imp. anno 18.	Religionis Minorum anno 329.

Privilegia Pontificia.

XLVI. Volebant Patriarcha & Primicerius Venetiarum viſitare & reformare Monaſteria Clariſſarum in illa urbe conſiſtentia, prætextu quarumdam litterarum Leonis X. ſed id fieri prohibuit Pontifex, declarans omnia Monaſteria Clariſſarum, & Tertii Ordinis, Miniſtris Provinciarum, in quibus Monaſteria ipſa conſiſtunt, pleno jure ſubeſſe: *Exponi nobis*. die XVII. Novembris. Confirmavit litteras Sixti IV. quibus voluit Fratres & Sorores Tertii Ordinis per Italiam conſiſtentes, tamquam perſonas Eccleſiaſticas debere frui & gaudere immunitatibus, & privilegiis ſibi per Summos Pontifices conceſſis: *Devotionis veſtræ ſinceritas*. die XXIV. Maii. Ratam habuit donationem quamdam factam Fratribus Conventus Montis Alvernæ per incolas Burgiſtratæ, Feſulanæ diœceſis, & Anglariæ, diœceſis Aretinæ, pro conſtituendis duobus hoſpitiis uſui prædictorum Fratrum neceſſariis: *Cum ſicut nobis*. die XVII. Novembris.

ARGUMENTUM.

Varia conceduntur Fratribus officia Eccleſiaſtica recitanda. Circa regimen Provinciarum Indicarum, & ritum conferendi baptiſmum, quædam ſtatuuntur. Inſigne conſtruitur Collegium juventuti inſtruendæ in urbe Mexicana. Didacus a Silva inſtituitur Inquiſitor in Regno Luſitaniæ. Moriuntur viri celebres. Apud Baleares a Turcis Fratres trucidantur. Repetunt Capuccini ſua jam celebrata Comitia. Bernardinus Georgius Calaber commendatur. Conſtruuntur Cœnobia.

Reg. gen. Ciſm. fol. 72. & ſeqq.

I. JOANNES Calvus Commiſſarius Curiæ, Paulo Pontifici gratiſſimus, pleraque ab eo impetravit Religioni proficua: atque inter hæc die III. Januarii hujus anni obtinuit, ut in Eccleſia Sororum Monaſterii ſanctæ Claræ Aquilani poſſet recitari ſive legi Miſſa de beato Joanne Capiſtranenſi, in die ejus natalitii; & die VIII. Februarii ei ſimiliter conceſſum eſt, ut die XX. Septembris celebrari poſſet per univerſum Ordinem & Sorores eidem ſubjectas, feſtum ſancti Euſtachii martyris & ſociorum ſub ritu duplicis majoris; & quod recitare poſſent officium Nominis Jeſu a fratre Hieronymo Mitripetro Veneto compoſitum; necnon Miſſam de Paſſione Chriſti ab alio Minorita anonymo contextam.

Officium beati Joannis Capiſtrani.

Sanctorum Euſtachii & Sociorum Nominis Jeſu. Paſſionis Chriſti.

Provincia ſancti Evangelii. *Herrer. dec. 6 lib. 1. c. 10.*

II. Diximus Clementis VII. auctoritate, & Capituli Generalis Nicæni, Cuſtodiam ſancti Evangelii in Hiſpania erectam fuiſſe in Provinciam. Scribit Antonius de Herrera, Carolum V. per ſuum Oratorem Comitem de Centum fontibus inſtanter egiſſe apud Paulum Pontificem hoc ipſo anno, ut cum illa, vel ſub illa Provincia erigeretur Cuſtodia peculiaris ſub Nomine *Jeſu*, Regemque peculiares dediſſe ad Pontificem litteras, in quibus ſummopere commendat virtutem & ſolertiam in converſione Indorum, duodecim illorum Patrum, qui ex Provincia ſancti Gabrielis primi miſſi ſunt ad oras Mexicanas. Ingentem fructum ſuæ prædicationis illos retuliſſe, cum magno incremento nominis Chriſtiani, & propterea his aliiſque gratiis ſe dignos oſtendiſſe, Pontifici enarrat. Circa vero hujus Cuſtodiæ erectionem, nihil hoc anno decretum reperio; quid autem de illa ſentiam, ſub annum MDXXXIX. declarabo. Atqui hoc anno Patres Mexicani primum ſuum celebrarunt Capitulum Provinciale, in quo electus eſt in novæ Provinciæ Miniſtrum Garçias de Ciſneros, unus ex primis illis duodecim viris Apoſtolicis, qui ad regionem Mexicanam transfretarunt. Anno

Cuſtodia Nominis Jeſu.

Turrecr. l. 19. cap. 27.

uno

uno dumtaxat prudentiſſime rexit, cui vita functo ſucceſſit Antonius Civitatenſis, ſive *de Ciudad-Rodrigo*, unus etiam ex duodecim. Sub Garçiæ tempore acriter diſputatum fuit circa modum conferendi Baptiſmi Sacramentum, & demum coacto Concilio Provinciali, ita decretum eſt. Quomodo conferendus baptiſmus.

III. *Ex diſpoſitione Illuſtriſſimi Domini Proregis novæ Hiſpaniæ in India, & Imperialis Concilii terram illam gubernantis, advocati & electi convenimus Epiſcopi de ſancto Dominico, & de Tlaxcala & de Mexico, ad concordandum & conformandum in unum Religioſos Patres Ordinum Mendicantium coadjutores noſtros in converſione & inſtructione Indorum, juxta Apoſtoli præceptum, dicentis*: Fratres omnes idipſum ſapite, & non ſint in vobis ſchiſmata. *Quocirca voluntatem noſtram, ſententiam, & decretum noſtrorum nominum ſubſcriptione communitum hic expreſſimus, ab omnibus uniformiter obſervandum. Primo, in omnibus Eccleſiis Parochialibus, Monaſteriorum, & Eremitarum ſint parata vaſa baptiſmalia in locis decentibus, & ſufficienti cuſtodia munitis, quouſque aliud decreverint Epiſcopi. Secundo, quicumque deinceps Indi venerint ad baptiſmum, priuſquam baptizantur, catechizentur & exorcizentur. Tertio, ſaliva, ſal, candela & caputium tribus, aut quatnor utriuſque ſexus baptizandis adminiſtretur, & eis declaretur, quod ceremoniæ illæ ad Sacramenti ſolemnitatem pertinent, & non ad ſubſtantiam vel neceſſitatem. Quarto, juxta Eccleſiaſticam regulam aqua priùs ſanctificetur. Quinto, ſanctum Chriſma omnibus in capitis vertice ponatnr abſque ullo ſcrupulo, quod tingat vel inungat capillos; & oleum in ſpatulis, & ſuper omnibus viris adultis, pueris & puellis: fœminis autem adultis, in parte illa corporis, ubi commodius & honeſtius videbitur. Et hoc extra caſum neceſſitatis ab omnibus obſervetur uniformiter. Caſum autem neceſſitatis hic non determinamus, ſed arbitrio & conſcientiæ miniſtri hujus Sacramenti relinquimus. Hæc deliberata ſunt & ſubſcripta a nobis in die ſancti Andreæ Apoſtoli, hoc eſt ultima Novembris* MDXXXVI. Decretum Epiſcoporum Indorum. *Ex Reg. Ultram. fol. 92.*

1. Cor. 10.

IV. Huic autem decreto, quod ex Ordinis Regeſto Ultramontano exſcripſi, ita ſubjunxit Franciſcus Caſtillus Ordinis Procutator. *Et quamvis iſti Reverendiſſimi Domini Epiſcopi non declaraverunt, qui ſint caſus neceſſitatum, in quibus præter catechiſmum & exorciſmum ceteræ cæremoniæ poſſint prætermitti; ad tollendum tamen omnem dubitationem & contentionem quorumdam, neceſſarium videtur quod ſanctiſſimus Dominus Noſter hoc declaret, & maxime ſi multitudo baptizandorum ubi miniſtrorum eſt paucitas, neceſſitatis caſum faciat. Hoc enim nonnulli opinantur, cum legamus in Actis Apoſtolorum beatum Petrum Apoſtolum plures ſimul, non tamen ob aliam, eauſam, baptizaſſe; & temporibus noſtris Eccleſias Granatenſem & Valentinam Sarracenos propter eorum multitudinem abſque cæremoniis baptizaſſe. Et hoc multorum virorum doctorum, vita & moribus probatiſſimorum, conſilio & auctoritate decreviſſe: periculoſum enim nimis videbatur, propter ſolas cæremonias, quas aliunde, aut tempore confirmationis poterant ſupplere, rem tam ſalutiferam & neceſſariam, baptiſmum utique, in pluribus corpore & anima periclitantibus in longum tempus differre. Hoc etiam decrevit, & obſervavit primus Epiſcopus Granatenſis, litteris & ſanctimonia probatus, poſt mortem multis clarus miraculis; qui etiam propriis manibus aliquos ex Sarracenis ſine cæremoniis, ſine Oleo & Chriſmate baptizavit, & ſic ab aliis faciendum ſtatuit, decernens illa eſſe ſupplenda a ſe & ſuis coadjutoribus Epiſcopis tempore Confirmationis. Cujus rei ego frater Franciſcus Caſtellus Procurator Ordinis Minorum in Romana Curia, fui tunc, & ſum nunc teſtis oculatus.* Quid tamen circa iſta Pontifex decreverit, dicetur anno ſequenti.

Act. 1. 41.

Vide anno 1525. n. 6. & nn. 1514. n. 69.

Vide Tom. 15. anno 1499. n. 7. & ſeqq.

V. Ea

Anno Christi 1536.	Pauli III. an. 2. & 3.	Caroli V. Imp. anno 18.	Religionis Minorum anno 329.

Collegium Mexicanum. *Torrecr. l. 15. ca. 41. Herr. citatus.*

V. Ea in urbe Mexicana hoc tempore facilius & commodius excolendæ juventuti Indicæ, Minoritæ Collegium in ſuo fundarunt Cœnobio, præcipuo auctore & curatore fratre Petro Gandavenſi, Grammaticæ inſtituto profeſſore fratre Arnoldo de Baſſacio Gallo, erudito viro, linguæ Mexicanæ perito. Antonius de Mendoza Prorex, erga Indos ſumme miſericors, benignus & beneficus, propterea a multis vocatus *Indorum Patronus & Pater*, acceptis a Rege Carolo litteris, ut pueris Indorum excolendis, atque in re politica & litteraria inſtruendis, curam omnem impenderet, videnſque plurimum adoleſcentum ſub Fratrum diſciplina in virtute & litteris profectum, & incommodum ac perturbationem, quam ex tot puerorum concurſu & frequentia Religioſi patiebantur, Regiis ſumptibus ædificavit in ea urbis regione, quæ *Tlatilulco* vocabatur, Collegium capaciſſimum, ſub titulo ſanctæ Crucis, prope alterum Cœnobium eorumdem Fratrum, ſancti Jacobi Apoſtoli nuncupatum, cujus Guardiano curam & præfecturam prædicti Collegii voluit commiſſam. Addidit inſuper annuos cenſus, & quidquid tanto operi erat neceſſarium, præſcripſitque conditiones & ætates eo in loco admittendorum, quos ex præcipuis familiis, urbibus, & Nationum emporiis voluit aſſumi. Brevi tempore per Fratres, qui per Mexicanas Provincias erant diſtributi, collecti ſunt ultra centum juvenculi, qui ſolemni inceſſu, proceſſionali ritu, deducti ſunt a Cœnobio majori ſancti Franciſci ad Collegium, comitantibus Prorege, Epiſcopis Mexicano, & ſancti Dominici, & univerſa ferme Civitate. Priuſquam e Templo ſancti Franciſci diſceſſiſſent, ſermonem habuit Franciſcus Cervantes Canonicus Eccleſiæ Cathedralis; alterum frater Alphonſus de Herrera. Ubi perventum eſt ad Templum ſancti Jacobi, tertium in triclinio Fratrum, in quo manducaverant Prorex & Epiſcopi.

Collegii diſciplina.

VI. Optimis præſcriptis legibus, communi victu, eademque ſub veſte externa educari cœperunt pueri. Magnis in aulis diſpoſitis lectis, plures dormiebant, accenſa ſemper lucerna, & præſente cubiculi præfecto. Arculam habebat unuſquiſque recondendis libris & panniculis obſeratam. Matutinas preces officii beatæ Mariæ Virginis ſimul recitabant antequam irent cubitum, reliquas horas ſummo mane, & in feſtivitatibus cantabant hymnum *Te Deum laudamus*. Expletis horis, audiebant ſacrum, mox incumbebant ſtudio. Diebus feſtivis aſſiſtebant Miſſæ ſolemni Fratrum, & Veſperis, & ſerviebant in Altaris miniſterio. Poſt prædictum Baſſacium lectores habuerunt Grammaticæ Bernardinum Sahaguntinum per quadraginta annos, & Andream de Ulmis Rhetoricæ, Logicæ & Philoſophiæ Joannem de Gaona, Franciſcum de Buſtamante, & Joannem Fucherum, omnes, præter ultimum, linguæ Mexicanæ inſigniter peritos, in qua perutiles libros ediderunt. Prodierunt ex hoc Collegio multi florentis indolis viri, qui Reipublicæ ſuæque Nationi utilem & honorificam operam præſtiterunt. Huic tamen laudabili operi plerique ex Hiſpanis offendicula poſuerunt, dicentes; non illius eſſe capacitatis Indos, ut tanti deberet conſtare illorum doctrina; magnumque ſubeſſe periculum errorum & hæreſis, ſi ad altiores ſcientias capeſſendas promoverentur. Plene tamen his objectionibus ſatisfecerunt Fratres, & qui inde prodibant viri, & virtute & doctrina præſtantes, re ipſa probabant indigne ſuam traduci Nationem.

An. 1548. n. 38. Didacus a Sylva Inquiſit. Luſitaniæ.

VII. Didacus a Silva, quem ſupra diximus creatum Epiſcopum Septenſem, Regi Joanni III. a ſacris confeſſionibus, hoc anno creatus eſt a Paulo Pontifice Inquiſitor Generalis Regni Luſitaniæ. Datæ ſunt litteræ inſtitutionis die XXIII. Maii hujus anni, eique porrectæ a Rege in urbe Ebo-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 329.
1536.	an. 2. & 3.	anno 18.	

Eborenſi VIII. Kalend. Junii. Dedi alios Minoritas Inquiſitores in Luſitania, additis conſtantiſſimis documentis. Perperam itaque Rodericus a Cunha contendit Didacum hunc primum eo in Regno fuiſſe Inquiſitorem. Poſt aliquot annos promotus eſt ad Archiepiſcopatum Braccarenſem, quod ſuo loco dicemus. *Cunha de Archiep. Braccaren. c. 76. n. 4. An. 1539.*

VIII. Obiit hoc anno Magiſter Nuncius Angelus Faſellus Conventualis, ſepultuſque eſt in Eccleſia Interamnate ſancti Franciſci, prope ſuggeſtum, appoſito hoc Epitaphio. Moritur Nuncius Angelus Fafel.

Nuncius Angelus Faſellus Interamnas, ſacrarum Litterarum Profeſſor, qui omnem ſuæ vitæ curſum ita perfecit, ut præterquam quod ſummis dignitatibus hujus Ordinis functus eſt, pluſne doctrinæ, eruditioniſque, an bonitatis & religionis in eo extiterit, hominibus judicandum reliquit.

Sub hunc etiam annum deceſſit Conradus de Bendorf ejuſdem Inſtituti, Miniſter provinciæ Argentinæ, qui bonas litteras, quas Bononiæ apprehendit, in Germania diſſeminavit. Multa ſcripſit, quæ Willingæ aſſervantur. Illius loci Cœnobium multis modis exornavit & ampliavit. Florebat hoc anno Gabriel Taurenſis, ſive *de Toro*, Hiſpanus, provinciæ ſancti Jacobi Miniſter, Regibus Luſitaniæ a ſacris confeſſionibus, a Carolo V. Imperatore deſignatus Viſitator Senatus, ſive Conſilii Regii Caſtellæ, & Hieronymus Leopolitanus Ruthenus ſacræ Theologiæ profeſſor, Cathedralis Eccleſiæ Cracovienſis Eccleſiaſtes: quoad vixit Lutheranis in Pomeraniæ regnum penetrantibus hoſtis infenſiſſimus. Electus eſt hoc anno Epiſcopus Modruſienſis, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi in Sclavonia, frater Hermolaus de Hermolais die VI. Novembris, mortuus eſt anno ſequenti. Cõradus de Bendorf. Gabriel de Tauro. Hieronymus Leopolit. Hermolaus de Hermolais Epiſc. Madruſien.

IX. Hoc anno immanis ille Pirata Cheridinus Barbaroxa, ex Africa trajiciens, inſulam invaſit Minoricam, & Mahoni oppido in poteſtatem redacto, poſtquam omnia fœde devaſtavit, Guardianum Minorum, quia ſacras hoſtiarum particulas deglutivit, ne in infenſiſſimi Barbari poteſtatem venirent, trucidavit, occiſis inſuper fratre Bartholomæo Geneſtaro, & Franciſco Coll Conſodalibus. Mahoni Fratres trucidãtur a Turcis. *Mut. in hiſt. Major. l. 10. c. 2.*

X. Iteratis Comitiis Patres Capuccini hoc anno Bernardinum Aſtenſem in Vicarium Generalem reeligunt, reclamante tamen vehementer Ludovico Foroſemproniano, cujus paſſionem lenire non poterat Joannes Dominicus Epiſcopus Portuenſis, Cardinalis Tranenſis communiter nuncupatus, qui Capitulo præfederat, neque noviter electi aut Conſratrum repetitæ humileſque deprecationes. Egit itaque Cardinalis, ut Bernardini electio, & Ludovici a Fratribus decreta expulſio, Pontificis litteris, quas exſcripſit Boverius, confirmarentur. Porro pro decidendis controverſiis inter Obſervantes & Capuccinos, diu ardenterque agitatis, deſtinavit Pontifex Cardinales ſex, ex quibus quinque cum in unionem utriuſque Sodalitii a Miniſtro Generali Obſervantum ſub æquis conditionibus propoſitam, propenderent, ſextus Cardinalis Sanſeverinus prævaluit, ne fieret, impetravitque ſequentem Bullam in confirmationem firmiorem ſtatus Capuccinorum, inſertis etiam aliis, quæ in hunc finem collimant. Capit. Gener. Capuccinorum.

Ad perpetuam rei memoriam.

XI. *EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Vicarius modernus, & Fratres Ordinis Minorum, Capuccinorum nuncupatorum, quod poſtquam felicis recordationis Clementi Papæ VII. prædeceſſori noſtro, pro parte non-* *Bover. n. 31.* Narratur ortus & progreſſus Capuccinorum.

nonnullorum tunc expreſſorum Fratrum Ordinis Minorum expoſitum fuerat, quod olim fervore ſerviendi Altiſſimo ducti, Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum ingreſſi, in ea profeſſionem emiſſi, per certum tempus permanſerunt, & deinde de licentia ſuorum tunc Superiorum, juxta formam litterarum Apoſtolicarum ſuper unione & concordia inter prædictos Fratres & Conventuales nuncupatos, Fratres dicti Ordinis, edita, confectarum, ad ipſorum Fratrum conſortium ſe tranſtulerunt, & a tunc Magiſtro Provinciali provinciæ Marchiæ dictorum Fratrum Conventualium ejuſdem Provinciæ numero & conſortio aggregati fuerunt. Et deinde, deſiderantibus illis pro animarum ſuarum ſalute, ad Dei gloriam, eremiticam vitam ducere, & quantum humana patitur fragilitas, Regulam B. Franciſci obſervare, dictus Magiſter Provincialis licentiam ad Romanam Curiam accedendi, & a Clemente VII. prædeceſſore noſtro, ac Sede Apoſtolica, quæcumque ad animarum ſuarum ſalutem, ac Dei gloriam opportuna illis viderentur, petendi & impetrandi conceſſit. Ac etiam dilectus filius Andreas tituli ſanctæ Priſcæ, Presbyter Cardinalis, dicti Ordinis Protector, illis ut ſimilem impetrationem faceret, ita tamen, quod unus ex illorum conſortio omnium nomine Magiſtro Provinciali, ſeu Capitulo Provinciæ dictorum Fratrum Conventualium, in qua habitarent, ſingulis annis ſe præſentare in ſignum ſubjectionis teneretur; & ipſe Magiſter, ſi ſibi videretur, ſemel in anno, & non ultra illos viſitare, & ſi inveniret eos Regulam prædictam non obſervare, ad eam plenius obſervandam illos admonere, ac debitis modis compellere poſſet. Præter hæc autem, nec illos de loco ad locum transferre, nec aliquid aliud illis injungere, aut ab illis exigere valeret; ſed potius illos tueri & defendere teneretur, ut in pace poſſent Altiſſimo in Divinis famulari, prout in litteris patentibus eorumdem Cardinalis Protectoris, & Magiſtri Provincialis deſuper confectis, plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, litterarum prædictarum vigore nonnulli Clerici ſeculares & regulares, ac laici ab ipſis Fratribus, ut præfertur, nom natis, vel uno ex eis, ac ab aliis de ipſorum commiſſione receptis, Congregationem Fratrum Ordinis Minorum, Capuccinorum nuncupatorum conſtituerint, ipſique Fratres cupiant litteras prædictas, quoad infrascripta confirmari & extendi; & propterea nobis humiliter ſupplicari fecerint, ut hujuſmodi eorum votis annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos attendentes uberes fructus, quos Ordo ipſe Minorum in agro militantis Eccleſiæ hactenus produxit, & in poſterum producturum ſpe firma ſperamus, ac dignum cenſentes, ut circa ea, quæ ipſius Ordinis incrementum concernunt, benignos favores impendamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, litteras Clementis prædeceſſoris hujuſmodi, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, auctoritate Apoſtolica, ex certa noſtra ſcientia, per præſentes approbantes & confirmantes, illas dilecto filio moderno & pro tempore exiſtenti Vicario Generali Congregationis Capuccinorum hujuſmodi, ac ipſius Congregationis Fratribus, perinde ac ſi illæ eiſdem Congregationi & Fratribus directæ fuiſſent, quoad omnia & ſingula in ipſis litteris contenta ſuffragari debere decernimus. Et nihilominus auctoritate & ſcientia ſimilibus, per eaſdem præſentes ſtatuimus & ordinamus, quod deinceps Vicarius Generalis ipſorum Fratrum Capuccinorum circa finem triennii, ex quo ad officium Vicariatus hujuſmodi electus fuerit, vel etiam prius aut poſterius, juxta præfatæ Regulæ tenorem, ac ipſorum Fratrum laudabiles conſtitutiones, Vicarios, Diſcretos & Cuſtodes, vocem Congregationis habentes, quarumlibet Provinciarum & Cuſtodiarum ſibi ſubjectarum, in locum per ipſum Vicarium Ge-

Confirmatur eorum ſtatus.

Generalem deputandum, ad Capitulum convocare poſſit: quorum ſi qui legitimo impedimento detenti, ipſi Capitulo intereſſe non potuerint, per nuncios ab eis deputatos, vel ſuppletis votis eorum, juxta ipſorum conſuetudinem, præſentia ſuppleatur. Qui ſic congregati, omnia & ſingula, quæ alii dicti Ordinis Fratres in eorum Generali Capitulo de jure vel conſuetudine, & ex privilegiis poſſunt, faciendi, ordinandi & diſponendi, & potiſſime eligendi unum Religioſum ejuſdem Ordinis & Congregationis in eorum ſimilem Vicarium Generalem facultatem habeant. Et ipſius Vicarii electionem, ſi a majori parte eligentium celebretur, quamprimum commode fieri poterit, Generali Magiſtro dictorum Fratrum, Conventualium nuncupatorum, ſicut hactenus ſervatum fuit, donec aliud deſuper ordinatum a Sede Apoſtolica fuerit, præſentent, ſeu præſentari faciant. Ipſeque Generalis Magiſter intra triduum a præſentatione ſibi facta, electum Vicarium confirmare teneatur, concedendo ei, & committendo plenarie vices ſuas; tribuendo videlicet liberam poteſtatem & auctoritatem, ac omnimodam facultatem ſuam ſuper omnes & ſingulos Fratres ejuſdem Ordinis, Capuccinos nuncupatos, etiamſi alio quovis nomine nuncupentur, tam in capitibus, quam in membris, publice ac privatim viſitandi Congregationes in Provinciis ac Cuſtodiis omnibus eis ſubjectis, ſive pro electione Vicariorum, Diſcretorum, Cuſtodum, & Guardianorum, ſive pro aliis utilibus negotiis, faciendi ſeu fieri faciendi nova loca, Conventus ſeu Eremitoria recipiendi, Fratres ſubditos corrigendi & puniendi, excommunicandi & abſolvendi, incarcerandi & a carceribus liberandi, contradictores ac rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris, ac dicti Ordinis remedia, etiam per invocationem brachii ſeecularis vel Eccleſiaſtici, ſi opus fuerit, compeſcendi, ac generaliter, ſpecialiterque omnia & ſingula circa Fratres, Conventus, domos, loca & Eremitoria hujuſmodi faciendi, exercendi & diſponendi, ordinandi, adminiſtrandi, ac ſtatuendi, quæ Generalis Magiſter dicti Ordinis circa Fratres, Conventus, domos, loca, & Eremitoria Fratrum, Conventualium nuncupatorum facere poſſet, ſi perſonaliter adeſſet vel intereſſet. Ac eaſdem auctoritatem, poteſtatem, gratiam & facultates per ipſum Magiſtrum Generalem eidem Vicario Generali conceſſas, vel earum partem, aliis Fratribus, quos ad hæc judicaverit idoneos, committendi & concedendi, necnon per ipſos prædicti Vicarii Commiſſarios committi & concedi faciendi. Et triduo elapſo, & electo non confirmato, idem electus pro confirmato Sedis Apoſtolicæ auctoritate, cum plenaria poteſtate hujuſmodi, uſque ad Succeſſoris electionem habeatur, & infra hoc tempus officio ſuo ſine ſcitu omnium Vicariorum & Diſcretorum Provincialium, aut majoris partis eorumdem renunciare nequeat. Poſſit tamen convocare omnes Vicarios & Diſcretos ſibi ſubjectos infra tempus officii ſui in loco per ipſum deputando, quoties ſibi opus viſum fuerit. Si vero Generalis Vicarius infra officii ſui tempus ex hac luce migraverit, ſeu alias ab officio amotus fuerit, Vicarius, in cujus Provincia mori contigerit, nunciet quam citius poterit, omnibus Definitoribus Capituli Generalis immediate præcedentis, & omnibus Vicariis Provincialibus, ac de conſilio atque conſenſu duorum Vicariorum proximorum determinet locum & tempus, niſi fuiſſent per Generale Capitulum, vel per prædictum Vicarium ante obitum ipſius, ac amotionem deputata. Et convocet, qui fuerint evocandi, pro ſucceſſoris Vicarii electione celebranda: quo vacationis tempore, auctoritate Sedis prædictæ exerceat officium Vicariatus hujuſmodi primus Definitorum prædictorum, vel ipſo deficiente, ſecundus, & ſic de aliis ſucceſſive, cum plenaria poteſtate præmiſſa. Et hoc idem cenſeatur de Vicariis Provincialibus, cum eis mori vel amoveri contige-

rit ... ac Provincias regi ac gubernari per primum, ac alios Definitores ſucceſſive Capituli Provincialis immediate præcedentis, prout ſupra de Vicario Generali ſtatutum extitit, ſalva ſemper & reſervata prædicti Vicarii Generalis, ut præmittitur, poteſtate. Generalis vero tam Magiſter prædictus, quam Miniſter Ordinis Minorum hujuſmodi, aut quiſpiam Miniſtrorum ſeu Magiſtrorum Provincialium, ſeu aliorum Fratrum dicti Ordinis tam Conventualium, quam de familia, ſive de Obſervantia nuncupatorum, donec aliter per Sedem Apoſtolicam ordinatum fuerit, prædicto Vicario Generali, ſeu ceteris Vicariis, vel cuipiam frutri ejaſdem Congregationis nuncupatis, moleſtiam ſeu impedimentum aliquod inferre non audeat nec præſumat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, privationis officii, omniumque actuum legitimorum: niſi quod præfatus Magiſter Generalis, donec aliter per dictam Sedem ordinatum fuerit, per ſe dumtaxat perſonaliter viſitare & corrigere poſſit & valeat prædictum Vicarium Generalem, ſeu Fratres, domum, locum, & eremitorium eorumdem Fratrum, Capuccinorum nuncupatorum, pie, benigne & curitative ad meliorem frugem revocando. Et ſi quempiam, quod abſit, repererit criminoſum, ipſum Vicarium de conſilio & aſſenſu majoris partis Vicariorum præmiſſorum, ceteros vero de conſilio & aſſenſu majoris & ſanioris partis Fratrum domus, eremitorii, loci vel Conventus viſitatorum, in eodem loco, & non extra corrigere valeat & punire, pœnitentiare ac emendare, ſecundam quod delicti qualitas exegerit faciendum. De regimine vero nec cura prædictorum Fratrum, Capuccinorum nuncupatorum, ſe aliter non intromittat. Diſtrictius inhibentes quibuſcumque perſonis, cujuſcumque conditionis exiſtant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo incurrenda, ne habitum per eos deferri ſolitum, niſi ſub dicti Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis obedientia & cura permaneant, geſtare quoquo modo præſumant. Inſuper veſtigiis piæ mem. Pii Papæ II. etiam prædeceſſoris noſtri, in hac parte inhærendo, qui alias ex certis cauſis auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia in favorem familiæ de Obſervantia interpetratus eſt ac declaravit, quod cum Apoſtolica Sedes Generalem totius Ordinis Minorum, Miniſtrum Generalem, & Provinciales Vicarios Miniſtrorum loco, certis, piis ac ſanctis reſpectibus eſſe voluiſſet ac decreviſſet; Vicarii ipſi, qui illis præeſſent, & quibus ipſi ex debito eorum profeſſionis obedient, & veri & indubitati ipſorum miniſtri, cum tales beatus Franciſcus dicti Ordinis Inſtitutor, eos eſſe intellexiſſet, quoadusque præfata Sedes, in cujus arbitrio conſiſtebat, aliud alio reſpectu ordinare ſtatuiſſet, eſſent, ac perpetuo forent, differentes a prædictis Miniſtris ſolo nomine, eoſque qui dictis Vicariis obedirent, ſecundum dictæ ſedis determinationem, eorum Regulæ, & præcipue in ea parte, ubi erat: Præcipio firmiter Fratribus univerſis, ut obediant ſuis Miniſtris, *plene & integre ſatisfacere: auctoritate nc ſcientia prædictis declaramus ac decernimus, quod donec aliter ſuper præmiſſis per præfatam Sedem ordinatum fuerit, Fratres Capuccini prædicti eorum Vicariis, prout de Vicariis familiæ per dictum Pium prædeceſſorem, ut præfertur, ſtatutum fuerat, obediendo, plene ac integre præfatæ Regulæ ſatisfaciant. Quocirca univerſis ac ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, necnon dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, ac aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios præſentes litteras, ac in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, nc quotiès pro parte Vicariorum & Fratrum Capuccinorum prædictorum, ſive alicujus eorum fuerint deſuper requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis effica-*

ficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes litteras, ac in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ac ſingulos, quos præſentes concernunt, illis pacifice gaudere: non permittentes eos deſuper, per quoſcumque contra præſentium tenorem quomodolibet moleſtari, inquietari ſeu perturbari. Contradictores quoslibet ac rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac cenſuras & pœnas ipſas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dictis, ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon quibuſvis privilegiis ac indultis Apoſtolicis, ſub quibuſvis tenoribus ac formis, cum quibuſvis clauſulis ac decretis, quæ adverſus præmiſſa nullatenus ſuffragari volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Canonici alicujus Cathedralis Eccleſiæ munitis, eadem fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MDXXXVI. VIII. *Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri an.* II.

XII. Moritur hoc anno Bernardinus Georgius Calaber, Rhegio oriundus, de quo jam dictum eſt, poſtquam paulo plus uno anno Vicarii provinciæ Calabriæ functus eſt officio. Adoleſcens Franciſcum Lychetum audivit, deinde abiit Lutetiam, ubi magnos fecit in litteris progreſſus. Ante annos quatuor ab Obſervantibus ad Capuccinos profectus, ſtrictiori inhiavit Regulæ obſervantiæ, aucta corporis maceratione. In concionibus vehementi ferebatur ſtudio ſalutis animarum: quare omiſſis, quibus prius delectabatur, floſculis rethoricis, ea dumtaxat proponebat, quæ diſtortas hominum mentes flectere, aut rectas ad altiora poſſent elevare. Aliquando inter prædicandum ventura prædicebat. Catanæ incendium, & Rhegii devaſtationem prænunciavit. Illud accidit Ætnæ ignibus anno MDXXXVII. hæc anno MDXLIII. per Caradinum Turcam, Solymanicæ claſſis præfectum, qui urbem pene ad rudera uſque deſtruxit. Tanto illuſtrabatur cœleſti lumine, ut cordis arcana, occultaſque hominum cogitationes penetraret: neque tamen ſuis carebat tentationibus, & mentis afflictionibus, quibus eum Satanas impetebat, quæ tamdem Chriſti aſpectu & monitis evanuerunt. Prænunciato mortis die, viſoque ſub mortem Chriſto, Fratres ad pietatem & Regulæ obſervantiam adhortatus, Romæ obdormivit in Domino anno ætatis ſexageſimo nono. Sepultus in clauſtro, poſt aliquot annos repertus eſt ita ſanus & incorruptus, quaſi pridie illius diei fuiſſet tumulatus.

Moritur Bernardinus Georgius. *An.* 1535. *æ.* 70.

XIII. Hoc anno ſive ſequenti, Eccleſia parochialis ſancti Bartholomæi in inſula Licaonia ſeu Tiberina in Urbe, quam libere reſignavit in manus Pontificis Baptiſta Palavicinus, ejuſdem Eccleſiæ Rector, pervenit in poteſtatem Fratrum Obſervantum, olim Clarenorum, provinciæ ſancti Hieronymi, relicta eis cura animarum, quæ præerat, exercenda per Presbyterum ſecularem, ad Fratrum nutum ponendum & amovendum: *Sacri Apoſtolatus miniſterio*. die IX. Martii. Ædificarunt itaque Fratres propinquum Monaſterium plurimorum Religioſorum capaciſſimum, & tamdem obtinue-

Conv. S. Bartholomæi in Urbe.

runt, ut per ſemetipſos curam illam exercerent animarum. Templum corporibus ſancti Bartholomæi Apoſtoli, quod Benevento huc Otho II. Imperator advexit, licet quidam inutiliter emiſſo libro voluerit refragari, ſanctorum Paulini Epiſcopi Nolani, Alberti Confeſſoris, Marcellini, & Superantii Martyrum, atque ampliſſimis per multos Pontifices conceſſis Indulgentiis eſt celeberrimum, & per integros dies Octavæ ſancti Bartholomæi magno populi concurſu frequentatur. Templi frontem & laquearia reſtauravit, ac pulchre ornavit, adhibitis etiam in circuitu ſepulcri Apoſtolici multis lampadibus argenteis, Gabriel Cardinalis de Trejo, ejuſdem Eccleſiæ titularis, mihi, dum vixit, colendiſſimus, cujus beneficæ benevolentiæ plurimum etiamnum me debere profiteor.

Conv. Colognolæ.

XIV. Pia fœmina Conſtantia Antonii, vidua Franciſci de Caſa veteri, dedit Fratribus provinciæ Florentinæ quamdam domum & terras cum quibuſdam hortis & ſilvis, poſitas in loco dicto Colognolæ, Feſulanæ diœceſis, ut inibi Cœnobium conſtruerent. Facultatem ita faciendi hoc anno conceſſit Paulus Pontifex: *Exponi nobis*. die XIX. Januarii. Patres Conventuales locum parvum adepti ſunt appellatum Franciſontis, ſub titulo ſancti Franciſci.

Conven. Franciſontis. *Rod. fol. 282.*

XV. In urbe Alcodiæ apud Baleares, hoc anno conſtructus eſt Conventus communi ære ſub titulo ſanctæ Mariæ de Jeſu. Eum acceptavit vir optimus, omni virtutum genere præditus, frater Joannes Creſpius, provinciæ Majoricarum inſignis alumnus. In Popayana, Americæ provincia, urbs eſt hujus nominis inſignis, a Sebaſtiano Belalcazaro, ejuſdem provinciæ primum expugnatore, mox gubernatore conſtructa. Sita eſt ad altitudinem duorum graduum, & triginta ſcrupulorum ab Æquatore verſus Septentrionem. Intra hujus urbis mœnia ſtatim ubi conſurgere cœpit, ædificatus eſt Conventus ſancti Bernardini, cui adnexæ ſunt binæ doctrinales ædes, nempe ſancti Antonii oppidi Chiſquiorum, & ſancti Lucæ Evangeliſtæ oppidi Coccunucorum.

Conv. Alcodiæ. *Gonz. in Provin. Major. Conv. 7.*

Conv. Papayanæ. *Idem in Provin. S. Franciſci de Quito Conv. 5.*

Binæ domus doctrinales.

XVI. Diximus anno præcedenti, conceſſam fuiſſe facultatem Miniſtro & Fratribus provinciæ ſancti Ludovici, prope Tolonis urbem in Provincia, ad locum de Oriolis, ſive Olleolis conſtruendi Conventum. Hoc anno inceptus eſt, ſed impedita poſtea ſtructura propter varios caſus, anno MDLXXXI. completus eſt ſub titulis beatæ Mariæ de Pace, & ſancti Franciſci, Miniſtro fratre Nicolao Bermudo. Eccleſiam conſecravit Epiſcopus Maſſilienſis, aſſentiente Tolonenſi. Reſurmatus de hoc anno Conventus Clonmelienſis in Hibernia.

Conv. Oriolenſis. *Idem in Provin. S. Lud. Conv. 25.*

Reformatur Cõventus Clonmelienſis.

XVII. Intra Civitatis Caſtellanæ mœnia, hoc anno, urbis ære communi Monaſterium amplum Clariſſis conſtructum eſt, & reliquis provinciæ ſancti Franciſci ſacrarum Virginum domibus aggregatum per fratrem Laurentium Eugubinum: necnon alterum eadem in urbe pro Tertii Ordinis Virginibus. Tertium fabricatum eſt in urbe Auximana, ſub invocatione ſancti Nicolai, vocatis primis Magiſtris ex Monaſteriis Anconitano & Piſaurenſi. Magnum in numerum Sororum crevit hoc Aſceterium.

Monaſt. Civitatis Caſtellanæ. Domus Sororum Tertii Ord. ibidem. *Idem in Provin. S. Franc. Mon. 4 & 5.* Monaſt. Auximanum. *Idem in Provin. March. Mon. 6.*

XVIII. In magno illo Luſitaniæ emporio, urbe Ulyſſiponenſi, anno MOXXXI. illuſtris fœmina Eliſabetha a Mendonha, vidua Joannis Meneſii, Præfecti olim fortiſſimi apud Afros munimenti, portus Rubii, ſive Azamori, pulchrum & commodum extruere cœpit Clariſſis Monaſterium, ſub invocatione Dominæ noſtræ de Spe, quod tamen hoc anno alia pia heroina Joanna Deza, Catarinæ Reginæ Portugalliæ cubicularia abſolvit. Impetravit autem ut primæ fundatrices & magiſtræ haberentur ex Monaſterio Clariſſa-

Monaſterium Spei Ulliſſippone. *Idem in Provin. Portug. Mon. 2.*

riſſarum Inſulæ Lignorum, de quo ſuo dictum eſt loco. Harum auſpiciis tot progreſſus ſacra hæc ædes in diſciplina fecit monaſtica, ut plures Virgines virtute produxerit illuſtres, præſertim ſororem Agnetem incomparabili humilitate, patientia & caritate præditam, primam hujus loci Abbatiſſam, cujus ſepulcrum Angelico apertum eſt miniſterio: & Annam a Conceptione, natalibus nobilem, virtutibus nobiliorem. Curſum feliciter in ipſa conſummavit juventa, traducta vita univerſa in aſſidua oratione, jejunio & corporis maceretione.

Tom. 14. Anno 1476. n. 61. & 1491. n. 81.

Agnes N.

Anna a Conceptione.

XIX. Ad Turres novas in eodem Luſitaniæ Regno, oppidum frequens & opulentum, alterum Monaſterium Tertii Ordinis incepit pia quædam fœmina Tertii etiam Inſtituti ſancti Dominici, quæ aſſumpto habitu Franciſcano cum aliis ejuſdem voti, ſub titulo ſancti Spiritus ædiculam ad perfectum deduxerunt, & ſubjecerunt regimini Didaci ab Andrada Tertiariorum Regni Portugalliæ Miniſtri. Tamdem vero ad curam Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ ſub fratre Chriſtophoro de Abrantes Commiſſario in Regno Portugalliæ translatæ ſunt. Hic obiit Helena a Latere, in qua virtus in perferendis tribulationibus, infirmitatibus, aliiſque anguſtiis, maxime vero in adverſa valetudine, ſummopere enituit. Poſt ſæpiſſime repetita illa verba, *omnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*, animam Deo piiſſime reddidit. Corpus exanime magna luce & candore reſperſum, ſuavem ſpiravit odorem.

Domus Turrium novarum. *Eadem Mon. ſ. 18.*

Helena a Latere.

XX. De duobus Monaſteriis Clariſſarum Catanenſibus alias egimus, quorum origines erant nobis incompertæ. Secundi hoc anno fuiſſe exordium habemus ex Ordinis regeſto, ubi refertur, die XV. Julii obtentum eſſe Breve Apoſtolicum pro conſtruendo Monaſterio Clariſſarum in illa Civitate: & Breve alterum die XVII. ejuſdem menſis directum Theſaurario, & Cantori Eccleſiæ Catanenſis, ut ex alio quoquo Monaſterio Clariſſarum, quatuor eligerent Sorores, quæ huic inchoando & fundando deſervirent.

Tom. 12. Anno 1449. n. 55. Monaſteriú Catanenſe. *Reg. Cifm. fol. 76.*

XXI. Pleraque hoc anno Pontifex conceſſit Fratribus privilegia. Declaravit licere, ut in eorum Eccleſiis poſſent fideles Sacramentum accipere Euchariſtiæ per totum anni decurſum, præterquam in die Paſchatis: *Romanum Pontificem*, die XVII. Auguſti. Rogantibus Fratribus provinciæ ſancti Bernardini, juſſit ut omnino tolleretur ab Eccleſia domus S. Mariæ Gratiarum extra muros urbis Aprutinæ conſtructæ capſa pecuniaria: *Exponi nobis*. die XXX. Martii. Indulſit Sororibus Monaſterii S. Claudii Fulginatenſis, ne eogerentur ad ulla onera exactionum ſubeunda: *Cum ſicut nobis*. die XIV. Maii. Idipſum conceſſit Clariſſis Cuſentinis. Confraternitatis ſanctiſſimæ Conceptionis Virginis Mariæ in Hiſpaniarum regnis inſtitutæ Conſodalibus, necnon Confratribus ſanctæ Crucis, ſeu Inſtituti Diſciplinatorum magnas conceſſit Indulgentias, vivæ vocis oraculo facto Franciſco Quiñonio Cardinali ſanctæ Crucis, cujus ille perhibet teſtimonium: *Franciſcus miſeratione Divina*. die VII. Januarii. Monialibus ſanctæ Claræ conceſſit, ut jejunium Adventus incipiant a feſto ſancti Andreæ, & quod ſex perſonæ intrare poſſint clauſtra Monaſterii ad ſepeliendas Sorores deſunctas: *Franciſcus miſeratione Divina*. die XX. Martii.

Privilegia Pontificia.

AR-

ARGUMENTUM.

Per novas Indiarum provincias Minoritæ fidem disseminant. Ubique magnam populorum multitudinem baptizant. Quibus ritibus in tanta ministrorum inopia id fieri debuerit, Pontifex definit, & Indos sacramentorum capaces esse decernit. Ab Henrico VIII. mortes & exilium ob fidei causam plerique Minorum patiuntur in Anglia. Aliis in locis multi pie ex hoc seculo decedunt. Controversias Observantum, & Capuccinorum Pontifex studet componere. Matthæus a Bassio ad Observantes regreditur. Conventuales Comitia celebrant Generalia. Instituuntur Episcopi. Construuntur Cœnobia.

Torrecr. lib. 19. c. 22.

I. Est tantæ messi, quantam præbebat vastissima illa provincia Mexicana, pauci suppetebant operarii, attamen Antonius Civitatensis, ut primum electus est hoc anno Minister provinciæ sancti Evangelii, destinavit ad oras maritimas Septentrionales Consodales quinque, qui superatis laboribus & difficultatibus quamplurimis, Christi fidem indefesse docuerunt & propagarunt per vastissimas provincias Huatzaqualci, Tabasci, & Xicalanci, penetrantes per vias arduas & difficiles usque ad Champatonum, consumptis in hac fructifera missione annis duobus.

Minores disseminant fidem in partibus Septentrionalibus Indiarum.

Et in Provincia Fluvii argentei.

II. Hoc etiam anno Carolus V. misso ad illam regionem, quæ Fluvius argenti (vulgo *Rio de la plata*) vocatur, ex nobili flumine illam copiose alluente, Alphonso de Cabrera cum duabus navibus, & Antonio Lopez de Aguiar cum altera armamentaria, rebusque subsidiariis, ut opem ferrent iis pauculis Hispanis, qui regionem illam suo subjugabant imperio, misit etiam Franciscanos quinque vel sex, qui gentem barbaram ad fidei Christi notitiam perducerent, data abundanti suppellectile Ecclesiastica, additisque rebus necessariis. Audito vero ingenti profectu juvenum in Collegio Mexicano, Minoritarum curæ commisso, de quo diximus anno præcedenti, impense illius patrocinium & incrementum commendavit etiam hoc anno Antonio Mendozio, Mexicano Proregi.

Num. 5.

III. In tanta vero messe, & operariorum paucitate, quanta erat cum primi missi sunt Franciscani ad provincias Mexicanas, ut vitæ pietate, ac doctrinæ efficacia numerosissimas urbes & oppida ad fidem attraherent Christianam, diximus superius non potuisse omnibus baptismum conferri ea solemnitate, quam præscribunt libri Rituales Romani, & Catholicæ gentis Europeæ fert consuetudo. Etenim præterquamquod in ipsa Mexicana urbe, omnium præstantissima, magno servore ad fidem & sacrum baptismum accedebant cives, vicini etiam populi illuc confluebant, ut ejusdem gratiæ fierent participes. Deinde in nationum primariis urbibus, ad quas majori conversionis compendio, & gentis commoditati Fratres ex Mexicana prodibant, ea congregabantur multitudine, ut neque tempus neque vires tam morosо sufficerent baptismati. In Mexicano & oppidis ac villis in circuitu positis, Xuchimilco, Tlalmanalco, Chalco, Quauhltahuac, Yacapichlta, Quauhquechula, & Chietle, ultra unam myriadem, baptizarunt primi illi gentium Doctores Minoritæ. In Tetzcuco, Otumpano, Tepepulco, Tulantziuco, Quauhtitlano, Tulla, & Xilotepeto, alterum non imparem numerum. In Tlaxcalla, Cholulla, Huexotzinao, Calpano, Tepeyacac, Tehuacan, Tacatlan, Hueytlalpan, cum adjectis provinciis, aliam myriadem. Et ne prolixior molestiorque sim in referendis ignotis, barbarisque nominibus, in aliis illius regionis partibus plus quam tres myriades sacro ablue-

An. præc. n. 4.

Gentem innumeram baptizarunt.

abluerunt lavacro ; ita ut ab illnrum ad Indias acceſſu uſque ad annum MDXXXIX. ferme ſeptem infidelium milliones, hoc beneficio omnium maximo, Sacerdotes Minoritæ ſexaginta pauln plus minuſve, Chriſti Eccleſiæ aggregarint.

IV. Hoc autem modn tantæ fiebat ſatis multitndini. Cnngregatis in ampliſſima area baptizandis, & per ſuas claſſes diſtinctis, miniſtri incipiebant ab infantibus, qunrum tribus aut quatuor baptiſmus complete conſerebatur, ritu & cæremoniis Rnmanis. Deinde reliqui aquis intingebantur, ſola adbibita forma ſacramenti. Mnx fœminis, deinde viris, eodem modo ex ſingulis ordinibus baptizatis ternis aut quaternis, miniſtrabatur ſacramentum, aqua in verticibus effuſa. Omnibus maſculis unn eodemque die baptizatis Imponebatur nomen *Joannis*, fœminis *Mariæ*. Qui alin die baptizabantur, *Petri* accipiebant nnmen, mulieres *Catarinæ*, & ſic per ſingulos dies nomina variabant miniſtri Evangelici, habita præſertim ratione & delectu Sanctorum, quorum natalia diebus illis colebantur. Tnt conveniebant aliquando baptizandnrum millia, ut integro die, aliiſque ſequentibus continun laborandum fuerit, & miniſtrnrum vires defecerint, ac feſſn brachio uno, altero ſubvenire nportuerit; atque ita frequenter utriuſque brachii vices alternare. Quibus ritibus.

V. Fuerunt tamen, qui laborem hunc improbarent, & miniſtrandi Sacramenti modum incuſarent. Cnntendebant enim nonniſi adhibitis cunctis Eccleſiaſticis cæremoniis ſalis, ſalivæ, candelæ, chriſmatis, aliiſque hujuſmodi baptizari debere infantes, & adultos nonniſi Sabbatis Reſurrectionis & Pentecoſtes. Franciſcani, qui primi fuerunt tantæ converſionis & ablutionis miniſtri, dicebant in tanta cnnverſorum multitudine, hæc adamuſſim obſervari non poſſe, & proinde cæremonialia nmitti pnſſe licere, ut eſſentialia pluribus applicarentur. Addebant in ſnla Xuchimilci urbe baptizatns fuiſſe uno eodemque die a binis Minoritis quindecies mille homines, quibus per tot titns initiandis, neque tempus, neque chriſma ſufficere poſſe; ſed neque miniſtris tantam effluere ſalivam, etſi ad ſingulas horas epotarent. Attamen eo proceſſit contentionis ſtudium, ut neque priſca exorientis Eccleſiæ baptiſmata abſque bujuſmodi ritibus collata, quæ *aſperſionis* nnmine Tertullianus expreſſit, neque exempla Petri Apoſtnli, neque Pauli & Barnabæ, neque aliorum Apnſtolnrum, qui per nationes & regna circuibant, aqua dumtaxat & verbis abluentes; neque Philippi Diaconi, qui Candacis Reginæ Eunuchum ſimpliciter intinxit, neque Maurorum Granatenſium aut Valentinorum, de quibus alias dictum eſt, feſtina & compendioſa initiatio, ſufficerent, ut a cnntroverſiis, altercationibus & ferendis cenſuris abſtinerent, qui majeſtate non ſimplicitate commendari Sacramentum, qui cæremoniis ornari nnn ſpoliari cupiebant. Et quidem tanta fuit inter miniſtros de hac re diſputatio, ut decernendæ plurima fuerit in Indiis cnnſultatio, mnx in Academiis Salmanticenſi & Complutenſi, demum Romæ a Paulo Pontifice hæc prodierit conſtitutio, quæ regenerationis modum a Franciſcanis eatenus obſervatum admittit; quid in poſterum faciendum ſit, præſcribit; & quæ circa matrimnnia, jejunia, dies feſtivos colendos, & caſus Apoſtolicæ Sedi reſervatns tenendum ſit, diſtincte pronunciat. An liceat baptizare abſque conſueta ſolemnitate.

Tertul. de panit. c. 6.

Act. 8. 38.

Vide To. 15. an. 1499. n. 8. ſeqq. Et ſupra Anno 1534. n. 69.

PAU-

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Venerabilibus Fratribus univerſis Epiſcopis Occidentalis & Meridionalis Indiæ, ſalutem &c.

Ex reg. Ordin.

VI. *Altitudo Divini conſilii, quod humana nequit ratio comprehendere, ex ſuæ immenſæ bonitatis eſſentia, aliquid ſemper ad humani generis ſalutem pallulant, tempore congruo, & ſoli ſuo ſecreto miniſterio, quod ipſe Deus novit, opportuno, producit & manifeſtat, ut cognoſcant mortales ex ſuis meritis, tamquam ab ipſis, nihil proficere poſſe, ſed eorum ſalutem, & omne donum gratiæ ab ipſo ſummo Deo, & Patre luminum provenire. Sane, cum, ſicut non ſine grandi & ſpirituali mentis noſtræ lætitia accepimus, plures incolæ Occidentalis Indiæ, licet Divinæ ſint legis expertes, ſancto Spiritu tamen cooperante illuſtrati, errores, quos hactenus obſervarunt, penitus ab eorum mentibus & cordibus abjecerint, ac fidei Catholicæ veritatem, & ſanctæ Eccleſiæ unitatem ampectli, & ſecundum ritum ejuſdem Romanæ Eccleſiæ vivere deſiderent & proponant. Nos, quibas omnes oves Divinitus ſunt commiſſæ, cupientes eas, quæ extra verum ovile, quod eſt Chriſtus, ſunt, ad ipſum ovile, ut fiat ex illis unus paſtor & unum ovile, perdacere, ac Sanctiſſimorum Apoſtolorum, qui nobis verbo & exemplo paſtoralis officii formam tradentes, naſcentis Eccleſiæ infantiam lacte, provectam vero ejus ætatem ſolido cibo natrierunt, veſtigiis inhærendo, novellas plantationes ipſius Eccleſiæ, quas in dicta Occidentali & Meridionali India Altiſſimus plantare dignatus eſt, ſic donec coaleſcant, ut non omnia, quæ per orbem Eccleſia jam firmata cuſtodit, illis cuſtodienda mandemus, ſed tamquam parvulis in Chriſto, aliqua paterno affectu indulgeamus, confovere. Ac circa eorum regenerationes, nonnulla, ut etiam accepimus, ſaborta dubia primitus ſubmovere volentes, matura ſuper hoc deliberatione præhabita, auctoritate Apoſtolica nobis ab ipſo Domino noſtro Jeſu Chriſto, per beatum Petrum, cui, & Succeſſoribus ſuis Apoſtolatus miniſterii diſpenſationem commiſit, tradita; tenore præſentium decernimus & declaramus, illos, qui Indos ad fidem Chriſti venientes, non adhibitis cæremoniis & ſolemnitatibus ab Eccleſia obſervatis, in nomine tamen ſanctiſſimæ Trinitatis baptizaverunt, non peccaſſe, cum conſideratis tunc occurrentibus, ſic illis bona ex cauſa putamus viſum fuiſſe expedire. Et ut hujuſmodi novellæ plantationes quantæ dignitatis lavacrum regenerationis, quantumque ab illis lavacris, quibus antea in ſua infidelitate utebantur, differat, non ignorent: Statuimus, ut qui in poſterum extra urgentem neceſſitatem ſacrum Baptiſma miniſtrabunt, ea obſervent, quæ a dicta Eccleſia obſervantur, oneratis ſuper tali neceſſitate conſcientiis eorum, extra quam quidem neceſſitatem ſaltem hæc quatuor obſerventur. Primum, aqua ſacris actionibus ſanctificetur: Secundum, Catechiſmus & Exoriſmus fiat ſingulis: Tertium, ſal, ſaliva, capillum & tandela ponatur duobus vel tribus pro omnibus utriuſque ſexus tunc baptizandis: Quartum, Chriſma ponatur in vertice capitis, & oleum Catechumenorum ponatur ſuper cor viri adulti, puerorum & puellarum. Adultis vero mulieribus ponatur in illa parte, quam ratio pudicitiæ demonſtrabit. Super eorum matrimoniis hoc obſervandum decernimus, ut qui ante converſionem plures juxta illorum morem habebant uxores, & non recordantur, quam primo acceperint, converſi ad fidem, unam ex illis accipiant, quam voluerint; & tuni*

Baptiſmus ſine ritibus ſolitis quando licitus?

Quid circà Indorum matrimonia?

eum ea matrimonium contrahant per verba de præſenti, ut moris eſt. Qui vero recordantur, quam primo acceperint, aliis dimiſſis, eam retineant. Ac eis concedimus, ut conjuncti etiam in tertio gradu tam conſanguinitatis, quam affinitatis non excludantur a matrimoniis contrahendis, donec huic ſanctæ Sedi ſuper hoc aliud viſum fuerit ſtatuendum. Et circa abſtinentiam ab illis ſuſcipiendam etiam ſtatuimus, quod in vigilia Nativitatis & Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & omnibus ſextis feriis Quadrageſimæ jejunare teneantur. Ceteros vero jejuniorum dies eorum beneplacito, propter novam ad fidem eorum converſionem permittimus. Ita quod jejunium repugnans ſanitati, vel non bene quadrans officio vel exercitio alicujus, non cenſeatur illi ab Eccleſia præceptum. Eiſque etiam concedimus, quod Quadrageſima, & aliis prohibitis anni temporibus, lacticiniis, ovis & carnibus, tunc temporis dumtaxat veſci poſſint, cum ceteris Chriſtianis ob aliquod ſanctum opus obeundum, ſimilibus cibis veſci poſſe a Sede Apoſtolica pro tempore fuerit conceſſum. Quid circa jejunia?

Dies autem in quibus eos volumus a ſervilibus operibus ceſſare, declaramus eſſe omnes dies Dominicos, ac Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, & Aſcenſionis, ac Corporis ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, necnon Nativitatis, Annunciationis, Purificationis & Aſſumptionis glorioſæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, ac ejuſdem beati Petri, & Pauli ejus Coapoſtoli. Ceteros vero dies feſtos ex cauſis ſupradictis illis indulgemus. Circa dies feſtivos.

Et inſuper conſiderantes maximam ipſius Indiæ Occidentalis & Meridionalis a Sede Apoſtolica diſtantiam, tam vobis, qui in partem Apoſtolicæ ſollicitudinis aſſumpti eſtis, quam iis quibus ſuper hoc vices veſtras auctoritate per Nos vobis ſuper hoc conceſſa ſpecialiter duxeritis committendas, omnes noviter converſos in quibuſcumque Sedi Apoſtolicæ reſervatis caſibus, etiam in litteris in die Cœnæ Domini legi conſuetis, nihil nobis de illorum abſolutionibus reſervantes, auctoritate Apoſtolica, injuncta eis pœnitentia ſalutari, in forma Eccleſiæ conſueta, prout prudentiæ veſtræ videbitur expedire, abſolvendi plenam & liberam ad dictæ Sedis beneplacitum facultatem concedimus. Circa caſus reſervatos.

Et poſtremo, ne in Chriſto parvuli, malis exemplis corrumpantur, quod aliquis apoſtata ad illas partes ſe conferre non præſumat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, a qua, niſi poſt ſuum iſtinc receſſum abſolvi nequeat, decernimus: vobis nihilominus injungentes, ut ipſos apoſtatas ex veſtris diœceſibus omnino expellatis & expellere ſatagatis, ne teneras in fide animas corrumpere & ſeducere poſſint. Et quia difficile foret præſentes litteras noſtras ad ſingula loca, ubi opus fuerit, deferri; volumus, & eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, quod ipſarum litterarum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Epiſcopi munitis, eadem fides prorſus in judicio & extra judicium adhibeatur, ſicuti adhiberetur originalibus litteris, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXXXVII. *Kalendis Junii, Pontificatus noſtri anno* III.

Bloſius. B. Motta.

VII. Aliam edidit hoc anno Paulus conſtitutionem contra eos, qui Indos, quos ſumma cura & pietate Miniſtri Evangelici ad fidem convertebant, incapaces dicebant Sacramentorum. Etenim quaſi rationis & mentis impotes, veluti bruta animalia ſuis deputantes obſequiis, miſerum in modum duris oneribus, & gravi premebant ſervitute. Ut vero hæc liberius facerent, rebuſque illorum juſte viderentur potiri, impediebant Religioſos viros, ne illis Sacramenta miniſtrarent, verbum Dei prædicarent, aut ad civi-

civilem vivendi rationem perducerent. Huic tyrannidi & inhumano modo cum hominibus agendi obviare volens Paulus, ita decrevit.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex reg. Ordin. Marci ultimo.

Veritas ipsa, quæ nec falli nec fallere potest, eum prædicatores fidei ad officium prædicationis destinaret, dixisse dignoscitur: Euntes docete omnes gentes. *Omnes dixit, absque omni delectu, eum omnes fidei disciplinæ capaces existant. Quod videns, & invidens ipsius humani generis æmulus, qui humanis operibus, ut pereant, semper adversatur, modum excogitavit hactenus inauditum, quo impediret, ne verbum Dei gentibus, ut salvæ fierent, prædicaretur, ac quosdam suos satellites commovit, qui suam cupiditatem adimplere cupientes, Occidentales & Meridionales Indos, & alias gentes, quæ temporibus istis ad nostram notitiam pervenerunt, sub prætextu, quod fidei Catholicæ expertes existant, uti bruta animalia illis servientia urgeant. Nos igitur, qui ejusdem Domini nostri vices, licet indigni, gerimus in terris, & oves gregis sui nobis commissas, quæ extra ejus ovile sunt, ad ipsum ovile toto nisu exquirimus, attendentes Indos ipsos, utpote veros homines, non solum Christianæ Fidei capaces existere, sed, ut nobis innotuit, ad fidem ipsam promptissime currere, ac volentes super his congruis remediis providere, prædictos Indos, & omnes alias gentes ad notitiam Christianorum in posterum deventuras, licet extra fidem existant, sua libertate, ac rerum suarum dominio privatos, seu privandos non esse, imo libertate & dominio hujusmodi uti & potiri & gaudere libere & licite posse, nec in servitutem redigi debere; ac quidquid secus fieri contigerit, irritum & inane, ipsosque Indos, & alias gentes verbi Dei prædicatione, & exemplo bonæ vitæ ad dictam fidem Christi invitandos fore, auctoritate Apostolica per præsentes literas decernimus & declaramus, non obstantibus præmissis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, anno* MDXXXVII. IV. *Nonas Junii, Pontificatus nostri anno* III.

An. 1535. n. 16. & 17. Sanderus de Schism. Anglic. l. 1. hoc anno. Observantes feralites infectatur Henricus VIII.

VIII. Diximus superius Regem Henricum in Anglia furentem in omnes, qui ejus insanæ libidini, & sacrilegis ausibus resistebant, crudeliter sæviisse, & præ ceteris Franciscanos observantinos odio habuisse, quia præ reliquis constantissime Pontificiam sustinebant auctoritatem, & lectissimæ fœminæ Catarinæ repudium, atque infames nuptias Bolenæ exprobrabant. Tenebantur autem in custodiis ab aliquot jam annis omnes hujus professionis viri, quorum nullus inventus est, qui Henrico adhæreret, vitamque illorum eo usque produxerat, sicuti antea notatum est, favor Thomæ Vrislæi, qui Regi erat a consiliis, hisque bonis Patribus addictissimus. Nunc autem cum eorum nullus adduci posset, ut voluntati Regiæ subscriberet, nec dubitaretur, quin eorum exemplo nonnulli alii constantiores fierent, propositum fuit Regi, ut aliquid tandem de eis statueret. Ille quamquam omnes perdere cuperet, tamen veritus infamiam, quod essent multi, aliquid etiam Vrislæi gratiæ tribuere volens; ex eis, qui remanserant, nam in carcere nonnulli diem suum obierant, delegit quosdam ad varia supplicia, ex quibus Antonium Brorbeum venerandum sacerdotem, tam Græce quam Hebraice excellenter doctum, ad XVI. Kalendas Augusti funiculo, quo cingebatur, strangulandum curavit; Thomam vero Belchiamum, virum etiam doctissimum, licet adhuc juvenem, fame enecavit in carcere Londinensi, qui *Nova Porta* dicitur, III. Nonas Augusti. Reverendus autem Pater Tho-

Thomas Cortus, generis etiam nobilitate conſpicuus, ſqualore carceris extinctus eſt VI. Kalendas Auguſti. Triginta vero & duo alii ejuſdem Ordinis Religioſi, bini & bini emittebantur catenis ferreis invicem colligati, ut in aliis Regni carceribus minori populi querela & murmuratione morerentur; atque hæc erat illa gratia, quam Henricus de Franciſcanis amico ſuo Vrislæo faciebat. Octo tamdem alii exularunt partim in Belgio, partim in Scotia.

IX. Inſignem autem Chriſti confeſſorem fratrem Joannem Foreſtum, ejuſdem Inſtituti virum ſanctiſſimum, quem ante biennium, diximus morti adjudicatum, propter ſuſceptam optimæ Reginæ Catarinæ, & Primatus Romani defenſionem, ſcripto de hoc argumento libro doctiſſimo, iuitaque cum Hugone Latimero Epiſcopo Lutherano publica diſputatione, Henricus Rex, & Thomas Cromuelus tanti tyranni dignus vicarius, majoribus voluerunt cruciatibus in cœlum emittere. Unde ad X. Kalendas Junii in campum Fabrum Londini eductus, ad furcas duas, duabus catenis ad brachia colligatis attollebatur, ſuppoſitoque lento ad pedes igne, miſerabili ſpectaculo, ad mortem uſque crudeliſſime torquebatur. In cujus etiam inſigniorem contumeliam, imaginem quamdam, ſeu ſtatuam ligneam magnæ molis, ex Wallia allatam, eo quod nimio populi concurſu celebrari dicebatur, una cum illo comburendam curarunt. Poſtremo, ne quidquam eorum ſævitiæ in hunc ſanctum Chriſti martyrem deeſſet, variis carminibus, jocis & rhythmis in caput ejus ludebant, quorum hoc erat unum, tam in ipſo ſupplicii loco, quam per diverſa Civitatis compita affixum: Joannis Foreſti martyr.

FORESTUS FRATER, MENDACII PATER,
QUI MORTIS AUTHOR VOLUIT ESSE SUÆ;
PER SUMMAM IMPUDENTIAM
*NEGAVIT EVANGELIUM**
ET REGEM ESSE CAPUT ECCLESIÆ.

* *Scilicet religionis reformatæ.*

X. Paſſi ſunt etiam hoc anno, uti contendit Thomas Bouchierus, ob eamdem cauſam, duo viri præclari, Richardus Risbeus, Conventus Cantuarienſis, & Hugo Richæus Cœnobii Richivotenſis Guardiani. Eorum martyrium quod ſuperius ſub MDXXXIV. indicavimus, hoc modo narrat Bouchierus. Ad ſupplicium incommodis vehiculis per glebas & ſaxa perducti, ad conſpectum altiſſimi patibuli, & lebetis aqua ſerventi pleni, majorem induti fortitudinem, reſpuerunt conſtanter oblatam ſibi per regium internuncium vitam & libertatem, modo Romani Pontificis ſpernerent auctoritatem. Tractus per ſcalas ad ſuſpendium Guardianus Cantuarienſis, ingenti fervore, oculis in cœlum erectis, ſæpe illa verba repetebat: *Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, quoniam bonum eſt.* Subſecutus Guardianus Richivotenſis, ſimili conſtantia mortem pro Chriſto, vera fide, ejuſque Vicarii poteſtate, populo circumſtanti in Romana fide conſtantiam prædicabat. Suſpenſus parumper uterque, diſſecto fune ſemivivus in terram dejicitur, ubi abſciſſis capitibus, ambo in quatuor partes ſcinduntur, quæ in lebete, utcumque decoctæ, ne ſtatim fœterent, appenſæ ſunt ad portas Londinenſes, & capita in ponte ſtipitibus affixa. Aliorum glorioſa mors. *Bouchier. de Martyr. Anglia pag. 5. Marc. 3. par. l. 9. c. 33.*

XI. In ſancta pace obierunt hoc anno Benedictus Cremonenſis, qui crucis ſigno exhauſtam aquis ciſternam exuberare fecit; locuſtam totas ſegetes abſumentem ſimili virtute a finibus oppidi Agnonis propulſavit; Principi Melphitanæ ſterili prolem impetravit; plures dæmoniacos liberavit, Moritur Benedictus Cremonenſ. *Gonz. in provin. S. Angeli Conv. 8.*

Gaſparinus N.

Rogerus Bruletus.

Idem in provin. Fland. in fin.

Marcus Theatinus.

Daxa lib. 1. cap. 231.

Simon Ardeus.

Scard. de reb. Patav. p. 396.

alioſque a variis infirmitatibus curavit. Sepultus eſt ſimul cum beato Gaſparino, etiam miraculis inſigni, in Conventu ſancti Bernardini oppidi prædicti. Et Rogerus Bruletus, pietate & doctrina inſignis, Prædicatorum ſui temporis per Belgium facundiſſimus. Jacet in Cœnobio ſancti Franciſci ſupra Sambriam. Marcus Theatinus provinciæ ſancti Bernardini Miniſter, ſepultus in capſa lignea ad gradus Altaris majoris, ubi poſt annos quindecim corpus abſque ulla apparuit læſione. Necnon Simon Ardeus, vir doctiſſimus, Conventualis, qui multis in locis ſacras litteras publice profeſſus, hoc anno apud ſuos Patres Patavii in nobiliſſimo ſancti Antonii templo ſepultus eſt, exciſo prope portam hoc Epitaphio, ſub inſigni ejus ſtatua, e ſuggeſtu diſcipulos docentis.

> *Simoni Ardeo Minoritæ Religionis ſplendori, qui dum ex Patavinis Athenis omnes terras illuſtraſſet, Philoſophorum, & Chriſtianorum Theologiam ſumma cum laude, omniumque invidia ſuperata, profeſſus, viam tandem univerſæ carnis ingrediens, dormivit in Domino. Fr. Bernardinus alumnus, rerum, & cognominis hæres non ingratus. P. Obiit anno MDXXXVII. Aet. ſuæ LXV. III. Kal. Maias.*

Moritur Ludovicus Rheginus.

An. 1536. n. 12.

Bover. hoc ann. n. 16.

XII. Apud Patres Capuccinos quatuor deceſſerunt Viri pii, qui paucos ante annos ad eos ab Obſervantibus tranſierant. Ludovicus Rheginus apud Calabros anno MCCCCLXVI. natus, juvenculus in Conventu Annunciatæ, ſimul cum Bernardino concive, de quo jam diximus, initiatus. Brixiæ, ſub Franciſco Lycheto ſtuduiſſe, vitamque iuſuper duxiſſe inter Obſervantes ſanctiſſimam, adeo ut raptus & extaſes pateretur, ſpiritu prophetico & miraculis clareret, ſcribit Boverius, & pleraque ex his operoſe deſcribit. Auſterioris vitæ, & perfectioris obſervantiæ ſtudio ad Capuccinos anno MDXXXII. tranſmigravit, ibique multam poſuit operam novellæ reformationis ſtabiliendæ. Prima ejus ſemina in Calabria, & propagatio illi præcipue debentur, quam feliciter aſſecutus eſt ſua virtute, prudentia & doctrina. Salutis animarum cupidiſſimus, ferventer & frequenter prædicabat, atque inter conciunandum, ut a peccatis auditores avocaret, futura mala, quæ prævidebat, horribili præconio, prophetabat, Palmum, Calabriæ oppidum, a piratis deſtruendum, & regionem devaſtandam prædixit, quod paulo poſt evenit. Rhegium a Turcis captum, incendio deformatum, civium cædibus & ſanguine fœdatum, eo ipſo tempore, quo hæc facta ſunt, deſtructa per Barbaroſſam immaniſſimum Piratam urbe, prænunciavit e ſuggeſtu in Seminariæ oppido ad XX. M. P. diſtante. Multis deinde patratis miraculis, præſignificata morte ad Mottam Philocaſtri oppidum ſancte deceſſit, confluente ad ejus funus ingenti populi multitudine, & exequias celebrante Epiſcopo Nicoteræ. Corpus poſt annos tres incorruptum inventum, collocatum eſt ſub Altari majori, unde anno MDXCVIII. translatum ſuit ad ſacriſtiam. Scriptores Calabri eum ſummopere commendant.

Michael Apruſtenſis.

XIII. Paulo poſt Ludovicum, eodem in Conventu Mottenſi, pie obiit Michael Apruſtenſis, erga infirmos ſumme miſericors. Pro eis preces cum lacrymis Deo offerebat, & multos Crucis ſigno ſanabat. Orationibus, jejuniis, vigiliis, perfectaque Regulæ obſervantia inſignis, magnam obtinuit apud omnes opinionem. Huic adjacet Juniperus a Campo, Laicus, quem tres potiſſimum virtutes ſpectabilem reddiderunt: arctiſſimum ſilentium, quo ab omni non tam pernicioſorum, quam inutilium verborum lapſu ſe novit cohibere; admirabilis abſtinentia, qua omnem ciborum voluptatem ita

Juniperus a Campo.

mor-

mortificavit, ut nullius edulii guſtu, aut ſapore afficeretur; admiranda corporis maceratio, qua perpetuis cruciatibus carnem ad mortem uſque inſequutus eſt. An hoc anno iſte vitam terminaverit, incompertum.

XIV. Iſto tamen deceſſit vir tum pietate, tum doctrina celeberrimus Franciſcus Titelmanus, Haſſelii in agro Leodienſi natus, qui a Carolo Carondileto in tenera ætate orbatus parentibus, in filium adoptatus, ſub ejus cura Lovanii humanioribus litteris, ingenuarum omnium artium doctrina, & linguarum, quæ ad ſacras ſcripturas intelligendas & interpretandas neceſſariæ ſunt, egregie ante annum decimum ſextum profecit, Græcæ ſcientiam tam perfecte adeptus eſt, ut quamvis docte Latinam calleret, facilius tamen Græco, quam Latino ſermone uteretur. Studiis totus intentus, a vitiis ac voluptatibus animum cohibuit, ea præſertim ætate, qua enervari, & a virtute ſolet evocari. Ita ſenſim illi a Deo indita pia cogitatio ſeculo renunciandi, & ſecuriorem ad cœlum ſemitam perquirendi. Juvenis itaque Obſervantum ſubivit apud Lovanienſes Inſtitutum, ubi in id ſtudium univerſum ac ſollicitudinem contulit, ut qui prius operam omnem in excolendo animum humanioribus litteris navavit, nunc mentem Divinis virtutibus imbueret. Atque ita hoc quidem aſſecutus eſt, ut cum ſcientiarum peritia, ante Religionis tirocinium adepta, perfectam Regularis Obſervantiæ diſciplinam, vitamque ſumme commendabilem conjungeret, ac poſterioris pietatis gloria cumularet. A ſuperioribus promotus ad ſtudia, tam doctus evaſit, ut publice Philoſophiam & Theologiam annis multis profeſſus, doctiſſimos libros variæ doctrinæ, præſertim ſacræ ſcripturæ, & contra hæreticos ediderit, quorum elencum in noſtro de Scriptoribus Ordinis Minorum catalogo exhibemus. In Italiam cum Leonardo olim diſcipulo, & Martino laico anno MDXXXV. itinere ſuſcepto, ut ſub Capuccinorum reformatione arctius viveret, Pariſiis communicata cum Franciſco de Soletro animi cogitatione, & in eamdem ſententiam inducto, Romam venit, ubi omnes Bernardinus Aſtenſis Vicarius Generalis in ſuam ſocietatem ſuſcepit.

Franciſcus Titelmanus. *Indid. an.* 36.

XV. Titelmani autem doctrinam perſpiciens, Mediolani lectorem inſtituit; ſed cum ille non eo conſilio ad hoc genus inſtituti acceſſiſſet, ut doceret, ſed diſceret, & profundiori humilitati, ac gloriæ contemnendæ animum addiceret, eo honore neglecto, impetravit, tametſi ægre, ut in Xenodochio Incurabilium, in quo tunc illi Conſodales miniſtrabant, infirmorum obſequiis deputaretur. Cum vero multi dolerent hominem doctum, qui vel alios docere, vel libros componere majori proximorum commodo potuiſſet, his privatis ægrotorum curis mancipatum, & ad priſtina ſtudia redire hortarentur, reſpondebat: veram ſe diſcere in pauperes & infirmos Chriſti doctrinam, & illos, quos cernebant infirmos, ſuos eſſe libros, in quibus utiliter legebat, & codices, quos quotidie cum profectu ſuis manibus componebat. Ab his humilibus officiis paulo poſt Vicarii ſupradicti juſſu evocatus, inſtituitur Vicarius provinciæ Romanæ, in quo miniſterio egregie & prudenter ſe geſſit, concreditos ſibi ſubditos plus exemplo, quam verbo ad virtutes quaſque ſectandas alliciens. Ejus præclaras virtutes, paupertatis ſtudium, vitæ auſteritatem, erga proximos caritatem, & ardentiſſimum martyrii deſiderium large proſequitur Boverius. Obiit Anticoli, pridie Idus Septembris, quem glorioſum ad cœlos aſcendiſſe, & miraculis effulſiſſe, idem auctor enarrat.

XVI. Perſeverabant etiam hoc tempore lites & contentiones inter utriuſque Sodalitatis Obſervantum, & Capuccinorum profeſſores, propter mutuos tranſitus abſque ſufficienti Superiorum facultate. Statuit itaque Pon-

Pontifex ne deinceps ex alterutra parte tranſmigrarent, donec ſuper hoc negotio in Capitulo Generali, Apoſtolico juſſu in Urbe celebrando, conſultaretur. Et quia Capuccini intentabant ſuum Inſtitutum in partibus Ultramontanis propagare, decrevit ne ad illas ſe transferrent, aut habitacula in illis conſtruerent. Utriuſque juſſionis do inſtrumenta.

Ad futuram rei memoriam.

Reg. Ciſm. fol. 28.

XVII. *Regimini univerſalis Eccleſiæ, diſponente Domino, præſidentes, inter cetera, quæ commiſſo nobis Apoſtolicæ ſervitutis incumbunt officio, hoc præcipuum arbitramur, ut opem & operam, quantum nobis ex alto conceditur, exhibere curemus, quod hi, qui abdicato ſeculo ſacræ religioni, ac piæ vitæ ſtudio ſe dederunt, ſemotis perturbationum moleſtiis, ac diſcordiarum diſpendiis, votivæ pacis & quietis amœnitate jugiter in Domino gratulentur. Cum itaque, ſicut accepimus, inter dilectos filios Fratres Ordinis Minorum, de Obſervantia nuntupatorum, & Fratres ejuſdem Ordinis, Congregationis Capuccinorum nuncupatos, graves contentiones & lites, quibus eorum ſtatus plurimum deturbatur, exortæ ſint, quæ ſi diutius durarent, in eorum perniciem ac perniciosum exemplum & ſcandalum plurimorum vergere poſſent. Nos, qui Ordinem ipſum propter uberes fructus, quos in agro Dominico hactenus attulit, & in dies afferre non ceſſat, inter ceteros Ordines, quos cæleſtis Agricola ſumma benignitate plantavit, paterna caritate proſequimur: cupientes hujuſmodi contentiones & lites noſtræ proviſionis auſpiciis terminari, matura ac digeſta ſuper his, cum nonnullis ex venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, quibus cauſam hujuſmodi examinandam commiſimus, deliberatione præhabita: motu proprio, & ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod de cetero, donec per Nos in dicti Ordinis Generali Capitulo, in hac alma Urbe, noſtro ſpeciali mandato celebrando, aliud determinatum fuerit, dicti Fratres, de Obſervantia nuncupati, nullum ex dictorum Capuccinorum profeſſoribus ad ſe venientem, quovis prætextu, abſque Prælatorum ſuorum ſpeciali licentia, in ſcriptis habita, recipere, ſeu in eorum domibus retinere poſſint; nec ipſi de Obſervantia nuncupati abſque hujuſmodi Generalium ſeu Provincialium Prælatorum ſuorum licentia ſpeciali, etiam in ſcriptis habita, ad eoſdem Capuccinos tranſire, aut eorum habitum aſſumere ſeu geſtare valeant. Si qui vero ex ipſis Fratribus, de Obſervantia nuncupatis arctiorem voluerint vitam ducere, ad loca ad hunc effectum deſignata, de Prælatorum ſuorum licentia ſe transferre debeant, ibidem ſub eorum obedientia, ſervata forma habitus & capucii, quem eatenus geſſerint, nec novam Religionem inchoare videantur, in ſuæ profeſſionis puriori Obſervantia Domino vacaturi. Ubi vero dicta loca ad hujuſmodi effectum adhuc deſignata non fuerint, volumus quod in eorum provincialibus Capitulis proxime celebrandis, juxta capacitatem & numerum dictorum Fratrum, hujuſmodi vitam ſectari volentium, per Generales Miniſtros, & Commiſſarios dicti Ordinis, ſeu per Miniſtros Provinciales reſpective in ſuis Provinciis, juxta ipſorum Generalis Capituli proxime celebrati determinationem, omnino deſignari & cum effectu deputari debeant. Quod ſi ſecus factum fuerit, Nos tunc Fratres hujuſmodi ſub arctioris pœnitentiæ jugo Altiſſimo famulari cupientes, in eorum ſalubri propoſito paterno affectu confovere volentes, eis ſuper his, quantum cum Deo potcrimus, opportune providere curabimus. Fratres vero, Capuccini nuncupati, nullo modo dictos Fratres, de Obſervantia nun-*

Inhibetur Obſervantibus ne Capuccinos admittant.

Neque ad Capuccinos tranſeant.

Sed qui volunt in domibus vivant reformatis.

Prohibetur tranſitus utrinque.

nuncupatos abſque ſuorum Generalium ſeu Provincialium Prælatorum licentia in ſcriptis habita, recipere, aut in eorum domibus retinere, ſeu ad eoſdem Fratres, de Obſervantia nuncupatos, ſe transferre, vel contra præſentiam tenorem quidquam attentare præſumant. Mandantes omnibus & ſingulis dicti Ordinis tam de Obſervantia, quam Capuccinis nuncupatis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis ac privationis officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad quoſcumque actus legitimos exercendos, pœnis ipſo facto incurrendis, ut præmiſſa omnia & ſingula firmiter & inviolabiliter ſervent. Et ut eiſdem Fratribus tam de Obſervantia, quam Capuccinis nuncupatis delinquendi, & vagandi tollatur occaſio, volumus, quod ſi quis eorum, qui de Obſervantia nuncupantur, ex eiſdem Capuccinis quempiam, & e converſo, ſi qui ex Capuccinis, quempiam de Obſervantia nuncupatorum profeſſorem ad ſe venientem, contra præſentium tenorem recipere, & penes ſe retinere præſumpſerint, arbitrio ſuorum ſuperiorum puniantur. Recepti vero a Prælatis ſuis ubicumque repeti, ac juxta dicti Ordinis ſtatuta corrigi & puniri poſſint & valeant. Quocirca dilectis filiis Gubernatori Almæ Urbis, ac Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, dictæque Urbis in ſpiritualibus Generali, & dilectis filiis eorum in ſpiritualibus Vicariis Generalibus ſimiliter mandamus, quatenus ipſi vel alter eorum ſtatutum & ordinationem prædictam inviolabiliter obſervari faciant, non permittentes aliquid per quoſcumque quacumque dignitate, præeminentia & auctoritate fungentes, contra præſentium tenorem quomodolibet attentari. Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac felic. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & duabus dictis in Concilio generali, dummodo ultra tres dietas quis vigore præſentium non trahatur, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, aut aliis quibuſcumque quomodolibet conceſſis, etiamſi talia forent, quod pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſea quævis alia expreſſio habenda foret. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſignatis, & manu alicujus publici Notarii ſubſcriptis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ originalibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die IV. *Januarii* MDXXXVII. *Pontificatus noſtri anno* III.

Bloſius.

Dilectis filiis Vicario Generali, & Fratribus Ordinis Minorum, Congregationis Capuccinorum nuncupatæ.

XVIII. *DUdum ſiquidem per Nos accepto, quod inter vos & inter dilectos filios Fratres Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, graves contentiones & lites exortæ erant. Nos, ne ſi lites & contentiones hujuſmodi diutius durarent, ſcandala inde provenirent, opportune providere volentes, de conſilio nonnullorum S. R. E. Cardinalium ſtatuimus & ordinavimus, quod nullus ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum Profeſſor ad domos & loca dictorum Fratrum Congregationis Capuccinorum nuncupatorum, & e converſo nullus dictorum Capuccino-* Ibid. fol. 92.

cinorum ad domos & loca eorumdem Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum, abſque Prælatorum ſuorum ſpeciali licentia in ſcriptis habita, donec per Nos in Generali Capitulo dicti Ordinis in hac Alma Urbe noſtra celebrando, aliud determinatum foret, quovis prætextu ſe transferre poſſet, prout in noſtris in forma Brevis deſuper confectis litteris plenius continetur. Intendentes interim res omnes in eodem ſtatu, in quo exiſtebant, permanere. Cum autem ad noſtram notitiam devenerit, nonnullos ex veſtræ Congregationis profeſſoribus, ad partes Ultramontanas, ad quas hactenus nullo modo veſtræ Congregationis profeſſores penetrarunt, ſe transferre, locaque de novo inibi acceptare intendere: Nos, quorum mentis fuit, at præfertur, uſque ad proviſionem per Nos in Capitulo prædicto faciendam, omnia in eodem ſtatu quoque manere, intendimus in dicto Capitulo omnibus his ordinem & formam dare: mota proprio & ex certa ſcientia, vobis Congregationis veſtræ hujuſmodi, in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna per præſentes auctoritate Apoſtolica præcipimus & mandamus, ne donec per Nos in dicto Capitulo Generali aliud ſuper hoc determinatum fuerit, ad partes Ultramontanas hujuſmodi vos transferre, aut loca inibi de novo acceptare præſumatis. Mandantes univerſis & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis, necnon dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, ceteriſque Eccleſiarum Rectoribus, quatenus ipſi vel eorum alter ſtatutum & ordinationem prædictam inviolabiliter obſervari faciant. Non permittentes aliquid per quoſcumque quacumque dignitate, præeminentia & auctoritate fungentes, contra præſentium tenorem quomodolibet attentari. Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque & indultis, ac litteris Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis, etiamſi talia forent, quod pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſignatis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ originalibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die III. *Januarii* MDXXXVII. *Pontificatus noſtri anno* III.

Inhibentur Capuccini ne ad partes Ultramontanas ſe extendant.

Matthæus a Baſſio regreditur ad Obſervantes. *Boverr. n.* 10.

XIX. Porro Matthæus de Baſſio, qui primus Capuccinorum Inſtituto exordium dedit, hoc anno ad Obſervantes rediit, ſive pertæſus tam diuturnæ colluctationis & odioſæ controverſiæ, ſive quod ait Boverius, quia Bullam Pontificiam editam intellexit, qua ſub gravi cenſura quadrati caputii uſus interdicebatur omnibus, qui ſub obedientia Vicarii Generalis in Conventibus non habitarent; ſive uti habet Marcus Ulyſſiponenſis, & vita ejus MSS. quia Capuccini hominem liberæ & quotidianæ prædicationi aſſuetum, undique diſcurrentem, detracto caputio, extra ſuum conſortium fecerunt. Eodem ferme tempore Ludovicus Foroſempronianus, primus Matthæi ſectator, idem veſtis genus dereliquit, odio proſecutus Inſtitutum, tamquam ingratiſſimum, quod ſibi, qui plus omnibus laboravit, illique ſtabiliendo tantopere inſudavit, primas negaverit in poſtremis Comitiis Generalibus, bis in Vicarium Generalem communibus ſuffragiis alio cooptato, a ſe nuperrime in ſocietatem admiſſo.

Marc. 3. p. l. 9. c. 36.

Ludovicus Foroſempronianus a Capuccinis recedit.

XX.

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 330.
1537.	an. 3. & 4.	anno 19.	

XX. Hoc anno Patres Conventuales Romæ ad ſanctos Apoſtolos Comitia habuerunt Generalia, quorum acta non recenſentur. In illis aſſumptus eſt ad Generalatum Laurentius Spatha, ſive de Spathis, Magiſter ſacri Collegii Bononienſis. Ex hac familia prodiit olim beatus Guido de Spathis, de quo ſuo diximus loco, & his noſtris diebus ex eadem proceſſerunt duo viri egregiis dotibus illuſtres: Bernardinus & Virgilius germani fratres: ille ex Nuncio Galliarum S. R. E. Cardinalis & Legatus Bononienſis, Urbano VIII. & Innocentio X. ab arcanis conſiliis, perſonæ majeſtate, magnarum rerum experientia, in conſiliis prudentia, in rebus gerendis ſelicitate peroquam ſpectabilis: Iſte ex Præfecto Congregationis Oratorii Romani, eidem Innocentio X. a cubiculo & eleemoſynis, pietate, religione, fidei promovendæ ardore, ſumme commendabilis. Horum avus Jacobus Bononiæ Laurentio familiaris fuit, eumque pro conſanguineo habuit & coluit. Laurentius demum per annos ſex Generalatu functus, aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Calvenſem in Regno Neapolitano anno MDXLIII. die XXV. Maii, per obitum Joannis Ferdinandi, qui viginti duobus annis illi præfuit Eccleſiæ. Ita autem in actis Conſiſtorialibus Laurentii commemoratur promotio: *Per obitum Domini Joannis Ferdinandi Calven. confertur Eccleſia fratri Laurentio Spathæ, nuper Magiſtro Generali ſancti Franciſci Conventualium*, & die XIII. Auguſti anni ſequentis in eiſdem actis ita Epiſcopatum vacare indicatur. *Per obitum Domini Bernardini Laurentii de Spatha Ordinis ſancti Franciſci Conventualium &c.* unde binomium fuiſſe conjicitur. Paulo poſt Epiſcopatum adeptum, ſpe a quibuſdam indita purpuræ Romanæ aſſequendæ, in Urbem proficiſcens, ex rupto apoſtemate obiit Neapoli, ad ſanctæ Claræ ſepultus. Hoc eum brevi elogio cohoneſtat Petrus Rodulphus: *Fuit autem Magiſter Laurentius vir litteris & moribus ornatus, plurimumque valens in doctrina Scoti. Fuit camera ejus Bononiæ, quoad vixit, officina bonarum artium: ſemper aliquid legebat vel ſcribebat, aut contemplabatur*. Augubio authentica accepimus documenta tum vetuſtæ picturæ, quæ hodie conſpicitur in antiquo clauſtro Cœnobii ſancti Franciſci, tum veteris monumenti ante annos CCL. exarati, quod ſervatur in cartophilatio Eccleſiæ Cathedralis, quibus traditur, amicum illum priſtinum a primis vitæ ſancti Franciſci Scriptoribus celebratum, qui Virum ſanctum in Cœnobio ſpretum tunicula contexit, gentis ſuiſſe Spadæ, ſive Spadæ-longæ.

Capitulum Generale Conventual. Romæ. *Rodul. fol. 145.* Laurentius Spatha Generalis. *Tom. 7. an. 1340. n. 13. ſeqq.* Ex ejus genere viri illuſtres.

Creatur Epiſcopus Calvenſis.

Rodul. fol. 150. pag. 2.

Vide apparatum Annal. n. 5. n. 2.

XXI. Mantuæ Angela e Deſenzano, oppido agri Brixienſis, pia fœmina, Tertii Ordinis ſancti Franciſci Inſtituto Urſulinarum Virginum dedit felix initium. Hæ ſub Regula ab iſta ſua inſtitutrice præſcripta, & a Paulo III. Pontifice approbata vivunt, religioſe quidem in propriis ædibus, magno puellarum bono, & civium exemplo. Franciſcus Gonzaga ex Miniſtro Generali Minorum Epiſcopus illius urbis, optimis Inſtitutum hoc munivit legibus, ſub quibus hactenus perſeverant.

Angela e Deſenzano. Virgines Urſulinæ. *Doneſ. in vita Franciſci. Gonz. l. 4. c. 16.*

XXII. Qui ſequuntur promoti ſunt ad inſulas Pontificias. Ad Mindonienſem in Galæcia, olim ſub Archiepiſcop. Braccaren., nunc ſub Compoſtellano, per translationem Petri Pacheco ad Civitatenſem, frater Antonius de Guevara, quem ſuperius diximus aſſumptum fuiſſe ad Eccleſiam Guadicen. Sed neſcio an tunc obtinuerit: invenio enim hoc ipſo die XVIII. Aprilis, quo ille promovetur ad Mindonien. promotum etiam Antonium de Avila Decanum Civitatenſem ad Guadicenſem, per obitum Franciſci de Mendozza. Ad Dertuſenſem in Catalonia, ſub Archiepiſcopo Tarraconen. frater Antonius de Calcena, olim Vicarius Generalis totius Ordinis, de

Frater Antonius Epiſcopus Mindonien. *An. 1528. n. 20.*

Frater Antonius Dertuſen.

quo non ſemel locuti ſumus, per obitum Guillelmi Cardinalis Enchen-vortii die xx. Junii. Poſſeſſionem ſuæ Eccleſiæ accepiſſe die xxv. Octobris, & diem ultimum obiiſſe anno MDXLII. ſcribit Franciſcus Martorellus in ſua hiſtoria Dertuſenſi, ſive de antiqua Hibera. Ad Marturanenſem in Calabria, ſub Archiepiſcop. Cuſentino, frater Jacobus Anconitanus, Magiſter Generalis Conventualium, per obitum Angeli de Pappacaudis, die xxvii. Junii. Ad Ozeuvrianam * ignotæ mihi quidem regionis, ſed ita habet Rodulphus, frater Bonaventura de Leon, præſentatus, inquit, a Cefare die xx. Junii. Ad Arien. ſub Archiepiſcop. Cretenſi, frater Ludovicus de Martinis Regularis Obſervantiæ per reſignationem Bartholomæi die v. Decembris.

Martor l. 2. c. 4. Frater Jacobus Marturanen.

* *Forte* Peruvianam. Frater Bonaventura Ozeuvrianus. *Rodul. fol. 234.* Frater Ludovicus Arien. *An. 1531. n. 14.* Frater Joannes Goanus.

XXIII. Diximus ſupra, primum ad Indias Orientales miſſum fuiſſe Epiſcopum Ferdinandum Vaqueirum Franciſcanum, cui hoc tempore defuncto ſubſtitutus eſt alius ejuſdem Inſtituti Vir graviſſimus, ſanguine illuſtris, pietate inſignis, gente Caſtellanus, religioſiſſimæ Provinciæ Pietatis alumnus & Miniſter, Joannes Alburquerquius, quem Joannes III. Luſitaniæ Rex hoc anno Goanæ Eccleſiæ dari Antiſtitem a Paulo Pontifice, die xi. Aprilis impetravit. Etſi vero tam noſtri, quam exteri Auctores datum hunc Vaqueiro immediatum ſucceſſorem referant, in actis tamen Conſiſturialibus ſub prædictum diem invenio Alburquerquium ad Guanam Eccleſiam promotum fuiſſe, per obitum Franciſci de Melo. At nemo eſt, qui referat Franciſcum iſtum in Indiam trajeciſſe; fortaſſe paulo poſtquam deſignatus eſt illius Eccleſiæ Epiſcopus, in Luſitania deceſſit. Ut ut vero ſit, Alburquerquium hoc anno Garzias Noronius Prætor, Nonio Acuniæ re militari clariſſimo ſuffectus, ſecum e Luſitania Goam tranſvexit, ejuſque comites & adjutores, Vincentium ejuſdem Religionis catechiſtam eximium, & clericum quemdam, nomine Jacobum, ex oppido Luſitaniæ Borba, notæ facundiæ concionatorem. Horum vero, cum in Epiſcopatu adminiſtrando, tum in excolendis atque ad Chriſtum alliciendis hominibus, fructus pietatis & induſtriæ conſtitit.

Maff. l. 11. poſt med. Hiſtor. Orient. t. 2. l. 1. c. 20. Guzman. lib. 1. c. 6. Dava l. 1. c. 51.

XXIV. Obiter hic referre licet memorabile quiddam, quod prædicto Vincentio contigiſſe perhibetur. Cum enim Epiſcopi juſſu in Malabarica regione juventutem Chriſtianæ doctrinæ rudimentis imbueret, pueris aliquot, vel tardioribus, vel aliud forſan agentibus colaphos infregit, quæ res apud eas quoque Nationes probro vel maximo ducitur. Inde ira parentibus mota, cumque furore perciti, ad eam, ut ipſi rebantur, ignominiam demendam, arreptis armis in Dei famulum irent, quamvis læſa puerilis ætas, tantum abfuit ut patrum facinus adjuvarent, ut etiam facta manu eos arcere non dubitaverint. Cujus rei miraculo ſtupentes Barbari, gradum illico retulere, & ſuam quiſque domum re infecta dilapſi ſunt.

XXV. Joannes autem annis multis inſignem illam Eccleſiam, totius poſtea Indiæ Orientalis Metropolim, prudentiſſime rexit, magnamque adſcitis operariis, præſertim ex ſuo Inſtituto, rei Chriſtianæ fecit propagationem. Poſt annos quinque ad eum acceſſit ſanctus Franciſcus Xaverius, Societatis Jeſu præclariſſimum ſydus, a Paulo Pontifice Nuntius deſtinatus ad Indos, de cujus adventu ita ſcribit Maffejus. *Goam denique anno ſeculi hujus quadrageſimo ſecundo pervenit Xaverius pridie Nonas Majas. Goanæ tam Eccleſiæ præerat Joannes Alburquerquius præſtanti ſapientia Pontifex. Hunc Xaverius, antequam ullam reipublicæ attingeret partem, adiit honoris & obſequii cauſa, eique ſine ambagibus id quod erat, expoſuit. Se Pauli Pontificis Maximi, & Joannis Regis Luſitaniæ miſſum ad impertiendum Ethni-*

Franciſcus Xaverius ad Indiæ mittitur Orientalem. *Maff. lib. 12. an. med.*

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 330.
1537.	an. 3. & 4.	anno 19.	

Ethnicis Evangelium, ſtabiliendos in fide Neophitos, Chriſtianos advenas & inquilinos pro viribus adjuvandos, in ea loca veniſſe: attamen ita ſibi certum eſſe fixumque, communis rei nihil omnino, niſi ex ipſius Epiſcopi auctoritate ac ſententia gerere. Simul, Pontificias litteras, quibus Nuntius Apoſtolicus fuerat declaratus, eidem offert venerabundus, ac profitetur ſe ſe jure illo ac poteſtate nequaquam uſurum, niſi quatenus Epiſcopus ipſe permiſerit. Hac ſeu altitudine animi, ſeu modeſtia captus Alburquerquius, illico ruit in amplexus viri, perlectum probatumque diploma reſtituit: poſtremo, etiam atque etiam Dei ſervum adhortatur, uti animo ſoluto ac libero Chriſtianam rem e præſcripto Summi Pontificis adminiſtret; valde confidere ſe ſe, illius adventum ad Indicæ Eccleſiæ vel tutelam vel amplificationem magnopere profuturum, neque in præſentia modo Xaverium comiter ac libenter accepit, ſed etiam in poſterum ſemper præcipuo tum in honore, tum in amore cunctis approbantibus, habuit. Quo certo anno deceſſerit Alburquerquius non conſtat, ex iis tamen, quæ ſcribit Maffejus, liquet ſub annum quadrageſimum ſextum hujus ſeculi vixiſſe. *Maff. lib. 16.*

XXVI. Habebant Humiliati in urbe Genuenſi domum ſub invocatione ſanctæ Marthæ, quæ poſtea ad Patres Conventuales translata eſt. Ab his tranſiit hoc anno ad Obſervantes auctoritate Pauli Pontificis, expeditis litteris VI. Decembris. Illo autem ædificio, ut pote vetuſto & ruinoſo, humilioribus officinis deſtinato, aliud inſigne, ſumptuoſum & ſpecioſius, quam noſtræ conveniat profeſſioni, paulatim ſucceſſivis accrevit additamentis, quæ partim debentur nobilium virorum pietati, partim Religioſorum induſtriæ. Magnificum Templum, Annunciatæ Virgini ſacrum, a ſummo uſque deorſum mirifice ornarunt cruſtis marmoreis, & lapidibus pretioſis, abſydas & teſtudines picturis & auro contexerunt Jacobus & Fratres Lomellini incredibili ſumptu, animo ingenti, auſu imperterrito; omninmque ferme totius Europæ Baſilicarum reddiderunt ſpecioſiſſimam. Fabrica crevit in immenſum, ſed quarta pars adhuc deeſt dormitorii, quod ubi acceſſerit, & quadratum evaſerit clauſtrum, Cœnobium optimis totius Religionis adæquari, ſi non præferri, poterit ædificiis. Numeroſum habet Theologorum collegium. Conv. Genuenſis. *Gonz. in Provin. Genuæ Conv. 2.*

XXVII. Incolæ Palenæ, Brutiorum oppidi, hoc anno decreverunt eiſdem Obſervantibus domum conſtruere, ſub invocatione ſancti Antonii de Padua, & facultatem impertiit Paulus Pontifex: *Cum Communitas*, die XXI. Auguſti. Paulo poſt quod animo ſtatuerunt opere compleverunt. Eodem omnioo tenore verborum conceſſa eſt licentia Communitati Poliſtenæ io Calabria, ut Cœnobium ſub titulo Conceptionis beatæ Mariæ eiſdem conſtrueret, die XXI. Septembris. Superius diximus ſub an. MDXX. præceſſiſſe Leonis X. pro eodem conſtruendo Conventu facultatem. Forte non potuit tunc inchoari. Conv. Palenæ. *Idem in Provin. S. Bernardini Conv. 26.* Conv. Poliſtenæ. *Num. 45.*

XXVIII. Prope oppidum Palmi ſupradictum hoc anno frater Antoninus Palmenſis Conventualis pro ſuis Patribus locum ædificavit, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Ceratullis. Spectat ad Provinciam Calabriæ, & Cuſtodiam Rhegioam. Ibi præexiſtebat domus cujuſdam Confraternitatis. Joſephos a Ferno, aliis a Mediolano, Capuccinus cum magno ardore Ticinenſibus pœnitentiam prædicaret, obtinuit, ut ſuis Patribus locus in extrema urbis parte decerneretur, in qua ſub ſancti Antonii Ulyſſiponenſis nomine Conventus ædificaretur. Primus hic erat Provinciæ Genuenſis, ſed poſtea ad Mediolanenſem translatus eſt, alius vero Genuæ anno ſequenti ſub titulo ſancti Barnabæ conſtructus eſt. Conv. Palmi. *Rod. fol 279. Monum. MSS.* *Bover. cit. n. 9.* Conv. Genuen. Capuc.

Anno Christi 1537.	Pauli III. an. 3. & 4.	Caroli V. Imp. anno 19.	Religionis Minorum anno 330.

Conv. Eſtremotii. *Gonz. in Provin. Pet. Conv.* 10.

XXIX. Eſtremotii, in parte Tranſtagana Regni Portugalliæ, ut Cœnobium Patribus Strictioris Obſervantiæ Pietatis, ſub ſancti Antonii Patavini Provinciæ invocatione fabricaretur, Joannes Rex hujus nominis III. pinguem dedit eleemoſynam. Navarchus, qui tunc erat, Sacellum præcipuum conſtruxit. Operi perficiendo ſuppetias tulerunt Oppidani. Sub hoc tempus ad oppidum Farcani in Regno Algarbiorum, Nonius Rodericus Baretus aliud ſancti Franciſci titulo inſignitum Patribus Obſervantiæ poſuit domicilium. In Regno Granatenſi, & oppido Buxalancio, ſub ejuſdem Sancti nomine ipſi Fratres commodum pulchrumque erexerunt Cœnobium, in quo Confraternitatem Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ erexiſſe a Clemente VII. multis privilegiis & favoribus commendatam, ſcribit Gonzaga. Sed hunc annum præceſſit mors illius Pontificis. Error fortaſſis eſt in numeris Arithmeticis, & pro ſeptimo ſubſtituendus eſt octavus.

Conv. Farcani. *Idem in Provin. Algarb. Conv.* 14. Conv. Buxalancii. *Idem in Provin. Granat. Conv.* 19.

Monaſt. Littoris. *Idem in Provin. Algarb. Monaſt.* 18.

XXX. Inter inſulas Aſtures, Luſitanice *Terceiras*, civitas eſt littoris, ſeu *Plajæ*, vulgo nuncupata, in qua ſub hoc tempus pia fœmina Catarina de Hornelas Clariſſis ſecundæ Regulæ commodum extruxit Monaſterium, ſub titulo Dominæ noſtræ de Luce, in quo ipſa omnium prima hoc ſubiit Inſtitutum. Sub eo ſanctiſſime vixit in perpetua abſtinentia, oratione, humilitate; ceteriſque florens virtutibus, magna pietatis opinione deceſſit.

Monaſt. ſanctæ Mariæ Corton.

XXXI. Data fuit hoc anno facultas Clariſſis Cortonenſibus ſanctæ Mariæ de Tergia, prope, ſed extra muros urbis habitantibus, magnaque incommoda & pericula propter frequentia bella patientibus, ut ad tutiorem locum intra Civitatem ſe transferrent: *Cum ſicut exponi*. VII. Julii. De hoc Monaſterio ſuo loco egimus opportunius. Feltrenſibus in prima ſui fundatione conceſſum fuit, ut ſub prima Regula ſanctæ Claræ profiterentur; ſed cum aliter factum ſit, & ſub ſecunda hactenus militarent, indulſit Pontifex ut ſub eadem perſeverarent: *Exponi nobis nuper feciſtis*. die XII. Februarii. Communitas urbis Maſſanæ in Etruria obtulit Clariſsis Monaſterii Caſtri Veteris Civitatis Senenſis Monaſterium ſanctæ Claræ apud ſe conditum, & ſuo patronatui ſubjectum: Ut illud admitterent Pontifex hoc anno fecit poteſtatem: *Cum ſicut nobis exponi feciſtis*. die XVII. Januarii.

Tom. 10. *anno* 143. *n.* 26. Monaſt. Feltri.

Monaſt. Maſſanum.

XXXII. Magna orta diſcordia inter Superiores Ordinis Minorum, & Antonium de Tablada Viſitatorem Generalem Tertii Ordinis in Hiſpania, a Clemente VII. uti diximus, deputatum, circa regimen & viſitationem perſonarum utriuſque ſexus tam Conventualium, quam in ſeculo degentium ejuſdem Tertii Ordinis, Pontifex cauſam decidendam commiſit Officialibus Toletano, Hiſpalenſi, & Salamantino: *Exponi nobis nuper fecerunt*. Kalendis Octobris. Quid autem ex hac commiſſione ſequutum ſit, & qualiter iſti profeſſores Tertii Ordinis nunc gubernentur, per ſequentes annos dicetur.

Reg. Cif. f. 51.

Officium Deſponſationis.

XXXIII. Impetravit hoc anno die XXI. Auguſti frater Joannes Calvus Commiſſarius Generalis Curiæ a Paulo Pontifice, apud Montem Caballum, ſive Quirinalem commorante, facultatem, ut omnes Fratres & Sorores ſub cura Miniſtri Generalis degentes, officium recitarent Deſponſationis beatæ Mariæ ſub ritu duplicis majoris die VII. Martii, uterenturque officio Nativitatis ejuſdem beatæ Virginis, mutato nomine in *Deſponſationem*, donec proprium de hoc myſterio conficeretur. Celebratum fuiſſe hoc feſtum in Religione, mihi conſtat ex Breviariis antiquis ſub illud tempus impreſſis, & in aliis multis Eccleſiis diverſiſque Nationibus fuiſſe hoc recitatum officium uſque ad recognitionem Breviarii Romani per Concilium Tridenti-

num

num ordinatam, & a Pio V. perfectam. Sororibus Urbaniſtis ſanctæ Claræ Conceptionis, & Tertii Ordinis conceſſit facultatem ſervitrices, ſeu ancillas admittendi, & dimittendi: *Sacræ Religionis.* VII. Kalendas Februarii.

ARGUMENTUM.

Franciſcus Cardinalis Quiñonius recognoſcit Breviarium Romanum. Indefeſſe laborant Minoritæ per varias Indiarum regiones. Moritur Franciſcus de Gatta, cujus vita compendioſe refertur. Celebrant Capuccini Comitia Generalia, & Vicarium eligunt Generalem Bernardinum Ochynum. Eliguntur Epiſcopi. Multiplicantur domicilia.

I. FRANCISCUS Quiñonius ex Minorita Cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem, ſub hunc annum recognitum a ſe Breviarium Romanum, quod ſub breviori & clariori forma, Clementis VII. hortatu, ſtudiis adhibitis doctorum virorum, quos Græce & Latine Rituum Eccleſiaſticorum peritos domi alebat, ante aliquot annos compoſuerat, publico judicio ſubmiſerat. Approbavit Paulus, & denuo in lucem voluit emitti. Etſi vero plerique graves & docti viri ita opus commendarent, ut nihil in eo mutandum exiſtimarent; alii iuſuper pii prudenteſque homines illud probarent, non nihil vero in eo deſiderare affirmarent; multis tamen non perinde gratum fuit, quibus moleſtum erat ab inveterata precandi & pſallendi conſuetudine diſcedere. Atque ita varium multiplexque judicium dum ſubiret opus; ſic enim rerum fert natura, ut nihil ſit tam rectum, nihil tanta ratione in vitam uſumque hominum inductum, cujus novitas non ſit aliquibus ingrata, Cardinalis diſertam præmiſit Breviario epiſtolam ad eumdem Paulum Pontificem, in qua ſui laboris Clementis hortatu ſuſcepti, rationem reddit, in quo præter alia multa rite recteque inſtituta, illud ſummopere curavit, ut preces horariæ ita diſponerentur, & ad veterem formam, precantium inconſtantia, Superiorumque negligentia omnino deformatam redigerentur, ut perplexi ordinis, & difficilis precandi rationis, difficultatibus diſpendiiſque ſublatis, nec a ſumma rationis olim ab antiquis ſanctiſque Patribus inſtitutæ diſcederetur, nec rurſum Viri ſacri ab officio precandi deterrerentur laboris magnitudine. Graves pleraſque rationes quidem exponit, & quantum commodi, quantamque notitiam ſacræ Scripturæ hæc precandi forma Clericis adveheret, enarrat; quæ fortaſſis valde placebunt epiſtolam legenti. Invaluerunt quidem apud multas Eccleſias, & præſertim in Hiſpania, donec remotis per Pium V. ex ordinatione Concilii Tridentini omnibus aliis Breviariis, & novo conſtituto Romano; hoc etiam ad cujus brevitatem, inquit Pius, plurimi ſpecie commodioris officii allecti confugerunt, voluit ſublatum. Sotus tacito nomine Cardinalis, ante recognitionem illam Pii hoc genus improbat precandi: alii vellent reſtitutum. Videre placeat quæ de hac re diximus in opere de noſtris Scriptoribus.

Reformatur Breviarium Roman.

Sot. de Juſt. & Jure l. 4. 7. ar. 1. & l. 10. 9. 5. art. 4.

II. Poſt primam inventionem Fluminis ingentis Indici, vulgo *Rio de la Plata* per Joannem Diaz de Solis anno MDXV. variaſque intra hoc flumen Hiſpanorum expeditiones, miſſus eſt anno MDXXXV. Petrus de Mendoza, cum undecim navibus, & octingentis viris, qui reliquis exploratoribus felicius fluminis æſtuarium ingreſſus ad ſiniſtram ripam inſulæ, ſancti Gabrielis oppidum moliri cœpit, nomenque impoſuit *Nueſtra Señora de buenos ayres*. Ubi fame, & omnium rerum ad vitam neceſſariarum inopia quamplu-

plurimos ex ſuis amiſit. Itaque Legatum ſuum Joannem de Ayolas dimiſit, ut annonam a barbaris conquireret, qui modicam retulit. Denique poſtquam magno labore & exiguo profectu varia loca luſtraſſent, Ayola quidem hic ſubſtitit, Mendoza autem in Hiſpaniam remeans, in itinere obiit. Miſſi auxiliares, ut diximus anno præcedenti, Alphonſus Cabrera, & Antonius Lopez de Aguiar, cum navibus tribus, & pro converſione Indorum Franciſcani quinque vel ſex, qui teſte Herrera, ſtatim interiora terræ penetrarunt, & per interpretes, donec illud idioma apprehenderunt, prædicantes, ingentem fructum reportarunt, magna multitudine ad fidem converſa, & ſacris undis intincta: quorum priniarius Bernardus de Armentia hoc anno ſequentes dedit litteras ad Joannem Bernal Diaz de Lugo, Regium Conſiliarium in Senatu Indico Hiſpalenſi, virum pium & doctum, poſtea Epiſcopum digniſſimum Calaguritanum; ex quibus gentis mores, & quid circa illius converſionem brevi illo tempore præſtitum ſit, Lector percipiet. Ex Hiſpanis damus Latinas.

Herrer. dec. 6. l. 3. cap. 18. & l. 7. c. 5. Minoritæ in regione Fluminis argentei fidem dilleminant. *Turrecr. l. 15. c. 48.*

III. *Eſi tibi aſpectu, & alloquio incognitus, novi tamen ex verbis Licentiati Gudiño tibi addictiſſimi, qui Hiſpali apud vos reſidet, te velle a me ſcire, quæ in his regionibus Dei & Regis concernunt obſequium. Ut id præſtem, præmitto me illum eſſe Franciſcanum Provinciæ Bæticæ, cui noſter Miniſter Generalis licentiam dedit, ut eum quatuor Confodalibus ad flumen de la Plata tranſfretarem. Hue autem perveni cum Alphonſo de Gabrera ſuæ Majeſtatis Cenſore, in ſubſidium miſſo iis, qui in hac regione permanſerunt poſt obitum Petri de Mendoza. Deo propitiante, felleiter pervenimus ad ipſum æſtuarium fluminis, cujus impetum, etſi ſecundo & tertio ſuperare tentaverimus, valido ſemper in adverſum flante vento, non potuimus; ſed rejecti ſumus ad portum, ſeu flumen ſancti Franciſci, prius a* Don Rodrigo *nuncupatum. Divina Providentia ita factum eſt: hic enim ego inveni gentis barbaræ interpretes, tres Chriſtianos, qui ex longo incolatu recte hac lingua loquuntur. Hi nobis retulerunt ante annos quatuor ex his Indis unum, Eſiguaram nomine, ad vatis modum magno agitatum ſpiritu, per leucas pluſquam ducentas diſcurrentem, prædixiſſe cito venturos veros Chriſtianos, diſcipulorum ſancti Thomæ Apoſtoli germanos, qui gentem omnem baptizarent: atque inde præcepiſſe ut amice admitterentur, nec cuipiam liceret eos offendere. Adeo quidem ejus verbis commota eſt univerſa Natio, ut noſtris, qui ex calamitatibus & preſſuris arduæ hujus expeditionis ſuperfuerunt, perquam amanter propitiati, in ſuis mappalibus eos receeperint, cibo & potu refecerint, & vias per quas ambulabant, ſcopis mundarint. Ab illo etiam edocti rhythmos intonant & cantica, quibus Dei mandata jubet obſervari, uxoremque ducere unam, conſanguinitatis gradu remotam. Reliquit hic poſt ſe aliquot diſcipulos, qui ad noſtrum adventum incredibili affecti lætitia, ſemper nobis ad moleſtiam uſque aſſiſtunt. Tantus eſt baptizandorum numerus, ut vix quidpiam liceat præter hoc miniſterium præſtare; & vaidem ſomno aut cibo capiendo vix poteſt eſſe intervallum. Una contenti uxore, libenter matrimonia contrahunt: ſed & qui pluribus erant aſſueti, libellum reliquis dant repudii. Grandævi, quorum plurimi annos centum excedunt, majori ad fidem accedunt fervore, & quam a nobis recipiunt, aliis palam impertiunt. Mirabilia, quæ inter eos Dominus operari dignatur, neque verbis referri, neque ſcriptis poſſunt comprehendi. Quapropter per immenſum Chriſti Jeſu amorem erga genus humanum, quo in arbore Crucis voluit omnes redimere, & animarum, quarum hic innumerabilis eſt numerus, ſaluti proſpicere, te obteſtor, quod ſanctum hoc opus in te ſuſcipias, & eum Rege & colleghis tuis*

Epiſt. Præfecti Minorum de ſtatu hujus Provin.

De Chriſtian. S. Thomæ. vide anno 1502. n. 1. & 2. Gentis conditio.

Peritur converſionis ſubſidium.

Con-

Conſiliariis agas, ut illud promoveant, mittantque ex noſtris Confratribus ſaltem duodecim electos ex Provinciis Bæticæ, & Angelorum, quorum vita cenſeatur Apoſtolica. Mittantur inſuper ſub perito aliquo camporum Præfecto multi agricolæ, qui plus proficient quam milites; hi etenim indigenæ amore vincendi, non ferro vincendi ſunt. Si enim exacerbentur, potenter offendent, ſunt namque lacertoſi, viribus potentes, ſtatura proceri, armigeri, pilis, arcu & ſagittis feroces. Pro comperto etiam habeas propter pravos mores, avaritiam ſævamque crudelitatem noſtrorum militum, & Ducum, illos, niſi remedium adhibeatur, contemptui habituros fidem Chriſtianam; qui enim in tenera hac Religionis infantia juxta noſtram catecheſin Dei mandata ad unguem alacriter obſervant, dum perſpexerint in fide provectos Hiſpanos, adeo longe a Dei præceptis recedere, nos ſibi illuxiſſe clamabunt, & ad priſtina redibunt præſtigia. Heu quantum mali ubique invehitur vita probroſa Pſeudo-Chriſtianorum! Accedant itaque agricolæ multi, opifices &c. afferant armenta, ferrum. Et poſt multa hujus argumenti conſilia in rem publicam, & domeſticam utilia, ſubjungit. *His artibus apud gentem hanc plus proficit res Eccleſiaſtica & civilis, quam apud alias: facili etiam negotio attrahuntur ad fidem, & libenter ejus ſuavi jugo colla ſubjiciunt. Hoc experimur nos quotidie; dum quinque noſtrum opera, Jeſum Chriſtum Deum verum maxima ex parte iſti confitentur, ſequi nobis omnes abſque victoribus aut debellatoribus dedunt, & fideliter credunt. Tanta quidem eſt ad nos gentis acceſſio, ut recipiendis non ſufficiamus. Ego inſuper in Domino confido, quod antequam hæc epiſtola ad te pervenerit, terrarum ſpatium ultra leucas octoginta ad fidem convertemus. Proinde denuo precor, ut tecum tuus ille Indicus Senatus in opus hoc diligenter advertat, nec tantum boni operis deperdi permittat, rationem inde redditurus in die poſtremi judicii. Mittendi accedant ad portum* de Don Rodrigo, *vel ad inſulam ſanctæ Catarinæ, ubi ſtatim quoſdam ex noſtris reperient, & abunde omni carnium genere, ferinæ, domeſticæ, altilium, & piſcium veſci licebit, atque aura frui ſaluberrima, ita ut ad provectæ ſenectutis tædium frequenter vita protrahatur. Hanc ergo regionem deſpicere non expediet, ubi omnia ſuppetunt vitæ commoda, & quod potiſſimum eſt, in qua tantum fieri poſſit lucrum animarum. Provinciæ ego nomen impoſui* Jeſus, *cujus virtute ſubjugatur, & tot in illa fiunt prodigia. Dignetur Divina Pietas propter pretioſum Chriſti Sanguinem, quo ſumus redempti, tuum tuorumque ſociorum intellectus illuminare, ut tam ſanctæ operæ providcant, & Regi inſpirare, ut hoc vobis præcipiat. Donec ſciam te huic rei manum admoviſſe, ad Regem non ſcribam. Scio enim ſine te nihil factiurum: ſed ſpero in Deo noſtro, per te inchoandi operis, bonum finem conſecuturum. Deus reverendam tuam perſonam in ſuo ſancto obſequio diu conſervet incolumem. Data in portu ſancti Franciſci Provinciæ* Jeſus *prope Portum D. Roderici, die* 1. *Maii anno* MDXXXVIII.

Tuæ Dominationis.

Humillimus Sacellanus
Fr. Bernardus de Armentia
Commiſſarius Fluminis *de la Plata*.

IV. In provincia Mexicana indefeſſe etiam Apoſtolico muneri docendarum gentium incumbebant Minoritæ, quorum Superior Antonius Civitatenſis, de quo anno ſuperiori, poſt miſſos quinque per oras maris Septentrionalis, hoc anno alios tres deſtinavit per maritima Auſtralia, arrepta occaſione expeditionis a Marchione Vallis Ferdinando Corteſio pro explo-

ran-

randis illis regionibus ſuſceptæ. At cum exploratoribus & Præfectis militum, quas viderant terræ, utpote pauperes & incultæ, non placerent, vela verterunt, ſalutemque gentis miſeræ & pauperculæ neglexerunt, reductis ſecum miniſtris Evangelii. Quod ubi percepit prædictus Antonius, ad laceram gentem & convulſam miſit terreſtri itinere alios duos ad novam uſque Galiciam & Xaliſcum, qui a mari Auſtrali ad Septentrionem deflecterent, ſalutis remedium illis populis allaturi. Socium itineris habuerunt Ducem Hiſpanum, auri famæque avidum, qui poſt dies aliquot a Fratribus ad dexteram deflexit, putans meliores terras, & magis opima ſpolia ex illa parte expectanda, quam ad lævam, quo Fratres pergendum eſſe omnino contendebant. At illum fefellit ſpes, dum poſt emenſum longum & pœnoſum iter, in conſpectu habuit montes altiſſimos, infructiferos, quorum juga improbo labore ſuperare operæ pretium non duxit, abſque ulla ſpe detegendæ felicioris regionis. Caſſo itaque itinere, ad Mexicanos rediit, illumque paulo poſt ſequutus eſt ex Fratribus unus, quem pervicaci morbo afflictum a miſſione oportuit redire. Alter imperterritus, patienſque laborum ultra perrexit, comites habens duos Indicos interpretes, tamdemque pervenit ad populum numeroſum, ſed inopem, qui totus in occurſum effuſus, eum cum jubilo excepit, tamquam e cœlo dilapſum, & Dei nuncium, tactis oſculatiſque veſtibus cum ſumma reverentia.

V. Inſtructis his, alias luſtraturus terras, contemptis viarum incommodis & periculis, amplius proceſſit. Sed ex populis, quos docebat, ſequebantur modo trecenti, modo quadringenti, quaſi ſui præceptoris cuſtodes, & proviſores, ex uno loco ad alium deducentes, & ex venationibus, quarum erant peritiſſimi, ſuſtentantes. Ita alternantes ſequelam, circumduxerunt eum per leucas ultra ducentas, injecto fructiferæ terræ ſemine copioſo, quod fructum attulit ingentem. Per omnem hunc circuitum conſtanti fama percepit, ultra interjectos montes & fluvios ſupereſſe populum numeroſum, locupletem, civilem, domos cæmentitias & amplas habitantem, multas inſuper urbes & oppida muris munita, ad littora latiſſimi fluminis ex utroque latere conſtructa, quorum Reguli frequenter ſemet invicem hoſtiliter invadunt, terramque ipſam armentis, variis animalibus humano uſui opportunis, optimiſque fructibus abundare. Illuc proficiſci abſque comite inconſultum ratus, timens ne ſi ipſe periret, cum illo etiam ſepeliretur rei tanti momenti notitia, ſtatuit reverti ad Mexicanum Proregem, & quæ vidit, fecit, audivit, enarrare. Tam opimæ fertiliſque terræ potiundæ in ſpem erectus Antonius Mendoza, qui pro Rege Mexicum novamque Hiſpaniam regebat, anno ſequenti ſtatuit illo proficiſci, gentemque, uti religioſus nuntius ſuadebat, non ferro ſubjugare, ſed prædicatione evangelica ad veram fidem attrahere, & Chriſtiana pietate ac manſuetudine ad Hiſpanorum fœdera convocare. Quid porro factum ſit, annis dicetur ſequentibus.

Moritur Franciſcus de Gatta. *To. 15. An. 1505. n. 41. Marc. 3. p. l. 9. c. 19. Daza 4. p. l. 1. c. 41. Cunha hiſtor. Braccar. tom. 2. c. 73.* Ejus vita & mores.

VI. Sub hunc annum deceſſit apud Conventum ſanctæ Mariæ de Conſolatione ad villam Borbæ in Luſitania, quod alias inſinuavimus, Franciſcus de monte, oppidoque Gattæ, in Caſtella notiſſimis. Adoleſcens, dum in vinea laboraret, imbremque ſub ſpecu fugeret, clara voce interpellatus exivit, ſtatimque clivus ille collis dehiſcens, parum abfuit, quin illum oppreſſerit. Divinum ſervatæ vitæ agnoſcens beneficium, grato animo ſtatuit Deo extra mundi frequentia pericula inſervire. Placuit ſanctum Franciſcum ſectari in provincia Pietatis, novella, ſed exacta tunc ſchola ſtrictioris Obſervantiæ. In ſtatu laicali mira maceravit corpus abſtinentia, toto corpore cili-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Mino-
1538.	an. 4. & 5.	anno 20.	rum anno 331.

cilicio contectus, juſculento, injectis aqua frigida & cinere inſipido, fruſtuliſque panis contentus, potu nullo per integram adhibito Quadrageſimam, ſitienti aridoque corpori promittens ſe ſatisfacturum in die ſolemni Reſurrectionis. Singulis diebus per horas binas ſe flagellabat, & inter flagella attente recitabat paſſionem Chriſti ex Evangelio ſancti Joannis, quod integre memoriter tenebat, etſi numquam legere didicerit. Duabus horis ante noctis medium deſcendebat in templum, quarum prima vapulabat, ſecunda orabat, donec Fratres ad matutinas preces excitabat; demum quartam poſt horam modico ſomno indulgebat. In oratione ſæpius extra ſe ferebatur, & aliquando in horto ligoni innixus, in Deum raptus, & pro mortuo a quodam tirone reputatus, a cunctis Fratribus ad ſpectaculum vocatis, viſus eſt per longum tempus in extaſi perſeveraſſe.

VII. Spiritu prophetico multa prædixit, idque præſertim, quod Didaco a Soſa Archiepiſcopo Braccarenſi, ſe illius orationibus commendanti, dum ad ſancti Fructuoſi Cœnobium extra Braccaram Dei ſervus habitaret, poſt aliquot dies ſeorſim vocato, ſecreto dixerit, ut morti cito adſuturæ ſe præpararet. Pro illa opinione, quam de virtute & pietate hominis conceperat Archiepiſcopus, ſtatim, condito teſtamento, animaque Sacramentis rite procurata, ſano & vegeto adhuc corpore, quarto poſt die paralyſi correptus interiit. Factum hoc præter alios refert ejuſdem Didaci ſucceſſor, Rodericus a Cunha Archiepiſcopus Braccarenſis, poſtea Ulyſſiponenſis, in hiſtoria quam ſcripſit Braccarenſium Antiſtitum. Addit vero Marcus Ulyſſiponenſis, illum ejuſdem Didaci Archiepiſcopi famulo roganti, ut pro anima heri Deum deprecaretur, reſpondiſſe, aliquanto paſſuram, ſed bene ſe habituram. Cum Carolus V. expeditionem pararet in Turcas Tuniſii, ejus conjux miſit ad Virum Dei, qui conſuleret, an bene de tanto belli apparatu eſſet ſperandum? Nuncium remiſit, qui diceret Imperatrici: Deo placere Chriſtianum hunc Imperatoris conatum, eumque cum triumpho rediturum: quod fortiſſimi munimenti glorioſa expugnatio poſtea ſubſecuta aperte confirmavit. Accedentem ad ſe virum ſecularem, utque pro ſe ſalutationem Angelicam vel ſemel recitaret, deprecantem indignabundus repulit, addita cauſa repulſæ, quod fruſtra pro indigno peccatore peccatis immerſo, a quo longe ſalus aberat, hæc fieret oratio. Hoc confuſus reſponſo, & perterritus miſellus, cœpit pœnitere, abſterſiſque Sacramento delictis, Ordinem ſancti Franciſci in eadem provincia Pietatis ingreſſus, religioſe vixit & obiit.

VIII. Rogante Brigantina Duciſſa, ut a Superiore Braccara ad Conventum Borbenſem vocaretur, dolens quod a tanta Heroina tanti fieret, juſſus acceſſit, & in ipſo introitu narravit, ſibi ante annos decem revelatum fuiſſe, quod illo in loco vitam terminaret. Horribiles frequenteſque illic habuit cum pravis Angelis conflictus; non enim ferre poterant tantam in oratione aſſiduitatem animique tranquillitatem, multiſque proinde modis turbabant, & lectuli ſæpe vilia tegmina ſurripiebant, ne caleſceret aut dormiret. Quod ubi Guardiano narravit, præceptum accepit, ut per ſanctam obedientiam imperaret, ne deinceps pauperculos pannos ſurriperent. In cellam nocte ſequenti irruentibus ita præcepit ſui Guardiani nomine, cui parentes, amplius non ſunt auſi pauperculum ſenem irritare. Grandævus ubi deceſſit, ad funus accurrit univerſus populus, multaque venerationis adhibuit argumenta. Sepultus eſt in clauſtro prope oſtium ſacelli, miraculis clarus. Sepulcri pulvis multis malis medetur, & in magna ſervantur reverentia cilicium, roſarium, aliæque ejus exuviæ. Joanna de Mendoza Jacobi Ducis Brigantini conjux ſecunda, obtinuit ſibi dari ejus tunicam; ejuſdem-

que Ducis filiæ Iſabellæ Eduardi Infantis uxori, datum eſt mantellum, in quibus utraque voluit ſepeliri.

Confirmatur reformatio Provin. Aqoitaniæ. An. 1535. n. 31.

IX. Incorporatam Regularis Obſervantiæ Inſtituto provinciam Aquitaniæ in Capitulo Nicienſi ſupra diximus: ut vero firmius perſeveraret hæc incorporatio, Fratres confirmatam voluerunt a Paulo Pontifice. Dedit ille hoc anno litteras ſequentes.

Ad futuram rei memoriam.

Reg. Vat. fol. 96.

EXponi nobis nuper fecerunt Fratres Ordinis Minorum, olim Conventualium, nunc vero Reformatorum nuncupatorum provinciæ Aquitaniæ, quod dudum quondam Paulus Parmenſis Ordinis Fratrum Minorum, Obſervantum nuncupatorum Miniſter Generalis, & deinde dicto Paulo e media ſublato, dilectus filius Leonardus Publicius dicti Ordinis de Obſervantia Vicarius Generalis, ultimo vero Vincentius Lunellus, totius ejuſdem Ordinis, de Obſervantia nuncupati Miniſter Generalis, pro proſpero ſtatu, ac felici regimine ipſorum exponentium, annis proxime elapſis in Capitulo Generali in domo & Monaſterio ſanctæ Crucis prope & extra muros Nicien. Civitatis dicti Ordinis ultimo celebrato, una cum ipſo Generali Capitulo, ob conſcientiarum ſerenitatem, necnon ad diſcordias & diſſidia, quæ inter de Obſervantia & Conventuales nuncupatos Fratres quotidie exoriebantur, tollenda, omnes & ſingulas domos ejuſdem Ordinis, ubi olim Conventuales, nunc vero de Obſervantia nuncupati Fratres dictæ provinciæ, ſecundum ejuſdem Ordinis Regularem Obſervantiam, ad inſtar Franciæ, Burgundiæ & Turoniæ provinciarum, cum eiſdem privilegiis, immunitatibus & exemptionibus ſibi conceſſis, quibus gaudere conſueverunt, curæ & obedientiæ pro tempore exiſtentis Miniſtri Generalis dicti Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum receperunt, admiſerunt & incorporarunt, receptoſque & admiſſos ac incorporatos omnibus & ſingulis privilegiis ac gratiis olim provinciis & Fratribus, de Obſervantia nuncupatis, conceſſis gaudere decreverunt, necnon omnibus dicti Ordinis Fratribus ne aliquid contra receptionem, admiſſionem & incorporationem hujuſmodi agere, attentare ſeu procurare præſumerent ſub certis cenſuris & pœnis inhibuerunt, prout in variis eorum deſuper confectis inſtrumentis plenius dicitur contineri. Quare pro parte dictorum Fratrum provinciæ Aquitaniæ præfatæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut receptioni, admiſſioni & incorporationi hujuſmodi, pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, atque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui concordiam ac conſcientiarum ſerenitatem præcipue inter Religioſas perſonas vigere noſtris potiſſime temporibus ſummis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, inſtrumentorum prædictorum formas, continentias & tenores præſentibus pro expreſſis habentes, receptionem, admiſſionem, incorporationem hujuſmodi auctoritate Apoſtolica per præſentes approbamus & confirmamus, illiſque perpetuæ firmitatis robur adjicimus, ac inviolabiliter obſervari debere: necnon irritum & inane, ſi ſecus quidquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, decernimus: omneſque & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus. Et nihilominus dilectis filiis Archidiacono, & Cantori Eccleſiæ Toloſanæ, & Vicario venerabilis fratris Archiepiſcopi Toloſani in ſpiritualibus generali, & eorum cuilibet harum ſerie committimus & mandamus, quatenus præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quo-

quoties pro parte dictorum Fratrum provinciæ Aquitaniæ fuerint desuper requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficaeis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque firmiter observari, ac singulos, quos ipsæ præsentes concernunt, illis pacifice gaudere; non permittentes eos desuper contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, impediri vel perturbari. Contradictores quoslibet & rebelles per censuras Ecclesiasticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necuon privilegiis & indultis, ac litteris Apostolicis, Mare magnum, *aut aliis nuncupatis, eidem Ordini illiusque personis in genere vel in specie, sub quibusvis verborum formis & clausulis, motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine forsan concessis. Quibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, illorum tenores pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice, dumtaxat specialiter & expresse derogamus: quodque aliquibus ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Tiburi sub anulo Piscatoris, die* IV. *Septembris* MDXXXVIII. *Pontificatus nostri anno* IV. *Blosius.*

X. Tertium hoc anno Capitulum Generale Patres celebrant Capuccini Florentiæ, ut successorem dent Bernardino Astensi viro optimo, & prudenti Prælato, qui hoc tempore decessit prope Fanum in Cœnobio sancti Eliæ. Substitutus est majori suffragiorum parte Bernardinus Ochynus Senensis, vir tunc prudens & sagax, ac sui temporis celeberrimus concionator, sed postea inconstans in viis suis. Capit. Gener. Capuccinorum Florentiæ. *Bover. hoc ann. num. 9.*

XI. Assumptus est hoc anno ad Archiepiscopatum Naxien. & Parien. in Archipelago, frater Joseph de Montanaris Conventualis * per obitum Jacobi de Cupis die XXIII. Septembris: obiit anno MDXL. Ad Syren. sub Archiep. Athenarum certo modo vacantem, frater Ubertinus Gerattus Convent. IX. Kalendas Octobris. Ad Ebronen. in Patriarchatu Hierosolymitano exemptum, & suffraganeus Georgii ab Egmont Episcopi Ultrajectini, frater Bonaventura ab Oldennel, per obitum Laurentii Ducis, die penultima Octob. obiit Ultrajecti anno sequenti. Transfertur ab Ecclesiis Zianen. & Firmen. unitis ad Melipotanen. & Chironen. unitas, sub Archiep. Cretensi, frater Dionysius N. per obitum Vincentii de Masseriis die XI. Decembris. Fr. Joseph Archiep. Parien. * *Al.* de Observantia. Fr. Ubertinus Episcop. Syren. Fr. Bonaventura Ebronen. Fr. Dionysius Chironen.

XII. Circa hoc tempus Trioclenses, sive populus Randatianus in Sicilia, Fratribus Regularis Observantiæ domum posuerunt sub invocatione sanctæ Mariæ de Jesu, quibus abunde necessaria quæque subministrarunt, eosque continuo prosequuntur affectu, ob Religiosorum vitam exemplarem, inter quos summa pietate claruerunt Guillelmus ab Intimelio, provinciæ Siculæ Vicarius, Ludovicus Calatagironensis, Paulus a Randatio, de quo dicemus paulo inferius, laici sive conversi professi, decenti loco sepulti, & a populo ob miracula quæ ibi contingunt, habiti in veneratione. Conv. Randatii. *Gonz. in provin. Sicil. Conv.* 21. Guillel. ab Intimelio. Ludov. a Calatager. Paulus a Randatio. *An.* 1540.

XIII. Ex litteris seu diplomate Guidonis Ascanii Sfortiæ Cardinalis de sancta Flora S. R. E. Camerarii, habeo Fratres Observantes provinciæ sancti Petri de Monte aureo hoc anno Conventum habuisse Placentiæ, sub titulo sancti Bernardini, & singulis annis ex liberali concessione pro subven- Conv. Placentiæ.

tione Fratrum per annos ſexdecim recepiſſe de pecuniis Cameræ Apoſtolicæ ſeptuaginta quatuor libras monetæ Placentinæ; quas etiam in annos futuros eis ſolvi debere declaravit die 11. Octobris.

Conv. Paduliæ. *Rodul. fol. 276.*

XIV. Datus eſt hoc anno die XIV. Julii Patribus Conventualibus locus Paduliæ, in provincia Terræ laboris, & Cuſtodia Beneventana, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Laureto. Conceſſio facta per Univerſitatem; cum aſſenſu Domini Joannis Bernardini Carboni, qui oppidum poſſidebat. Ibi floruit Magiſter Pardus, celebris concionator.

Tom. 3. an. 1346. n. 16.

Conv. Peronenſis.

XV. Dedimus ſuo loco originem Conventus Peronenſis in provincia Franciæ, Noviomen. diœceſis, & diximus deſtructum fuiſſe an. MDXXXVI. a Duce Vandomienſi, propter periculum, quod ex illis ædificiis in ſuburbio poſitis, urbi imminebat. Ut damnum reſarciret Franciſcus Rex Galliarum, hoc anno impetravit a Pontifice licentiam alium ædificandi intra urbem, quod & factum eſt, uti ſuo loco narravimus: *Exponi nobis nuper feciſti*. die XVIII. Septemb. Reformatus eſt hoc anno Conventus Caſſellenſis in Hibernia.

Conv. Caſſellenſis.

Conv. Lithuanici.

XVI. Magnum erat fidei incrementum hoc tempore in Ducatu Lithuaniæ, & ad omnes fere urbes & oppida vocabantur Fratres Regularis Obſervantiæ; quapropter Paulus Pontifex olim facultatem dedit, ut ultra quas eatenus domos in illa habebant Provincia, alias viginti poſſent acquirere; eamdemque confirmavit hoc anno conceſſionem: *Alias tuis ſupplicationibus inclinati*. die XXVIII. Septembris.

Conv. Caſtri franci. *Bover. hoc ann. num. 1.*

XVII. Catarina Cornaria, olim Cypri Regina, ſub mortem Venetiis ſancivit, ut Cornarii ſui germani Fratres, ex aſſe hæredes, Fratribus Regularis Obſervantiæ Cœnobium prope Caſtrum Francum extruerent. Florentia vidua Georgii Cornarii, Catarinæ fratris olim conjux, cum opus negligi videret, ſuadente fratre Bonaventura Veneto, inſigni concionatore, & Reginæ olim a confeſſionibus, emptis quibuſdam domibus, & amplo pomario, Eccleſiam ſub titulo ſanctæ Mariæ Angelorum, & humilem Conventum ſub nomine Eremi, prope lacunam ædificavit. Cum autem Bonaventura Bernardinum Ochynum Senenſem, celebrem tunc inter Capuccinos virum, & inter ſeculares concionatorem, prædicantem non ſemel audiiſſet, ſe ſuumque Cœnobiolum illi tradidit, ut utrumque ſuæ aggregaret ſocietati. Ita primam hanc ſedem Capuccini Venetiis poſuerunt, quæ in majorem crevit amplitudinem, dum anno MDLXXVII. Senatus ob ſolemne votum, illuſtriſſimum illic templum conſtruxit. Quintum hoc eſt provinciæ Venetæ hujus Inſtituti Cœnobium, primum namque Verooæ, ſecundum Mantuæ, tertium Patavii, quartum Schii in agro Vincentino fuerat extructum.

Conv. alii Capuccinorum in prov. Veneta.

Conv. Genuen. *Indid. n. 4.*

XVIII. Aliud hoc anno, ſub titulo ſancti Barnabæ Apoſtoli ejuſdem Inſtituti Profeſſoribus, non longe ab urbe Genuenſi poſuerunt Rectores Hoſpitalis Incurabilium, empto fundo a Patribus Dominicanis. Inde hujus beneficii occaſio, quod Religioſi Capuccini e delubro quodam ſancti Columbani, & pauculis cellis prope hoſpitale conſtructis, ad quotidianam infirmorum curam aliquot annorum ſpatio indefeſſam ac ſedulam in hujuſmodi pietatis officiis operam navarint. Aliquot ex his Fratribus inter hæc miniſteria defuncti, & in æde ſancti Columbani ſepulti, poſt annos multos incorrupti, & integri fuerunt reperti.

Conv. S. Angeli in Vado. *Indid. n. 7.*

XIX. Typherni Metaurenſis, ſeu oppidi ſancti Angeli in Vado Conventus a fratre Ubertino, illic orto, pro ſe aliiſque Fratribus Conventualibus, qui reformandæ Religioni ſtudebant, ope Aureliæ Ubaldinæ conſtructus,

ctus, dum Joannis a Fano, illic hoc anno prædicantis, præclaris virtutum exemplis incolæ commoverentur, ad Capuccinos translatus est. Similiter factum est in Conventu Senaciani, transeuntibus item Conventualibus reformatis qui inhabitabant, auctore præsertim Ægidio Typhernate, ad Capuccinos. Con. Senaciani.

XX. Joannes a Leone, Petri a Fonte, ex asse hæres, facultatibus sibi legatis hoc anno instituit Monasterium Clarissarum Urbanistarum intra muros oppidi Fontis Sambuci, suæ patriæ, diœcesis Salmanticensis, obtenta prius facultate Pauli Pontificis, ut prædictas facultates in alium usum pium a testatore destinatas, in istum liceret convertere. Mon. Fontis Sambuci. *Gonz. in provin. S. Jacobi Mon. 13.*

XXI. Aliud Salmanticæ earum Urbanistarum extruxit Christophorus Suarez, Regius Quæstor, habita prius facultate a Nuncio Apostolico Joanne Poggio, quam sub annum MDXLI. Paulus Pontifex confirmavit. Titulum habet Monasterium Corporis Christi, unde ex fundatoris Instituto Sorores in scapulario ad pectus crucem gestant sericeam rubeam, & in medio ejus calicem cum hostia desuper erecta. Mon. Salamanticum. *Indid. Mon. 14.*

XXII. Cœpit hoc anno Rodericus ab Ocampo in suburbio Granatensi Monasterium tertium fabricare, sed morte præventus, absolvere non potuit. Absolverunt alii Viri pii, conquisitis variis adminiculis, & inhabitandum tradiderunt Tertii Ordinis Sororibus. Istæ vero ex indulto Pii V. anno MDLXVII. ad sanctæ Claræ Institutum transierunt. Obiit hic an. MDLXIII. Leonora a sancto Joanne, prima loci Abbatissa, oratione, Divinarum rerum contemplatione, aliisque virtutibus, & continua lacrymarum pro Christo passo profusione, magnam sanctitatis opinionem inter suas consecuta. Mon. Granatense. *Idem in provin. Granat. Mon. 17.* Leonora a sancto Joanne.

XXIII. Apud Ultrajectum, Adriani VI. optimi Pontificis patriam, quatuor erant isto tempore Sororum Tertii Ordinis domicilia, videlicet sanctæ Ceciliæ, sanctæ Agnetis, sancti Nicolai, & in suburbiis quartum, a Bethlehem nuncupatum, quæ nunc sub hæreticis perierunt. Domus quatuor Ultrajectinorum Tert. Ord.

XXIV. Sorores ejusdem Instituti in provincia Castellæ, & præsertim in Monasterio sancti Joannis de Pœnitentia, oppidi Complutensis, Toletanæ diœcesis, quibusdam scrupulis circa obligationem jejunii agitatæ, a Paulo Pontifice hoc anno impetrarunt declarationem, se non teneri sub reatu peccati mortalis ad jejunandum, nisi illis diebus ab Ecclesia reliquis fidelibus, idque secundum regionem varias consuetudines, præscriptis: *Exponi nobis nuper fecisti*. die XI. Octobris. Sorores Tertiariæ ad quæ jejunia tenentur.

XXV. Maria Longa genere Hispana, Joannis primi Cancellariæ Regentis olim uxor, postquam sua ope & opera in urbe Neapolitana Hospitale Incurabilium fundavit, Monasterium etiam Clarissarum, sub cura Clericorum Regularium, qui Theatini nuncupantur, prope commorantium. Sed cum illinc recederent, summis precibus Maria a Capuccinis obtinuit, ut domus curam per aliquod temporis spatium suscipiant. Ubi hæc obtinet, & ipsa se Monialium cœtui adsociat, & primam sanctæ Claræ Regulam cum reliquis Sororibus, Patribus hortantibus, amplectitur, a Pontifice impetrat, ut illos in Monasterii administratione confirmet: *Cum Monasterium Monialium*. die X. Decembris. Mon. Neapolitanum. *Bover. hoc ann. n. 25.*

XXVI. Concessit hoc anno Pontifex privilegia duo, unum Fratribus, per quod exemptos voluit a Datiis & Gabellis solvendis, pro rebus suo usui necessariis, quod & Clementem VII. alias concessisse narravimus: *Romani Pontificis*. die XVIII. Decembris. Alterum Sanctimonialibus quibuscumque sub cura & reglmine Fratrum Regularis Observantiæ, per Italiam consistentibus, Privilegia Pontificia.

tibus, ue decimas, aut alia ſubſidia per Sedem Apoſtolicam impoſita ſolverent, niſi pro eo quod ſupereſſet ultra ducatos auri ſeptem pro vita cujuslibet earumdem; quod etiam Clemens VII. antea conceſſerat: *Exponi nobis nuper feciſtis*. die XXVI. Septembris.

Reg. Ciſm. fol. 83. XXVII. Joannes Calvus Commiſſarius Generalis Curiæ pro familia Ciſmontana, die VI. Septembris obtinuit a Pontifice, in Civitate Tiburtina commorante, per vivæ vocis oraculum, confirmationem omnium privilegiorum a ſuis Prædeceſſoribus conceſſorum Fratribus provinciæ Boſnæ Argentinenſis; & præſertim, quod omnibus Chriſtifidelibus in illa regione degentibus potuiſſent miniſtrare omnia Eccleſiaſtica Sacramenta, abſque præjudicio tamen Epiſcoporum & Parochorum. Inſuper pro eiſdem obtinuit, ut vineas habere & colere poſſent, ex quibus vinum Miſſis, & ſuo ſimplici uſui neceſſarium habere poſſent, ſuppoſito, quod inter Turcas paucoſque Chriſtianos, a quibus vinum accipere non poſſent, inhabitabant; quod quidem alias Pontificia auctoritate illis conceſſum fuit in Capitulo Generali Aſſiſiate, ſub Generalatu Franciſci Quiſionii.

ARGUMENTUM.

Mittuntur Minoritæ ad Chichimecas, & Guatimalæ regionem vaſtiſſimam, in qua primum Cuſtodia, deinde Provincia erigitur. Marcus Nicienſis vaſtiſſimas explorat regiones. Vincentius Lunellus Generalis Miniſter mittitur in Germaniam. Joannes Calvus Curiæ Commiſſarius Montem Pietatis inſtituit in Urbe. Floret Petrus Galatinus. Cives Aquilani jubentur reſtituere thecam argenteam corporis ſancti Bernardini, aliamque pretioſam ſuppellectilem. Moriuntur aliquot viri illuſtres. Didacus a Silva promovetur ad inſignem Eccleſiam Braccarenſem, ejuſque merita referuntur: aliique Minoritæ ad inſulas Pontificias promoti. Dilatatur Inſtitutum.

Torrecr. l. 3. c. 22. Mittuntur operarii ad Chichimecas. I. HOc anno miſſi ſunt a Miniſtro provinciæ ſancti Evangelii Fratres duo ad Theulos Chichimecas, homines barbaros, rudes, immanes, omniſque humanitatis pene vacuos, qui inter Ortum atque Arctum paſſim in nemoribus atque campis, ferarum more vagantur, latitantque plerumque in cavernis & abditis ſilvarum, humi ſub dio cubantes, & ferina atque agreſtibus fructibus vitam miſere tolerantes, partim nudi, partim ferarum exuviis leviter tecti, & arcubus atque ſagittis armati, vaſtis corporibus nec indecoris: ceterum helluones & bibones ſtrenui, potione quadam ex agreſtibus radicibus compoſita ſe ſe inebriant. *Chichimecarum* autem nomine deſignantur plurimæ nationes, linguis, ingenio atque inſtitutis plurimum diverſæ: Panues, Capuzes, Samues, Zancæ, Majoliæ, Guamares, Guachichiles, diviſi quidem inter ſe, ſed immanitate morum ſimillimi. Ducentas leucas terrarum ab oppido ſancti Michaelis uſque ad alterum Philippi, ſoli ubertate & aeris temperie inſignes, occupant, omnibus limitaneis novæ Hiſpaniæ provinciis infeſti. Attamen Fratres iſtos, ex veſte & vita non adeo incognitos; illuc enim antea alii penetraverunt Minoritæ, humaniter exceperunt: neque enim ab illis viris utique pacificis & inermibus, animarum dumtaxat curatoribus, ſed ab armatis Hiſpanis, rerum ſuarum rapacibus, patriæ hoſtibus, ſæviſque occupatoribus, ſibi timendum eſſe dicebant. Itaque per univerſam Provinciam diſcurrentes hi duo Evangelici Miniſtri, innumeros Chriſti fide inſtructos, ſacris undis intinxerunt, & mu-

municipia circiter triginta, etsi parvula tercentorum, aut quadringentorum incolarum inconditis casellis agglomeratorum, ad Ecclesiæ Catholicæ gremium adduxerunt. Per montes & silvas vage dispersos, ad cohabitandum, ad formandos sibi populos, & commercia ineunda induxerunt; utque Regis Catholici patrocinium & fidem implorarent persuaserunt, facta sponsione, immunes fore a tributis, nisi ipsis post aliquot annos exigua & spontanea pendere placeret. Et quidem Antonius Mendozius, Mexicanus Prorex, in Fratrum reditu rata habuit, quæ illi cum misella gente pepigerunt.

II. Diximus supra, rogasse Carolum Regem, ut Paulus Pontifex novam institueret Custodiam *Nominis Jesu*, sub provincia sancti Evangelii, quæ Mexicanas terras complectebatur. Ea autem Custodia, ut minor regendi & visitandi labor Ministro superesset, instituebatur in terris Jucatanis & Guatimalæ, inter se longe dissitis, multasque nationes & particulares regiones infra se continentibus. Ita per has terras creverunt celeriter Fratrum domicilia, ut primum in Custodias, mox in Provincias coaluerint. Ad Guatimalam vero, cui postea honorificus adhæsit titulus *Nominis Jesu*, quæque ad littus maris longe lateque se extendit, hoc ipso anno missi sunt a Vincentio Lunello Ministro Generali, & Gabriele Taurino Ministro provinciæ sancti Jacobi, Minoritæ sex, Alphonsus Eras, Didscus Ordoñez, Alphonsus Bustillo, Didacus Alvachius sive Pesquius, Gonsalvus Mendez, & Franciscus de Valderas laicus, omnes ejusdem Provinciæ alumni: sed in Portu Veræ Crucis hærentes, nonnisi ad finem anni sequentis, mortuo suo superiore prædicto Alphonso de Eras, post plurimas itineris difficultates, & ultra milliarium mille pedibus emensum, tandem Guatimalam pervenerunt. In urbe præcipua, S. Jacobi nuncupata, ab Hispanis & Indis perhumaniter excepti, dum tantæ messi quanta illic parabatur, impares essent, Valderam laicum remittendum judicarunt in Hispaniam, ut Fratres adsciseeret auxiliares. Diligentissime commissum sibi munus ille peregit, ex eadem Provincia evocatis duodecim consociis, qui ante biennium incolumes appulerunt ad partes Mexicanas, ex quibus, dum ad Guatimalanas pergunt, aeris intemperie & molesti itineris longitudine major pars interiit. Successerunt demum sub annum MDXLV. multi Fratres (ducentos enumerat Gonzaga) ex omnibus Hispaniæ provinciis adlecti, ductore Jacobo a Testera Commissario Generali Indiarum, qui per varias Indiarum partes eos distribuit, relictis in Conventu Guatimalæ duodecim supradictæ sancti Jacobi provinciæ alumnis, per quos crevit cum fide Catholica Fratrum numerus, & stabilita est nova Custodia.

An. 1536. a.a. accipiunt Custodia Nominis Jesu.

Gonz. in prov. Guatimal. princip.

Mittuntur sex Fratres ad Guatimalam.

Deinde duodecim.

Mox ducenti.

III. Usque ad numerosam hanc sociorum accessionem incredibile est, quanto fervore & labore vastissimam illam Dei vineam coluerint pauci illi, qui præerant operarii. Ex baptizatorum numero, quem solertes aliquot viri, ad illos calculos, quos supra dedimus, quantum fieri potuit, exacte reduxerunt, constat ab illorum ingressu ante annos sexdecim, usque ad præsentem de quo scribimus, vel sequentem, incredibilem ferme numerum Indorum a solis Franciscanis sacris undis fuisse regeneratum. In solo anno MDXXXVII. observatum est, baptizata fuisse ex parvulis & adultis plusquam quingenta millia, ex quibus in sola provincia Tepuacana numerati sunt ultra sexaginta millia. Qui ceteris plus in hoc ministerio laborarunt adnotantur Martinus a Valentia, primus verusque novæ Hispaniæ Apostolus, Garçias Cisneros, Joannes Canus, Joannes Perpinianensis, Franciscus a Faventia, Turibius Motolinius, quorum aliqui ultra tercentum mille baptizarunt.

An. 1537. n. 3.

IV. Di-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno
1539.	an. 5. & 6.	anno 21.	332.

Num. 4. Herrer. dec. 6. lib. 7. c. 7. & ſeqq. Turrecrem. citat. Garcilaſ. in hiſtor. Peruana lib. 2. cap. 16. Relatio apud Ramuſ. 3. navig. fol. 356.

IV. Diximus anno ſuperiori religioſum illum terrarum exploratorem ab Antonio Civitatenſi Provinciali Miniſtro miſſum, in regreſſu optima quæque ex aliorum fama de terris nondum ſubactis Antonio Mendozio, Proregi Mexicano, narraſſe, atque hunc in ſpem magnam potiundarum erectum, ſtatuiſſe ad illas partes navigare. Sed hoc anno, compoſitis controverſiis cum Marchione Vallenſi, aliiſque qui expeditionem hanc, & terrarum ſubjugandarum regimen ad ſe ſpectare contendebant, ſtatuit rem totam committere Franciſco Vaſquio de Coronado, novæ Gallæciæ Præfecto. Socium dedit itineris, & converſionis præcipuum Miniſtrum fratrem Marcum de Nicia, Sabaudum, Minoritam, virum induſtrium, & ſalutis animarum ſitibundum. Juſſit ut hic præcederet cum fratre Honorato conſodale adoleſcentulo Nigrita, Stephanalo, Hiſpanis *Eſtevanico*, quem cognominabant *Dorantes*, olimque ſocium habuerunt & interpretem, Pamphilius Narvezius, aliique exploratores Provinciarum Floridæ, & Indis ſex, qui Hiſpanicum idioma jam callebant, & juxta inſtructionem, quam acceperat, tam Religionis Chriſtianæ, quam Regis Hiſpani momenta promoveret, ac ſecundum itineris diſcurſus, opportune miſſis internunciis, quid ageret, quid agendum judicaret, admoneret.

Deſtinatur Marcus a Nicia terrarum explorator.

V. Movit ille die VII. Martii ab oppido ſancti Michaelis Provinciæ Culiacan, verſus Petatlan, locum ſexaginta leucarum intervallo a dicto oppido diſſitum, ab indigenis ubique hoſpitaliter exceptus. Hic ſocium ægrum relinquens, cum reliquis proceſſit; & licet indigenæ, per quorum fines ipſi iter erat, ſumma Annonæ penuria laborarent, utpote qui integro triennio parce admodum ſementem fecerant, nihil tamen ipſi deſuit. Triginta porro leucarum itinere nihil memorabile ab ipſo obſervatum fuit, præterquam quod Inſulares quidam barbari ad ipſum venerunt ab Inſula, jam ante a Marchione Vallenſi viſa & luſtrata; itemque ex altera paulo remotiore, qui fragmenta quædam Concharum Margaritiferarum circa cervicem geſtabant, & Margaritarum copiam apud inſulam ſuam reperiri teſtabantur, licet nullas ipſi exhiberent, pluresque minores inſulas juxta ſitas eſſe, quæ vili atque inopi popello incolerentur.

VI. Hinc per diſertum quatridui itinere cum plurimis barbaris, qui illum ſponte comitabantur, profectus, alios rurſus barbaros obvios habuit, qui non tantum ad Europæorum habitum, quos numquam antea viderant, ſtupebant, ſed & barbaros tanta ſolitudinis intercapedine, ſibi prorſus incognitos, admirabantur. Hic cum ſumma veneratione fuit exceptus, indigenis barbaris non tantum large commeatum præbentibus, ſed & veſtimenta illius religioſe contrectantibus, ipſumque *Hayotam*, id eſt, Divinum Virum appellantibus. Ipſe veri Dei & Cæſaris cognitionem ipſis per interpretes prædicabat; illi autem viciſſim narrabant, quatridui a ſuis finibus itinere verſus mediterranea, latiſſimam planitiem habitari ab indigenis, qui & veſtibus induerentur, & aures atque nares lapillis quibuſdam viridi colore ornarent; illo denique metalli genere abundarent, quod ipſis oſtenderat, id autem erat aurum, ita ut & vaſis aureis uterentur, & Templorum ſuorum parietes aureis laminis incruſtarent; verum tamen quia juſſus erat haud longe a mari intra continentem divergere, iter ad illam Provinciam diſtulit.

VII. Dehinc quatridui itinere per eorumdem populorum fines confecto, venit *Vapacam*, circiter quadraginta leucas diſtantem a mari, ubi feſto Paſchatis ſubſtitit, & Americanos quidem, qui illum comitabantur, tribus diverſis itineribus ad mare, Nigritam autem recta ad Septentrionem mandans,

dans, ut ſimul ac quid magni aut memorabilis offendiſſet, ſe ſe per nuntios certiorem faceret. Vix quatriduo præceſſerat Nigrita, cum nuncius ab ipſo advenit, obnixe flagitans, ut ſequi properaret: famam enim ampliſſimæ Provinciæ, quæ *Cibola* vocaretur, ad aures ipſius accidiſſe, nec longius illam, quam triginta dierum itinere abeſſe: illic ſeptem ingentia atque incolis frequentiſſima oppida uni Principi parere, oppidanos veſtibus uti, domos e lapidibus & cæmento affabre conſtructas, & conjunctim diſpoſitas eſſe, ſuperlimina portarum cyaneis gemmis, *Turcoides* vocant, ornata, Americanus, qui a Nigrita venerat, narrabat.

VIII. Eodem tempore, qui ad mare requirendum miſſi fuerant, ipſo Paſchatis die reverſi, retulerunt triginta quatuor inſulas a ſe viſas, & inſulares aliquot adduxerunt, qui parmas aliquot bovillo corio obductas, foraminibus prope brachii retinacula, per quæ aſpicere hoſtes licebat, frequentes, & quæ totum corpus obtegebant, Marco obtulerunt. Venere & tres barbari ab Orientali plaga, pectus atque brachia picti, unde illos *Pintados* appellavit, qui ſe ſeptem illorum oppidorum vicinos ferebant. Atque his aſſumptis, iter quod Nigrita indicaverat, proſequi cœpit, & mox alios atque alios nuntios obvios habuit, qui rogabant, ut properaret, fama enim *Cibolæ*, & trium Regnorum *Maratæ*, *Acus*, & *Tonteac*, in dies increbreſcere & confirmari. Ab his populis fuit benigne & honorifice receptus, ubique cibo & potu abunde cum ſuis recreatus, eaque habitus opinione, ut infirmos ab eo curandos afferrent, quos ille Cruce ſignatos, recitatis ſuper capita ſacris Evangeliis, lætos dimittebat. Pelles Cibolanas optime curatas ei offerebant obvii populi, ſed & ultra proficiſcentem ſemper illi tres depicti comitabantur. Occurrerunt alii, qui Cibolæ famam adauxerunt, & Nigritam Eſtevanicum illac præceſſiſſe narrarent, quod & magna Crux, quam ille fixerat, indicabat. Majoribus itaque itineribus profectus, cum jam bidui itinere abeſſet a deſerto, ad cujus exordium Nigrita ſe præſtolaturum promiſerat, incidit in locum peramænum, arvis ſatiſque undique cinctum, quæ foſſis rigabantur: incolæ autem ipſi obviam proceſſerunt, goſsyppino panno, & taurinis tergoribus amicti: reguluſque illorum goſsyppina tunica indutus, & cyaneis gemmis ornatus, varia illi munera obtulit, quæ refutavit. Veſtimento autem illius contrectato narrabant barbari, ejuſcemodi pannos maxima copia in Regno *Tonteac* texi, e villis beſtiarum, quæ canum venaticorum, quales Nigritam ſecum ducere viderant, molem excederent.

IX. Hinc deſertum quatridui itinere emenſus, vallem frequentiſſimam incolis intravit, qui ad eumdem modum veſtiti erant, & cervicem, auriculas atque nares eiſdem gemmis ornati, quique *Cibolam*, haud ſecus noverant, quam novæ Hiſpaniæ incolæ urbem *Mexico*, nec pannos *Tonteacenſes* ignorabant. Cumque hactenus littus maris recta ad Arctum vergere obſervaſſet, illud luſtrare voluit, & ad altitudinem ſex & triginta graduum in Occaſum ſe flectere deprehendit. Deinceps per eamdem vallem iter quinque diebus proſecutus, in *Cibolæ* civem incidit, qui Præfectum, quem Dominus ſeptem oppidorum ibidem conſtituerat, fugiebat. Erat autem is ingenio minime barbaro, Marcumque comitari avebat, ut illius interceſſione veniam a Præfecto impetraret. Urbis illius ſitum, uti & vicinarum diſerte explicabat: Metropolim appellari *Abacum*, ad Occaſum *Maratæ* Regnum ſitum eſſe, olim quidem incolis frequentiſſimum, nunc autem bellorum injuria multum imminutum: *Tonteac*, huic proximum eſſe, Regnum opulentum, cujus indiginæ pannis uterentur. In hac valle denique tergus dono

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Mino-
1539.	an. 5. & 6.	anno 21.	rum anno 332.

accepit, taurino duplo majus, animali longis villis tecto, colore damæ, detractum; quod animal, ut ipſi narrabant, cornu incurvum in fronte geſtaret, e quo alterum enaſceretur rectum, præcipuum hujus feræ robur.

X. In valle iſta alium excepit Stephanuli Nuncium, qui narravit eum hilariter præambulare, quod ſincere, abſque dolo aut mendacio barbari per quos tranſierat, ſecum egerint: quidquid enim de itineris ratione, diſtantia, aut qualitate populorum illi dixerint, verum eſſe probavit. Ut fidem itaque narrantibus præberet, admonuit, rogans ut greſſus acceleraret. Itaque vallis hujuſce poſſeſſione Regi Hiſpaniarum vendicata, poſtquam triduum hic incolarum rogatu fuiſſet commoratus, cum magno barbarorum largoque comitatu, ſolitudinem, quam quindecim dierum itinere hanc vallem a Cibolæ Provincia dividere cognoverat, ingreditur IX. Maii, latam tritamque ſemitam inveniens, & crebra pyrarum veſtigia, quas viatores hic conſtruere ſolent. Duodecimo autem die unus Nigritæ comitum ad ipſum venit, triſtis atque trepidus, qui, animo paulum confirmato, narrabat, Eſtevanicum cum jam Cibolæ finibus appropinquaſſet, cucurbitam ſuam tintinnabulis quibuſdam, & candida rubraque pluma ornatam, per Nuncios ad Præfectum urbis præmiſiſſe, adventus ſui indicem; verum Præfectum, conſpecta cucurbita, tantopere excanduiſſe, ut illam projiceret in terram, & Nuncios faceſſere, & ipſorum Dominum quantocius e finibus ſuis excedere juberet; ni facerent, omnes ad internecionem ſe deleturum. Nigritam vero illo Nuncio haud quaquam territum proceſſiſſe; verum non modo aditu urbis prohibitum fuiſſe, ſed & omnibus impedimentis & cyaneis gemmis aliiſque exutum, profugere coactum; ſe quidem ſiti pœne exanimatum ad vicinum fluvium ſubduxiſſe, quo & Nigritam fugere, & ſocios illius ab indigenis miſere trucidatos obſervaverit.

XI. Hæc narratio barbaros, qui Marcum comitabantur, ſupra modum conſternavit; itaque illos confirmare, & Nuntio fidem derogare nequidquam conatus, precibus ante conceptis, ſarcinas omnes reſerat, & inter primarios dividit, orans atque obteſtans, ut ſe porro ſequerentur. Cum ergo proceſſiſſent, & jam unius diei tantum itinere a Cibola abeſſent, alii duo e Nigritæ comitibus occurrerunt pene exanimati, & multis vulneribus ſaucii, qui præcedenti relationi conſentanea retulerunt, & ultra trecentos ſuorum cæſos, ipſumque Nigritam haud dubio trucidatum eſſe, barbaroſque ita denuo perterruerunt, ut Marcus anxius, & quid porro ageret, incertus, paulum ſecederet e turba, & precibus conceptis, ad comites regreſſus, blanditiis atque munuſculis illos placare niteretur. Verum nihil proficiens, & a Mexicano quodam monitus, barbaros ob ſuorum ſtragem, quam ipſi & Nigritæ imputabant, efferatos extrema ipſi minari, monere barbaros cœpit, ne quid ſecius in ipſum admitterent; exiguum enim ipſis ſua cæde ſolatium fore, neque impune laturos, Chriſtianos enim haud dubio vindices adſuturos. Cum his atque ſimilibus dictis barbaros nonnihil commoviſſet, ſuadere inſtitit, ut aliquos ſuorum dimitterent exploratum, ut certiora de ſuorum & Nigritæ cæde cognoſcerent. Verum cum non perſuaderet, ipſe cum paucis proceſſit, donec in conſpectum Cibolæ ventum ſuit; quam dixit ad radicem montis in planitie ſitam eſſe, Mexico paulo majorem, & lapideis ædificiis atque tectis affabre conſtructam. Ut propius accederet, aut urbem ingrederetur, inconſultum ipſi viſum, ne ſi quid inhumanitus ipſi accidiſſet, tam nobilis oppidi notitia Hiſpanos penitus lateret. Itaque ſaxis aliquot in cumulum coacervatis, & cruce impoſita, Provinciæque dominio Regi Hiſpaniarum vendicato, via, qua venerat, eſt re-

regreſſus, & deſerta rurſus emenſus, planitieque, quam ante præterierat, obiter ſalutata, primo ad oppidum ſancti Michaelis, & mox Compoſtellam repedavit, atque itineris ſui deſcriptionem ad Novæ Hiſpaniæ Proregem miſit.

XII. Iſta Marci narratione amplius excitatus Mendozius Prorex, acceleravit expeditionem Franciſci Vaſquii de Cornado, qui coactis centum & quinquaginta equitibus, quorum multi binos equos ducebant, & ducentis peditibus bene armatis, cum campeſtribus aliquot machinis magno belli apparatu, pecorum atque porcorum grege, largo denique commeatu menſe Aprili anni ſequentis e Culiacan profectus, tamdem poſt multos itineris labores *Cibolam* pervenit, & *Quiviram* uſque proceſſit, redactis illis Provinciis ſub Hiſpanorum dominio. Extant illius ad Mendozium litteræ, perplexi itineris narrativæ, aliquantulum diverſæ a Marci relatione, in quibus eum taxat, quod facile barbaris circa pleraque fidem præſtiterit. Attamen circa res præcipuas, ſitumque Provinciarum exigua eſt diſcrepantia. Familiare eſt gloriæ æmulatoribus, primis facinorum auctoribus detrahere, famamque imminuere. Excelſi belli Duces humiles Monachos ad gloriæ conſortium non admittunt. Narrationem porro ſupradictam regius hiſtoricus Herrera totam ſuis commentariis inſeruit, eamque ait magnis expeditionibus & navigationibus occaſionem dediſſe. Porro Marcus anno ſequenti a ſuis electus eſt Provincialis, unde Vaſquius in ſuis litteris ſæpe ſub hujus dignitatis voce illum compellat.

XIII. Miniſter Generalis Vincentius Lunellus, etſi ſub ſpecie ſui muneris peragendi, miſſus eſt hoc anno a Pontifice in Germaniam, quædam negotia occulta ad rempublicam Chriſtianam ſpectantia cum Cæſare tractaturus: quod ex ejuſdem Pontificis litteris, quibus anno ſequenti eum in Urbem revocat, facile licebit colligere. Eunti autem hæc confert privilegia.

Lunellus Generalis abit in Germaniam.

Dilecto filio Vincentio Lunello totius Ordinis Minorum Generali Miniſtro.

Dilecte fili &c. Cupientes ut ſaluti animarum Chriſtifidelium ſalubriter conſulatur, de tuo fervido earumdem animarum zelo plurimum confiſi, tibi ad partes Germaniæ pro tui officii executione propediem profecturo, ubi Fratres Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, tuæ curæ commiſſi, pro Catholicæ fidei tuitione plurimum laborarunt, & in dies laborare non ceſſant, multoſque a Lutherana perfidia ſua exemplari vita ſalubrique doctrina, prout intelleximus, revocarunt & revocant; ut omnes & ſingulos, qui in Lutheranam aut alias hæreſes inciderunt, & ad cor redire voluerint, a Lutherana aliiſque hæreſibus hujuſmodi, injuncta ſibi ſalutari pœnitentia, ſervatiſque de jure ſervandis, in foro conſcientiæ abſolvere, atque ad ſanctæ matris Eccleſiæ gremium, ac unioni fidelium & ſacramentorum participationi reſtituere: necnon ut aliquibus ex eiſdem Fratribus tuis, quos ad id idoneos judicaveris, vices tuas, quibus etiam te abſente, uti valeant, committere ac impertiri poſſis & valeas, ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica per præſentes concedimus & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub anulo Piſcatoris, die XXIV. *Auguſti* MDXXXIX. *Pontificatus noſtri anno* V.

Fabius Vigil.

Reg. Vatican. fol. 110. Privilegiis fulcitur Pontificis. Minoritæ in Germania cóntra Hæreſes plurimum laborant.

Eidem.

XIV. *Dilecte fili &c. Cum, ſicut accepimus, tu, qui totius Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter exiſtis, ad Germaniæ partes pro tui officii executione propediem acceſſurus ſis: Nos te, tamquam de nobis, deque ſacroſancta Eccleſia benemeritum, omnibus & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, necnon dilectis filiis eorum in ſpiritualibus Vicariis Generalibus, ceteriſque tam Eccleſiaſtica, quam temporali dignitate fungentibus, paterna, qua te proſequimur benevolentia, commendatum facimus: & ut hujuſmodi officium commodius exequi valeas, motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, ut omnes & ſingulas dubietates & difficultates, quas ſuper Regularibus ſtatutis dicti Ordinis, donec inibi fueris, exoriri contigerit, declarare, interpretari, ac definire, necnon omnia & ſingula, quæ ad quietem & tranquillitatem conſcientiarum tam Fratrum, quam Monialium & Sororum tibi ſubditorum & ſubditarum ſpectare cenſuerit, facere libere & licite poſſis, tibi auctoritate Apoſtolica per præſentes concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Tuſculi ſub anulo Piſcatoris, die* XXX. *Auguſti* MDXXXIX. *Pontificatus noſtri anno* V.

Bioſius.

Joannes Calvus erigit Montem Pietatis in Urbe.

XV. Frater Joannes Calvus Commiſſarius Generalis Curiæ, dolens Hebræos fœneratores in Urbe omnes pauperum exhaurire facultaes, & exſugere ſubſtantiam, inito cum piis viris frequenti conſilio, obtinuit, ut ex pecuniarum aliquot ſummis, ad hoc collectis, Mons erigeretur Pietatis ad inſtar aliorum, quos multis in urbibus Italiæ ſui Conſodales, de quibus ſuis locis egimus, inſtituerunt. Paulus Pontifex hoc anno opus iſtud laudabile commendavit, Montiſque erectionem ſuis litteris confirmavit, inſtituto Montis Protectore fratre Franciſco Quiñonio, Ordinis alumno & Protectore, qui Montis erigendi conſtitutiones ex Pauli commiſſione examinavit & approbavit: voluitque inſuper Pontifex, ut Franciſci ſucceſſores in Protectione Ordinis, forent etiam Montis Protectores, ea ſcilicet de cauſa, quia Fratres hujus Ordinis uſurariæ pravitatis extinctionem quodammodo profiteri videbantur. Do Pontificis diploma.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex autographo & Montis libro.

XVI. *Ad ſacram beati Petri Sedem in plenitudine poteſtatis Divina diſpoſitione vocati, ad ea, ut decet, libenter intendimus, per quæ pauperum & miſerabilium perſonarum neceſſitatibus & utilitatibus ſalubriter valeat provideri; & his, quæ propterea provide ordinata fore noſcuntur, ut eo firmius illibata perdurent, quo erunt majori robore ſolidata, noſtræ confirmationis robur adjicimus, & ut optatum ſortiantur effectum, ſollicitudinis noſtræ partes libenter interponimus. Superioribus menſibus, cum dilectus filius Joannes Calvus, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſor, in Romana Curia, juxta morem dicti Ordinis, Commiſſarius, Nobis expoſuiſſet, quod nonnulli bonæ mentis viri provide conſiderantes, quod in hac Alma Urbe noſtra continue erant quamplurimi pauperes, quorum aliqui adeo earere pecuniis noſcebantur, ut in eorum neceſſitatibus ad Hebræos fœneratores, in eadem Urbe degentes, perſæpe coge-*

gerentur habere recurſum, ut ab eis, pignoribus traditis, ſub non levibus uſuris, pecunias mutuo reciperent; quas quidem pecunias poſtea, ſtatuto termino reddere non valentes, pignora perdebant, ſicque paulatim ipſi fœneratores eorum facultates exhauriebant, ac eos in dies ad extremam inopiam, per uſurariam pravitatem pertrahebant; aliquod remedium adinvenire intendebant, per quod honeſtis pauperum neceſſitatibus, adjuvante caritate fidelium, proprias facultates ad id miſericorditer erogantium, omni uſura penitus ceſſante, provideretur, & hujuſmodi fœnerariis extorſionibus obviaretur, ſi modo ad id noſtra, ſi opus eſſet, & Apoſtolicæ Sedis auctoritas accederet. Nos conſiderantes, quod pluries per miniſterium Fratrum dicti Ordinis adverſus uſurariam pravitatem, ſalutiferæ ordinationes factæ fuerant, & propterea ſperantes, quod interveniente in hoc opera & induſtria dicti Joannis, idem ſuccederet; ipſis viris non ſolum auctoritatem, ſed & auxilium noſtrum, ſi opus eſſet, per organum dicti Joannis obtulimus. Cum autem, ſicut idem Joannes nobis nuper retulit, ipſi viri in Urbe præfata non parvam pecuniæ ſummam ex piis Chriſtifidelium ſuffragiis collegerint, & ſub noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, unum Montem Pietatis, ad inſtar quamplurium aliorum Montium hujuſmodi in Italia exiſtentium, inſtituerint & erexerint, ſtatuerintque & ordinaverint, quod ex dicta pecunia perſonis pauperibus & egenis, receptis ab eis pignoribus, valoris dupli ſummæ mutuatæ, ſubveniatur; ita quod hi, qui mutuo ipſam pecuniam acceperint, eam in termino ſibi præfigendo reſtituere teneantur; alioquin decurſo termino ipſo, præcedentibus ſubhaſtationibus, pignora ipſa plus offerenti vendi poſſint; nec debeat ab eiſdem pauperibus & egenis aliquid ultra mutuatam quantitatem ullo modo recipi. Ad conſervationem autem, & cuſtodiam dictorum pignorum, & ad diſtribuenda mutua, & venditiones, ac pretia pignorum venditorum reſtituenda, Officiales & Miniſtri in numero ſufficienti deputari debeant, exercitiis opportunis dicti Montis vacantes, qui de pignorum cuſtodia & conſervatione hujuſmodi, & de implendo omnia, quæ eis ratione officiorum ſuorum incumbent, & omnem eorum indaſtriam circa præmiſſa, eorum officio incumbentia, adhibere & idoneam deſuper cautionem præſtare, de pignorum quoque perditione ac deterioratione, quæ eorum culpa evenerit, teneantur, prout in ſcripturis deſuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut dictus Joannes, ſuo, ac virorum præfatorum nominibus, Nobis nuper expoſuit, ipſi cupiant præmiſſa, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolicæ auctoritatis munimine roborari, pro parte eorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut erectioni Montis, ac ſtatutis & ordinationibus prædictis robur noſtræ confirmationis adjicere, aliaſque deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſperantes ex pia ordinatione hujuſmodi, corporibus & animabus Chriſtifidelium non parum conſultum iri, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, dicti Montis inſtitutionem, ac erectionem, ac omnia in dictis ſcripturis deſuper confectis, quæ per dilectum filium noſtrum Franciſcum Tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem Presbyterum Cardinalem examinari fecimus, & juxta ejus relationem honeſta & canonica invenimus, auctoritate Apoſtolica, & ex certa noſtra ſcientia approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et ut ejuſdem Montis proventus in eas, pro quibus ordinati ſunt, cauſas provide diſpenſentur, ſubventio quoque, quæ inde pauperibus proventura eſt, diuturnior ſit, omnibus & ſingulis dicti Montis officialibus pro tempore exiſten-

Obſervantes laborarunt contra uſurariam pravitatem.

Cardinalis Quiſtionius conſtitutiones examinavit.

ſtentibus, quocumque nomine nuncupatis, & quibuſcumque aliis, cujuſcumque gradus & dignitatis, ordinis, ſtatus ac conditionis exiſtant, ſcientia & auctoritate ſimilibus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, a qua nonniſi a Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi poſſint, diſtrictius præcipientes inhibemus, ne dicti Montis pecuniam & proventus in totum vel in partem, in alias cauſas, quam illas, ad quas ordinatæ & deputatæ ſunt, quovis modo convertere, aut de illis quidquam diſponere, ſeu circa illas fraudem vel dolum committere, vel illos, qui proventus ipſos augere, & eidem Monti de facultatibus ſuis ſubminiſtrare intenderent, quominus id faciant impedire, aut ab eorum pia intentione hujuſmodi retrahere directe vel indirecte, quovis quæſito colore præſumant: & nihilominus duplum ejus, quod expoſitum aut fraudatum, ſeu ne illi erogaretur, perſuaſum fuerit, eidem Monti reſtituere teneantur. Quia vero provincia hæc, in Civitate, ad quam aſſidue novi pauperes veniunt, difficilior eſt, quam prima facie appareat, ut ab hujuſmodi rerum peritis nobis relatum fuit, eſtque propterea non exigua Chriſtifidelium ſubventio neceſſaria: Nos dignum reputantes, ut qui ad ſalutem ſibi ædificant, ex Eccleſiæ theſauro præmium etiam reportent, ipſos Chriſtifideles, ad ſuſtentandum Montem hujuſmodi, ſpiritualibus muneribus duximus alliciendos. Omnibus igitur & ſingulis Chriſtifidelibus utriuſque ſexus vere pœnitentibus & confeſſis, vel ſtatuto ab Eccleſia tempore propoſitum confitendi habentibus, qui eidem Monti de facultatibus & bonis a Domino ſibi collatis, ad dicti Montis ſuſtentationem, & præfatorum pauperum relevandam inopiam, dono vel mutuo gratuito aliquid ſubminiſtraverint, ſeu in eorum teſtamentis, codicillis, & ultimis voluntatibus, de hujuſmodi eorum facultatibus & bonis portionem aliquam legaverint ſeu reliquerint, ut plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, ac indulgentiam conſequantur, in forma Eccleſiæ conſueta concedimus & elargimur. Et inſuper omnia & ſingula alia privilegia, indulta, facultates & gratias, indulgentias ac peccatorum remiſſiones per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Nos, ac Sedem prædictam aliis Montibus prædictis, quandocumque vel qualitercumque in genere vel in ſpecie hactenus conceſſa, quorum omnium & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, hic pro ſufficienter expreſſis haberi, eaque quoties opus fuerit, in litteris deſuper conficiendis ſpecialiter exprimi poſſe volumus, eidem Monti de Urbe auctoritate & ſcientia ſimilibus miſericorditer communicamus & impertimur. Decernentes indulgentias hujuſmodi, prætextu quarumcumque litterarum a Nobis, vel Sede præfata pro tempore emanandarum, niſi in eis de præſentibus, & earum toto tenore ſpecialis, ſpecifica & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio facta fuerit, ſuſpendi vel revocari non poſſe. Putantes autem ad hoc, ut opus hujuſmodi efficacius coaleſcat, debitaque in dies incrementa ſuſcipere valeat, ac præmiſſa omnia & ſingula debitæ executioni demandentur, non ſolum opportunum, ſed neceſſarium eſſe, ut cura hujuſmodi ſpecialiter demandetur, ipſeque Mons, & ejus Miniſtri & Officiales proprium, ad quem in eorum occurrentiis habeant Protectorem, dictum Franciſcum Cardinalem ad id potiſſimum, quod dicti Ordinis, cujus perſonæ, ut dictum eſt, uſurariæ pravitatis extinctionem quodam modo profiteri videntur, generalis Protector eſt, Protectorem & Defenſorem auctoritate & ſcientia ſimilibus, per eaſdem præſentes conſtituimus & deputamus, eadem conſideratione conſtitutionem & deputationem hujuſmodi ad dicti Franciſci Cardinalis in officio generalis Protectoris dicti Ordinis ſucceſſores proroga-

Conferuntur indulgentiæ Monti ſubvenientibus.

Et ipſi Monti privilegia.

Quinonius inſtituitur Montis Protector.

Et ſucceſſores in Protectione Ordinis Minorum Obſervantum.

gantes & extendentes, & tam ipſi Franciſco Cardinali, quam ejus ſucceſſoribus hujuſmodi facultatem & poteſtatem dantes omnia & ſingula ſtatuendi, ordinandi & decernendi, quæ pro ipſius Montis regimine, manutentione & directione neceſſaria viſa fuerint & opportuna, dummodo ſacris Canonibus, ac conſtitutionibus & decretis ſuper hujuſmodi Montium approbatione in Lateranen. Concilio noviſſime celebrato editis non repugnent. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, tam ſub plumbo, quam etiam in forma Brevis, & aliis quibuſcumque per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Nos, ac Sedem præfatam, cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficaciſſimis clauſulis, quomodolibet conceſſis, etiamſi talia forent, quod pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, vel exquiſita forma ſervanda foret, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum inſtitutionis, conceſſionis, communicationis, confirmationis & approbationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MDXXXIX. *v. Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno* V.

L. de Torres.

Floret Petrus Galatinus.

XVII. Vivebat hoc anno, in ſenili jam ætate conſtitutus, frater Petrus Galatinus, ex ſuis operibus, præſertim illo quod vivens publicavit, *de arcanis Catholicæ veritatis*, notiſſimus. Cum vero reliqua manerent inedita, timeretque Auctor ea facile poſſe perire, rogavit Paulum Pontificem, ut ſibi liceret ea legare Bibliothecæ inſignis Conventus Araecœli, ex quibus ea extrahi ſub Apoſtolicis cenſuris non liceret, niſi ſolum ad effectum ea typis committendi. Peculiari diplomate id conceſſit Pontifex, in quo illum, utpote Pœnitentiarium Apoſtolicum, *ſuum familiarem continuum, & commenſalem* appellat, & opera cuncta recenſet. Ipſum diploma ad tanti Viri dignam commendationem & piam memoriam hic exſcribimus.

Dilecto filio Petro Galatino Ordinis Fratrum Minorum, & ſacræ Theologiæ profeſſori, ac familiari continuo commenſali noſtro.

Ex originali.

XVIII. *Dilecte fili &c. Cum, ſicut nobis nuper exponi feciſti, quædam librorum volumina diverſorum operum, ad laudem Dei, ad animarumque Chriſtifidelium ſalutem confecerit, quæ etſi nondum in lucem edita ſunt, poſſunt tamen ad Chriſtianæ fidei propagationem, & ad univerſalis Eccleſiæ decorem non parum, ut ſperatur, in futurum prodeſſe: ſunt enim hujuſmodi librorum volumina hæc inter cetera; videlicet de Eccleſia inſtituta, volumen unum; de Eccleſia deſtituta, volumina duo; de Eccleſia reſtituta, volumen unum; item Commentariorum in Apocalypſim ad verum ſenſum, volumen unum; item de vera Theologia, volumina quinque, Primam, Secundam, Tertiam, Quartam, & Quintam ipſius Theologiæ Partes, ſeorſim continentia; item aliud volumen continens opus de anima intellectiva, & opuſculum de toto homine. Item opuſculum de ſacra Scriptura recte interpretanda. Item, opuſculum de ſeptem Eccleſiæ temporibus. Item opuſculum de optimo Principe; & pleraque alia opuſcula uſque ad trigenarium numerum: quæ omnia poſt obitum tuum in Bibliotheca ſanctæ Mariæ de Araceli de Urbe, in cujus venerabili Templo corporis tui ſepulcrum elegiſti, reponi optas*

Legat ſuos libros Bibliothecæ Araecœlitanæ.

Eligit ſepulturã, & condit teſtamentum facultate Apoſtolica.

optas ex teſtamento, quod juxta facultatem a nobis tibi conceſſam, facere intendis, cum te videas ſenio confectum, mortiſque diem ignores, ut ibi cum ceteris ejuſdem bibliothecæ libris ad perpetuam rei memoriam, integra atque illæſa ſerventur & cuſtodiantur. Nos cupientes ut hujuſmodi opera debite conſerventur, tuiſque in hac parte nobis nuper porrectis ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & ſuſpenſionis a Divinis, & interdicti ingreſſus Eccleſiæ pœnis ipſo facto per contrafacientes incurrendis, a quibus per alium niſi per Nos, aut pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem, præterquam in mortis articulo, abſolvi non poſſint, univerſis & ſingulis, cujuſcumque auctoritatis & dignitatis exiſtant, etiamſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, vel Patriarchali dignitate fulgeant, ac etiamſi eſſent S. R. E. Cardinales, inhibemus, ut nemo audeat prædicta librorum volumina, aut aliquod eorum ex dicta bibliotheca, etiam ad modicum tempus amovere & auferre, aut amoveri ſeu auferri facere, niſi forte chalchographis typis imprimenda traderentur, ex noſtra ſeu pro tempore exiſtentis Romani Pontificis conceſſione. Guardiano autem, & ceteris omnibus Fratribus ejuſdem Conventus & Ordinis tam præſentibus quam futuris, ac ibidem pro tempore commorantibus & commoraturis, ſub eiſdem pœnis diſtricte, ac in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut omni diligentia & ſtudio ſupradictorum librorum ſollicitam curam gerant, ne forte ex eorum incuria aliquo modo contingat aliquem eorumdem librorum inde auferri aut lacerari aut mutilari. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac privilegiis eidem Ordini & Conventui conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Tuſculi ſub anulo Piſcatoris, die XI. *Maii* MDXXXIX. *Pontificatus noſtri anno* V.

L. de Torres.

To. 14. an. 1472. n. 18.

XIX. Diximus alias, Philibertum Chalonium, Principem Aurantium, Cæſariano exercitui Præfectum, arcam materia & opere pretioſam, a Ludovico XI. Galliarum Rege donatam, ut in ea corpus ſancti Bernardini conderetur, impie abſtuliſſe, pœnaſque demum luiſſe. Attamen ex Pauli Pontificis litteris hoc anno datis, conſtat non illum ſcelus hoc perpetraſſe, ſed Communitatem & Cives Aquilanos ſævis bellorum turbinibus concuſſos, & ad ſolvendam Cæſarianis certam pecuniæ ſummam coactos, non ſolum arcam prædictam, ſed & vaſa argentea, atque alia ornamenta, quæ in honorem ſancti Bernardini a Chriſtifidelibus oblata fuerunt, in prædictæ pecuniæ ſolutionem convertiſſe, obligantes ſe ad paria reddenda ex proventibus gabellæ Croci Civitatis. Cum vero in alios uſus dictos proventus aut introitus convertere ſatagerent, Pontifex juſſit, ne ita fieri permitteretur, donec Eccleſiæ ſancti Bernardini, ex qua ſupradicta fuerunt extracta, integre ſatisfieret. Clarius iſta ipſum dabit diploma.

Jubetur reſtitui, quæ ablata erat e templo S. Bernardini Aquilano.

Dilectis filiis Abbati Monaſterii S. Joannis de Cucolo, Aquilanæ Diœceſis, & Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Aquilani in ſpiritualibus generali.

Reg. Ciſm. fol. 87.

XX. *Dilecti filii &c. Exponi nobis nuper fecerant dilecti filii Vicarius, Procuratores & Fratres domus ſancti Bernardini, Aquilanæ diœceſis, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, quod alias Communitas & Cives Civitatis Aquilanæ, dum patria illorum ſævis bellorum turbinibus quateretur, quamdam pecuniæ ſummam Cæſarianis militibus exolvere coacti fuerunt, propter quæ capſam argenteam, in qua ejuſ-*

ejuſdem beati Bernardini corpus reconditum erat, ac nonnulla vaſa argentea, & alia ornamenta, quæ in honorem ejuſdem Sancti a devotis Chriſtifidelibus oblata fuerant, & in Eccleſia dictæ domus ſervabantur, abſtulerunt, & in hujuſmodi ſolutionem expenderunt, promittentes nihilominus eorum pretium ex proventibus ac introitibus gabellæ Croci dictæ Civitatis, ut inde alia argentea capſa conflari ad opus ſimile poſſet, annuatim ſolvere, ac de prædictis, eiſdem Fratribus ſeu procuratoribus plene ac integre ſatisfacere, prout in inſtrumento deſuper confecto, plenius continetur dicitur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicta Communitas & Cives, pretio capſæ & ornamentorum hujuſmodi nondum ſoluto, proventus & introitus dictæ gabellæ, in alios eorum uſus convertere ſatagant, iidem Vicarius, Procuratores & Fratres humiliter nobis ſupplicari fecerunt, ut ſuper his illis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur iniquum arbitrantes, ut quod in ſatisfactionem præſertim Eccleſiarum aſſignatum eſt, ſatisfactione hujuſmodi non facta, his, quibus aſſignatio facta fuerat, auferatur; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis in virtute ſanctæ obedientiæ per præſentes committimus & mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, ſi vocatis Communitate & Civibus prædictis, præmiſſa vera eſſe repereritis, non permittatis dictam gabellam eiſdem Fratribus tolli, donec eis de præmiſſis plene & integre fuerit ſatisfactum. Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas, quis vigore præſentium non trahatur, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, ac aliis quibuſcumque quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, etiamſi talia forent, quod pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, aut ſi dictæ Communitati & Civibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes de indulto hujuſmodi plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum mentionem: quibus omnibus pro hac vice dumtaxat derogari volumus, ipſis alias in ſuo robore permanſuris, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S Petrum, die 1. Februarii MDXXXIX. *Pontificatus noſtri anno* V.

Bloſius.

XXI. Deceſſit hoc anno in Conventu ſancti Jacobi Maſſacii in Piceno, quod alias indicavimus, Joannes Fabrianenſis ex nobili & Germanica Henricorum familia, paupertatis amantiſſimus, & abſtinentia admirandus. Cibum nonniſi feria quinta, & die Dominica admittebat, hiſque ipſis panem ſolum & aquam, & aliquando integram hebdomadam perpetuo abſolvebat jejunio, ſola propter diei reverentiam, excepta Dominica, totiſque his diebus conſtanter orationi vacabat. Obiit ſexagenarius die XI. Martii, ſepultus ſub Altare Crucifixi, ubi pio fidelium concurſu honoratur. Vivens plurimos a diverſis languoribus Crucis ſigno liberavit, & mortuus alia patravit miracula.

Tom. 9. an. 1399. n. 5. Moritur Joannes Fabrianen. *Marc. 3. p. l. 9. c. 41. Gonz. in Provin. March. Conv. 36.*

XXII. Obiit etiam in Cœnobio Dominæ noſtræ de Jeſu Valentiæ in Hiſpania, pius & doctus vir, inſignis Eccleſiaſtes, Franciſcus Antonius, qui ſui obitus diem alteri ſibi ſimili, quo familiariter utebatur, fratri Petro a Villa-

Et Franciſcus Antonius. *Gonz. in Provin. Valent. Conv. 9.* Petrus a Villanova.

Villanova, ſano adhuc & vegeto corpore, prædixit, promiſitque ſe illi apparaturum. Id præſtitit anno ſequenti in profeſto Purificationis beatæ Mariæ Virginis, dum Petrus poſt matutinas horas meditaretur in choro, eique dixit, ſe per horam unam dumtaxat culpas luiſſe in Purgatorio, utque in illa oratione & meditatione Chriſti Domini paſſionis, forma, qua invicem exercebantur, perſeveraret, hortatus eſt, & paulo poſt Petrus in ipſo natalitio beati Patris Franciſci pie Segobricæ deceſſit.

Joannes Fanenſis. *Bover. hoc anno n. 3. & ſeqq.*

XXIII. Tertium numeramus Joannem Pilium, Fanenſem, Picenum, nobili genere natum, qui in adoleſcentia a ſeculo ad Inſtitutum Minorum Obſervantum confugiens, litteris & virtute adeo profecit, ut inter inſignes ſui temporis concionatores reputaretur, & ad præcipua inter ſuos officia, Guardiani ſæpe, Definitoris, & Miniſtri provincialis aſſumeretur. Singulari pollebat prudentia, gravitate, dexteritate in negotiis gerendis, ſummo ſuæ Religionis zelo, cui, cum animi acrimonia conjuncto, tribuendum eſt quidquid ille in Matthæum Baſſium, Ludovicum Foroſempronianum, & ſocios ſuos ſubditos, ſine illius ſcitu e religioſo cœtu abeuntes, ſupra diximus commiſiſſe. Habuit ille poſtea in Religione ſuas moleſtias, tranſivitque ad Patres Capuccinos ante quinquennium, a quo tempore egregie inter illos vixit, ſtrenue reformationem promovit, magno ardore ampliavit, fundatis per præcipuas Lombardiæ urbes domiciliis. Vel inde maxime apud omnes gratiam acquiſivit, quod verbis dicebat, & factis movebat, religioſo ubique prælucens exemplo. Veronæ male habitus, & indigna paſſus, tulit æquanimiter, eaque tamdem effulſit virtute, & concionandi efficacia, ut ab Epiſcopo, antea parum propitio, civibuſque dilectus, Eccleſiam ſanctæ Crucis ad Cœnobii ſtructuram acceperit. Romam ad Comitia Generalia, anno uno poſt illud aſſumptum Inſtitutum, evocatus, Definitor Generalis renunciatur, deinde Vicarius provinciæ Venetæ, mox Picenæ creatur. At ille, quo erat animarum zelo, nuſquam prædicare deſtitit, ubique fructum colligens uberrimum. Magna inerat dicendi facundia, ſermonis venuſtas, ſententiarum pondus, & perſuadendi vehementia, ut omnium animis imperitare, eoſque quocumque voluiſſet, flectere poſſe videretur. In prælatura ſubditis vitæ auſteritate, morum diſciplina, Divinarum rerum ſtudio, & præclara omnium bonorum operum face prælucebat. Quod de ſancto Antonio Patavino refertur, huic etiam contigiſſe dicitur: nimirum Brixiæ primum, deinde Bergomi dum Fratribus prædicaret, ſanctum Franciſcum apparuiſſe, & auditoribus benedixiſſe. Demum cum hoc anno Durantii ſermones haberet quadrageſimales, & die quadam vehementius in populi vitia inveheretur, laterum dolore correptus, paulo poſt pleuritide deceſſit, & ſummo in honore in Eccleſia Patrum Conventualium, cum nullum adhuc eo in loco Capuccini domicilium haberent, ſepultus eſt. Signis & virtutibus ubi audierunt Fanenſes clareſcere, nullum non moverunt lapidem, ut concive potirentur ſuo: ſed fruſtra, renitente ſemper populo Durantino.

Bernardus Foroſempronianus. *Indid. n. 10.*

XXIV. Quartum, Bernardum Foroſempronianum, laicum Capuccinum, quem ex ſecularibus primum Ludovicus ejus conterraneus, ad ſuam ſocietatem admiſit. Vir fuit valde pœnitens, in oratione aſſiduus, & in Chriſti tormentis, flagellatione præſertim meditandis vehementiſſimus. Poſt annos circiter duodecim in Religione pie tranſactos, Maceratæ cum magna fama ſanctimoniæ diem clauſit extremum. Propinquorum opera, poſt aliquot annos in patriam ſuit translatus.

Donatus N. *Indid. n. 31.*

XXV. Quintum, Donatum itidem ejuſdem Inſtituti laicum, paupertatis ac obedientiæ cultorem zelantiſſimum, vitæ auſteritate, & ſui neglectu

ctu insignem. Mira puritas & animi candor effecit, ut Mariæ Virginis quandoque alloquio frueretur. Obiit Aletii in Hidruntina provincia, confluentibus turbis, ut corpus quod suavi flagrabat odore, pie venerarentur.

XXVI. Frater Didacus de Silva, de quo superius diximus, alumnus provinciæ Pietatis, Episcopus Septensis, Regi Joanni III. a sacris confessionibus, supremus Inquisitor in Lusitania, relicto hoc posteriori munere Henrico Infanti Cardinali, postea Portugalliæ Regi, suffectus est hoc anno, uti aliqui volunt, vel potius sequenti, uti habent acta Consistorialia, eidem Henrico in Archiepiscopatu Braccarensi, Lusitaniæ, sive, uti summo studio controvertitur, totius Hispaniæ primario. Rodericus a Cunha ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopus, qui de suis prædecessoribus duo scripsit volumina, Didacum hunc ait, paterno genere fuisse nobilem, Joannis Gomez a Silva Equitis, & Commendatarii Ordinis militaris, a Christo nuncupati, filium. In tribunali regio judex vindicandorum scelerum constitutus, & consiliarius, mira visione appositi sibi ingentis disci capitibus, manibus, truncis pedibus, & auribus pleni, & horribili voce invisibiliter dicentis: *Hæc est vita tua*, ultra modum perterritus, constituit, judicatura relicta, quietum vitæ genus deligere, in quo de anteactis reatibus posset pœnitere. Placuit præ ceteris Institutum sancti Francisci, atque in hujus amplitudine, Religiosissima provincia Pietatis. Postquam initiatus est, multas pertulit satanæ insidias, ut a proposito resiliret: sed ille hostis elusis artibus, constantior effectus, per virtutum semitas ferventer incedens, talis evasit, qualem fidei retinendæ in Portugallia, & suæ conscientiæ regendæ idoneum judicaverat Joannes Rex supradictus. Nobilissimum illud supremi Inquisitoris munus ei commissum est anno MDXXXVI. die V. Octobris, accepta illa die Bulla Pauli Pontificis die XXIII. Maii ejusdem anni expedita. Cessit autem illi die 1ɱ. Julii hujus anni Henricus Infans Archiepiscopatum Braccarensem, cui Didacus dimisit Provinciam in hæreticos inquirendi. Cum ad suam Ecclesiam anno sequenti proficisceretur, Rex ad omnes suos illius diœcesis Ministros scripsit, ut omnem exhiberent reverentiam, & prompte obedirent homini, quem ipse propter præclaras illius virtutes tantæ præfici Ecclesiæ a Pontifice impetravit. Regiam hanc epistolam asservari ait supradictus auctor in cartofilacio Braccarensi; neque alias ibi reperiri hujusmodi commendatitias Regum litteras, præter solas ab eodem Rege scriptas anno MDXXXIV. in favorem prædicti Cardinalis Henrici sui fratris germani. Laboribus & pœnitentiis vitæ religiosæ attritis viribus, parum vixit in Archiepiscopatu: etenim anno MDXLI. mense Decembri, ætatis anno LVI. pie inter choros fiorum Consodalium Monasterii, de quo scripsimus, S. Fructuosi, decessit. Sepultus ad introitum sacelli majoris cathedralis Ecclesiæ, inde translatus est opera Augustini de Castro sui successuris, ad sacellum sancti Giraldi, appositio hoc epitaphio:

An. 1526. *n.* 37. *& an.* 1534. *n.* 77. Frater Didacus Braccaren. Archiepisc. Ejus qualitates.

Cunha p. 2. *c.* 7.

An. 1522. *n.* 17.

D. FR. DIDACO A SYLVA
ARCHIEPISCOPO PRIMATI
D. FR. AVGVSTINVS M. P.

ADDITIO ALIORUM.

„ XXVII. Duo fuerunt in Lusitania ejusdem nominis, ac familiæ viri; „ quorum alter alteri proxime successit amplissimo in magistratu, qui sacræ „ Inquisitionis appellatur. Primus fuit frater Didacus a Silva ex Ordine „ Minimorum sancti Francisci de Paula: Secundus item frater Didacus a „ Silva ex Ordine Minorum sancti Francisci Assisiatis. Dispar tamen in illis „ ejus muneris functio, & cum diverso vitæ, dignitatisque genere con-

„ juncta. Primus enim ab Inſtituto Minimorum, cui fuerat aggregatus, „ numquam diſceſſit, in eoque Inquiſitionem adminiſtravit ex Apoſtolicæ „ Sedis auctoritate: quem Clemens VII. Pontifex maximus, Joannis III. „ Luſitaniæ Regis rogatu, eo munere ornavit: idque ex Diplomate illo „ patet, cujus eſt initium: *Cum ad nihil magis &c.* VI. Kalendas Januarii „ MDXXXI. Quod quidem munus in eo regno complures alii Religioſi viri „ antea geſſerant, primuſque omnium frater Martinus Vaſquezius e Mino- „ rum familia anno MCCCLXXVII.

„ XXVIII. Eidem Didaco Minimorum alumno functione muneris in- „ terdixit primum Clemens idem ſeptimus datis ad ſanctæ Sedis Nuncium „ in Luſitania litteris: *Venerabilis Frater*, anno MDXXXII. VI. Kalendas „ Novembris; deinde, qui Clementi ſucceſſit Paulus III. datis pariter lit- „ teris, quarum initium: *Decet Romanum Pontificem*. Cauſa vero interdi- „ cendi fuit, propterea quia Judæi eo in regno degentes contra nimiam „ ſeveritatem Inquiſitoris reclamantes turbas agerent. Idem Didacus, „ Paulo Pontifice, ad dicendam cauſam Romam contendit, quemadmo- „ dum ſcribit P. Ludovicus de Montoja Minimorum hiſtoricus ad an- „ num MDXXXV. pag. 27. Circa idem tempus eum in Urbe deceſſiſſe non „ improbabile judicat P. Franciſcus Jacquier ejuſdem familiæ ſcriptor An- „ nalium, quem honoris cauſa nomino.

„ XXIX. Noſter vero Didacus circa annum Chriſti MDXXXII. in Or- „ dinem Minorum adlectus eſt in provincia Pietatis Luſitaniæ, quam Fra- „ trum *Capuchos*, aut *de Caputio* vulgo nominant; ac paulo poſt Joanni III. „ Luſitaniæ Regi ſacris ejuſdem Confeſſionibus audiendis operam dedit.

„ XXX. Hic anno MDXXXIV. Septenſis Epiſcopus deſignatur in con- „ ſiſtorio ſecreto, petente eodem Joanne III. Dicituque Minorum Ordi- „ nis profeſſor tum in Diplomate Clementis VII. tum iis in litteris, quas „ facti teſtes exaravit, ſuique officii ſigillo munivit Cardinalis Romanæ Ec- „ cleſiæ Vicecancellarius; quaſque propterea hic deſcribendas exiſtimavi.

„ XXXI. *Hodie ſanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter Do-* „ *minus Clemens Divina providentia Papa VII. in ſuo conſi-* „ *ſtorio ſecreto, ut moris eſt, ad relationem reverendiſſimi in Chriſto Patris* „ *Domini Antonii tituli ſanctorum Quatuor Coronatorum Presbyteri Cardi-* „ *nalis de Piſtorio nuncupati, Eccleſiæ Septen. quæ de jure patronatus pro* „ *tempore exiſtentis Regis Portugalliæ, & Algarbiorum ex privilegio Apo-* „ *ſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, exiſtit, & cujus licet* „ *Metropolitanus non ſit præſul pro tempore exiſtens, Africæ primas exiſtit,* „ *tunc per obitum bonæ memoriæ Henrici olim Epiſcopi Septen. extra Roma-* „ *nam Curiam defuncti, paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona Religioſi viri* „ *Didaci de Silva Presbyteri Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris, utriuſ-* „ *que juris Doctoris, & Sereniſſimi Domini Joannis moderni Portugalliæ,* „ *& Algarbiorum Regis Confeſſoris, quem ſereniſſimus Dominus Joannes* „ *Rex Sanctitati ſuæ ad hoc per ſuas litteras nominavit, de reverendiſſimo-* „ *rum Dominorum meorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio,* „ *Apoſtolica auctoritate providit, ipſumque illi in Epiſcopum præfecit &* „ *paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Septen. ſibi in ſpiri-* „ *tualibus, & temporalibus plenarie committendo, ac cum eodem Didaco,* „ *ut non obſtante defectu natalium, quem de fratre, ſeu Milite militiæ Jeſu* „ *Chriſti, & ſoluta, antequam Milites dictæ militiæ indulto Apoſtolico ma-* „ *trimonium contrahendi ſuffulti eſſent, genitus patitur, dictæ Eccleſiæ in*

Epiſco-

„ *Epiſcopum præfecit, præeſſe, illamque in ſpiritualibus, & temporalibus*
„ *regere & gubernare, ac munus conſecrationis ſuſcipere, & illo uti libere*
„ *& licite valeat, motu proprio, dicta auctoritate diſpenſavit, ac valuit, &*
„ *conceſſit Sanctitas ſua tenores diſpenſationum eidem Didaco ſuper dicto de-*
„ *fectu forſan conceſſarum exprimi poſſe in litteris, abſolvens eumdem Dida-*
„ *cum a cenſuris ad effectum &c. In quorum fidem præſentem cedulam fieri,*
„ *& per Secretarium noſtrum de mandato noſtro ſubſcribi juſſimus, & feci-*
„ *mus, illamque manu noſtra propria ſubſcripſimus cum impreſſione noſtri*
„ *parvi ſigilli. Datum Romæ ſub anno a nativitate Domini* MDXXXIV. *die*
„ *vero* IV. *Martii, Pontificatus prædicti ſanctiſſimi Domini noſtri Clementis*
„ *Papæ VII. anno* XI.
„ *Hipp. Vicecancellarius.*
„ Loco ✠ Sigilli.
„ *Sumptum ex ſuo proprio originali, cum quo collationatum concordat.*
„ *Ita eſt. J. M. Menicotius Cancellariæ Apoſtolicæ Pra-Cuſtos.*
„ Loco ✠ Sigilli.

„ XXXII. Eumdem Didacum e Minorum familia Septenſem Epiſco-
„ pum ſupremum Inquiſitorem in Luſitania creatum, nominante Rege ex
„ iis litteris diſcimus, quas Paulus Pontifex dedit anno MDXXXVI. X. Ka-
„ lendas Junii, quibus litteris ſignificatur conſtitutum in Luſitania Inquiſi-
„ tionis tribunal cum ampliſſima poteſtate. Quippe hoc anno ſacer ille ma-
„ giſtratus eam formam, ac dignitatem accepit, quam Religionis maximo
„ bono etiamnum obtinet, non ſecus, ac in cetera Hiſpania. Itaque noſter
„ Didacus primus fuit Inquiſitor poſt novam inſtitutionem, cum Didacus
„ alter Minimorum alumnus poſtremus fuerit inſtitutionis antiquæ.
„ XXXIII. Poſt annos quatuor Inquiſitionis officio ſe abdicavit, cum
„ Bracharenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus renuntiatus fuiſſet an. MDXL. VIII.
„ Kalendas Octobris. Ex litteris autem Cardinalis Romanæ Eccleſiæ Vi-
„ cecancellarii apparet, Didacum iſtum non *Minimorum*, ſed *Minorum* in
„ Ordine vitam egiſſe, ſic enim habent: *Cum eodem D. Didaco, qui Ordi-*
„ *nem Fratrum Minorum Capuchinorum nuncupatorum expreſſe profeſſus*
„ *exiſtit*. Deceſſit autem anno MDXLI. ſed eas, quas dixi, litteras his de-
„ ſcribo.

„ XXXIV. *Hodie ſanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter Do-*
„ *minus Paulus Divina providentia Papa* III. *in ſuo conſi-*
„ *ſtoria ſecreto, ut moris eſt, ad relationem reverendiſſimi in Chriſto Patris*
„ *Domini Antonii tituli ſanctorum Quatuor Coronatorum Presbyteri Cardi-*
„ *nalis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ majoris Pœnitentiarii, reverendum in Chriſto*
„ *Patrem Dominum Didacum de Silva Epiſcopum nuper Septen. licet abſen-*
„ *tem, a vinculo quo Eccleſiæ Septen. cui tunc præerat, tenebatur, de reve-*
„ *rendiſſimorum Dominorum meorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & Apo-*
„ *ſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolvens, ipſum ad Eccleſiam Bracharen.*
„ *tunc, ex eo quod etiam hodie Sanctitas ſua reverendum in Chriſto Patrem*
„ *Dominum Henricum nuper Archiepiſcopum Bracharen. in Archiepiſcopum*
„ *Elboren. electum a vinculo, quo eidem Eccleſiæ Bracharen. cui tunc præe-*
„ *rat, tenebatur, ſimilibus conſilia, & poteſtatis plenitudine abſolvit, &*
„ *eum ad Eccleſiam Elboren. tunc per Sanctitatem ſuam in Metropolitanam*
„ *Eccleſiam erectam, & ab ejus primæva erectione hujuſmodi vacantem,*
„ *Apoſtolica auctoritate tranſtulit, præficiendo ipſum illi in Archiepiſcopum,*
& pa-

„ *& paſtorem per tranſlationem, & præfectionem hujuſmodi di Paſtoris ſolatio deſtitutam, de ſimili eorumdem reverendiſſimorum Dominorum meorum* „ *Cardinalium conſilio, auctoritate prædicta tranſtulit, ipſumque Dominum* „ *Didacum eidem Eccleſiæ Braebaren. in Archiepiſcopum præfecit & Paſto-* „ *rem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Bracbaren. ſibi in ſpiri-* „ *tualibus, & temporalibus plenarie committendo, liberamque ſibi ad eam-* „ *dem Eccleſiam Bracbaren. tranſeundi licentiam tribuendo. Ac cum eodem* „ *Domino Didaco dudum Epiſcopo, qui Ordinem Fratrum Minorum Capu-* „ *chinorum nuncupatorum expreſſe profeſſus exiſtit, ut non obſtante defectu* „ *natalium, quem ex Milite militiæ Jeſu Chriſti, & ſoluta genitus patitur,* „ *dictæ Eccleſiæ Braebaren. in Archiepiſcopum præfici, & præeſſe, illamque* „ *in ſpiritualibus, & temporalibus regere & gubernare libere & licite va-* „ *leat, motu proprio, dicta auctoritate diſpenſavit. Et inſuper præfato Do-* „ *mino Henrico, ut ſtatum ſuum juxta Pontificalis dignitatis exigentiam* „ *decentius tenere valeat, penſionem annuam trium millium ſeptingentorum* „ *quinquaginta ducatorum auri ab omni decima, ſubſidio, & onere ordina-* „ *rio & extraordinario, quavis & Apoſtolica auctoritate, etiam regia in-* „ *ſtantia, & ex quacumque & quantumcumque grandi, & neceſſaria, ac ur-* „ *gentiſſima cauſa canonice vel de facto impoſitis & imponendis, ac quibuſvis* „ *fortuitis caſibus, & ſiniſtris eventibus quomodolibet pro tempore contin-* „ *gentibus liberam, immunem, & exemptam ſuper menſa Archiepiſcopalis* „ *Bracbaren. fructibus &c. etiam ſi ſuper illis aliæ penſiones annuæ aliis aſſi-* „ *gnatæ ſint, & omnes penſiones hujuſmodi inſimul medietatem eorumdem* „ *fructuum &c. non excedant, eidem Domino Henrico quoad vixerit, vel Pro-* „ *curatori ſuo legitimo per dictum Dominum Didacum, & ſucceſſores ſuos* „ *dictæ Eccleſiæ Braebaren. Præſules, ſeu Adminiſtratores pro tempore exi-* „ *ſtentes annis ſingulis in locis, & terminis in litteris ſtatuendis, ac ſub* „ *ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis in talibus apponi ſolitis integre* „ *perſolvendam, ac per eumdem Dominum Henricum etiam una cum dicta* „ *Eccleſia Elboren. etiam poſtquam illius regiminis, & adminiſtrationis, ac* „ *bonorum pacificam poſſeſſionem, ſeu quaſi aſſecutus fuerit, ac aliis ob-* „ *tentis & obtinendis &c. percipiendam, exigendam, & levandam de ipſius* „ *Domini Didaci conſenſu, motu ſimili, auctoritate prædicta reſervavit, con-* „ *ſtituit, aſſignavit, ac Conſtitutioni Lateranen. Concilii noviſſime cele-* „ *brati ſpecialiter, & expreſſe derogavit. Ac voluit, & conceſſit Sanctitas* „ *ſuas tenores conſtitutionis prædictæ, ac diſpenſationem eiſdem Domino* „ *Henrico, & Didaco forſan conceſſarum, ac forſan Monaſteria etiam con-* „ *ſiſtoralia, & alia beneficia ſecularia & regularia per eumdem Henricum* „ *obtenta, & ad quæ regreſſus, ſeu acceſſus ſibi conceſſus exiſtit, & alias ejus* „ *obſtantias beneficiales, prout opus facerit, exprimi poſſe in litteris. Abſol-* „ *vens eoſdem Dominos Henricum & Didacum a cenſuris ad effectum. In* „ *quorum fidem hanc præſentem cedulam manu propria ſubſcriptam fieri, &* „ *per Secretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, noſtrique ſoliti ſigilli* „ *impreſſione muniri mandavimus. Datum Romæ anno Domini* MDXL. *die* „ XXIV. *menſis Septembris, Pontificatus autem prælibati ſanctiſſimi Domini* „ *noſtri Papæ anno* VI.

„ *A. Vicecancellarius.*

„ Loco ✠ Sigilli.

„ *Sumptum ex ſuo proprio originali, cum quo collationatum concordat.*

„ *Ita eſt. J. M. Menicotius Cancellariæ Apoſtolicæ Pro-cuſtos.*

Loco ✠ Sigilli.

XX XV

Anno Christi 1539.	Pauli III. an. 5. & 6.	Caroli V. Imp. anno 21.	Religionis Minorum anno 332.

„ XXXV. Hunc ergo Didacum, qui primum Septenſis, deinde Bracharenſis Antiſtes fuit, in Fratrum Minorum Ordine ſolemnia vota nuncupaſſe liquido apparet. Huc accedit, quod, quo tempore noſter Didacus Septenſem Epiſcopatum gerebat, anno ſcilicet MDXXXV. Didacus alter in Minimorum familia vitam agebat, ut ex iis litteris, quas Breves appellant datis a Paulo III. perſpicuum eſt; quarum initium: *Illius vices &c.* IV. Idus Octobris MDXXXV. Datæ ſunt autem paucis ante diebus, quam Minimorum contubernalis iſte Didacus e vivis migraret. Vide Cherubinum in Bullario Romano tomo primo pag. 518.

„ XXXVI. Verum quidem eſt, in Conſiſtorali Chartophylacio, fratrem Didacum de Silva, Septenſem Epiſcopum renuntiatum, *Ordinis Minimorum ſancti Franciſci de Caputio profeſſorem* vocari, ſed in ſcriptura ineſſe mendum oſtenditur his argumentis.

„ XXXVII. Primum: Quia Minimus ille anno MDXXXV. quo diem obiit, inter ſuos verſabatur; cum noſter Didacus eodem anno Septenſium eſſet Epiſcopus, ac demum Bracharenſium Antiſtes anno deceſſerit MDXLI.

„ XXXVIII. Secundum: Quia Scriptori non ſatis attento ſubrepere potuit vox *Minimorum* pro voce *Minorum*, ut ſæpe contingit in Bullis, ac Brevibus deſcribendis. Ceterum ea verba *ſancti Franciſci de Caputio* ſatis oſtendunt, Septenſem illum Epiſcopum e Minorum familia aſſumptum fuiſſe, cum Fratres Minores ita vulgo appellari palam ſit in Provinciis aliquot Luſitaniæ.

„ XXXIX. Tertium: Quia mendum illud corrigitur iis in litteris, quas exaravit eodem die Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius, quæque ſic habent: *Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris*: ſimilia continent aliæ litteræ, quibus proditum eſt, eumdem Didacum Bracharenſium Antiſtitem renuntiatum: in his enim diſertis verbis dicitur: *Ordinem Fratrum Minorum Capuchinorum expreſſe profeſſus*.

„ XL. Animadverte etiam Didacum noſtrum non fuiſſe Capuccinum ex iis, quos barbam alentes eo nomine appellari mos eſt in Italia. Iſtorum enim familia nondum erat conſtituta, cum Didacus noſter Minorum in Ordinem nomen dederit anno MDXXII. *Vide an.* 1525. *n.*16. *& an.* 1528. *n.*11.

„ XLI. His adde, quod Minores provinciæ Pietatis, in quam adſcitus eſt Didacus, Fratres *de Caputio*, ac vulgo *Capuchos* hodieque appellantur. Capuccini vero ex Italia oriundi Cœnobia non habent in Luſitania, præterquam unum Hoſpitium, ad quod divertere ſolent qui ex iis navigationem ad Indos Evangelii prædicandi cauſa ſuſcipiunt; quoſque Luſitani *Barbados* nominant: cum ab iiſdem Obſervantes Excalceati Capuccinorum nomine vocari ſoleant. *Vide tom.*15. *an.* 1502. *n.*25.

XLII. Fratri Franciſco Quiñonio Cardinali ſanctæ Crucis collata fuit Eccleſia Acernenſis in regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Salernitano, per ceſſionem N. die IX. Junii. Quam tamen reſignaſſe Nicolao Angelo Archidiacono dictæ Eccleſiæ, conſtat ex actis Conſiſtorialibus die XXIX. Octobris iſtiuſmet anni. Fratri Franciſco de Francipanibus, al. Fregepanibus, viro docto & nobili Regularis Obſervantiæ, datæ ſunt tres Eccleſiæ inſignes tunc unitæ in Hungaria, Archiepiſcopalis Colocenſis una, & Epiſcopales duæ Agrienſis & Nitrienſis, ſub Archiepiſcopatu Strigonienſi die XXX. Maii. Fratri Richardo Longano, alias Ohogan, Epiſcopo Laonen. Eccleſia Cluanenſis in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armacano, per obitum N. die XVI. Junii. Sed paulo poſt obiiſſe conſtat, etenim eadem Eccleſia conſertur

Fr. Franciſcus Epiſcopus Acernen.

Frater Franciſcus Archiep. Colocen. & Epiſcopo Agrien. & Nitrien.

Fr. Richar. Laonen. & Cluanen.

per

Fr. Florentius Cluanen.

per obitum Richardi fratri Florentio Igeraven. ejuſdem Inſtituti Regularis Obſervantiæ die v. Decembris hujus anni.

Conv. Centi. *Gonz. in Provin. Bononiæ Con. 30.*

XLIII. Joannes Spadacinus, vir pius, Fratribus Regularis Obſervantiæ per quam addictus, ex indulto Pauli Pontificis cœperat eis Conventum fabricare, ſub invocatione ſancti Petri, in oppido Centi, inter Ferrariam & Bononiam conſtituto. Hoc anno, domicilio majori ex parte conſtructo, Fratres in poſſeſſionem admiſſi, Miniſtro provinciæ Bononienſis, ad quam ille Conventus ſpectat, Clemente Monelliano, reliquum operis adjecerunt,

Conv. Tropeæ. *Idem in Prov. 7. Marc. Conv. 16. Tom. 10. Anno 1421. num. 14.*

Senatus urbis Tropeanæ in Calabria, ultra quem alias diximus Conventum ſancti Sergii, longiuſcule a Civitate poſitum, Obſervantinis conceſſum, alium propius communibus ſumptibus ſub titulo Annunciationis beatæ Mariæ ſub hunc annum eiſdem fabricavit. In eadem regione Calabriæ, prope

Conv. Francicæ. *Rod. fol. 279. Monum. MSS.*

oppidum Francicæ, hoc anno locum ſub titulo ſancti Nicolai ſibi poſuerunt Patres Conventuales, ſub Miniſtratu fratris Thomæ Fantini de Seminara, obtenta facultate Pontificia, die xi. Junii. Spectat ad provinciam Calabriæ & Cuſtodiam Rheginam. Ad quas etiam ſpectat Conventus Annunciatæ

Conv. S. Agathæ.

Virginis Mariæ, prope oppidum ſanctæ Agathæ, ab oppidanis conſtructus: tempus autem incertum eſſe dicit Rodulphus.

Tom. 10. An. 1419. n. 13. Conv. Omnium ſanctorum Florentiæ.

XLIV. Diximus aliquando, domum Florentinam Fratrum Obſervantum ſub titulo ſancti Salvatoris ſumptuoſe nimis, ſed ruinoſis fundamentis fabricatam, occaſionem dediſſe incolis eamdem relinquendi. Ita factum hoc anno, tranſeuntibus Fratribus ad Eccleſiam ſanctæ Catarinæ, & domos contiguas, ex quibus Innocentius VIII. quaſdam ejecit Moniales, datis ædibus Capitulo & Eccleſiæ Cathedrali Florentinæ. Quibus pactis & pretio eas Fratres hoc anno acquiſierint, docebunt litteræ Paulinæ: *Expoſitum nobis fuit*, die x. Decembris. Ab iſta tamdem domo abierunt ad alteram, Omnium Sanctorum nuncupatam, materia & ſtructura pulcherrimam, quod ſub annum MDLXI. fuſius dicetur. Sub hunc annum provinciæ Marchiæ Anconitanæ, & Cuſtodiæ Camerini Patrum Conventualium acceſſit locus montis

Conven. Montis Milonum. *Rod. fol. 256. MSS. illius Prov.*

Milonum.

Conv. Paſti. *Gonz. in Provin. S. Franciſci de Quito Conv. 2.*

XLV. Laurentius Aldanus, ſtrenuus miles, cohortiſque Hiſpanorum Tribunus in provincia Popayanica, quæ ad mare Auſtrale latiſſime diſtenditur, in ea parte Americæ meridionalis, quæ Continentis, vulgo *Tierra firme* appellatur, poſt devictos pleroſque Regulos oppidorum & pagorum multorum, qui communi nomine *Paſti* dicebantur, hoc anno urbem conſtruxit, quam ex communi populorum nuncupatione *Paſtum* appellavit, in eoque Franciſcanis Cœnobium, ſub nomine ſancti Antonii affabre ex devictorum ſpoliis curavit fabricari. Habet hic Conventus adnexam domum do-

Domus doctrinalis.

ctrinalem in oppido vicino Tucariſmedii, alias Tangi, in qua Fratres duo circum vicinos populos doctrinam docent Chriſtianam.

Conv. Conchen. in India. *Indid. Conv. 3.*

XLVI. Huic Conventui contemporaneus eſt alter urbis Conchenſis, vulgo *Cuenca*, quæ & Bamba gentili nomine dicitur, & in Peruviano imperio ab urbe notiſſima ſancti Franciſci del Quito diſtat leucam unam ſupra quinquaginta, in terra auri, argenti, ferri, atque ſulphuris venis abundantiſſima, ex piis Hiſpanorum donariis ſimul cum Civitate conſtructus, opera præſertim Franciſci Pizarri Gubernatoris. Huic Cœnobio ſubſunt duæ do-

Duæ domus doctrinales.

mus doctrinales: una ſancti Ludovici, oppidi Pruti; altera ſancti Jacobi, oppidi Guaxalaxii.

Monaſt. S. Severini.

XLVII. Ab aliquot annis vivebant pleræque Sorores in quadam domo, Annunciatæ nuncupata, in caſtro ſancti Severini, Camerinenſis diœceſis, ſub tertia Regula ſancti Franciſci, & cura ac regimine Minorum Regularis Obſer-

Obſervantiæ provinciæ Marchiæ, quæ ſub hoc tempus tranſierunt ad ſecundam Regulam Clariſſarum, ab Urbano IV. traditam, & hoc anno petierunt & impetrarunt tranſitum hunc a Paulo Pontifice confirmari: *Exponi nuper feeiſtis*. die VIII. Novembris.

XLVIII. Canonicus quidam Abulenſis, eognomine Maldonatus, ea in Civitate Monaſterium hoc anno ſub titulo & inſtituto Conceptionis fabricari curavit. Primas habuit inſtitutrices duas nobiliſſimæ proſapiæ Sorores ex Monaſterio Ulmetenſi ejuſdem Ordinis evocatas. Monaſt. Conceptionis Abulen. *Idem in Provin. Concept. Abon. 27.*

XLIX. In urbe Calaritana, Sardiniæ inſulæ præcipua, ſub hunc annum urbis Conſiliarii, & nobilis Heroina Maria de Cardona & Requeſens, Antonii a Cardona Proregis conjux, Monaſterium Clariſſarum primæ Regulæ inchoarunt prope Eccleſiam hoſpitalis, nuncupatam ſanctæ Luciæ, quæ de Jurepatronatus erat dictorum Conſiliariorum. Sed multas paſſi contradictiones ab Archiepiſcopo & Canonicis, poſtquam Mariæ ope & ſumptibus aliquot Moniales ex Monaſterio, a Hieruſalem nuncupato, urbis Barcinonenſis fuerunt tranſvectæ. Controverſiæ decidendæ judices inſtituit Pontifex Archiepiſcopum Arborenſem, & Epiſcopum Uſſellen. quorum auctoritate tamdem opus completum eſt, cujuſque ſtructuræ ſuppetias tulit Petrus Ruecas Regius Quæſtor. Nobilibus & religioſiſſimis Sororibus ſemper hoc floruit Monaſterium. Monaſt. Calaritanum. *Bulla Pauli III. Gonz. in Provin. Sard. Abon. 1.*

L. Varia gravamina & injurias injuſte ac frequenter ſibi illatas, volentes Fratres Regularis Obſervantiæ declinare, rogarunt Pontificem, ut opitulari dignaretur. Dedit itaque privilegiorum Conſervatores, & a gravaminibus defenſores in Gallia, & Epiſcopos Vigiliarum & Cuperſani in regno Neapolitano; in Hungaria Agrienſem & Varadienſem, in regno Neapolitano Archiepiſcopum Regienſem, & Epiſcopum Nicoteræ, atque Abbatem Monaſterii ſancti Angeli Militini, Roſanenſis diœceſis. Diploma eſuſdem eſt tenoris ad omnes. Damus exemplar. Dantur Conſervatores privilegiorum.

Venerabilibus Fratribus Vigiliarum, ac Cuperſanen. Epiſcopis.

DUdum ſiquidem fel. record. Joanni Papæ XXII. Prædeceſſori noſtro pro parte tunc Miniſtri Generalis & Fratrum Ordinis Minorum expoſito, quod ipſi a nonnullis, qui nomen Dei in vanum recipere non formidabant, diverſis & gravibus jacturis, injuriis, violentiis & moleſtiis, in diverſis mundi partibus extra Regnum Franeiæ affligebantur: Idem Prædeceſſor eorumdem Miniſtri & Fratrum providere quieti, & malignorum conatibus obviare volens, tunc Archiepiſcopum Bracearen. & Mindonien. ac Legionen. Epiſcopos eis in Conſervatores & Judices deputavit, eiſque mandavit, quatenus eiſdem Miniſtro & Fratribus efficaeis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permitterent eoſdem a prædictis vel quibuſvis aliis indebite moleſtari, vel eiſdem damna, injurias, violentias & moleſtias irrogari, facturi eiſdem Miniſtro & Fratribus, eum ab eis vel Procuratore aut Procuratoribus eorum requiſiti forent, de prædictis & aliis ipſis quibuslibet & quibuſcumque moleſtiis & damnis tunc & in futurum illatis & inferendis, in illis videlicet, quæ requirerent indaginem judicialem, de plano, ſummarie ſine ſtrepitu & figura judicii, in aliis vero, prout qualitas negotiorum exigeret, juſtitiæ complementum: moleſtatores, præſumptores & injuriatores hujuſmodi, necnon contradictores quoslibet & rebelles, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, ordinis vel conditionis eſſent, etiamſi Pontificali præfulgerent dignitate, quandocumque & quotieſcumque expediret, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione Reg. Ciſm. fol. 84.

tione poſtpoſita, compeſcendo: Invocato etiam ad hoc, ſi opus foret, auxilio brachii ſecularis; prout in ejuſdem Prædeceſſoris litteris deſuper confectis, cum derogatiane conſtitutianis piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, tunc ſui, ac aliis clauſulis & facultatibus in forma, in quinterno Cancellariæ Apoſtolicæ annotata, contentis tunc expreſſis, emanarunt, plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderni Miniſtri Provincialis, Guardianorum & Fratrum ejuſdem Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum provinciæ ſancti Nicolai, juxta morem dicti Ordinis, petitio cantinebat, ipſi propter locorum longinquam diſtantiam, Archiepiſcopum & Epiſcopos Conſervatores prædictos pro ſingulis eorum querelis, commode adire nequeant, cupiantque pro eorum faciliori commoditate alios eis, necnon pro tempore exiſtentibus Miniſtro & Fratribus dictæ provinciæ, ac eorum curæ & viſitationi etiam pro tempore commiſſis, dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſis & Monialibus Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia, necnon Miniſtris & Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci, commodiores Conſervatores & Judices loco primo dictorum Conſervatorum & Judicum deputari & ſubrogari: Et propterea pro dictorum Miniſtri provincialis, Guardianorum & Fratrum parte nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eis ſuper his de opportuno remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per præſentes committimus & mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum per vos vel alium ſeu alios, etiamſi fueritis extra loca, in quibus Conſervatores & Judices deputati eſtis, eiſdem Miniſtro provinciali, Guardianis & Fratribus dictæ provinciæ, ac Abbatiſſis, Miniſtris, Monialibus & Sororibus hujuſmodi, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciatis eos quibaſcumque gratiis, privilegiis, libertatibus, exemptionibus & aliis immunitatibus, & indultis Apoſtolicis, hactenus conceſſis, & in poſterum quomodolibet concedendis, pacifice gaudere. Non permittentes eos a prædictis, vel a quibuſvis aliis moleſtatoribus, injuratoribus & violatoribus præſentibus & futuris, quovis quæſito colore, quomodolibet indebite moleſtari ſeu perturburi: Eoſque, eorumque jura, privilegia, exemptiones, aliaſque immunitates & facultates, necnon omnia & ſingula ſibi indulta, ac in eis contenta quæcumque tueamini & defendatis, illaque obſervari faciatis, ac alias ad executionem earum litterarum Joannis prædeceſſoris hujuſmodi, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, procedatis; inquietatores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilia brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac ejuſdem Bonifacii prædeceſſoris de una, & in Concilio generali de duabus dietis edita, dummodo ultra tres dietas quis vigore præſentium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam in forma Brevis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Nos, ac Sedem præfatam quomodolibet conceſſis, & in poſterum concedendis, etium cum quibuſvis irritativis, annullativis, revocativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, aut derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, etiam pluries conceſſis, confirmatis & innovatis, etiamſi talia forent, quad pro illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu qaævis alia expreſſio facienda foret; necnon omnibus illis, quæ dictus Joannes Prædeceſſor in dictis ſuis litteris voluit non obſtare, ceteriſque in contrarium

rium faeientibus quibuſcumque . Datum Romæ apud ſanctum Petrum , MDXXXIX. *die* XIV. *Januarii anno* V. *Bloſius ,*

LI. Fratribus etiam & Sororibus Tertii Ordinis per Italiam conſiſtentibus , ſimile conceſſit Prælatorum præſidium , confirmatis inſuper a Sixto IV. conceſſis privilegiis.

Dilectis filiis Fratribus , & Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci , de Pœnitentia nuncupati , per Italiam conſiſtentibus .

Dilecti filii &c. Devotionis veſtræ ſinceritas , & Religionis promeretur honeſtas , ut quæ a nobis humiliter poſtulatis , vobis affectu benevolo concedamus . Exponi nobis nuper feciſtis , quod alias pro parte tunc exiſtentium Fratrum & Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupatorum per Italiam conſiſtentium , fel. rec. Sixto Papæ IV. Prædeceſſori noſtro expoſito , quod licet plures Romani Pontifices Ordini , ac Fratribus & Sororibus ejuſdem Ordinis diverſa pro eorum immunitatibus conceſſerint privilegia , ac quod illis tamquam perſonæ Eccleſiaſticæ & Religioſæ frui & gaudere debuiſſent ; nihilominus Communitates Civitatum , Poteſtates , aliique officiales locorum Italiæ in dies nova eis tam in rebus , quam in bonis indicebant gravamina : Et propterea idem Sixtus prædeceſſor per ſuas ſub plumbo expeditas litteras , Communitatibus , Poteſtatibus & officialibus præfatis , ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna , eo ipſo , ſi contra facerent , incurrenda , ne eiſdem Fratribus & Sororibus gravamina aliqua inducerent , aut ipſos Fratres & Sorores quominus gauderent privilegiis & immunitatibus tam fori , quam perſonæ , & rerum , ſicut aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ , quomodolibet impedirent , inhibuit : Mandans univerſis & ſingulis Patriarchis , Archiepiſcopis , Epiſcopis , & aliis perſonis Eccleſiaſticis , quatenus eis in præmiſſis defenſionis præſidio aſſiſtentes , non permitterent aliquem contra ipſius inhibitionis tenorem quomodolibet moleſtari . Contradictores auctoritate Apoſtolica , appellatione poſtpoſita , compeſcendo , prout in litteris ejuſdem Sixti prædeceſſoris plenius dicitur contineri . Et ſicut eadem expoſitio ſubjungebat , vos deſideratis litteras Sixti Prædeceſſoris hujuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori , per Nos confirmari & approbari . Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis , ut vobis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur . Nos gratioſo favore vos proſequi cupientes , litterarum prædictarum , ac ſcripturarum & inſtrumentorum quorumcumque ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis forſan confectorum , tenores , continentios & formas præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes , hujuſmodi ſupplicationibus inclinati , præmiſſa , ac prout illa concernunt , omnia & ſingula in eis contenta , quatenus ſint in uſu , auctoritate Apoſtolica , tenore præſentium confirmamus & approbamus , ac eis robur perpetuæ firmitatis adjicimus , & inviolabiliter obſervari debere decernimus : ſupplentes omnes & ſingulos tam juris , quam facti defectus , ſi forſan intervenerint in eiſdem . Non obſtantibus præmiſſis , ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis , necnon dicti Ordinis , in illius fundatione ſeu inſtitutione ſtatutis & conſuetudinibus , etiam juramento , confirmatione Apoſtolica , vel quavis firmitate alia roboratis ; Privilegiis quoque & indultis , ac litteris Apoſtolicis , Communitatibus , Poteſtatibus , & Officialibus prædictis , ac etiam Cardinalibus , ſeu aliis Prælatis , etiam tamquam Ordinariis , quomodolibet , & per quoſcumque Romanos Pontifices , etiam Prædeceſſores noſtros conceſſis , confirmatis & innovatis , ceteriſque contrariis quibuſcumque . Verum , quia difficile foret , Ibid. fol. 87.

præſentes litteras, ad ſingula, in quibus de eis fides forſan facienda fuerit, loca deferre, volumus & eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, quod ipſarum tranſumptis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in judicio & alibi ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXIV. *Maii* MDXXXIX. *Pontificatus noſtri anno* V.

Privilegia Pontificia. *Reg. Ciſm. fol. 89.*

LII. In provinciam Brixiæ Regularis Obſervantiæ introducta fuit juxta repetitas Pontificum ordinationes, peculiaris reformatio, quæ auctis domibus crevit, & peculiare ſibi nomen aſſumpſit Fratrum Minorum de Obſervantia ſtrictioris vitæ. Inter hos & reliquos provinciæ Fratres dum variæ orirentur controverſiæ, omnes commiſit Pontifex decidendas Cardinali Quiñonio, tit. ſanctæ Crucis Ordinis Protectori. Ille, ut omnem contentionis tolleret occaſionem, quædam utrique parti præſcripſit, quæ ſuis litteris Paulus Pontifex hoc anno confirmavit. Clariſſas domus beatæ Mariæ ſancti Marci de Leonico, Vincentinæ diœceſis, a ſolvendis decimis aliiſque exactionibus exemit, juxta privilegium anno ſuperiori omnibus Sororum per Italiam Monaſteriis conceſſum; & Conſervatores deputavit Epiſcopos Vincentinum ac Veronenſem, eorumque in ſpiritualibus Vicarios generales. Joannes Calvus Curiæ Commiſſarius, hoc anno die 11. Junii per vivæ vocis oraculum impetravit, ut Clariſſæ Ferrarienſes Fratribus Regularis Obſervantiæ ſubditæ, celebrare poſſint ſub ritu duplici feſtum ſancti Geminiani.

Ibid. fol. 91.

ARGUMENTUM.

Ad Orientalis Indiæ inſulas miſſi Minoritæ, plurimos ad fidem convertunt. Alii apud Indos Occidentales in provincia Cibolæ latiſſima, rei Chriſtianæ promovendæ diligenter incumbunt. Comitia habent Generalia Conventuales. Lunellus Miniſter Generalis a Pontifice revocatur ex Germania. Plerique viri pii ex hac vita diſcedunt, inter quos & Franciſcus Cardinalis Quiñonius, necnon viri aliquot doctrina inſignes. Initiatur beatus Salvator ab Orta, cujus virtutum primordia recenſentur. Epiſcopi & Cœnobia numerantur.

I. JAM in India Orientali Ceilani inſulam, a Cori promontorio, quod Comorini caput incolæ vocant, ad Siculi freti ſimilitudinem exiguo admodum ſpatio avulſam, quamque aliqui Taprobanam olim fuiſſe contendunt, ſtrenuo milite & munimento, Luſitani ſuo Regi vectigalem effecerunt, & Pareapandarum Regem, ut in Luſitaniam Legatos amandaret, induxerunt. Illi porro cum Joanne III. tunc regnante inito fœdere, rogarunt, ut ſuæ religionis edocendæ Miniſtros Ceilanum mitteret, quorum doctrina & Rex & incolæ cupiebant initiari. Piis, ſibique gratiſſimis Legatorum votis Joannes ſatisfacturus, hoc ipſo anno ſex miſit Franciſcanos provinciæ Portugalliæ alumnos, Joanne a Villa Comitis Præfecto, quos impenſe commendavit Didaco a Sylveira, claſſis tunc inſtructæ Prætori, Legatoſque remiſit. Incolumes omnes Goam, Luſitannrum urbem præcipuam, pervenere, ubi cum Legati moram traherent, religioſi injuncti muneris haud ſegnes exequutores, navi conſcenſa, Cotam inſignem Ceilani urbem, appulerunt. Illic tertio ab adveutu die honorifice per internuncios habiti, Re-

Mittuntur Franciſcani ad inſulam Ceilani. *Gonz. in Prov. Sancti Thomæ in princ. Daza l. 1. c. 11. & ſeq.*

Anno Christi 1540.	Pauli III. anno 6.	Caroli V. Imp. anno 22.	Religionis Minorum anno 333.

Regem convenerunt, datiſque Luſitani Regis, Indiæque Prætoris epiſtolis, expoſitiſque ſui adventus cauſis, ſpem omnem benefaciendi, fidemque Chriſtianam amplectendi, opportuniori tamen tempore, barbarus exhibuit. At ubi repetitis vicibus ſalutis æternæ procurandæ, ſtandique promiſſis monere Fratres non ceſſant, & nonniſi verba dediſſe comperiunt, neque poſt inſtitutam publice coram ipſo quindecim dierum diſputationem, & confuſos Bramenos, idolorum Miniſtros, quidquam proficiunt, licentiam tamdem extorquent ſubditis prædicandi. Diſpartitis itaque inſulæ partibus, iis præſertim, in quibus a Luſitanis propellendæ injuriæ ſperari poterat præſidium, magno proventu agrum illum, hactenus ſterilem, Divini verbi rore perfuderunt. Veritus Rex, ne mutata religione, mutarentur & ſubditorum animi, quod clam faciebat, cœpit publice contraire, & Chriſtiane confitentes bonis mulctare, & filium natu maximum ad fidem converſum occidit occulte; cujus necem & fidem ſepulcrum in crucis modum mirabiliter aperiens os ſuum, proclamavit. At vafri hominis perfidiam ulciſcens Deus, permiſit, ut, dum ille male auſpicato, eductis copiis contra Madunium fratrem regnare cupientem, ad pugnam ſe præparat, gregarius miles ex cohorte Luſitanica (temere an conſulto incertum) miſſili plumbeo ſine metu ſuis obverſantem interficeret.

Prædicant ubique.

Rege contradicente.

II. Subſtituto extemplo illius nepote, adoleſcente affabili, benigno, Chriſtianis addicto, regiiſque decorato inſignibus, atque in avita ſede, communi ſubditorum & Luſitanorum conſenſu collocato, Fratres opus ſuum iterato aggreſſi, converſis intinctiſque tribus ferme hominum millibus, Regem etiam juvenculum, ſponſam, & aulicos ad fidem perduxerunt, Eccleſiaſque duodecim intra nonaginta milliarum ſpatium Chriſtianis ritibus conſecrarunt. Præcipuum delubrum idolum habebat Bogium, maximi pretii & venerationis, quod a Fratribus ad ſe miſſum, Epiſcopus & Prætor Goanus contriverunt, quantumvis Rex Peguenſis illud redimere tentaverit centies mille coronatis. Amoto idolo, & purificato templo, nocte ſequenti in circuitu viſæ ſunt magno numero Ædives (genus eſt animalium vulpibus ſimillimum, ea in inſula, & pleriſque Africæ partibus frequentiſſimum) ululantes & fortiter obſtrepentes, quod pars illa gentilium, quæ in ſuo perſiſtebat errore, tribuebat Deorum ſuorum injuriis, quaſi de locis ſuis expulſi, tetris illis clamoribus juſtas ederent lamentationes; parumque abfuit, quin magna in Fratres & Luſitanns irruptione inſulares contumeliam ulciſcerentur.

Sub alio Rege mire proficiunt.

III. Adoleſcentis Regis exemplo facta eſt magna acceſſio Chriſtianorum; etenim illius genitor, necnon uxoris pater, Candiæ Rex fraterque germanus, fidem amplexati, ſacra purgati ſunt ablutione, deinde miniſtri, mox ingens numerus ſubditorum. Atqui hinc Madunius patruus, qui injuſte pronepoti traditum, ſibique violenter præreptum, querebatur regnum, majori ardore illum bello laceſſebat, concitatis & in auxilium vocatis, qui priſca ſibi negari numina, occultumque & inviſibilem ſibi obtrudi Deum, palam lamentabantur. Annis vigintiquinque inſtauratis ſæpius exercitibus, illum divexavit, donec tamdem Rex cum omnibus ſibi caris, cum religioſis viris, & Luſitanis, ac duodecim recentium Chriſtianorum millibus, Cota, urbe regia relicta, Columbum Civitatem maritimam, ſe recepit. Interim Madunium reliqua ferme inſula potitum, Ragius filius primogenitus, exercitui præfectus, proditorie occidit, qua ille morte necem luit quam ſuo etiam parenti olim intulerat. Verum porro Regem Columbi agentem, Luſitanus armis militibuſque juvit contra hoſtes, ejuſque patruelem egregium

gium adoleſcentem a Fratribus in Luſitaniam miſſum, honorifice ſuſcepit, ſubminiſtratis rebus univerſis ejus qualitati opportunis; deinde liberalibus ſcientiis, atque illo idiomate inſtructum, ad Regem remiſit, magno quidem adjumento rebus Chriſtianorum ſuturum, niſi in itinere periiſſet. Ex iis porro, quos prædicti Fratres baptizarunt, ſeptuaginta ſelectos pueros & adoleſcentes, uno congregarunt collegio, partim ex regiis proventibus, partim ex eleemoſynis Fratrum induſtria acquiſitis conſtructo in Civitate Columbi, quorum adjutorio res Chriſtiana magnum ſuſcepit incrementum.

Prædicant in Manaris inſula. *Gonz. cit. Conv. 2. Daza cit. c. 72. Guzman. lib. 2. c. 16.*

IV. In propinqua etiam inſula Manaris, horum Fratrum catecheſi & induſtria plurimi ex Gentilibus Chriſto nomen dedere, & ſacris aquis ſunt abluti, quorum numerus cum in dies augeretur, Jaſanapetanus, Ceilaniæ terræ tyrannus, cujus in ditione erant Manarenſes, idolis ad inſaniam deditus, inſitam ingenio feritatem novellos in Chriſtianos exercuit, immiſſoque ſatellite, partem eorum occidit, partem variis ſuppliciis per ſummam indignationem affecit. Pauci ex inſula in continentem elapſi, terreſtri leucarum amplius ducentarum itinere, Goam uſque ſe contulere. Ibi rite inſtituti omnes, & myſtico partu renati ſunt, inter quos regius adoleſcens, ab Epiſcopo Alburquerquio Minorita, pro dignitate ſuſceptus, & ſolemniter baptizatus, deinceps Alphonſus vocatus, Chriſti fidem conſtanter profeſſus eſt. Porro Luſitani inſulam illam haud contemnenda munitione, & ſufficienti milite in ſuas partes & fœdera poſtea reduxerunt, & Cœnobium Minoribus poſuerunt, ſub nomine ſanctiſſimæ Matris Dei, collocato in Eccleſia ejuſdem Dei genitricis fictili ſimulacro, quod Romæ acceptum, Luſitanus quidam in eam inſulam invexit, & Deus multis miraculis in ejus conſpectu patratis reddidit famoſum.

Ad Meliaporum proficiſcuntur. *Gonz. cit. Con. 1. Daza cit. c. 50.*

V. Longius perrexit magnum iter emenſus, frater Antonius Patronus Luſitanice *do Padraõ*, ex ſex illis Ceilanicis unus, qui Meliaporum (Coromandelis regni caput, urbem olim magnam, quam poſtea temporum injuriis, belliſque dirutam, Luſitani deducta eo militum emeritorum colonia frequentarunt, ac mutata appellatione, honoris Apoſtoli Thomæ cauſa, ab ejus nomine nuncuparunt) ab illa inſula milliaribus trecentis, ab urbe Goana mille ducentis diſtantem, cum ſocio uno profectus, ſalvandæ illius gentis perquam avidus, Chriſtianis ſancti Thomæ, ita illos appellant, qui fidem a ſancto Thoma, ſed jam per tot ſeculorum generationes corrupte tranſmiſſam, ſe accepiſſe gloriantur, & Gentilibus impigre prædicavit, illos erroribus purgans, hos integra fide parturiens. Ut commodius inſtrueret, aliquanto procul ab urbe, prope pagum Gentilium ædiculam conſtruxit, ex qua indeſeſſim prodibat ad opus: miro virtutis exemplo, & continuis hortationibus ita profecit, ut infra breviſſimi temporis ſpatium, ultra mille trecentos Chriſto ſubjugarit. Creſcente fidelium numero, crevit & Fratrum domicilium, ac ſocietas magno illius gentis ſolatio. Prope locum illum extant ſacra, ac notoria ſancti Apoſtoli veſtigia: Sacellum ſcilicet ab eodem conſtructum, in quo ſanctum corpus per tot ſecula delituit, & omnium poſtremo inventum eſt cum fragmento haſtæ, quæ coſtis inhæſerat, ac baculus præferratus, quo ille ad peregrinationes utebatur, atque urna fictilis ceſpite inferto, nempe qui manantem e ſacris vulneribus cruorem ebiberat. Exinde locus multis miraculis claruit, ac magnus eodem ex omni parte factus concurſus. Circa P. M. ſurrigit in altum mons, in quo Apoſtolus, dum ad Crucem, alienato a ſenſibus animo, Deum pro ſalute hominum & ejus præſertim populi, deprecaretur, telis primum, ac lapidibus appetitus, dein ab uno e Brachmanis lancea transfoſſus occubuit.

Ubi S. Thomas occubuit.

VI. Fra-

Anno Christi 1540.	Pauli III. anno 6.	Caroli V. Imp. anno 22.	Religionis Minorum anno 333.

VI. Frater Vincentius, Goani Epiſcopi ſocius, in procuranda gentium ſalute aſſiduus, ſub hoc tempus magnam contraxit amicitiam cum Rege Tanoris, maritimæ urbis, leucas ultra Goam circiter octoginta, cis Calecutum ad quindecim. Is e Bracmanorum ordine & diſciplina erat, cujuſmodi plerique Malabaricæ terræ ſunt Reguli, in Luſitanum nomen a pueritia valde propenſus, & ventitantes ad ſe Vincentium, ac Joannem Soarium Cialenſem Antiſtitem, libenter audiebat, quorum præcipue ſtimulis, diſcuſſo torpore, fidem ſuſcepit, & baptiſmum, aſſumpto Joannis nomine in gratiam Regis Luſitani. Paulo poſt uxor quoque ſacro fonte luſtrata, itemque e Cialenſis Reguli præfectis unus, & e Caimalibus ſeu Dynaſtis alter. Verum hæc in occulto fiebant, ne quis gravior popularium motus exiſteret, atque adeo Rex ipſe Tanoris, trina fila, Brachmanicæ ſuperſtitionis inſignia, palam e cervice geſtabat: cum tamen idem ipſe Vincentii patris munus, æneam icunculam Chriſti, ad Crucem affixi, abditam foveret in ſinu. Sub hæc neophytum Regem adſtringendæ cum Luſitanis amicitiæ cauſa, inceſſit cupido regiam ipſorum urbem ultro adeundi Goam, & familiariter cum Prætore, & cum Epiſcopo colloquendi. Id quo tutius faceret, litteras ad utrumque dat, vetuſtum ſibi hoſpitium eſſe cum Luſitano genere, nuper etiam illorum ſacra ſibi & uxori ſuſcepta. Valde ſe optare, ſi per eos liceat, ad majorem percipiendum ejus neceſſitudinis fructum dextraſque jungendas, Goam venire: eſſe præterea, quæ cum utroque communicari vehementer expediat.

Fr. Vincentius Regem Tanoris, Reginâ & aliis convertit. *Hiſt. Orient.* 1. p. l. 4. c. 13. *Daza cit. c.* 43. *Maff. lib.* 15.

VII. Ejuſmodi litteris ad urbem allatis, adventus illius fama extemplo vulgata, novo gaudio cunctos affecit. Præclarum atque honorificum ſibi ducebant, ſub nominis Luſitani tutela præſidioque latere quamplurimos, & Chriſtianam religionem, relictis patriis ritibus, induiſſe haud ignobilem in iis locis Regem; atque ut cupiditati eſt ferme adjuncta credulitas, vulgo ita diſſerebant, Malabarici littoris incolas omnes viri hujus exemplo atque auctoritate in Luſitanicam fidem brevi eſſe venturos. Simul affuturo propediem hoſpiti, quod genus honoris habeatur, exquirunt. Super eadem re Prætor ipſe conſilium advocat: ei conſilio interfuere delecti e nobilitate viri triginta, Quæſtores regii tres, Cuſtos Franciſcanorum, & Goanus Epiſcopus. Ambigebat Prætor, utrum advenientem Tanorium, qui apud Chriſtianos nondum pro Chriſtiano ſe gereret, neque Brachmanicas e collo deponeret lineas, Goæ pro Chriſtiano accipi ac tractari oporteret. Ea de re cum alia alii rogati cenſerent, negavit Epiſcopus neophyto Regi, patrium in præſentia geſtamen, aut vitio verti, aut fraudi eſſe debere. Joſephum quoque ab Arimathæa, quem Juſtum ſacræ teſtantur litteræ, iteunque Nicodemum & Gamalielem, qua fide, qua probitate viros? occultos Chriſti diſcipulos fuiſſe propter metum Judæorum; eamdem ob cauſam ipſoſmet Apoſtolos Chriſti ante ſuſceptam Spiritus plenitudinem, januis clauſis dies aliquot in eadem cœnatione latuiſſe; jam vero Divum Sebaſtianum, bellatorem illum ducemque fortiſſimum, ſuſcepta dudum Chriſtiana religione, tamen Romano militari ornatu, ut nulla re prorſus a ceteris dignoſci poſſet, cuſtodias diſſimulanter obire, & martyribus animos addere ſolitum, quoad coram ipſo Diocletiano demum aperiendi quis eſſet, quem coleret, cui dies noctesque ſerviret, præclara ſeſe dedit occaſio. Similiter, huic etiam Regi tam pio, nondum maturis ad Chriſtum publice profitendum rebus, concedendum aliquid ſpatii, dum Naires ac Proceres, vitandæ ſeditionis cauſa, paulatim ab inſita ſuperſtitione divellat: ſuum eſſe cujuſque rei tempus; id expectandum utique ſapienti: ſæpe quæ patientia ac lenitate ſanari negotia poſſint, pervicacia & feſtinatione corrumpi. VIII. Hæc

Anno Christi 1540.	Pauli III. anno 6.	Caroli V. Imp. anno 22.	Religionis Minorum anno 333.

VIII. Hæc & in hanc ſententiam alia dixit Epiſcopus, haud dubie benevolentia in Regem, & quadam naturæ bonitate provectus; nec ſatis animadvertens, quantum inter habitum nationis, & ſymbola religionis interſit. Vicit tamen auctoritas Pontificis, inque ejus ſententiam Prætor & reliqui frequentes iere. Confeſtim Joannes Lupus cum octo biremibus, & idoneo commeatu, miſſus ad Regem advehendum, in ipſo Tanoris aditu anchoras jacit, deque ſuo appulſu facit eum per nuntios certiorem. Ille ſoſpitem gratulatus acceſſum, ad profectionem extemplo ſe comparat. Id ubi cognitum in urbe, propinqui & primores, ac præcipue Brachmani circumſiſtunt Regem, monent, orant, obſecrant, ne regnum ſine cauſa deſerat, ne caput ſuum peregrinæ & ignotæ committat genti; ne ſeſe vetuſtiſſimis cæremoniis præditum, auguſtumque profana & impura contagione contaminet.

IX. Ea monita preceſque, obfirmato ad iter animo, cum Joannes aſpernaretur, enimvero illi acrioribus remediis opus eſſe conſtituunt, facta conſpiratione, cuſtodibuſque ad portas adhibitis, Regem in arcem includunt triplici circumdatam muro. Neque tamen ille idcirco de ſententia dimoveri ſe eſt paſſus: nocte concubia, ſolus, revincta capillis in ipſo vertice, quam dicebamus, effigie Chriſti, cujus opem ſubinde implorabat, ſubitariam reſtem, præligato quod ſors obtulerat adunco cervi cornu, retinaculi cauſa in pinnas jacit, eoque adminiculo in ſummum evadit. Inde translato in alteram partem vinculo, ſuſpenſus manibus ad ima ſe ſe demittit. Ita ſeptum unum atque alterum ſelici auſu tranſgreſſus, in tertii deſcenſu, quod altitudinem mœnium reſtis haud æquaret, ex intervallo deſiliens, caput & alterum læſit crus, inde ad ſtationem Luſitanorum ægre progreſſus, in aſcenſu ſcaphæ, tumentibus æquis pœne ſubmergitur. Hiſce defunctus periculis, ad naves denique omnium gratulatione pervenit. Vix dum in Prætoriam erat acceptus, cum ejus cognito diſceſſu, oppidani ad littus accurrunt, ſupplices tendunt ad illum manus; eadem, quæ paulo ante cum lacrymis obteſtantur, quos ille partim præſenti largitione, partim celeris reditus promiſſione ſolatus, familiaribus paucis adſumptis, Goam ire perrexit.

X. Propius ad inſulam accedenti, Præfectus urbis Franciſcus Lima in ipſo portua ore, cum ſplendido comitatu, & fulgentibus undique ſerico verſicolore caturibus ac lembis obviam fit. Ad mutuum conſpectum, utrinque tubæ, tybiæque ac tympana perſtrepunt. Conſueta dein ſalutatione accepta, redditaque, Rex ad impoſitam littori ſuburbanam Antonii Perſonæ villam, regio inſtructam apparatu, deducitur; ubi noctem exegit. Poſtera luce, Hiſpanienſi decorus habitu, & aureo torque, pari frequentia, nec ſine horriſono tormentorum fragore, ad urbem claſſe provehitur. Ipſum Prætorem in areis more præſtolantem, paratos item cives, populumque, ſtructam ſumma ratione pompam offendit. Ejus pompæ ordo traditur talis. Ad portam, qua intrandum erat, Limæ Præfectus in argentea lance claves urbis tenebat, hoſpiti Regi more majorum offerendas. Adſtabant decuriones auratis baculis, holoſericam oſtrinam attollentes umbellam, fimbriis e cocco retorto pendentibus. Viam, quæ recta vocatur, & præter Sabajanas ædes ad templum fert maximum, probe purgatam, aqua conſperſam, virentique ſtratam junco, parietibus ex utraque parte pretioſo textili, & varia pictura nitentibus, Clerici & ſodalitia ſacra cum inſulis, & inſignibus Religionum, longo agmine inſederant. Poſtremus omnium erat Epiſcopus, majoris formæ bajulans Crucem.

XI. Rex

Anno Christi 5540.	Pauli III. anno 6.	Caroli V. Imp. anno 22.	Religionis Minorum anno 333.

XI. Rex urbem ingreſſus, cum cetera lætus gratulatione, tum in primis honore clavium, ſub umbella cunctabundus inceſſit, adeo conferta occurſantium ac deducentium multitudine, cum interim e ſuperioribus locis alii ſpectarent plurimi, uti a lictoribus umbellam antecedenti honoris cauſa Prætori, magno labore ſubmoveretur. Ubi ad Epiſcopum acceſſit Rex, ſolemni ab eo precatione luſtratus, Crucem venerabundus amplectitur, pendentis Chriſti ſignum deoſculatur, dein Templum intrat, fuſiſque rite precibus, ad pridianum hoſpitium eques eodem ſtudio & comitatu reducitur. Exceptus dein a Prætore quamapparatiſſimis epulis, arcano colloquio tempus ac locum petit, confeſtim vacua pars facta Prætorii. Ad colloquium Epiſcopus, & nonnulli Theologi nominatim adſciti, ac præter hoſce Limæ urbis Præfectus, & Franciſcus Alvarus a ſecretis, & Regii, quos dixi, Quæſtores, & Gaſpar Nonnius interpres. Coram eo confeſſu Rex omnem ſui de Religione rationem expoſuit. Sibi, poſteaquam ſingulari Dei beneficio caligine diſcuſſa, de tenebrarum profundo in lucem Sapientiæ ac Veritatis emerſerit, nihil æque in votis fuiſſe aut eſſe, atque ut populares ſuos non ſolum, ſed vicinos quoque Reges ac Principes Chriſto conciliet, cunctiſque de ſuo, quod ajunt, lumine lumen accendat. Verum lenitate opus eſſe; quæ niſi tempus ac ſpatium datum ſit, conſtare non poſſit; uſque adeo Malabaricam gentem ſuas amplecti ac fovere, alienas horrere atque averſari leges ac cæremonias, adeo avitis erroribus ac ſuperſtitionibus captam atque implicatam teneri; interea ſibi Chriſtum ejuſque præcepta penitus hærere in medullis; ejus rei Deum & conſcientiam teſtes invocat; ſimul ad certamina, ubi res tulerit, pro Chriſti nomine ſubeunda, ſacroſancto Chriſmate confirmari ſe poſtulat.

XII. Ad ea Prætor & Epiſcopus, collaudata viri pietate, cum experiendi gratia dicerent, ſatius videri ſibi, Regem ad ceteros permovendos Chriſtianum ſe ſe fateri palam; & ope Divina magis, quam humana providentia vel dexteritate confidere, multo plus univerſæ genti exemplo factiſque, quam arte ac ſimulatione, & occultis hortationibus profuturum; Rex magna rurſum pericula, magnos rerum motus obtendere; inter cetera incommoda, Fratrem ſibi eſſe æmulum Regni, præpotentis Dynaſtæ vicinis opibus & favore ſubnixum, haud ſine cauſa vereri ſe, ne ſi nova & peregrina obtrudenda Religione, populorum animi gravius offendantur, eorum alienationem ille ſuam occaſionem putet. Luſitanis paululum modo expectare ne grave ſit. Si vita ſuppetat, domeſticas pariter & publicas res ita ſe, Deo adjuvante, compoſiturum, ut quæ nunc temporis cauſa corde tacitus premat, ea poſtmodum vultu, ſermone, rebus denique ipſis tuto poſſit expromere. Adverſus hæc ultra tendere, neque Prætori, neque Conſiliariis viſum.

XIII. Seorſum dein ſuper Sacramento Confirmationis a Prætore conſultus Epiſcopus, nequaquam negandum enixe petenti reſpondit; eodemque approbante Prætore, poſtridie ipſemet in privato ſacello, neophytum, paucis adhibitis teſtibus, ne rumor manaret, ſolemni ritu ad luctam ſpiritualem inunxit. Ab eo myſterio, Rex novis dein promiſſis, optima ſpe tum Epiſcopum tum ceteros omnes implevit. Decem ferme dies Goæ in hoſpitio ſubſtitit. Omnes hi dies Luſitano Populo geniales, ac feſti fuere; e cunctis ædium ſacrarum turribus campanarum æs quam citatiſſimo pulſu dies noctesque perſonuit. Exhibiti ludi, taurorumque venatio: acceſſere armatæ ſaltationes, & Indicæ & Ægyptiacæ, mimi, ſanniones, & pettoriſtæ, quæque alia effuſæ lætitiæ ſigna ſunt; itemque ad Numidarum conſuetudi-

nem edita equeſtris pugnæ ſimulacra, in quibus expeditos equites, vario diſtinctos ornatu, arundinum jaculis inter ſe decertare mos eſt. Inter quæ revocatus domeſticorum epiſtolis, precibuſque Rex, proficiſcendi veniam petit. Multum illi a Prætore bombycinæ veſtis, multum goſſypinæ famulis in diſceſſu donatum, omni genere honoris & officii cultus, multo quam ante Luſitanis amicior & obſtrictior abiit. Hanc rei geſtæ ſeriem Maffejus inſignis rerum Indicarum Scriptor, cum ex aliis auctoribus minime ſpernendis, tum ex ipſius Alburquerquii Minoritani Epiſcopi Goani litteris ad Catarinam Luſitaniæ Reginam datis, ſe hauſiſſe teſtatur, iiſque Nuntiis mirum in modum lætum Joannem Regem tota Luſitania prædicandam curaſſe. Sunt qui totam eam converſionem captandæ Luſitanorum gratiæ in tempus a Rege barbaro fictam putent, eo maxime argumento, quod domum revectus, promiſſa non præſtitit. At præſtitiſſe, quæ poterat, ſcribunt alii, & a reliquis metu potius, quam perfidia neophytum abſtinuiſſe, ſemperque collo appenſam Chriſti, quam diximus, Crucifixi imaginem geſtaſſe; & ſub mortem lacrymis dolorem de peccatis in Deum commiſſis, & Minoritæ cuidam in confeſſione ſacra expreſſis, palam demonſtraſſe.

Hiſtor. Orient. citata. Daza citat. c. 48.

XIV. Hactenus de Indiis Orientalibus, earumque præcipuo Antiſtite fratre Joanne Alburquerquio Minorita. Sed neque ſegniter ſuum munus peragebat in Indiis Occidentalibus primus ille inſigniſque Mexicanus Epiſcopus, frater Joannes de Zumarraga, quem ab inſigni virtute & ſanctæ vitæ exemplo digne commendat Regius hiſtoricus Herrera. Non ſolum gentis converſioni, & animabus medendis, ſed & corporibus curandis pro ſua pietate totus intentus, ſuis impenſis hoc anno extruere cœpit amplum Xenodochium, illudque jam perfectum demum Regio commendavit patrocinio. Ratam gratamque habuit oblationem hanc Carolus Rex, tituloque Juriſpatronatus ab Epiſcopo conceſſi, ubique appendi ſua curavit inſignia, domumque beneficiis cumulavit.

Herrer. dec. 6. l. 9. c. 7.

Epiſcopi Mexicani pietas.

XV. Prodierat, uti diximus anno præterito, Franciſcus Vaſquez Coronado, opulentiſſimam Cibolæ Provinciam, quam primus frater Marcus Nicenus Minorita explorandam edocuit, ſubjugaturus, & ſacrorum curatores comites adhibuit Joannem de Padilla Sacerdotem, ac Ludovicum de Eſcalona ſanctiſſimæ vitæ laicum, Minoritas Provinciæ Bæticæ alumnos; quorum primus multum fructum attulit in nova Hiſpania, dum Guardianum ageret in Conventu Tulantzingico, & deinde in Cœnobio Sapotlanenſi. Cum autem ad Quiviræ Provinciam aeris temperie, aquarum bonitate, camporum amœnitate laudatiſſimam, a Cibola leucas ducentas verſus Ortum divergentem, perveniſſet, & ultra pauliſper ad Azuteas proficiſceretur, uxoris reviſendæ cupidus, rediit ad novam Gallæciam unde profectus eſt, relicto Padilla, & ſocio apud Azuteas, qui populi converſioni, & martyrio ſubeundo valde inhiabant. Ubi illic, & in Provincia Tiguez aliquantulum cum juvenculo interprete, & aliquot barbaris Mechuanis, itemque Andrea de Campo Luſitano ſubſtitiſſent, & nonnihil profeciſſent, ac denuo Quiviram reverterentur, in itinere ab indigenis fuerunt trucidati, illamque regionem ſuo ſanguine primi conſecrarunt. Tanta fuit in veneratione apud Coronadum militiæ Præfectum Ludovicus, ut militibus præceperit, quotieſcumque ejus nomen audirent, toties capite inclinato, ejus vitæ ſanctitatem venerarentur.

Idem cit. c. 22. Gomara in hiſt. gen. Ind. 1. par. fol. 287.

Minoritæ ad Provinciam Cibola miſſi.

Daza l. 2. c. 58.

Joannes de Padilla, & ſocius Martyres.

XVI. Patres Conventuales hoc anno convocarunt Comitia Generalia in urbe Cremonenſi, de quibus nihil reperio peculiare. Vincentius Lunellus, totius Ordinis Miniſter, quem anno elapſo diximus in Germaniam pro-

Capitulum Generale Conventual.

Rodul. fol. 245.

Lunellus Generalis in Urbem revocatur.

profectum, ut res graviſſimas ſibi a Pontifice commendatas cum Cæſare perageret, hoc anno in Curiam per has litteras revocatur.

Dilecto filio Vincentio Lunello, totius Ordinis Minorum Generali Miniſtro.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum tuus Ordo tua præſentia in Romana Curia plurimum egeat, ſicut non ignoras; volumus, ut peractis, ſi quæ tibi reſtant, negotiis publicis ad Chriſtianitatem univerſam ſpectantibus, quæ tibi cum Sereniſſimo Cæſare agenda mandavimus, cum tuo commodo, ad Nos quamcitius poteris, revertaris. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die X. *Aprilis* MDXL. *Pontificatus noſtri anno* VI. *Reg. Ultramon. fol.* 111.

XVII. Obiit hoc anno Paulus a Chiana, urbe Randatio in Sicilia oriundus, qui, ſuſcepto laici ſeu converſi humili ſtatu, ſingulari pœnitentiæ modo ſuum corpus maceravit; & in oratione aſſiduus ſepe coram ſanctiſſimo Altaris Sacramento, & beatæ Mariæ Virginis, cujus reverentia & affectu totus ardebat, effigie, noctu cytharæ vociſque ſono in hymnis & canticis ſpiritualibus Deum tanta pietate laudabat, ut audientes mirum in modum ad Dei amorem inceoderet. Tribus diebus per hebdomadas ſingulas in pane & aqua jejunabat; Fratribus & pauperibus admirabili caritate neceſſaria quæque procurabat. Cibi, quos parabat aut coquebat Fratribus, adeo ſapiebant, ut viri nobiles ex eis aliquoties manducantes, ab Angelis putarent appoſitos: ſolo amiciebatur habitu obſoleto & ſegmentitio. Bis profectus Hieroſolymas, præter itineris incommoda, multas paſſus eſt tribulationes & carceris moleſtias: unde ſecundo regreſſus, poſtquam multa bona illic per ſexennium Fratribus præſtitit, & peregrinis Chriſtianis; dum a ſuo Miniſtro Provinciali ad Cœnobium patrium amandaretur, rogavit ut alio mitteretur, ne parentum, amicorum & civium, quibus erat in veneratione, frequentes pateretur acceſſus. Bizinum deſtinatus, ſocio prædixit in itinere, ſe illa in urbe moriturum. Poſtquam illic per aliquot menſes manſit, unius ex Confratribus exequiis totus mœſtus interfuit; & mœſtitiæ cauſam ſciſcitanti Guardiano reſpondit, ſe poſt dies viginti idem funeralium beneficium a Fratribus conſecuturum; & proinde ſecum profunde penſitare, quid in animæ exitu tremendo in judicio pro delictis ſit reſponſurus. Die autem præſcripto, ſacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis rite procuratus, ferme ſeptuagenarius, pie obdormivit in Domino. Ad funus univerſus concurrit populus, uti hominem ſanctum veneraturus, & plerique illius contactu ac meritis, malorum quibus laborabant, reportarunt remedia. Moritur Paulus Randatius. *Vita MSS. inter Monumen. Prov. Sicil.*

XVIII. Similiter proprii ſui obitus diem, cum adhuc bene valeret, prædixit Petrus a Padulis Beretranorum Principi, lectiſſimæ Heroinæ, cui a ſacris erat confeſſionibus. Uti prænunciavit, hoc anno deceſſit in Conventu ſancti Bernardini Roſſani in Calabria. Ejus anima in præfulgidæ ſtellæ modum viſa eſt ad cœlos aſcendere, conſpicientibus urbis Gubernatore, aliiſque viris graviſſimis. Corpus ſepulturæ traditum, poſt multos dies exhumatum, pulchrum apparuit & tractabile. Et Petrus a Padulis. *Gonz. in Provin. Calab. Conv.* I.

XIX. Sub hunc annum moritur Fulginei Petrus Tudertinus, qui anno MDXXXIV. cum Bernardino Aſtenſi ab Obſervantibus ad Capuccinos migravit; cujus exemplum ſecuti ſunt alii, quos dum Magiſtrum ageret Novitiorum, religioſiſſime ad diſciplinam Regularem efformavit. Pauper- Petrus Tudertinus. *Bover. hoc anno n.* 14.

tatis & auſterioris vitæ ſeverus cultor, obſoleto habitu contentus, ſemel in die manducabat, ſed a carnibus & lautioribus epulis perpetuo abſtinebat. In locis ſolitariis quidquid temporis ex communibus officiis ſupererat, totum orationi, & Chriſti meditandæ Paſſioni concedebat. Ut vero Chriſto pro nobis paſſo, aliquatenus compateretur, aſpero ſemper cilicio utebatur, id ſolitus dicere; ſervum Dei nullo unquam tempore prætermittere debere, ut dies abſque aliqua corporis afflictione dilabatur, quæ Domini paſſionem illi in mentem revocaret. Erga ſe rigidus ac ſeverus, erga alios tenera quadam animi compaſſione ferebatur: ſed & erga mortuos pius ac miſericors, cum ſemel urbis Gubernator quatuordecim ſacinoroſos in furcas ageret, eoſque ad aliorum terrorem diu vellet in aere ſuſpenſos, Petrus illorum miſeratione commotus, Superioris aſſenſu, intempeſta nocte e patibulo dimittit, & tam occulte ſacro ſepelit loco, ut factum omnes latuerit. In ſedandis animis, ac ſimultatibus effugandis Dei gratia præſtabat, multarumque urbium factiones, quæ in mutuas cædes exardeſcebant, extinxit. Guardianus Fulgineum miſſus, cum in novo ſancti Joſephi Conventu Fratrum effoderetur Cœmeterium, dixit hunc laborem ſibi impendi, ſeque primum domum illam ingreſſurum. Paulo poſt vita defunctus, in illud ſepulcrum primus omnium illatus eſt. Cum vero quadriennio exacto, alius illic Conſodalis ſepeliretur, magnam ſenſerunt Fratres odoris fragrantiam ex ejus corpore diffundi.

Joannes Alcozius. *Monum. MSS. Provin. Arag. Tom. 11. anno 1447. n. 79.*

XX. Moritur hoc anno apud Obſervantes Cœnobii, a Jeſu nuncupati, extra urbem Cæſarauguſtanam, Regni Aragoniæ præcipuam, frater Joannes Alcozius, Laicus Navarræus, de quo prælibavimus in deſcriptione prædicti Conventus. Quadraginta annis illius domus oſtiarium egit, pauperibus ad ſtipem adventantibus ſemper tribuens aliqua edulia. Dum intenſius oraret, dæmones varia objiciebant ſpectra ut diſtraherent, ſed fruſtra, illo conſtanter perſeverante. Ut majori oraret quiete, tempeſtive ante noctis medium deſcendebat in Templum, ubi lacrymis & precibus pro peccatoribus intercedebat, & deinde hora præſtituta, abſque ullo intervallo pulſabat ſingulis noctibus ad matutinum. Cruciatibus purgatoriis animarum compaſſus, multis ſuccurrebat ſuffragiis; quarum una illi apparens, gratias reddidit pro vinculis abſolutis. Abſtinentia, pœnitentia, aliiſque virtutibus inſignis, magnam acquiſivit in illo populo venerationem.

Thereſia Garçia. *Monum. MSS. Provin. ſancti Jacobi.*

XXI. In Monaſterio Allarizio Clariſſarum, Provinciæ ſancti Jacobi, diem clauſit extremum hoc anno Thereſia Garçia oppido montis Roſæ, nobili nata progenie, multis virtutibus, humilitate præſertim, nobilior. Sæpe omnium Sororum ſuffragiis in Abbatiſſam expetita, ſemper recuſavit: ne vero videretur laborem, Sodaliumque ſubterfugere obſequium, Vicariatum admiſit, in quo caritatis exercendæ nullam occaſionem prætermiſit. Revelationibus Divinis aſſueta, mortem eadem hora, qua deceſſit, annunciavit unius ex Sororibus, per multas leucas in Regno Portugalliæ diſtantis, eamque ſe vidiſſe albis veſtibus, palmam in dextra geſtantem, ad cœlos aſcendentem. Poſt Thereſiæ obitum, Leonora Salgada ejus neptis, longo & moleſto laborans morbo, inſtituto orationum novenario, rogabat impenſe fratrem Garziam Blandeſium olim defunctum, de quo ſuo loco dixinius, ut mederetur. Apparens dixit exauditam propter amitæ merita, quæ pro illa rogavit in cœlis, & ex illa hora perfectam conſequuta eſt ſalutem. *Tom. 5. anno 1590. n. 35.*

Moritur Cardin. Quiſonius.

XXII. Curſum etiam feliciter conſummavit hoc anno in menſe Septembris Franciſcus Cardinalis Quiſonius, de quo paſſim egimus, in Civita-

te

te Verularum in Latio, poſtquam feliciter tot obivit munera, ſummæ Præfecturæ ſuæ Religionis, Legationum ſub Clemente VII. ad Cæſarem in Hiſpania, & ad eumdem ſub Paulo III. in Germania, purpuræ Romanæ, totque Eccleſiarum ſuæ curæ commendatarum, virtutibus excelſus, nullam inter tot dignitates imminuit. Parciſſimus ei ſomnus, veſtis vilis, cibus communis, abſtinentia frequens, eam reddens cauſam: *Si carni vel parumper indulgeo, pudicitiæ timeo jacturam.* Ante Ordinis Præfecturam, in publica lue, quæ ſæviſſime graſſabatur in Hiſpania, ad Extremaduram, peſtilentibus humiliter inſerviebat, & Sacramenta miniſtrabat, ac tamquam alter Tobias defunctorum cadavera propriis manibus ſepeliebat. Corpus translatum in Urbem conditum eſt in Baſilica ſanctæ Crucis in Hieruſalem, cujus titulum præferebat, & ſepulcro, quod ipſe ſibi paraverat, hac addita inſcriptione. *Daza l. 2. c. 1. & 2.*

FRANCISCUS QUINONES CARD. S. CRUCIS
DE MORTE ET RESURRECT. COGITANS
VIVENS SIBI POSUIT.
EXPECTO, DONEC VENIAT IMMUT. MEA.

XXIII. Præter iſtos viros, pietate claros, quos amiſit, jacturam magnam ſenſit hoc anno noſtrum Sodalitium multorum doctrina illuſtrium interitu. Franciſci Regis olim Guardiani Nivellenſis, inſignis Theologi, Carolo V. ejuſque ſorori, Hungariæ Reginæ, a ſacris concionibus per annos quindecim, ſepulti in prædicto Conventu Nivellenſi, quem totum ferme a fundamentis extruxit, prædictorum Principum, & aliquorum Procerum ſubſidiis adjutus. Martini Vander Keele a Turnhout, Brabantiæ oppido, ſacræ Theologiæ apud Lovanienſes profeſſoris, & ſerventiſſimi Concionatoris, apud eoſdem ſepulti die XIII. Martii. Joannis Byl Lovanienſis, Regularis Obſervantiæ ſtudioſiſſimi, primi Miniſtri Provinciæ Germaniæ inferioris, vita functi Mechliniæ, die II. Novembris. Hieronymi Verati viri docti, qui virtute meritorum ad præcipuas ſuæ Provinciæ dignitates aſcendit, Ferrariæ apud Conventuales defuncti. Joannis de Tomanis a Locarno ejuſdem Inſtituti Conventualium, ſacræ Theologiæ Romæ prælectoris, a Clemente VII. inſtituti Pœnitentiarii Apoſtolici, prærogativis multis & donis cohoneſtati, apud ſuos Novicomi ſepulti. Horum ſinguli multa præclara ſuæ doctrinæ poſteris reliquerunt monumenta.

Intereunt viri docti. *Gonz. in Provin. Flandr. circa fin.* Franciſcus Regis.

Martinus a Turnhout.

Joannes Byl.

Hieronymus Veratus.

Joannes de Tomanis. *Bellarm. in biſt. Comen. pag. 267.*

XXIV. Tot deperditis religioſis ornamentis, unum acceſſit, inſigne valde, hoc anno initiato inter Obſervantes ſanctiſſimo viro Salvatore ab Orta, vere Thaumaturgo, perpetuo mirabilium operatore. Ad hunc annum reducendum ejus ingreſſum in Religionem, conſtat ex proceſſibus & documentis pro ejus beatificatione compactis, in quibus refertur, natum fuiſſe anno MDXX. aut circiter, & ſancti Franciſci Inſtitutum ſubiiſſe anno ætatis vigeſimo. Lucem aſpicere incepit in vico ſanctæ Coloмæ de Farnezio, diœceſis Gerundenſis in Catalonia. Patrem habuit virum humilem & pium, hoſpitandis advenis pauperibus præfectum. Nomen accepit in Baptiſmo *Salvatoris*, præſagio quodam tot ab eo ſalvandorum a corporis & animæ periculis. Cognomen ab Orta deinde adhæſit ex diuturno incolatu Cœnobii ſanctæ Mariæ ab Orta Provinciæ Cataloniæ. Puerulus ſeptennis decidit in præcipites aquas molendini, prope rotam verſatilem, e quibus mirabiliter ereptus eſt.

Salvator ab Orta fit Minorita. *Daza lib. 3. cap. 59. Serpi. in vita B. Salvat.*

XXV. Adſcriptus Minoritis in Conventu ſanctæ Mariæ de Jeſu extra Barcinonem, in ſumma ſimplicitate & humilitate Deo cœpit inſervire, de-

Ejus tirocinium in Religione & virtute.

pu-

Anno Christi 1540.	Pauli III. anno 6.	Caroli V. Imp. anno 16.	Religionis Minorum anno 333.

putatus infimis Monaſterii ſervitiis. Culinæ præfecto datus in ſocium, prompte obtemperabat, nulla reſpuens onera viliſſimi quantumvis miniſterii. Volens autem Deus illius propalare virtutem, ſuamque in paupere fraterculo monſtrare potentiam, effecit, ut ægrotante coquo ſub veſperam feſti Circumciſionis, quod illo in Cœnobio erat omnium maximum, & tradente Salvatori officinæ claves, Guardiano ſerendas, ille in Eccleſiam deſcenderit, totuſque abſorptus in oratione, nihil dixerit Superiori. Proximo mane, dum hic ſciſcitaretur, an bene omnia ſe haberent pro Fratrum nobiliumque civium, qui cum Prætore adventuri erant, victu? dictum eſt omnia in culina frigere, nullum ibi apparuiſſe miniſtrum, & pro prandio nihil eſſe paratum. Unde hæc interroganti, de negligentia & inertia accuſatur tirunculus Salvator, qui coram productus, culpæ veniam deprecatus eſt, ſpondens nihilominus, ſub prandii horam ex rebus neceſſariis nullam defuturam. Accurrunt celeriter Fratres laici, ſuas operas conjuncturi, tempuſque breve redempturi; ſed vident ſuis locis quæque diſtincta, cibos bene conditos, inſtruendo convivio nihil deeſſe, ſuaſque proinde operas ſupereſſe. Manifeſto prodigio, Salvatoris apud Deum gratia innotuit, cujus ferventes preces Angelico voluit compenſari miniſterio.

XXVI. A tirocinii limine ad vitæ uſque exitum pauperrimam auſteramque vitam traduxit, aſpero ſemper cinctus cilicio, nudis pedibus, lacero incedens habitu, intecta recumbens tabula, attrito laboribus corpuſculo ipſum panem denegans neceſſarium. Adhuc conſpiciuntur in membris veſtigia cicatricum & vulnerum, quæ tot flagris, ferreiſque catenis contuſæ inflixerat carni. Aſſidue orans, tamdem colloquiis meruit gaudere cœleſtibus Virginis Mariæ, & Pauli Apoſtoli, qui dum frequenter illi apparerent, myſteria revelabant Divina. Dæmonum paſſus inſidias, ac moleſtas perſecutiones, conſtanter reſtitit; ac tamdem ſæpe fugatis malis geniis, factus eſt illis formidabilis. Latitantes aliquoties videbat, paratoſque ut imbelles tentarent homines, quos protinus increpabat, & flagellis adigebat. Data eſt illi inſuper poteſtas ſuper volucres cœli, & irrationabiles creaturas, quæ ad vocem invitantis accedebant, modo juſſa facientes, modo ſolatium advehentes. Hæc nunc ſub illius Monachatus primordia prælibaſſe ſufficiat, reliqua ſub vitæ finem commodius referentur.

Comben. SS. Tertii Ordinis c. 195. & ſeqq. Legen. Brixia impreſſa. Annal 517. n. 21. Angela Brixiana moritur.

XXVII. Hoc anno XII. Kal. Aprilis, ex humanis abiit Angela, Tertium S. Franciſci Inſtitutum profeſſa, uti paulo ſuperius diximus, Ordinis Urſulinarum fundatrix. Nata D. ſenzani ad Gardenſem lacum inter Veronam & Brixiam, a teneris annis cœpit variis modis corpuſculum affligere, orationi inſiſtere, Sanctorum vitas legere & imitari. Major effecta, Deo ſe dicavit ſub pœnitenti habitu Franciſcano: humi recumbens, magnam anni partem in pane tranſegit & aqua, diebus multis, nihil præter Euchariſticum panem admittens. Humilitate, paupertatis ſtudio, aliiſque clara virtutibus, contemplandis aſſueta cœleſtibus, aliquando viſa eſt a terra elevari. Chriſti Crucifixi amore ſuccenſa, anno MDXXIV. Hieroſolymorum ſacra inviſit loca, ſingula percurrens, & lacrymis rigans Salvatoris veſtigia. In longa peregrinatione ſæpe experta Divinæ providentiæ ſubſidia, Romam perrexit, ubi Apoſtolorum Martyrumque venerata ſepulcra, ad montem Varalli conceſſit, quæ Hieroſolymis oculis conſpexit, & præſens adoravit, hic iterum ſub umbra & ſpecie miro ordine diſpoſita noſtræ fidei incunabula contemplatura.

Qualis fuerit?

Inſtituit Sodalitium S. Urſulæ.

XXVIII. Brixiæ cœpit cogitare de inſtituendo Sodalitio Virginum, ſub invocatione ſanctæ Urſulæ, quod dudum in viſione per Angeli miniſterium fuerat oſtenſum. Sed uſque adeo diſtulit arduum opus, ſuam imbecillitatem & uti-

& vilitatem conſiderans, ut nonniſi correpta ab Angelo, illud aggreſſa, brevi temporis ſpatio ſeptuaginta ſex habuerit diſcipulas. Inſtitutum probavit Epiſcopus Brixienſis, & plerique alii Antiſtites, qui per ſuas Diœceſes propagari voluerunt, præſertim ſanctus Carolus Borromæus, qui ſimul cum Paulo Leone Epiſcopo Ferrarienſi obtinuit, ut a Gregorio XIII. approbaretur an. MDLXXII. die XXIV. Novembris. Per Galliam mirabiliter crevit Sodalitas, extructis ibidem multis Monaſteriis. Virtutibus & meritis illuſtris, demum vita functa, honorifice ſepulta eſt in Eccleſia Canonicorum Regularium S. Afræ, poſtquam diebus triginta inſepulta, incorrupta, vegeta carne, ſuavi odore omnium oculis pateret, acriter de corpore contendentibus Canonicis Eccleſiæ Cathedralis cum Patribus ſupradictis.

XXIX. Ad Eccleſiam Suenenſem, ſive Synajenſem, ſub Archiepiſcopo Laodiceno in Phrygia, aſſumptus eſt hoc anno frater Jacobus Triaduſchieze Regularis Obſervantiæ, per obitum Adriani, factuſque eſt ſuffraganeus Archiepiſcopi Roſſanenſis, die XV. Martii. Ad Dyrrachienſem Archiepiſcopalem in Macedonia, frater Ludovicus Bianchus Venetus Regularis Obſervantiæ, per obitum N. die XVI. Aprilis. Ad Darenſem, ſive Kildarienſem, ſub Archiep. Dublinenſi in Hibernia, quod alias diximus, frater Donaldus Obechan, ſive D. Becohim, per obitum Walteri Wesleji, die XVI. Julii. Paulo poſt obiit, & ad hanc Eccleſiam promotus eſt die XV. Novembris hujus anni Taddæus Raynaldus, Ardachaden. diœceſis J. U. Doctor. Ad Aurienſem ſive Aureipolitanam in Aſia, ſub Archiep. Epheſino, frater Joannes Fabri, & ſuffraganeus Cardinalis de Gaddis in diœceſi Sarlatenſi, per obitum N. die penultima Julii. Ad Corcagienſem & Cluanenſem unitas, ſub Archiep. Caſſellenſi in Hibernia, frater Ludovicus Macnamarra, per obitum Joannis Ferret, die XXIV. Septembris. Proviſus eſt hic in Curia, in qua per paucos dies ſupervixit; invenio enim per ejus mortem in Curia collatas fuiſſe has Eccleſias hoc ipſo anno, die V. Novembris Joanni Hoyeden. Canonico Elfinenſi.

Fr. Jacob. Epiſc. Suenen.

Fr. Ludov. Archiepiſc. Dyrrachien.

Fr. Donald. Epiſcop. Darco. *Tom. 6. an. 1302. n. 13.*

Fr. Joan. Autien.

Fr. Ludov. Corcagien.

XXX. Intra muros Montonæ, Iſtriæ oppidi, in amœno collis clivo conſtructi, circa hoc tempus Parenzanenſis Epiſcopus ſuis facultatibus domum Obſervantibus conſtruxit, ſub titulo Conceptionis Dei genitricis. Sub invocatione ejuſdem ſacratiſſimæ Virginis hoc anno in inſula Zacynthi, Maris Jonii, ad Occidentalem partem Peloponeſi, alius Conventus hoc anno eiſdem Fratribus erectus eſt. Vigente autem inter Venetos & Turcas ſæviſſimo bello, hi domum anno MDLXVIII. concremarunt, quam Zacynthini prope littus reædificarunt. Patres Conventuales Cœnobium habebant extra urbem Cutronis in Calabria: ſed cum Carolus V. juſſiſſet Civitatem bene muniri contra frequentes Turcarum incurſiones, hoc anno deſtructum fuit, & intra urbem translatum.

Conv. Montonæ. *Gonz. in provin. Dalm. Conv. 3.*

Conv. Zacynthi. *Idem in provin. Candiæ Conv. 10.*

Conv. Cutronis. *Rodul. fol. 279.*

XXXI. Ex eadem Calabriæ regione, urbe Rhegina, Meſſanam transfretarunt Patres Capuccini, ubi hoc anno ſedem fixerunt ad TIT. M.P. ab urbe, in loco, qui ſancti Lei nuncupatur. Sed cum incommodum probarent, ad alium amœniorem & ſalubriorem anno MDLX. tranſierunt. Alia pleraque domicilia, propagato jam apud Ligures & Inſubres Inſtituto, iidem Patres acquiſiverunt hoc anno in Corſica, opera fratris Mariani Cyrnæi, qui cum eadem eſſet inſula oriundus, & eximius verbi Divini Miniſter, per urbes & oppida diſcurrens, doctrina, vitæque auſterioris piis exemplis, primum apud Mantinam, ſeu Baſtiam, deinde apud Lurinum, Nebium, Caſingham, ac Balatum ſuis Fratribus habitacula præparavit. Et in Pedemontana regione, cum primum apud Taurinum, ſecundum prope oppidum Montiſ-

Conv. S. Lei Capuccinorum. *Pyrr in not. Meſſan. p. 392. Bover. hoc ann. n. 2. & ſeqq.*

Con. Corſicani.

Conv. Pedemontani.

tiſcalcrii, tertium Aſtæ hoc Sodalitium obtineret, quartum hoc anno in urbe Montis regalis adjunxit. Senis autem cum alterum frater Angelus Senenſis, Bernardini Ochini Vicarii Generalis auctoritate, ultra conſuetos paupertatis terminos ædificaret, nec Vicarium Provincialem de exceſſu monentem audiret; cumque hoc anno ibidem moreretur, horrida cœli tempeſtate domo tota concuſſa, Fratribuſque perterritis, omnes intellexerunt terribili hoc Dei judicio reprehendi illos, qui ſummam profitentur paupertatem, & tamen luxuriant in vana curioſitate, vel nimia amplitudine domorum. Simile quid accidit fratri Silveſtro laico cæmentario, ejuſdem Inſtituti, qui domum humilem Narnienſem dirui, & in ampliorem & curioſitate plenam commutari ab Umbriæ Vicario Provinciali impetrarat, & miſerabili morte abſque Sacramentis inter horrendos mugitus animam efflavit. In pauperum ædificiis ea forma ſervanda eſt, quæ paupertatem cum ſimplicitate conjungat; ita ut quod in Regula, & ſancti Franciſci teſtamento præſcribitur, in opere & ſtructura perfecte reſplendeat.

Conv. Senenſis.

Non permittendus in fabricis exceſſus.

XXXII. Dixi ſuo loco, ſub Religionis primordia extra urbem Conymbricenſem in Luſitania humilem habuiſſe Fratres habitationem, in qua ſanctus Antonius Ulyſſipponenſis, relicto Canonicorum Regularium, habitum ſuſcepit Franciſcanum. Temporis diſcurſu tranſierunt incolæ ad locum commodiorem prope Mondæ fluvium, relicto ſub unius vel alterius Fratris cuſtodia paupere tuguriolo, vetuſtate, & piorum Fratrum incolatu venerando. Tandem advenit ſacellum, ſeu Eccleſiuncula, ſub ſancti Antonii Abbatis titulo Deo dicata, in poteſtatem Eccleſiæ Cathedralis Conymbricenſis, a qua illam priſci illi Fratres acceperunt. Hoc autem anno, dum religioſi Patres provinciæ Pietatis illa in urbe ſedem ſtatuere cogitarent, Joannes III. Portugalliæ Rex, emptam a Capitulo domunculam, Fratribus conceſſit, quam in commodum Conventum vir pius Alvarus a Coſta ſuis ſumptibus commutavit.

Tom. 1. an. 1220. n. 55.
Conv. Conymbricen. S. Antonii.
Gonz. in provin. Pietat. Conv. 22.

Conv. S. Crucis Placentiæ.
Idem in provin. S. Gabriel. Conv. 16.

XXXIII. Lopetius a Catena & Mentia a Caravaxalio hoc anno ad XV. M. P. a Civitate Placentiæ in amœna valle, æſtivo præſertim tempore, incolatu & aſpectu gratiſſima, Cœnobium ſub titulo ſanctæ Crucis Fratribus Strictioris Obſervantiæ provinciæ ſancti Gabrielis conſtruxerunt. Ab hoc loco XII. M. P. diſtat celebre illud Dominis ſancti Hieronymi a ſancta Juſta nuncupatum, in quo glorioſus ille Imperator Carolus V. rejecto Imperio, & ſpretis mundi oblectamentis, religioſe vixit, & pie deceſſit.

Conv. Vallis Viridis.
Indid. Conv. 17.

XXXIV. In eadem Provincia, & confinibus Luſitaniæ, prope Vallisviridis oppidum in ulteriori Hiſpania circa hunc annum oppidani ædificarunt Fratribus domum, ſub invocatione Matris Dei; cujus imago illic poſita, multa operatur mirabilia. Qua de cauſa tum ex Caſtellæ, tunc ex Portugalliæ populis quamplurimi beneficia recepturi, & vota reddituri illuc accurrunt. Horum oblationibus & eleemoſynis magna ex parte incolæ ſuſtentantur. Hic jacet vir Dei, Joannes a Capraria, de cujus virtutibus ſuo loco dicetur. Conventus Thenarum in Brabantia & provincia Germaniæ inferioris, de quo alias diximus, hoc anno menſe Junio, auctoritate Caroli V. negotium agente quodam viro nobili, e gente Dublionlia, reformatur per Obſervantes, qui deinde multas perpeſſi ſunt ab hæreticis tribulationes. Semel atque iterum a Geuſiis urbs occupata, miſerandam pertulit direptionem, & Conventus omnimodam expilationem, præſertim anno MDXCI. quo fratrem Thomam Beringen. in puteo ſubmerſerunt. In illa Regni Navarræi parte, quam Hiſpani ſibi vendicarunt, fuerunt reformata auctoritate Apoſtolica aliquot Conventu alium Cœnobia, & Sororum Mo-

Joan. a Capraria.
An. 1575.
Conv. Thenarum.
Tom. 3. an. 1226. num. 63.
Gonz. in provin. Germ. infer. Conv. 6.
Monumen. MSS. ejuſd. Prov.
Thomas Beringen.

na-

naſteria illis ſubjecta, quæ ſuis Provinciis uniri cupiebant Provinciales Aragonius & Burgenſis; ſed priori adjudicanda, Pontifex hoc anno decrevit: *Exponi nobis nuper feciſti*. die IV. Julii.

XXXV. Pia Heroina Maria de Zuñiga, Ducissa de Bexar, Obſervantibus addictiſſima, paulo ante hunc annum defuncta, ultimis ſuæ voluntatis tabulis ordinavit, ut ex ſuis facultatibus in Civitate Salamantina conſtrueretur Collegium pro quinquaginta ſtudioſis Religioſis Minoritis provinciæ ſancti Jacobi, addereturque Eccleſia, & in ea ſacellum, ad quod ejus corpus curarent teſtamenti executores transferri. Omnia hæc, petentibus Fratribus, iſto anno Pontifex confirmavit: *Exponi nobis nuper fecerunt*. die XVII. Aprilis. Quid in hac re factum ſit, aliunde non conſtat. Solemne & inſigne eſt Cœnobium Salmanticenſe, in quo copioſus eſt numerus ſcholarium, de quo nos alias diffuſe locuti ſumus. Dum illic Theologiæ profeſſorem agerem, vidi, nihil illic ad perfectam Collegii normam deſuiſſe, & ſcholarium numerum quinquagenario aliquando fuiſſe majorem. Sæpe etiam audivi gratam illic fieri Ducum Bexarenſium memoriam.

Tom. I. an. 1254. n. 46.

XXXVI. Clariſſis hoc anno unum accrevit Monaſterium apud Montem Marſanum, Adurenſis diœceſis in Aquitania; ubi cum ante annos duodecim aliquot Virgines cohabitarent ſub nullius regimine, & abſque ulla Regula, & nuper ſe ſubdiderint Regulæ Urbaniſtarum, atque obedientiæ Fratrum Regularis Obſervantiæ, hoc anno impetrarunt a Paulo Pontifice, id ſibi licere: *Cum ſicut exponi nobis*. die VIII. Junii. De altero hujus loci Monaſterio nos alias ſumus locuti. Sororibus autem Tertii Inſtituti tria acceſſerunt domicilia, unum intra oppidum Cianciani in Etruria, ſub titulo ſancti Michaelis Archangeli, quod bellorum cauſa paulo poſt deſtructum, poſt paucos annos fuit reædificatum. Secundum in Civitate Zamorana in Hiſpania, ſub nuncupatione ſanctæ Mariæ de Bethlehem, primo conſtructum a devota matrona Maria Alphonſi intra muros, deinde translatum ad alium locum commodiorem extra urbem prope ædem ſancti Juliani, quam ab Epiſcopo ſibi concedi impetrarunt. Ubi ab anno MDLXIII. ſub ſimplici voto caſtitatis vixerunt, uſque ad annum MDLXXXII. quo ſolemnibus votis ſe adſtrinxerunt, ita perſuadente fratre Franciſco Burgenſi earum Superiore. Tertium in pago Frigeirono, diœceſis Conymbricenſis in Luſitania, ſub nomine ſanctæ Claræ, communibus Sororum facultatibus conſtructum. In regno vero Hungariæ, & provincia ſancti Salvatoris, dum nonnullæ eſſent domus hujus Inſtituti, Paulus Pontifex hoc anno facultatem dedit Miniſtro & Fratribus prædictæ Provinciæ eas ad clauſuram cogendi.

Mon. Montis Marſani.

Tom. 4. an. 1270. n. 40. Domus Cianciani. *Gonz. in provin. Tuſc. Mon. Vitt.* Domus Zamoratena. *Idem in provin. S. Jacobi Mon. 20.*

Domus Frigeironi. *Idem in provin. Portug. Mon. 19.* Plures Domus Hung. *Reg. Ord. fol. 119.*

XXXVII. Frequenter accidebat ut Clariſſæ tam primæ, quam ſecundæ Regulæ, quam etiam Sorores Tertii Ordinis, vel pro novis Monaſteriorum fundationibus, vel pro gubernandis, aut educandis Sororibus, ex una domo tranſirent, aut mitterentur ad alias, idque fieret abſque ſcitu & beneplacito Superiorum Regularium; unde pleraque oriebantur in commoda: quare Pontifex id deinceps fieri prohibuit: *Exponi nobis*. die XVIII. Januarii. Ut liberarentur Fratres in Hiſpania a gravibus moleſtiis & gravaminibus, & facilius ad manus haberent Conſervatores judices, & privilegiorum defenſores, rogarunt & impetrarunt, ſibi dari Toletanum & Hiſpalenſem Archiepiſcopos, & Mindonienſem Epiſcopum: *Dudum felic. recordationis.* die XVII. Aprilis. Univerſis Prælatis, eorumque Officialibus commiſit, ut Fratres Regularis Obſervantiæ ad alios tranſeuntes, abſque ſuorum Superiorum licentia, falſarum præſertim litterarum obtentu, cogerent ad ſuos re-

Privilegia Pontificia.

redire; *Exponi nobis nuper fecit*. die xxx. Maii. Patribus Conventualibus ſua quæque confirmavit privilegia, & declarationem adjecit circa bona temporalia poſſidenda; *Exhibita nobis nuper*. die xxvii. Octobris.

Peroratio cum gratiarum actione.

* *De prima editionis voluminibus intellige.*

IN ſeptem, quos promiſi, tomis * per univerſas ferme totius Europæ Provincias diſcurrens, quocumque noſtri Conſodales præceſſerunt, explorator acceſſi, & veſtigia illorum ſecutus, quid ubique operoſe fecerint, diligenter inveſtigavi. Inveni quidem quod *impleverunt faciem orbis terræ ſemine doctrinæ, deditque Deus pluviam ſemini eorum, ubicumque ſeminaverunt in terra, & panem frugum terræ retulerunt uberrimum*. Longum iſtud iter hactenus emenſus, demum veni in altitudinem maris, & Cancri Tropicum, lineamque Æquinoctialem per vaſtiſſimum Oceanum prætergreſſus, Indias, Orientales, & Occidentales per maris Auſtralis, & Septentrionalis littora perluſtrans, vidi quod etiam *ſuper omnes aquas ſeminaverunt*, dum ultra elationes maris profecti, *cunctis late populis verba vitæ, quaſi cæleſtis panis grana tradiderunt*. Per illorum doctrinam & vitæ virtutem populus, qui *ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis*. Ita quidem *poſuerunt Domino gloriam in continenti, & laudem ejus in inſulis renunciaverunt*. Tamdem poſt tot annorum velificationes, vaſtiſſimi maris agitatus procellis, quaſſatæ navis cogor vela colligere, & projecta anchora in portu requieſcere. Gravis jam premit ſenectus, & in effœto corpore ſpiritus pridem promptus nunc cœpit languere, ac circumdantibus undique negotiorum preſſuris, ſe demum imparem agnoſcit. Tempus itaque eſt ut ab omnibus me prorſus expediam, ſuſpenſoque calamo, illud unum agam, quod potiſſime neceſſarium eſt; animæ ſcilicet procurandæ totus incumbam, ab ærumnoſæ vitæ procellis ad portum religioſæ quietis accedam, pacatique animi fidæ me ſtationi committam.

Isai. 27. 6.
Isai. 30. 23.
Isai. 32. 20.
Greg. 22. Mor. c. 8.
Isai. 9. 2.
Isai. 42. 12.

Te itaque Virgo ſanctiſſima Dei Genitrix, compello, *tu portus es tempeſtate jactatorum*. Ad opem tuam, ceu ad *anchoram firmiſſimam* confugio. Tu navis illa inſtitoris, quæ ad deſideratum me potes portum evehere. Tu toties inter undas hujus ſeculi a tentationum fluctibus liberaſti. Tu Stella maris, quæ mirabiles elationes aquarum ſolo nutu compeſcis, teque plena fide invocantes ab impetu procellæ & furiis eruis ventorum, eoſque tecum ovantes ad portum æternæ pacis ſeliciſſime perducis. Et quidem tu validiſſima ope toties obſtitiſti, ne in aſperrimos ſcopulos naufragaturus offenderem; ne in periculoſas Syrtes non reverſurus inciderem, ne a Scyllæa voragine hiatu horribili peccatorum pondere deglutirer. Quas porro gratias referre potero? Quid retribuam pro omnibus quæ tribuiſti mihi? Vellem tuas celebrare laudes; ſed a multis ſeculis *Glorioſa dicta ſunt de te, Civitas Dei*: & ego *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, nihil digne, nihil proprie de te eloqui potero*. Tuis laudibus modulandis non invenitur conveniens organum, & hebes eſt cujuſcumque ſubtilitatis ingenium. Immenſitas gloriæ tuæ meam omniſque humani ſermonis excedit inopiam. Alii laudari poſſunt, & laudationum encomiis extolli: Te decet ſilentium & veneratio. Melius itaque tacendo, quam loquendo, tua magnificabo præconia, quæ dilatare non poterit infirma, ac mortalis anguſtia. Ignoſce proinde meæ imbecillitati, & ſervuli tui pios, quanquam debitos, admitte conatus. Fove & auge meum in te ſtudium, tuique amoris in me ignes accende.

Germ. de dormit. Mariæ. Theoph. ſerm. de Aſſumpt.

Pſal. 86. n. 2. Arnald. truſ. de laud. Mar. in princ.

Sed

Sed & tuum insuper imploro auxilium, beatissime Pater Francisce, qui *plagatus in domo ejus, qui diligebat te*, factus es *signaculum Divinæ similitudinis: homo abundans paupertate, quem oculus Domini respexit in bono, & erexit ab humilitate, exaltans caput tuum; & mirati sunt in te multi, & honoraverunt Deum*. Etenim *cum esses parvulus in oculis tuis, factus es caput in tribubus* Israel, *& erectere te fecit Deus in terra paupertatis*. Cum *esses minimus, factus es in mille, & parvulus in gentem fortissimam*. Cum *essent numera brevi filii tui, & pauciſſimi incolæ ſodalitii tui, replevernnt faciem Orbis terræ: pertranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Dedit illis Dominus regiones gentium, & labores populorum poſſederunt, ut docerent juſtificationes ejus, & legem illius ubique manifeſtarent*. Etenim dedit eos Dominus *in fœdus populorum, in lucem gentium, ut aperirent oculos cæcorum, & educerent de concluſione vinctos de domo de carceris ſedentes in tenebris*. Et quidem illi *pro Chriſto legatione functi, tamquam Deo exhortante per eos*, obſecrarunt pro Chriſto, ut gens inimica, non populus ejus, reconciliaretur Deo. In multis Europæ nationibus, in vaſtiſſimis Aſiæ, & Americæ provinciis, in novi Orbis amplitudine *duxerunt cæcos in viam, quam neſcierunt, & in ſemitis, quas ignoraverunt, ambulare eos fecerunt: poſuerunt tenebras coram eis in lucem, & prava in directa*. Præclara hæc filiorum tuorum facinora, Apoſtolica iſta miniſteria, ego minimus in domo Patris mei, & indignus, qui Filii tui nomen aſſumam, remanens ad ſarcinas, & ſedens ad colligendas membranulas, ſub tuis auſpiciis (Seraphice Pater) ſcribere tentavi, & ad poſtremum ſeculum narrationem perduxi. Iſta potuiſſe, tuæ adſcribo virtuti, meritiſque Sanctorum, qui ſub tuo vexillo olim militarunt, quorum vitas & facta in operoſa hac mole conſcripſi. Humile iſtud obſequium non dedigneris admittere: ſed fac ut improbus iſte tui ſervuli labor cedat in majorem Dei gloriam, tuique nominis excellentiam. Si quæ peccavi, ignoſce; ſi quid recte factum eſt, tua benedictione confirma. Si quæ merces debetur operi (quæ quam exigua ſit aut nulla, cognoſco; neque enim juxta Regis judicium contendo, ut *æqua ſit pars deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas*) fac ut ſecundum magnam Dei miſericordiam in meorum remiſſionem peccatorum, & vitam compenſetur æternam.

Zachar. 13. 7.
Ezech. 11. 12.
1. Reg. 15. 17. Genes. 41. 52.
Iſai. 60. 22.
Pſal. 104. 13.
Iſai. 42. 6.
2. Cor. 5. 20.
Iſai. 42. 16.
1. Reg. 30. 24.

REGESTUM
PONTIFICIUM.

REGESTUM PONTIFICIUM.

LEO X.

ANNO CHRISTI 1516. PONTIFICATUS ANNO 3. & 4.

BULLA I.

Multis abuſibus modum imponit. Ex Brevi originali.

Dilectis filiis Generalibus, & univerſis Provincialibus Vicariis Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

§. I. IN ſupremæ dignitatis ſpecula, meritis licet inſufficientibus, conſtituti, inter curas multiplices, quibus rerum negociorumque varietatibus obruimur, illa potiſſimum Nos ſollicitant, per quæ ſuave regularis mendicitatis jugum, ſub quo dilecti filii Fratres Minores degunt, in dies magis proſpere de bono in melius dirigatur, ac ut regularis vitæ, & Eccleſiaſticæ norma, ſublatis quibuſvis obſtaculis, & vagandi aditu amputato, præfulgeat, id ſalubriter ſtatuimus & ordinamus, prout in Domino conſpicimus rationabiliter expedire.

§. II. Accepimus ſiquidem, quod licet tam ſecundum canonicas ſanctiones, quam etiam veſtri Ordinis regularia inſtituta, dicti Ordinis Fratres quacumque cauſa etiam ſtudii, ſeu alia occaſione, vel recedere abſque licentia Superiorum ſuorum, vel poſt ejuſdem licentiæ revocationem extra domos dicti Ordinis morari non poſſint: nihilominus nonnulli ex dicti Ordinis Fratribus, ægritudines, ac corporum & animorum paſſiones ſimulantes; alii ſubveniendi parentum inopiæ colore quæſito; alii vero ad ſtudiorum Univerſitates, abſque licentia hujuſmodi, ſeu eadem licentia revocata, accedere, & inibi morari; atque, quod deterius eſt, privilegiis Univerſitatibus hujuſmodi, illarumque ſcholaribus conceſſis, ut liberius in ſua damnata præſumptione permanere poſſint, ſe tueri: Alii vero propriæ ſalutis obliti, Apoſtolicas, in quibus ſe profeſſionem, aut numquam, aut infra pubertatis annos, ſeu per vim & metum feciſſe aſſerentes, litteras impetrare, ac habitu abjecto, per habitacula ſecularium perſonarum, & loca inhoneſta diſcurrendo, cum laicis converſari non verentur: Alii vero ſub prætextu habilitatis ſeu diſpenſationis ad obtinendum Eccleſiaſticum ſive Eccleſiaſtica beneficium ſeu beneficia per Clericos ſeculares obtineri ſolitum vel ſolita, per litteras Apoſtolicas ſibi conceſſæ: Nonnulli quippe alicujus ex S. R. E. Cardinalibus præſentibus, vel pro tempore exiſtentibus familiaritatis litteras exhibentes, regularis diſciplinæ laxatis habenis, extra Ordinem, & obedientiam ſuorum Prælatorum in parentum vel conſanguineorum ſive amicorum domibus morari & permanere, ac beneficiis Eccleſiaſticis deſervire, & per ſeculum vagari præſumunt, quod ſine animarum ſuarum pernicie, Religionis vituperio, Dei contemptu, & populorum ſcandalo fieri nullo modo poteſt.

§. III. Qua-

§. III. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut de cetero perpetuis futuris temporibus, ne Fratres dicti Ordinis extra Ordinem hujuſmodi quacumque occaſione vel cauſa, etiam infirmitatis vel paſſionis, aut parentum ſubventionis, prætextu litterarum per ipſos a ſummo Pœnitentiario noſtro ſuper hoc impetratarum, aut reſpectu etiam ſtudii in quovis loco particulari, aut quacumque generali Univerſitate, ſive vigore cujuſvis diſpenſationis Apoſtolicæ, & habilitatis ad obtinendum quodcumque beneficium Eccleſiaſticum per Clericos ſeculares obtineri ſolitum, niſi actu continui commenſales noſtri fuerint, abſque licentia Superiorum hujuſmodi, & illa durante, etiam de licentia Sedis Apoſtolicæ, & prætextu quarumcumque facultatum, indultorum, aliarumque litterarum Apoſtolicarum dictis Univerſitatibus pro tempore conceſſarum morari & permanere poſſint, ſtatuere & ordinare: in aliis quippe, qui profeſſionem ſe numquam, aut infra pubertatis annos, vel per vim & metum, ut præmittitur, feciſſe aſſerentes, litteris Apoſtolicis, & proceſſibus deſuper habitis ab ipſis ablatis, ad Religionis ſtatum revocari, & habitum ſacrilege relictum aſſumendum compelli mandare.

§. IV. Nos igitur attendentes, quod gratus Deo ſit, & acceptus obedientiæ fructus, quodque inter alia Religionis merita, abnegatio propriarum voluntatum præcipuum eſt: ac quod dein litterarum ſtudio incumbere debentibus Prælati ipſi optime ſcire præſumuntur, qui Fratres litterarum ſtudio, & quanto tempore, & qui aliis Religionis occupationibus vacare debent, omniumque præſertim Religioſarum perſonarum tranquillitatem, ac illis evagandi materiam omnino præcludi, eorumque exceſſibus obviari, ſupremis exoptant affectibus; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus Fratres prædicti, ægritudinis, aut ſubveniendi parentum inopiæ, ſive quavis alia occaſione vel cauſa, reſpectu etiam ſtudii, aut diſpenſationis ad obtinendum beneficium hujuſmodi, noſtra, ſeu quavis alia auctoritate ſibi conceſſa, niſi beneficium ipſum fuerint canonice actu aſſecuti, ſive familiaritatis alicujus ex dictis Cardinalibus, præterquam ſi actu continui noſtri commenſales fuerint, extra prædictum Ordinem veſtrum, præter vel abſque licentia & mandato veſtro reſpective, & illo durante, etiam de licentia Sedis Apoſtolicæ prædictæ, etiam prætextu quarumcumque facultatum, indultorum, ac aliarum litterarum Apoſtolicarum quibuſvis Univerſitatibus conceſſorum, ſine conſenſu veſtro commorari non poſſint: Quod unuſquiſque veſtrum in ſua provincia, dum & quoties opus fuerit, Fratres extra Ordinem hujuſmodi redire, cogere & compellere poſſitis, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus. In aliis quippe ſe profeſſionem numquam, aut infra pubertatis annos, vel per vim aut metum emiſiſſe aſſerentibus, rei tam impiæ occurrere cupientes, cum commiſſinnes illæ falſæ impetratæ ſint, ac etiam ſi bene recteque impetratæ eſſent, in foro contentioſo, nec contra Religionis jura, conſuetudinem, aut voluntatem valerent: Vobis in virtute ſanctæ obedientiæ mandantes, ut Fratres Ordinis veſtri, cujuſcumque conditionis ſint, qui ab obedientia exierint, aut habitum reliquerint hactenus, aut in poſterum exituri, relicturive ſint, quacumque auctoritate id fecerunt, niſi ad arctiorem Regulam, ubi actu obſervanter vivant, tranſierint, vigore noſtrarum & aliarum litterarum Apoſtolicarum, ſuper quibus ſupplicationibus Nobis, Roman. Pont. pro tempore exiſtenti, aut exiſten. præſentibus, aut præſente, aut mandante ſignatis, eos ad Ordinem atque Ordinis loca revocatos, Bullas auferatis, habitum ſacrilege relictum reaſumere, inſaniæ pœnitere, Divino cultui, & propriæ ſaluti vacare cogatis, invocato etiam,

etiam, ſi opus ſit, auxilio brachii ſecularis. Decernen. motu proprio, & certa ſcientia, ut Fratres, qui ab Ordine receſſerint, aut in poſterum quocumque modo exierint, aut habitum reliquerint, relicturive ſint, niſi poſt mandatum veſtrum infra octo dies, mandato proximos, ad obedientiam redierint, habitumque perpetuo geſtantes reaſſumpſerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrant, a qua abſolvi, niſi aut per ſummum Pontificem, aut morte interveniente, poſſint: ac volumus & decernimus pœnam eamdem ſubire omnes eos, qui his auxilium, conſilium vel favorem præſtiterint.

§. V. Ceterum eadem auctoritate, motu & ſcientia ſimilibus ſtatuimus & ordinamus, quod in quibuſcumque litteris ad ipſorum Fratrum inſtantiam, ſive ſub anulo Piſcatoris, aut ſub plumbo, vel per Pœnitentiariam ſuper præmiſſorum aliquo inobedientiæ regularis, derogationem etiam ſuper quibuſvis ſupplicationibus Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtenti, aut exiſtentibus, præſentibus, aut præſente etiam mandante ſimpliciter, & abſolute ſignatis, impetratis hactenus, & in poſterum impetrandis, ſemper & indeficienter ſubintelligatur clauſula hujuſmodi, *& de licentia Superioris, & ea durante*: decernentes litteras prædictas hujuſmodi clauſula carentes, nullas, nulliuſque roboris vel momenti fore, in illiſque indifferenter dictam clauſulam, etiamſi non fuerit appoſita, ſemper tacite ſubintelligi debere, noſtræ intentionis fore. Inhibentes diſtrictius locorum Ordinariis ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, & ſuſpenſionis a regimine & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, Univerſitatum Rectoribus, ac illorum conſervatoribus, parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, & aliis quibuſcumque ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & privationis earumdem parochialium Eccleſiarum, ac omnium aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad illa, & alia in poſterum obtinen. pœnis eo ipſo, quo contrafecerint, incurrendis, ne vos, quominus Fratres dicti veſtri Ordinis ſub indultorum, exemptionum, gratiarum, ac litterarum Apoſtolicarum ſpecie, extra domos & obedientiam veſtram vagantes, capere, & apprehendere etiam violenter, illoſque ad domos & loca unde receſſerint reducere, & carceribus mancipare valeatis, & mandantes quovis modo per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte impedire præſumant.

§. VI. Non obſtantibus præmiſſis, ac Apoſtolicis, necnon in provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, ſuſpenſionibus, revocationibus, reſtitutionibus, Bullis litteriſque, præfatis Fratribus conceſſis, aut in poſterum concedendis, indultis, privilegiis, facultatibus, litteris Apoſtolicis, cum quibuſvis clauſulis, & derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus & inſolitis, quibus omnibus illa, etiamſi de eis, eorumque totis tenoribus, & datis non per hujuſmodi generales clauſulas etiam ſpecialem mentionem importantes, ſed ſpecifica & individua, ac de verbo ad verbum, ſeu quævis alia mentio habenda eſſet, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe deroganus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volentes & decernentes, quod hujuſmodi ſtatuto & voluntati noſtræ nullatenus derogari poſſit, præterquam ſi præſentes de verbo ad verbum inſertæ fuerint. Ne igitur tantæ peſtis morbus in Eccleſia undique pullulet, hoc noſtrum decretum fecimus, præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturum, harum auctoritate litterarum tranſumptum manu Notarii publici, & Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditoris, vel alterius in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, ſive Vicarii generalis, qui ipſius rei Prælatus erit, ſigil-

ſigillo munitis, non minorem fidem adhiberi volumus, quam ſi præſentes eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Florentiæ ſub anulo Piſcatoris, die VIII. Januarii MDXVI. Pontificatus noſtri anno III.

II.

Jubet quaſdam Sorores Tertii Ordinis aberrantes ad rectam viam & obedientiam Superiorum reduci. Ex Reg. Ultram. fol. 19.

Dilectis filiis Vicariis Generalibus Ordinis Minorum de Obſervantia, ac Provincialibus & Viſitatoribus dicti Ordinis præſentibus & futuris.

NUper per alias noſtras in forma Brevis, ſub datum certa die Pontificatus noſtri præſentis anni tertii, ad comprimendum inſolentiam Fratrum veſtri Ordinis, qui a debita & regulari obedientia ſe ſubtrahere non erubuerunt, vobis indulſimus & conceſſimus nonnulla privilegia, quorum exemplo & tenore tam dicti Fratres oberrantes, quam aliæ quæcumque perſonæ utriuſque ſexus Religioſæ dicti Ordinis ad rectam viam ſeſe reducere, & in Ordine continere debuiſſent. Tamen, cum accepimus nonnullas ex dilectis in Chriſto filiabus, Sororibus de Pœnitentia, ſive Tertii Ordinis ſancti Franciſci nuncupatis, ſub habitu religioſo in ordinata & approbata Regula, in Congregatione viventes, quarum cura & regimen vobis & prædeceſſoribus veſtris commiſſa dicitur, timore Dei poſtpoſito, & ſoluto pudore, ſub colore certi aſſerti induti, ab hac ſancta Sede extorti, a veſtra obedientia ſe ſubtrahere, & diſciplinam regularem negligere, & a recta via declinare ſorte non erubeſcunt. Ad reducendum dictas Sorores ad veram & debitam obedientiam veſtram, ac ad ſuadentis inimici humanæ naturæ tollenda diverticula, qui per illa ſexui fœmineo plus nocere ſe poſſe confidit: vobis tenore præſentium committimus, ut Moniales ipſas ſic aberrantes, ad rectam Regulæ & obedientiæ viam reducatis, ac injuncta eis pœnitentia per modum culpæ corrigatis & caſtigetis, reformetiſque, vobis ulterius concedimus & indulgemus: privilegiis & indultis Apoſtolicis Monialibus conceſſis, ac dicti Ordinis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XII. Martii MDXVI. Pontificatus noſtri anno III.

III.

Concedit auctoritatem expellendi eos, qui fraudulenter Ordinem ingreſſi ſunt, aut in eo profeſſionem emiſerunt. Ibid. fol. 20.

Dilectis filiis Vicariis Generalibus & provincialibus, ac Fratribus univerſis familiæ Fratrum Minorum de Obſervantia ubilibet conſtitutis.

§. I. CUm ſicut nobis nuper exponi feciſtis, vos ab illis, qui Ordinem veſtrum Minorum de Obſervantia ſuſcipere, & ad illum ingredi cupiunt, inquirere, antequam a vobis recipiantur, ſoleatis, videlicet, ſi ſint fideles & Catholici, de nullo errore ſuſpecti, matrimonio non ligati, corpore ſani, animo prompti, debitis expediti, conditione libera, ætatis ſaltem ſexdecim annorum, nulla infamia vulgari maculati, competenter litterati, vel ad labores Fratribus honeſtos & utiles apti, aut talis conditionis exiſtant, quod eorum receptio clero & populo non modicam ædificationem afferat.

Et

Et ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, contingat ſæpius, quod aliqui in eorum ad hujuſmodi Ordinem receptione, & quod majus eſt, profeſſione, doloſe & fraudulenter reticent ſeſe criminoſos vel ſcandaloſos fore, licet in rei veritate aliter exiſtat; & eorum receptio, & profeſſionis emiſſio propter gravia & vulgaria, quibus maculati exiſtunt, delicta, de quibus vos cognitionem & notitiam tunc habere non poteſtis, grave ſcandalum & perturbationem Religioni veſtræ hujuſmodi nonnunquam afferat. Quare cum ex taciturnitate delictorum, & gravium exceſſuum hujuſmodi veſtræ Religioni, & animarum ac conſcientiarum veſtrarum puritatibus, vitæque veſtræ exemplaris normæ gravia nonnumquam etiam in Chriſtifidelium populis, murmurationibus de receptione talium virorum facinoroſorum & ſcandaloſorum, de quibus vos, ut præmittitur, tunc nullam notitiam habebatis, ſcandala & murmurationes, & bonorum operum ſubtractiones ſubſequantur, nobis propterea humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis in præmiſſis, ad obviandum tot & tantis ſcandalis, pro Religionis veſtræ, & animarum veſtrarum puritatis conſervatione providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos itaque veſtram Religionem, quæ Domino concedente, inter alias uberes bonorum operum fructus exhibere conſuevit, in ſua puritate conſervare, ac tot murmurationibus & ſcandalis obviare volentes: vobis quod omnes & ſingulos ad veſtram Religionem confugientes, etiam profeſſos, qui graviſſimis & ſcandaloſis delictis notati & diffamati fuerint, quæ fraudulenter & doloſe in eorum receptione, ſeu profeſſionis emiſſione, monitione ſuper his per vos præmiſſa, tacuerint, non obſtantibus, quod jam per vos recepti, & profeſſiones per eos emiſſæ fuerint, ne morbida & infecta pecus ovile Domini corrumpat, aliiſque cedat in exemplum, a domibus & Conventibus veſtris, prout conſcientiæ veſtræ, quam ſuper hoc oneramus, viſum fuerit, & juſtum & honeſtum fore decreveritis, expellere & removere libere & licite poſſitis & valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus, pariterque indulgemus: conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis veſtri hujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xv. Martii, mdxvi. Pontificatus noſtri anno iii.

IV.

Concedit unum dumtaxat celebrari Capitulum provinciale in triennio. Ex Bullar. Roder. num. 27.

Dilecto filio Vicario provinciali provinciæ Bæticæ, alias Granatenſis, officium Vicarii Generalis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Ultramontani auctoritate Apoſtolica exercenti,

§. I. Pro parte tua fuit nobis nuper expoſitum, quod licet olim felicis rec. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter voluerit & ordinaverit, quod Fratres Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ utriuſque familiæ, in ſingulis provinciis ſingulis annis unum Capitulum provinciale, & ſucceſſive piæ memoriæ Sixtus Papa IV. etiam prædeceſſor noſter, aliquibus de cauſis rationabilibus & juſtis etiam voluerit, ut ſingulis triennis Fratres Ultramontani dictæ Obſervantiæ duo tantum provincialia Capitula celebrare

tenerentur, prout in litteris deſuper confectis, quarum tenores pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur.

§. II. Et deinde Vicarius Generalis prædictæ Ultramontanæ familiæ, cum ſuo Generali Capitulo in feſto Pentecoſtes anno MDXIV. celebrato, provide conſiderans, quod ſucceſſu temporis in aliquibus provinciis multæ ſunt inſtitutæ Cuſtodiæ, quarum quælibet duo etiam de triennio in triennium celebrat Capitula cuſtodialia, ac in aliquibus aliis provinciis domus ſunt in magno numero multiplicatæ, quod ex celebratione aſſidua Capitulorum hujuſmodi, graves expenſæ, & magni cauſabantur Fratrum diſcurſus, & ideo nedum videbatur ſufficere, ſed etiam utilius eſſe, ut unum tantum Capitulum provinciale de triennio in triennium in prædictis provinciis celebraretur; voluit, & capitulariter ordinavit, quod in provincia Aragoniæ, & forſan in aliquibus aliis provinciis ſingulis trienniis unum provinciale Capitulum dumtaxat celebraretur: ab aliquibus tamen de viribus ordinationis Vicarii Generalis hujuſmodi hæſitatur; Nos, qui etiam dum in minoribus conſtituti S. R. E. Cardinalatus fungeremur honore, ad Ordinem & Fratres Regularis Obſervantiæ hujuſmodi ſpecialem dilectionem in Domino habuimus, & majorem de præſenti habemus, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, te & omnes alios Fratres Minores Obſervantiæ Ultramontanæ hujuſmodi, ut in ſingulis tam Aragoniæ, quam aliis provinciis Ultramontanis hujuſmodi, prout tibi, & aliis Vicariis Generalibus Ultramontanis hujuſmodi, cum eorum Capitulis Generalibus pro tempore celebrandis viſum fuerit, quod dictarum provinciarum Fratres unum provinciale Capitulum de triennio in triennium dumtaxat celebrare debeant & teneantur, ſtatuimus & ordinamus, ac decernimus & declaramus. Non obſtant. præmiſſis, & aliis conſtitutionibus &c. ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die VII. Aprilis MDXVI. Pontificatus noſtri anno IV.

V.

Revocat licentias quaſcumque conceſſas pro ingreſſu Monaſteriorum Sanctimonialium. Ibid. num. 18.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſis & Monialibus Monaſteriorum S. Clarę primę & ſecundę Regulę, Conceptionis, & Annunciatę Ordinum, ac tertię Regulę ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupatis, ſub cura Fratrum Minorum de Obſervantia degentibus.

§. I. EXponi nobis fecerunt dilecti filii Vicarii Generales Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, quod licet tam juxta canonicas ſanctiones, quam inſtituta regularia veſtrorum Ordinum, ingreſſus Monaſteriorum veſtrorum quibuſvis perſonis Eccleſiaſticis ſeu ſecularibus, qui Prælati ſeu Rectores veſtri, & aliæ perſonæ ſervitio Ordinis ſeu Monaſteriorum veſtrorum neceſſariæ non exiſtant, penitus ſit interdictus; nonnullæ tamen perſonæ utriuſque ſexus tam Eccleſiaſticæ, quam ſeculares, aſſumpta occaſione, quod devotionis cauſa, & pro animarum ſuarum conſolatione Monaſteria veſtra viſitare deſiderant, varias litteras a Sede Apoſtolica, in Confeſſionalibus, vel alias veſtra Monaſteria hujuſmodi intrandi, & in illis refectiones capiendi, quaſdam de conſenſu Abbatiſſarum, & aliarum Monialium ipſis Monaſteriis præſidentium, quaſdam vero etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis adverſus Superiores Ordinum, & Abbatiſ-

batiſſas & Præſidentes Monaſteriorum prædictorum, ſi dictos conſenſus præſtare recuſaverint, impetrare, & prætextu litterarum vos & alios ſuperiores ad conſenſus hujuſmodi præſtandos compellere conantur: unde tot & tantas perſæpe moleſtias, & ſpiritus diſtractiones ſentiatis, & nonnumquam plurimum inquietemini, & pace mentis turbemini, ita ut contingat propterea a Divino officio, cui horis quaſi ſingulis inſiſtitis, vos avertere & perturbari, ſcandala quoque & animarum pericula, & alia gravia damna Monialibus dictorum Monaſteriorum in obſervantia regulari Altiſſimo famulari volentibus ſequuntur. Quare pro parte dictorum Vicatiorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis de opportuno remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos cupientes, ut vos, quas in viſceribus caritatis habemus, quæ, ſpretis mundanis illecebris, ſub religionis jugo, & caſtitatis lilio Redemptori noſtro Jeſu Chriſto famulari voviſtis, votum hujuſmodi in ſpiritu pacifico adimplere valeatis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium declaramus, vigore facultatum hujuſmodi dictis perſonis per dictam Sedem, in Confeſſionalibus, vel alias de ingrediendo Monaſteria Monialium conceſſarum, vos propterea non teneri, nec obligatas eſſe contra voluntatem veſtram ingreſſum eis in dicta Monaſteria præbere: ac vobis, ut abſque aliquo conſcientiarum veſtrarum ſcrupulo, eiſdem perſonis, dum & quoties vobis opportunum eſſe, & animarum veſtrarum ſaluti expedire videritis, ingreſſum in eadem Monaſteria veſtra licite denegare poſſitis & valeatis; vos in Domino hortamur, ut eiſdem perſonis ingrediendi Monaſteria veſtra prædicta, ne a tranquillitate mentium divertamini, conſenſum, quo rarius & parcius fieri poterit, concedatis.

§. III. Inſuper univerſas & ſingulas facultates & licentias intrandi dicta Monaſteria, & pœnas Eccleſiaſticas ſuper præſtatione conſenſus Superiorum, ac Abbatiſſarum, & Præſidentium hujuſmodi in ſe continentes, cum quibuſvis elauſulis, quantumcumque fortiſſimis, efficaciſſimis & inſoliiis, etiam cum derogatione privilegiorum veſtris Ordinibus, etiam *Mare magnum* nuncupatorum, quibuſvis perſonis Eccleſiaſticis vel ſecularibus, cujuſcumque dignitatis, gradus, ſtatus, ordinis, vel conditionis fuerint, hactenus conceſſas, & in poſterum concedendas revocamus, caſſamus & annullamus, ac revocatas, & nullas eſſe decernimus: Decernentes inſuper cenſuras & pœnas prædictas in aliquo vos, & pro tempore exiſtentes Abbatiſſas, Præſidentes & Superiores obligare non poſſe nec debere: & ſic per quoſcumque Judices & Commiſſarios, quacumque auctoritate fungentes pronunciari & definiri debere, ſublata eis & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate: ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, in licentiis, facultatibus, indultis Apoſtolicis eiſdem perſonis de ingrediendo Monaſteria hujuſmodi per Nos conceſſis & concedendis: quæ nolumus eis quoad hoc contra voluntatem veſtram in aliquo ſuffragari, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Et quia difficile foret præſentes in quibuſvis locis, ubi opus eſſet, oſtendere vel exhibere, volumus ut tranſumptis ipſarum, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati Eccleſiaſtici munitis, plena ubique fides adhibeatur, veluti propriis originalibus, ſi in medium exhiberentur vel oſtenderentur, adhiberetur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub anulo Piſcatoris, die XXII. Decembris MDXVI. Pontificatus noſtri anno IV.

VI. *Pri-*

VI.

Privilegia univerſa Clariſſis conceſſa communicat Sororibus Tertii Ordinis.
Ex Bullar. Roder. num. 21.

Dilectis filiis Vicariis Generalibus Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia Cismontanis & Ultramontanis.

§. I. DUdum fel. record. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter, volens ſancti Damiani, & Minoriſſarum ſanctæ Claræ Ordinis ejuſdem ſanctæ Claræ Moniales, ſub Generalis Miniſtri, aliorumque officialium Ordinis Fratrum Minorum cura ubilibet conſtitutarum viventium, ſpiritualibus favoribus & gratiis proſequi, ſtatuit & ordinavit, ipſiſque Abbatiſſis & Monialibus, quod ipſæ etiam de quibuſcumque terris & poſſeſſionibus ad eas pertinentibus & legitime ſpectantibus, quas etiam per alios quam earumdem Monaſteriorum ſervitores & ſubditos excoli, & cultivari faciebant, & pro tempore facient, decimas, primitias, aut cenſus, non tamen auctoritate Apoſtolica impoſitas, quibuſvis perſonis, cujuſcumque dignitatis, gradus, ſtatus, ordinis vel conditionis ſorent, ſolvere minime tenerentur; nec ipſæ, aut ipſarum terrarum & poſſeſſionum coloni ſeu cultores ad ſolutionem decimarum, primitiarum, aut cenſuum hujuſmodi per quoſcumque moleſtari, aut propterea contra eos procedi, & pœnæ aliquæ promulgari poſſint, prout in ipſis Sixti prædeceſſoris litteris deſuper confectis plenius continetur.

§. II. Nos volentes dilectas in Chriſto filias Abbatiſſas ſeu Matres, Moniales ſive Sorores univerſorum Monaſteriorum ſeu domorum tam præſentium, quam futurorum Tertiæ Regulæ ſancti Franciſci, alias de Pœnitentia nuncupatas, in communi, ſub veſtra, & aliorum Prælatorum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ in ultra citraque montanis partibus viventes, quæ, ſicut aſſeritur, in ſpiritu paupertatis, lilio caſtitatis, & aliis bonæ famæ odoribus vivunt, ſpiritualibus favoribus & gratiis proſequi, omnia & ſingula privilegia, gratias, prærogativas, exemptiones, & indulta eiſdem Monialibus ſancti Damiani & Minoriſſarum Monaſteriorum ſanctæ Claræ hujuſmodi ubilibet conſiſtentium, per quoſcumque Romanos Pontifices præſertim ſel. rec. Eugenium IV. Nicolaum etiam IV. Boniſacium VIII. Joannem XXII. Clementem V. Alexandrum V. & Benedictum XI. prædeceſſores noſtros, ſub quibuſvis verborum formis & clauſulis conceſſas & conceſſa, etiamſi minus, aut aliud vel ultra quam ſuperius eſt expreſſum, contineatur, ad Abbatiſſas ſeu Matres, ac Moniales ſive Sorores Tertiæ Regulæ hujuſmodi, & ſub dicta obedientia in communi viventes, etiamſi inter dilectas in Chriſto filias Abbatiſſam ſeu Matrem, & Moniales Monaſterii ſancti Michaelis, ſeu Matris Dei, oppidi de Talavera, Toletanæ diœceſis, & venerabilem fratrem Archiepiſcopum, ac dilectos filios Decanum & Capitulum Eccleſiæ Toletanæ, ſuper ſolutione decimarum & primitiarum prædictarum, coram certo cauſarum Palatii Apoſtolici Auditore, ac ejus Locumtenente, cujus ſtatum & nomen aut cognomen dicti Auditoris ſeu Locumtenentis pro expreſſis habemus, lis pendeat indeciſa, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium extendimus & ampliamus, illaque omnia, necnon per præfatum Sixtum Prædeceſſorem conceſſum privilegium hujuſmodi de novo ſpecialiter & expreſſe, prout per eoſdem Eugenium, Nicolaum, Boniſacium, Joannem, Clementem, Alexandrum, Benedictum, & Sixtum Prædeceſſores hujuſmodi conceſſa fuerunt, eiſdem Abbatiſſis ſeu Matribus, ac Monialibus ſeu Sororibus ſpecialiter & expreſſe concedimus. Inſuper omnibus & ſingulis pri-

privilegiis, gratiis, prærogativis, exemptionibus & indultis, ſub quibuſvis verborum formis in poſterum concedendis per Sedem Apoſtolicam prædictis Abbatiſſis ſeu Matribus, ac Monialibus ſancti Damiani & Minoriſſarum ſanctæ Claræ Ordinis ejuſdem Sanctæ, prædictis Abbatiſſis ſeu Matribus, ac Monialibus ſive Sororibus dictæ tertiæ Regulæ ſancti Franciſci, ſeu de Pœnitentia nuncupatis, modo prædicto viventibus, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium de ſpeciali dono gratiæ indulgemus.

§. III. Et nihilominus univerſis & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, eorumque Vicariis, & Officialibus generalibus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, necnon Canonicis Metropolitanenſium, ſeu aliarum Cathedralium Eccleſiarum mandamus, quatenus ipſi & eorum quilibet eiſdem Abbatiſſis ſeu Matribus, ac Monialibus ſive Sororibus efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, & poſtquam pro parte Abbatiſſarum ſeu Matrum, ac Monialium ſive Sororum prædictarum fuerint requiſiti, faciant per ſe vel alium ſeu alios, Abbatiſſas ſeu Matres, ac Moniales ſive Sorores prædictas ſingulis privilegiis, gratiis, prærogativis, exemptionibus, favoribus & indultis prædictis pacifice frui & gaudere: non permittentes eas deſuper per quoſcumque, etiam Parochialium Eccleſiarum Rectores quomodolibet moleſtari: Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris remedia compeſcendo, invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtan. ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, & perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus Eccleſiarum & Monaſteriorum, ſeu aliorum locorum, ſub quorum limitibus Monaſteria ſive domus hujuſmodi fuerint, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque & indultis & litteris Apoſtolicis eiſdem Eccleſiis, Monaſteriis, & locis conceſſis, confirmatis & approbatis: quibus, tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris die XXVII. Maii MOXVII. Pontificatus noſtri anno V.

VII.

Declarat Sorores Tertii Ordinis eſſe veras Religioſas, & gaudere privilegiis conceſſis Ordini Minorum. Ibid. num. 16.

Dilecto filio noſtro Chriſtophoro tituli ſanctæ Mariæ de Aracœli Presbytero Cardinali.

§. I. Dilecte &c. Ea, quæ per Sedem Apoſtolicam provide ſtatuta & ordinata, ac declarata eſſe noſcuntur, nonnumquam Romanus Pontifex illa ſucceſſu temporis ne impugnationi ſubjaceant, cum ab eo petitur, approbare, ac alias deſuper ordinare & diſponere conſuevit, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem ſel. rec. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter ſtatuit & ordinavit Sorores Tertii Ordinis ſancti Franciſci, tria eſſentialia vota emittendo collegialiter viventes, vere Religioſas eſſe, & votum obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis a Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci collegialiter viventibus, in manibus ſuorum Superiorum tunc emiſſum, aut ab ipſis pro tempore exiſtentibus ex tunc in futu-

futurum emittendum, habere vim & validitatem voti ſolemnis, ac omnem inducere effectum, quem inducit votum ſolemne factum cuicumque ex Religionibus approbatis a Sede Apoſtolica, ac impedire matrimonium contrahendum, & dirimere jam contractum.

§. II. Et licet nos in ſacro Lateranenſi Concilio noviſſime celebrato, pro pace & unitate inter Prælatos, & perſonas religioſas conſervanda, eodem ſacro approbante Concilio, ſalubriter ordinaverimus, voluerimus & decreverimus, quod Fratres & Sorores Tertii Ordinis prædicti illius habitum deferentes, ac collegialiter virginalem ac vidualem caſtitatem, ſeu cœlibem vitam, expreſſo voto ducentes, omnibus privilegiis Fratrum Minorum gaudere deberent, prout in noſtris, & præfati prædeceſſoris litteris plenius reſpective continetur.

§. III. Nihilominus, ſicut tua circumſpectio nobis nuper retulit, nonnulli Prælati & Rectores Parochialium Eccleſiarum, maxime in Galliis & Germania, dictas Sorores aſſerunt non eſſe Religioſas, & eas propterea privilegiis prædictis gaudere non poſſe, ac Oratoria & cœmeterium, & in ipſis oratoriis Sacramentum Euchariſtiæ, & Oleum ſanctum habere, ac Miſſas decantari, & Aquam benedictam benedici facere, non permittunt, ſed ut meras ſeculares ad audiendum Miſſas, & ſuſcipienda Eccleſiaſtica Sacramenta in Parochialibus Eccleſiis compellere nituntur, in ipſarum Sororum maximam perturbationem, & ſcandalum plurimorum. Quare tu, qui officio Generalis Miniſtri dicti Ordinis Fratrum Minorum, ex conceſſione Apoſtolica fungeris, nobis humiliter ſupplicaſti, quatenus declarationem dicti Sixti prædeceſſoris hujuſmodi cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis &c. auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & innovamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere decernimus.

§. IV. Et inſuper omnibus & ſingulis Prælatis tam regularibus, quam ſecularibus, & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, ceteriſque perſonis Eccleſiaſticis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna inhibemus, ne dictas Sorores, quas conformiter ad præfati prædeceſſoris noſtri ordinationem veras Religioſas declaramus, de cetero quomodolibet impedire præſumant, quo minus ipſæ Sorores juxta privilegia dictorum Fratrum Oratoria cum campanili humili & campana, ac in illis Sacramentum Euchariſtiæ in loco decenti & honeſto, necnon Oleum ſanctum pro ipſarum uſu tantum, & cœmeterium benedictum habere, in quo Sororum decedentium corpora per earum Confeſſorem ſepeliri poſſint, ac in eiſdem Oratoriis Aquam benedictam ſolemniter benedici, Miſſaſque ſecundum earum devotionem cantari & celebrari facere libere & licite poſſint; quodque ad audiendum Miſſas & alia Divina officia in alio loco, quam in dictis Oratoriis, aut ſuſcipiendum Eccleſiaſtica Sacramenta ab alio, quam a Confeſſore ſeculari vel regulari eis per earum Superiores aſſignando, nullatenus per dictos Prælatos & Rectores, aut quoſvis alios compelli, aut deſuper quoquomodo moleſtari valeant; ipſeque Confeſſor, ſi ſecularis fuerit, quamdiu officium confeſſionis hujuſmodi, a dictis Superioribus ſibi impoſitum continuaverit, per locorum Ordinarios in præmiſſis impediri nequaquam poſſit.

§. V. Et nihilominus univerſis & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, necnon Metropolitanis, ſeu Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, qui deſuper pro parte dictarum Sororum requiſiti fuerint, per præſentes mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios, eiſdem Sororibus, aut earum domibus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eas pacifica poſſeſſione privilegiorum hujuſmodi gaudere, non permittentes eas de-

deſuper per Ordinarios & Prælatos ac Rectores prædictos, aut quoſcumque alios indebite moleſtari, contradictores & inobedientes & rebelles, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die ultima Auguſti MDXVII. Pontificatus noſtri anno V.

VIII.

Ne teneantur ad ſolvendas decimas aut alias exactiones. Ex brevi originali.

Dilectis in Chriſto filiabus univerſis & ſingulis Abbatiſſis & Monialibus Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia tam primæ, quam ſecundæ Regulæ, ſub cura Fratrum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ viventibus.

§. I. Dilectæ in Chriſto filiæ ſalutem &c. Dudum fel. record. Alexander Papa VI. Prædeceſſor noſter privilegiis & indultis nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum & Prædeceſſorum noſtrorum vobis conceſſorum inhærendo, vobis, ut Abbatiſſæ & Moniales Monaſteriorum veſtri Ordinis, tunc & pro tempore exiſtentes, quibus bona propria pro quotidianis expenſis non ſufficiunt, ad ſolutionem alicujus decimæ vel alterius exactionis per Sedem Apoſtolicam, ſeu quoſcumque alios ex quavis cauſa, etiam pro expeditione contra immaniſſimos Turcas, Reipublicæ Chriſtianæ hoſtes pro tempore impoſitæ cogi, aut compelli non poſſent indulſit, prout in diverſis ipſius Alexandri Prædeceſſoris in forma Brevis litteris plenius continetur.

§. II. Cum autem Nos nuper quamdam in Regni Franciæ & aliis terris & dominiis cariſſimo in Chriſto filio noſtro Franciſco Francorum Regi Chriſtianiſſimo ſubjectis, decimam pro Chriſtianæ fidei defenſione exigi conceſſerimus, voſque dubitetis, ſicut exponi nobis nuper feciſtis, Monaſteria veſtra & illorum Abbatiſſas ſuper ſolutione decimæ hujuſmodi contra privilegiorum conceſſionis prædictorum tenorem moleſtari. Nos commoditati veſtræ, ſicut religio & pietas poſtulant, paterno affectu conſulentes, ac veſtris devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, litteras, privilegia & indulta prædicta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbantes & innovantes, ac illis inhærentes, vobis ut Abbatiſſæ & Moniales ejuſdem Ordinis de Obſervantia, ſub cura & regimine Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ viventes, ac illarum Monaſteria, domos, & alia loca quæcumque, quorum fructus, reditus & proventus, pro Monialium & aliarum perſonarum in illis pro tempore degentium commoda ſuſtentatione non ſufficiant, ad ſolutionem prædictæ & cujuſvis alterius decimæ ſeu taxæ, vel collectæ aut exactionis per Nos & Sedem Apoſtolicam, ſeu ejus Legatos vel Nuncios, aut quoſcumque alios quavis auctoritate fungentes, pro dictæ fidei tuitione, ſeu expeditione contra præfatos Turcas, vel recuperatione Terræ ſanctæ, aut quavis alia urgentiſſima cauſa impoſitæ vel imponendæ, etiam prætextu quarumvis cenſurarum & pœnarum Eccleſiaſticarum in litteris exactionum hujuſmodi appoſitarum, cogi aut compelli nequeatis, eiſdem auctoritate Apoſtolica, & tenore præſentium concedimus. Diſtrictius inhibentes ſub pœna excommunicationis, quam contrafacientes ipſo facto incurrant, & a qua non niſi per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem abſolvi poſſint, omnibus & ſingulis perſonis ad exactionem decimarum, taxarum & collectarum hujuſmodi pro tempore deputatis, ne Abbatiſſas, Moniales & perſonas pauperes prædictas, occaſione decimarum

& exactionum hujuſmodi moleſtare, turbare vel inquietare præſumant: ac decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. III. Quocirca venerabilibus Fratribus univerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, aliiſque perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ac Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Canonicis, eorumdemque Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Officialibus, ſeu Vicariis in ſpiritualibus generalibus per hæc ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel per alium ſeu alios, Abbatiſſis, Monialibus & perſonis pauperibus prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eas & quamlibet earum conceſſione & aliis præmiſſis pacifice gaudere, non permittentes eas deſuper per eoſdem deputatos, aut quoſcumque alios quomodolibet moleſtari: Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ in litteris & privilegiis prædictis conceſſum fuit, non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Verum quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus & præfata auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, manu publici Notarii inde rogati ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati aut perſonæ Eccleſiaſticæ in dignitate conſtitutæ, ſeu Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum Superioris munitis, ea prorſus fides indubia adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIV. Februarii MDXVII. Pontificatus noſtri anno V.

IX.

Declarat deberi Fratribus Obſervantibus digniorem locum ſuper Conventuales, & Obſervantes numquam interrupta ſerie a ſancti Franciſci tempore uſque ad præſens ſub ejus Regula tamquam veros filios militaſſe. Ex Brevi originali.

Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis.

§. I. Licet alias poſtquam ſtatueramus & ordinaveramus, quod de cetero perpetuis temporibus Fratres beati Franciſci, ſub puritate ejus Regulæ, & ſub Regulari Obſervantia viventes, ac reformati, Miniſtrum, Fratres vero dicti Ordinis, Conventuales nuncupati, Magiſtrum Generales habere deberent, ne inter Reformatos & Conventuales Fratres hujuſmodi ſuper præcedentia, diſſenſio & contentio oriri poſſet, voluerimus & ſtatuerimus, quod in proceſſionibus, & aliis actibus publicis Fratres Conventuales Fratribus Regularis Obſervantiæ, Miniſtrum habentibus, locum digniorem relinquere tenerentur: Quodque Fratres ipſi Conventuales ſemper eorum Crucem & Vexillum per eos deferri ſolitum deferre libere & licite valerent.

§. II. Quia tamen, ut ex nonnullorum relatione accepimus, Fratres ipſi Conventuales prætendunt Crucem deferre in loco digniori: Nos autem, qui præmiſſa omnia ſtatuimus, ut omnis diſſenſio & contentio inter eoſdem Fratres de Obſervantia & Conventuales tolleretur; mentiſque noſtræ fuerit,

rit, prout etiam id expreſſimus, quod in omnibus actibus Fratres de Obſervantia haberent locum magis dignum, quam ipſi Conventuales, & propterea mentis noſtræ incommutabilis fuit, prout exiſtit, quod ipſi Fratres de Obſervantia Crucem ſuam in loco etiam digniori deferrent: ad hujuſmodi tamen ambiguitatis dubium de mentibus omnium tollendum, motu proprio & certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declaramus, mentis noſtræ fuiſſe, quod tam Conventuales, quam de Obſervantia & Reformati Fratres prædicti, in quibuſcumque Proceſſionibus & aliis actibus, in quibus Crux deferenda foret, Crucem ſuam deferre poſſint; ita tamen quod Crux ipſorum Fratrum de Obſervantia & Reformatorum loco digniori deferatur: Quodque ipſi Fratres de Obſervantia & Reformati, veri & indubitati Fratres Ordinis beati Franciſci, & ejus Regulæ obſervatores ſemper fuerint, ac, Divina favente gratia, ſint futuri, ſine aliqua interruptione ſeu diviſione a tempore editæ Regulæ per beatum Franciſcum uſque ad præſens, ac ſub ipſius beati Franciſci Regula militaverint, & etiam ad præſens militent, ſicque in omnibus teneri & obſervari, ac dici debere decernimus ac mandamus.

§. III. Mandantes nihilominus omnibus & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac Eccleſiarum Capitulis ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, ac ſuſpenſionis a Divinis, inferioribus vero Prælatis, ac parochialium Eccleſiarum Rectoribus, necnon Mendicantium & aliorum Ordinum Profeſſoribus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis ipſo facto incurrendis, a quibus nonniſi per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, præterquam in mortis articulo abſolvi nequeant, quatenus declarationem & decretum hujuſmodi, inter Conventuales ac de Obſervantia & Reformatos Fratres hujuſmodi inviolabiliter obſervent, obſervarique faciant; necnon, ne eoſdem Fratres Conventuales & de Obſervantia ac Reformatos hujuſmodi ſuper his moleſtent aut perturbent, ſeu per quoſcumque cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtentes, ſeu etiam quomodolibet inter ſe moleſtari, perturbari vel inquietari permittant.

§. IV. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis; necnon privilegiis, indultis, ac litteris Apoſtolicis, illis forſan conceſſis, confirmatis & innovatis: quibus, illorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo Miniſtri Generalis pro tempore exiſtentis dicti Ordinis Minorum, aut alterius Prælati in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti munitis, in judicio & alibi, ubi opus fuerit, eadem fides adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus litteris, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die VI. Decembris MDXVII. Pontificatus noſtri anno V.

X.

Declarat audientes Miſſas in Eccleſiis Mendicantium ſatisfacere præcepto de audienda Miſſa. Ex Reg. Ultramon. Curiæ fol. 29.

Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis.

§. I. INtelleximus, quoſdam in dubium revocare, & perinde timoratis conſcientiis ſcrupulum injicere, ſi Chriſtifideles, qui Dominicis & feſtivis diebus extra Eccleſias ſuas Parochiales Miſſas audiunt in Eccleſiis Ordinum Fratrum Mendicantium, Eccleſiæ præcepto de Miſſa audienda ſatisfaciant. Nos enim ambiguitatem hujuſmodi penitus tollere volentes, ut cum ſinceriori conſcientia fideles quique Creatori ſuo ſerviant; auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium notum facimus, omnes Chriſtifideles utriuſque ſexus, qui non contempto proprio Sacerdote Parochiali, in Eccleſiis Fratrum Ordinum Mendicantium Dominicis & feſtis diebus Miſſas audiunt, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de Miſſa audienda, nec in aliquam labem peccati mortalis pœnamque propterea incurrere in contrarium facientes. Non obſtantibus quibuſcumque.

§. II. Et quia difficile foret præſentes litteras noſtras originaliter ad loca omnia, ubi &c. earum tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti munitis, ea fides, ubi opus fuerit, detur, quæ originalibus ipſis daretur, ſi exhibitæ forent vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIII. Novembris MDXVII. Pontificatus noſtri anno V.

XI.

Ut ab omnibus criminibus, exceſſibus & cenſuris abſolvere poſſint, quibuſdam exceptis. Ibid. fol. 30.

Dilectis filiis ſingulis Generalibus ſingulorum Ordinum Mendicantium.

§. I. DIlecti filii &c. Exponi nobis feciſtis, nonnullos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ad conſervandam diſciplinæ Regularis integritatem, quæ ex Fratrum diſcurſibus plurimum labefactari ſolet, vobis indulſiſſe, ut Fratres veſtros a quibuſcumque criminibus, exceſſibus & cenſuris, niſi in certis expreſſis caſibus, in quibus Sedem Apoſtolicam conſulendam eſſe voluerunt, abſolvere poſſetis. Et nuper, ſacro Lateranenſi approbante Concilio, aliquos caſus de novo Nobis, & Apoſtolicæ Sedi reſervandos duximus; dubitatis, ne forſan conceſſa vobis facultas diminuta ſit, & perinde Fratrum diſcurſibus, qui crebro in periculum animarum ſuarum vergunt, non ſit obviatum; utque ſuper hoc de benignitate Apoſtolica providere dignaremur, humiliter ſupplicaſtis.

§. II. Nos igitur cupientes Fratres in ſuis clauſtris potius Deo contritos ſacrificium pro ſuis peccatis offerre, quam ſuarum animarum periculo & ſcandalo populorum, per longinqua itinera diſcurrere, veſtris ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium vobis concedimus, ut vos, & quandocumque contingat officium Generalatus per obitum aut amotionem Generalium pro tempore, ſive alio quovis modo vacare, ut veſtri Vicarii item pro tempore, ac etiam illi, quibus vos ſpecialiter id du-

duxeritis committendum, ſubditos veſtros reſpective ab omnibus & ſingulis eaſibus & cenſuris ſecundum conceſſionem & declarationem fel. record. Sixti IV. & Julii II. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum abſolvere poſſitis. Non obſtantibus revocationibus, reſervationibus, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis nuper in dicto Lateranenſi Concilio, vel alias quomodolibet factis, vel ſi in poſterum fierent; quibus omnibus, illis alias in ſuo robore permanſuris, quo ad præmiſſa, ex certa ſcientia expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIV. Maii MDXVII. Pontificatus noſtri anno V.

XII.

Abrogat onera perpetua Miſſarum & officiorum. Ibid. fol. 27.

Dilectis filiis Miniſtris Provincialibus Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ tam citra, quam Ultramontes.

§. I. Dilecti filii &c. Nuper pro parte dilectorum filiorum tunc Vicariorum Generalium & Provincialium, & univerſorum Fratrum Regularis Obſervantiæ nobis expoſito, quod in Conventibus, quos olim a Fratribus Conventualibus dicti Ordinis Minorum de mandato & licentia Sedis Apoſtolicæ reformandos receperant, tot & tanta onera ac fundationes Miſſarum & aliorum ſuffragiorum comperiebantur, quod Fratribus dictarum domorum oneribus & fundationibus & ſuffragiis prædictis ſatisfacere difficile videbatur. Nos autem dictorum Vicariorum & Fratrum conſcientiarum ſerenitati & quieti ſubvenire volentes, decernimus & declaramus, Fratres Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi ad dicta onera & ſuffragia, ratione bonorum & proventuum hujuſmodi minime teneri, dummodo tam in communibus officiis, quæ quotidie in Eccleſiis Fratrum prædictorum celebrantur, quam in privatis orationibus Miſſæ, & ſuffragiis, quæ in dicto Ordine fierent, memoria fidelium, qui bona ac annuos reditus hujuſmodi reliquerunt, haberetur, prout in noſtris in forma Brevis deſuper confectis litteris continetur.

§. II. Cum autem, ſicut nobis exponi feciſtis, ante reformationem domorum veſtrarum, Fratres in illis exiſtentes, certa bona ac annuos reditus cum onere celebrandi Miſſas, & alia Divina officia, necnon ſuffragia eis relicta poſſiderent, & poſt reformationem hujuſmodi, Guardiani & Fratres Regularis Obſervantiæ in illis exiſtentes, bona ac annuos reditus hujuſmodi partim dimiſerunt, partim vero vendiderunt, & pretium illorum in reparationem dictarum domorum, & alias neceſſitates Fratrum domorum earumdem converſum fuerit. Ac etiam, cum in aliquibus locis Ordinis veſtri Regularis Obſervantiæ inveniantur aliquæ obligationes perpetuæ ad Miſſas quotidie celebrandas, per prædeceſſores Prælatos dictorum locorum antea contractæ cum perſonis Eccleſiaſticis aut ſecularibus, quas ſi ſervare deberetis, Fratres etiam præſentes, & pro tempore dicta loca inhabitantes, cum ex quotidiana mendicatione & laboritio vivere habeant, quotidianæ neceſſitatis præſidio facile fraudarentur. Quia tamen ab aliquibus aſſeritur, vos ad hujuſmodi onera perpetua per Fratres Conventuales ante reformationem Conventuum, etiam per Fratres Regularis Obſervantiæ contracta, fore obligatos, & ad illa perſolvenda obligari: propterea nobis humiliter ſupplicari feciſtis, quatenus vobis ſuper præmiſſis, declarationis beneficio de benignitate Apoſtolica providere dignaremur.

§. III.

§. III. Nos igitur, qui ſingulorum fidelium, præſertim ſub Religionis jugo Altiſſimo famulantium, conſcientiæ pacem, & animarum ſalutem intenſis deſideramus affectibus, circa præmiſſa declaramus & etiam ordinamus, quod cum juxta veſtræ Regulæ puram & integram obſervantiam ex quotidiano laboritio, & humili mendicatione vivere habeatis, non fuiſtis nec eſtis capaces onerum perpetuorum hujuſmodi, per quæ temporis progreſſu, & libertas ſpiritus in Miſſis & aliis Divinis officiis, ac in acquirendis vitæ neceſſariis commoditas a Fratribus veſtris tolleretur. Quare omnes & ſingulas hujuſmodi obligationes perpetuas tam per Fratres Conventuales, quam per vos cum quibuſcumque perſonis contractas caſſamus & annullamus. Et ne Chriſtifideles, qui pro præfatis perpetuis ſervitiis ſua bona ſunt elargiti, ſuo fraudentur deſiderio, annua caritatis opera, ac Divina ſervitia, quæ in tota veſtro Ordine celebrantur & fiunt, ipſis Chriſtifidelibus, & defunctis per viam ſuffragii, quantum Divinæ placuerit bonitati, communicamus. Inhibendo nihilominus diſtrictius vobis ac veſtris ſucceſſoribus Prælatis Ordinis, ceteriſque veſtris ſubditis præſentibus & futuris, ne hujuſmodi onera Miſſarum, aut aliorum ſervitiorum perpetua ullatenus de cetero acceptent aut recipiant. Non obſtantibus præmiſſis, ac aliis contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xi. Julii mdxvii. Pontificatus noſtri anno v.

XIII.

Declarat licere permutationem quarumdam rerum in alias, & quaſdam vendere pro aliis per Syndicum comparandis. Ibid. fol. 28.

Dilecto filio Miniſtro Provinciali Burgenſi Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ.

§. I. Dilecte fili &c. Exponi nobis feciſti, quod ſæpe contingit, ut domus tui Ordinis ex fidelium pie conceſſis, ac per Fratres ejuſdem Ordinis oſtiatim acquiſitis eleemoſynis, tritico & frumento, ac etiam ex eorumdem fidelium oblationibus, quæ Altaribus Eccleſiarum domorum hujuſmodi offerunt, pane cocto ſuperabundante, vino tamen, carnibuſque & aliis rebus victui hominis neceſſariis egere ſolent. Quare pro parte tua nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportuno remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos neceſſitati Fratrum hujuſmodi providere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, modernis & pro tempore exiſtentibus Guardianis & Fratribus univerſis domorum prædicti Ordinis, triticum, panem ac frumentum, ac alias res ſuperabundantes hujuſmodi pro vino, carnibus & aliis rebus victui neceſſariis prædictis per vos recipiendi, ac per Syndicum Romanæ Eccleſiæ vobis datum commutandi & permutandi, ſeu triticum & panem ac frumentum hujuſmodi vendendi, exindeque proveniente pecunia, vinum & carnes, ac alias res neceſſarias prædictas ejuſmodi comparandi Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, licentiam concedimus & facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis regularibus inſtitutis dicti Ordinis, illiuſque domorum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xxix. Julii mdxvii. Pontificatus noſtri anno v.

XIV. *Con-*

XIV.

Confirmat omnia privilegia Mendicantium, non obſtante modificatione Concilii Lateranenſis. Ex Reg. Ultram. Curiæ fol. 22.

Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis.

§. I. SUperioribus diebus, ut Fratres Mendicantes, & alii Religioſi potius ab Epiſcopis & aliis locorum Ordinariis omni cum caritate ſoverentur, quam aliquo modo moleſtarentur & inquietarentur, conceſſiones eiſdem Fratribus & Religioſis, in Epiſcoporum læſione per Romanos Pontifices & Sedem Apoſtolicam factas, in certis caſibus tunc expreſſis, ſacro Lateranenſi Concilio approbante, duximus moderandas.

§. II. Verum, quia a nonnullis nimium curioſis forſan hæſitari & diſſeminari poſſet, quod dicta moderatione alia Religioſorum privilegia eſſent annihilata, & Religioſis ex hoc moleſtiæ, gravamina & damna inferri, ſcandalaque & lites excitari veriſimiliter poſſent: Nos Religioſorum ipſorum paci & quieti ac indemnitati conſulere volentes, tenore præſentium, Apoſtolica auctoritate, omnia & ſingula privilegia Religioſorum Mendicantium, a quibuſcumque Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, vel a nobis, aut aliis auctoritatem habentibus, in genere vel in ſpecie, conjunctim vel diviſim conceſſa, ſalvis dictis moderationibus, in ſuo robore permanere declaramus, & nihilominus ad abundatiorem cautelam ac gratiam, privilegia ipſa cum dictis modificationibus, motu proprio innovamus: diſtricte præcipiendo mandantes Eccleſiarum Prælatis, ut Religioſos ſuper aliis privilegiis hujuſmodi moleſtare non præſumant, ſed ſua eis jura & privilegia invinlabiliter obſerventur. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus his, quæ Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, & Nos in quibuſcumque litteris privilegiorum hujuſmodi volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Et quia difficile foret præſentes litteras originales ad ſingula loca, in quibus opus foret, deſtinare, volumus & dicta auctoritate decernimus, ut earum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti munitis eadem fides in judicio & extra, ubicumque locorum fuerint producta, adhibeatur, & eis ſtetur, ſicut originalibus ipſis, ſi exhibitæ forent vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub anulo Piſcatoris, die XIV. Maii MDXVII. Pontificatus noſtri anno V.

XV.

Peculiare concedit privilegium circa celebrationem Miſſarum pro tenui ſtipendio. Ibid. fol. 22.

Dilectis filiis Vicariis Generalibus, & univerſis Fratribus Ordinis Minorum, de Familia ſeu Obſervantia nuncupatis & pro tempore ubique exiſtentibus.

§. I. DIlecti filii &c. Cum, ſicut accepimus, propter devotionem, quam utriuſque ſexus Chriſtifideles ad Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia gerunt, contingat ſæpius, ut fideles ipſi plures Miſſas per eoſdem Fratres celebrandas, elargita eis aliqua eleemoſyna, committant, & in aliquibus regionibus in eleemoſynam celebrationis unius Miſſæ, certa pe-

pecuniæ quantitas valde parva & tenuis dari conſueverit, adeo quod vos ob eleemoſynam, quæ ſingulariter a pluribus elargitur, tot Miſſas, quot ſunt largientes, pro ſingulis celebrare non valetis: unde dubitatis ſuper his conſcientias veſtras prægravari. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis, & pro tempore exiſtentibus Fratribus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, & conſcientiarum veſtrarum puritati, paterna cura, de benignitate Apoſtolica providere dignaremur.

§. II. Nos itaque, qui Ordinem veſtrum hujuſmodi, propter uberes & ſalutiferos fructus, quos Ordo ipſe in agro Domini in dies producere non ceſſat, in viſceribus caritatis gerimus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ac pro tempore exiſtentibus Fratribus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, quod celebrando unam Miſſam dumtaxat, ſi eleemoſyna æquivalens unius julii non elargitur, etiamſi duas, tres, aut quatuor vel plures Miſſas celebraturi, occaſione diverſarum & plurium eleemoſynarum hujuſmodi contribuerint, vel contribuent in futurum, commemorationem in genere faciendo, in hoc puritati conſcientiarum veſtrarum ſatisfactum fore & eſſe, auctoritate Apoſtolica decernimus, pariter & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis litteris Apoſtolicis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, prædicto Ordini, ſub quibuſvis verborum formis & expreſſionibus, ac clauſulis quantumcumque fortiſſimis & inſolitis conceſſis & concedendis: quibus, tenores illarum, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, in quantum præmiſſis contrariare viderentur, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Ceterum, quia difficile foret præſentes ad ſingula loca, in quibus opus eſt, deferre, volumus & dicta auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Vicarii Provincialis Ordinis hujuſmodi communitis, tanta fides adhibeatur, quanta adhiberetur præſentibus, ſi eſſent in medium exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXIII. Martii MDXVII. Pontificatus noſtri anno V.

Anno Chaisti 1518. Leonis X. anno 5. & 6.

XVI.

Ut domus reformatæ provinciæ Aquitaniæ ſubjiciantur Miniſtro Generali Obſervantum. Ex Reg. Ciſmont. Curiæ fol. 4.

Dilectis filiis Archidiacono ſancti Antonii Ruthinen. & Decano S. Martini Inſulæ Jordanis, Tholoſanæ diœceſis, ac Cantori Albien. Eccleſiarum.

§. I. HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii moderni Miniſtri Provincialis provinciæ Aquitaniæ, Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, ſecundum morem dicti Ordinis, petitio continebat, quod poſtquam alias ipſe dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus Tholoſanæ, ejuſdem Ordinis, ad dictam Obſervantiam reformatæ, litteras noſtras in Capitulo Generaliſſimo ejuſdem Ordinis pro omnibus Fratribus pro reformatis habitis, reducendis ad obedientiam Miniſtrorum Provincialium ipſius Ordinis in ſuis Provinciis, editas in-

intimaverat, Guardianus & Fratres prædicti, nonnullis dilationibus a dilecto filio Decano Eccleſiæ Inſulæ Jordanis, Tholoſanæ diœceſis, ad hujuſmodi unionem perficiendam vigore litterarum earumdem, prout ex illarum forma concedebatur, per præfatum Miniſtrum aſſumpto, per eos acceptis, ab eodem Decano, nulla per ipſos appellatione interpoſita, ad certum tunc pro Judice Apoſtolico, prætextu certarum litterarum certæ tunc expreſſæ concordiæ ſe gerentem, recurſum habuerunt; dictuſque Judex eidem Decano, ne ſuper unione hujuſmodi ullatenus procederet, ſub certis pœnis & cenſuris, per ſuas certi etiam tunc expreſſi tenoris litteras inhibuit: propter quod unio prædicta ſuos ſortiri effectus minime potuit neque poteſt. Quare pro parte ejuſdem Miniſtri nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut omnes & ſingulas, quas idem Miniſter contra præfatos Tholoſanos, omneſque alios, & ſingulos Guardianos & Fratres Ordinis & Provinciæ prædictorum pro reformatis habitos, ac ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes, ſuper unione & reductione prædictis, & illorum occaſione conjunctim vel diviſim movere intendit cauſas, aliquibus probis viris in partibus illis ſummarie, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, audiendas, & fine debito terminandas committere, aliaſque ſibi in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur attendentes, dignum & congruum exiſtere, ut ea, quæ per Nos ſancte, & pro reformatione morum & vitæ Religioſorum edita exiſtunt, ad debitum perducantur effectum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, vocatis Guardiano & Fratribus præfatis, ac aliis qui fuerint evocandi, dicto Miniſtro, ſi hoc humiliter petierit, recepta tamen prius ab eo cautione idonea ſuper eo quod excommunicatus, & aliis ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis irretitus forſan habeatur, quod ſi excommunicationis ſententiam & alias cenſuras & pœnas hujuſmodi, vobis conſtiterit, in eum fuiſſe juſte latas, veſtris & Eccleſiæ mandatis parebit, ab excommunicationis & aliis ſententiis, cenſuris & pœnis prædictis abſolutionis beneficium ad cautelam, prout juſtum fuerit, auctoritate noſtra hac vice dumtaxat impendatis: ſuper aliis vero dicto judici, & quibuſvis aliis, quibus fuerit inhibendum, etiam ſub cenſuris & pœnis etiam pecuniariis, arbitrio noſtro moderandis, & Cameræ Apoſtolicæ applicandis, per vos inhibito, auditiſque ſummarie, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola veritate facti inſpecta, hinc inde propoſitis, appellatione remota, quod juſtum fuerit decernatis; facientes quod decreveritis per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari: necnon ſi per informationem ſummariam vobis conſtiterit, quod ad Guardianos & Fratres & alios præfatos pro citationibus de eis faciendis tutus non pateat acceſſus, Nos vobis citationes hujuſmodi per edictum publicum in locis affigendas publicis & circumvicinis, in quibus ſit veriſimilis conjectura, quod ad ipſorum citandorum notitiam pervenire de facili valeant, faciendi licentiam concedimus & facultatem. Decernentes inſuper citationes hujuſmodi per vos ſic factas, eoſdem citatos perinde arctare, ac ſi eis perſonaliter & præſentialiter intimarentur. Et ſi vobis, ut præfertur, procedentibus, etiam legitime conſtiterit, prædictam Tholoſanam, & alias domos dicti Ordinis ſive ejuſdem præjudicio, ante Capitulum Generaliſſimum a Fratribus & ſecularibus pro reformatis habitas fuiſſe, domos ipſas, & illarum Fratres Miniſtro Provinciali prædicto in omnibus & per omnia ſubjicere eadem auctoritate noſtra curetis. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio vel timore

ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellatis veritati teſtimonium perhibere. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXVIII. XIX. menſis Februarii, Pontificatus noſtri anno VI.

XVII.

Ut concedant facultatem erigendi Monaſterium Clariſſarum primæ Regulæ in urbe Ottonenſi Regni Datiæ. Ibid. fol. 5.

Dilectis filiis Priori Monaſterii per Priorem gubernari ſoliti ſancti Canuti Ottonen. & Aruſien. & Urbingen. Eccleſiarum Archidiaconis.

§. I. ANimas lucrifacere Creatori intenſis deſideriis affectantes &c. Sane pro parte cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Chriſtinæ, Reginæ Datiæ illuſtris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſa ob ſingularem, quem ad Moniales Ordinis ſanctæ Claræ, propter illarum exemplarem vitam & honeſtum vivendi modum, gerit devotionis affectum, ſummopere deſiderat in quadam domo in Civitate Ottonenſi conſiſtente, ac ad eariſſimum in Chriſto filium noſtrum Chriſtiernum Regem Datiæ, natum ſunm, pertinente, de ipſius Chriſtierni Regis aſſenſu, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis pro una inibi Abbatiſſa, & aliquibus in decenti numero Monialibus, quæ ſub prima Regula ejuſdem ſanctæ Claræ vivere debeant, conſtrui & erigi facere. Quare ſupplicare nobis fecit humiliter dicta Chriſtina Regina, ut in dicta domo Monaſterium hujuſmodi erigere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis propagationem ſupremis affectibus exoptamus, deſiderium Chriſtinæ Reginæ hujuſmodi plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, duo aut unus veſtrum in dicta domo, poſtquam illius ædificia dicti Chriſtierni Regis conſenſu competenter ad id aptari vel reduci eadem Chriſtina Regina ſuis propriis expenſis fecerit, unum Monaſterium Monialium ſub invocatione per eamdem Chriſtinam Reginam eligenda, cum Eccleſia, campanili humili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, ac aliis officinis neceſſariis, pro perpetuis uſu & habitatione unius Abbatiſſæ, & Monialium in decenti numero dicti Ordinis, quæ ſub prima dicta Regula vivere debeant, erigere & conſtituere, quodque in eodem Monaſterio ſemper regularis clauſura obſervari debeat, & quod infra ejuſdem Monaſterii clauſuram, niſi dicta Chriſtina Regina, ac Regis Datiæ pro tempore exiſtentis filiæ, cum honeſta tamen familia ſeu comitiva ingredi nemo poſſit, ſtatuere & ordinare, auctoritate noſtra curetis. Nos enim eidem Monaſterio, poſtquam erectum fuerit, ut præfertur, ac illius Abbatiſſæ & Mnnialibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, prærogativis, exemptionnibus, favoribus, conceſſionibus, auctoritatibus, indultis & gratiis, quibus alia Ordinis & Regulæ præfatorum Monaſteria, illorumque Abbatiſſæ & Moniales in genere utuntur, potiuntur & gaudent, uti, potiri & gaudere, libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure parochialis Eccleſiæ, & cujuſvis alterius ſemper ſalvo in omnibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXVIII. XV. Kal. Martii, Pontificatus noſtri an. VI.

XVIII.

XVIII.

Declarat quales esse debeant Tertiariæ, ut privilegiis Tertio Ordini concessis possint gaudere. Ex Bullar. Roder. num. 44.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. NUper in ſacro Lateranenſi Concilio, in reformatione privilegiorum Religioſis conceſſorum, inter alia ſtatuimus, quod Fratres & Sorores Tertii Ordinis, necnon mantellati, corrigiati, bizocharæ, cordelati, & alii quocumque nomine nuncupati, in propriis domibus habitantes, ſepulturam, ubi voluerint eligere valeant; ſed die Paſchatis tantum Euchariſtiam, ac Extremam Unctionem, ceteraque Eccleſiaſtica Sacramenta, Pœnitentiæ Sacramento dumtaxat excepto, a proprio Sacerdote recipere, & ad onera quæ laicis incumbunt, perſerenda teneantur. Et ne cenſura vileſcat Eccleſiaſtica, & minoris auctoritatis interdicti ſententia reputetur, iidem dicti Tertii Ordinis ad Divina audienda nullatenus admittantur, ſi cauſam dederint interdicto, vel ipſam cauſam nutriant aut ſoveant, aut dantibus auxilium, conſilium vel favorem quoquomodo præſtiterint. Collegialiter vero viventes, ſeu cum clauſtralibus habitantes, ac mulieres virginalem ſeu cælibem aut caſtam & vidualem expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum geſtant, gaudere debeant, prout in conſtitutione dicti Lateranenſis Concilii, eodem approbante Concilio, deſuper edita, plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut accepimus, a quibuſdam nimium curioſis vertatur in dubium, an votum prædictum de voto ſolemni Religionis intelligatur, cum illud tria ſubſtantialia comprehendat, obedientiam ſcilicet, paupertatem & caſtitatem; & circa dictas mulieres virginalem ſeu caſtam & vidualem vitam ducentes, de virginitate & caſtitate tantummodo mentio fiat: Nos ad tollendum omne dubium, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, harum ſerie decernimus & declaramus, quod in præmiſſis de voto ſolemni Religionis minime intelligi debeat, ita ut mulieres virginalem aut cælibem vitam ſimpliciter voventes, etiam in conſanguineorum & affinium ſuorum, aut propriis domibus, vel ſeorſum habitantes, privilegiis & immunitatibus prædictis in omnibus & per omnia frui & gaudere debeant. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in dicta conſtitutione noſtra voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die 1. Martii anno MDXVIII. Pontificatus noſtri anno VI.

XIX.

Ut feſtum & officium ſanctæ Eliſabethæ publice celebrari poſſit tempore interdicti. Ibid. num. 28.

Univerſis & ſingulis Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia, ac S. Clarę & tertiæ Regulæ ſub cura eorumdem Fratrum degentibus.

§. I. CUm alias nonnulli Romani Pontifices, prædeceſſores noſtri, vobis, ut feſta ſanctorum Franciſci & Antonii, ac ſanctæ Claræ in Eccleſiis & domibus veſtris etiam tempore interdicti Eccleſiaſtici, Apoſto-

lica auctoritate appoſiti, publice, excommunicatis & interdictis excluſis, Miſſas & alia Divina officia celebrare & celebrari facere poſſitis indulſerint, ac per fel. rec. Alexandrum VI. & Julium II. etiam prædeceſſores noſtros, indultum hujuſmodi ad ſanctorum Ludovici, Bernardini, Bonaventuræ, & quinque Martyrum feſta extenſum fuerit, deſideratis indultum ipſum etiam ad feſtum ſanctæ Eliſabethæ, olim Hungariæ Reginæ, quæ poſt Tertii Ordinis dicti Seraphici Franciſci inſtitutionem, illius jugo inter primos humiliter ſe ſubmiſit, etiam extendi, ut tempore interdicti hujuſmodi feſtum ejuſdem Sanctæ celebrare poſſitis. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi pio veſtro deſiderio annuere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui ad dictum Ordinem ſingularem gerimus devotionem, veſtigiis prædeceſſorum noſtrorum adhærentes, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, ut in die iſtius glorioſæ ſanctæ Eliſabeth, olim Reginæ Hungariæ, & per ejus octavam, ſi tunc interdictum hujuſmodi appoſitum fuerit, in veſtris domibus, quemadmodum in diebus ſanctorum Franciſci, Claræ & Antonii, & per octavas poteſtis, Miſſas & alia Divina officia, excommunicatis & interdictis excluſis, celebrare ſeu celebrari facere, libere & licite poſſitis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die VII. Auguſti MDXVIII. Pontificatus noſtri anno VI.

XX.

Quod Moniales ſubjectæ Fratribus Obſervantiæ teneantur obſervare ſtatuta in Capitulis edita, & Abbatiſſæ tempore viſitationis renunciare ſuis officiis. Ibid. num. 19.

Dilecto filio noſtro Chriſtophoro tituli ſanctæ Mariæ in Aracœli Presbytero Cardinali, totius Ordinis Minorum Generali Miniſtro.

§. I. Dilecte fili &c. Cum, ſicut accepimus, & magiſtra rerum te docuit experientia, in Generalibus & provincialibus Capitulis per Fratres tui Ordinis ſuis temporibus fieri ſoliitis circa ſalubrem eorumdem Fratrum, ac ſub illorum cura Sororum & Monialium vivendi ordinem, ac eorum felicem gubernationem, quamplurima ſalutaria ordinentur ſtatuta, nonnullæ tamen Sorores ſeu Moniales aliquarum conceſſionum a Sede Apoſtolica obtentarum prætextu, aut alia per eas ſumpta occaſione, inſtitutis ipſis impudenter abjectis, alium non verentur vivendi modum ſectari.

§. II. Nos conſiderantes, ut æquitatis vigor & ordo expoſcit rationis, quod unuſquiſque illius debet ſequi veſtigia, ſub cujus obedientiæ militat jugo, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac poteſtatis plenitudine, ſub excommunicationis ſententia, ac Divini judicii obteſtatione, & æterni judicii interminatione, ſanctæ Claræ, ac univerſis & ſingulis aliis ſub cura hujuſmodi nunc & pro tempore degentibus Sororibus ſeu Monialibus præcipiendo mandamus, quatenus ipſæ juxta regulares in hactenus celebratis & futuris celebrandis Capitulis Generalibus ſeu provincialibus editas & factas inſtitutiones, ac deſuper ab eorum Provinciali, ſeu aliis Superioribus traditam formam, obedire teneantur, ut in earum aſſumpta profeſſione Altiſſimo famulatum impendere debeant: quodque ut ipſa Sororum ſeu Monialium Monaſteria debite regantur & gubernentur, ac illarum Abbatiſſæ circa

ſibi

ſibi commiſſum officium ſumma cum diligentia, omnique ſanctimonia, ſi non Divino amore, amotionis ſaltem metu, ſemper intentæ exiſtant; volumus &, ut præmittitur, mandamus, ut dum annis ſingulis ab earum Viſitatoribus viſitantur, & Abbatiſſæ miniſterii abſolutionem, a dictis Viſitatoribus juxta deſuper Urbani IV. Romani Pontificis prædeceſſoris noſtri, editam conſtitutionem petere tenentur, nedum id verbo, ſed etiam facto realiter & cum effectu facere, ac, ſi ipſis Viſitatoribus videbitur, & ipſa neceſſitas, ac Monaſterii exigeret reformatio, acceptare cum effectu debeant. Et hujuſmodi Abbatiſſæ officium in ipſis Viſitatoris manibus dimittere teneantur, ita quod mera & libera eidem Viſitatori remaneat facultas eiſdem Sororibus, ſeu Monialibus ſub dicta, & aliis ſibi viſis ſententiis, cenſuris & pœnis præcipiendi, ut circa alicujus Abbatiſſæ electionem intendere debeant, aut alias juxta ipſius verba prædictæ conſtitutionis tenorem procedendi, & Monialem, quæ Abbatiſſæ miniſterium hujuſmodi geſſit, juxta exceſſus exigentiam corrigendi & caſtigandi, ac cenſuras & pœnas hujuſmodi iteratis vicibus aggravandi, & alia in præmiſſis neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi & exequendi. Et nihilominus univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, ac perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, & Cathedralium etiam Metropolitanarum Eccleſiarum Canonicis, aut alicui eorum motu ſimili mandamus, quatenus dictis Viſitatoribus in præmiſſis efficaci præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, eiſdem Viſitatoribus, poſtquam pro parte eorumdem, vel alicujus eorum fuerint requiſiti, per ſe vel per alium ſeu alios, omnibus & ſingulis præmiſſis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos deſuper quomodolibet moleſtari, contradictores, ac eis auxilium, conſilium vel favorem præſtantes per ſupradictas & alias eorum arbitrio imponendas pœnas & cenſuras compeſcentes, invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. Quibus omnibus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die 1. Julii MDXVIII. Pontificatus noſtri anno VI.

XXI.

Ut ſubjiciatur Miniſtro Aquitaniæ domus Tholoſana. Ex Reg. Ciſmont. Curiæ fol. 3.

Dilectis filiis Archidiacono majoris & Decano S. Martini inſulæ Jordanis Ruthenen. ac Præpoſito ſancti Salvii Albien. Eccleſiarum, & eorum cuilibet in ſolidum.

SIgnificatum eſt nobis, quod poſtquam dilectus filius Miniſter provincialis provinciæ Aquitaniæ, Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, Guardiano Conventus intra Civitatem Tholoſanam ejuſdem Ordinis, & Fratrum tunc reformatorum ſignificari fecit Bullas in Capitulo Generaliſſimo ejuſdem Ordinis pro omnibus Fratribus pro reformatis habitis, reducendis ad obedientiam Miniſtrorum provincialium in ſuis provinciis reſpective editas; Dictus Guardianus ac Fratres quibuſdam acceptis dilatationibus, coram Decano Eccleſiæ collegiatæ inſulæ Jordanis dictæ Civitatis Tholoſanæ, ad hujuſmodi unionem perficiendam, vigore dictarum litterarum per præfatum Miniſtrum aſſumpto, recurrerunt ad quemdam aſſertum judicem, qui vigore litterarum concordiæ tunc etiam a nobis editarum, ſe pro judice competenti gerens, præfato Decano ne ſub unione præ-

ſata

fata ullatenus procedere deberet, per cenſuras & alias juris pœnas inhibuit: Quo factum eſt, ut re inſecta, litteræ a nobia editæ, imo verius mens noſtra ſuo careant effectu. Cum autem cupiamus plurimum litteras præfatæ uoionis ſuum plenum ſortiri effectum, ex ooſtra certa ſcientia, vobis & veſtrum cuilibet in virtute ſaoctæ obedientiæ, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſummarie & de plano, & ſine forma & ſtrepitu judicii, poſtquam vobis conſtiterit, dictum Conventum Tholoſanum ante præfatum Capitulum Generaliſſimum a Fratribus & ſecularibus pro reformato habitum fuiſſe, ipſum dicto Miniſtro provinciali in omnibus & per omnia ſubjicere debeatis; dictoque prætenſo judici, ne ſuper dicto Conveotu ſe intromittat ullo modo, per cenſuras & alia opportuna juris remedia inhibeatis: non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xxiii. Julii mdxviii. Pontificatus noſtri anno vi.

XXII.

Conventum Caſtri ſancti Leonis ſubjicit regimini Fratrum de Obſervantia.

Ex brevi originali.

Dilecto filio Miniſtro provinciæ Tuſciæ Ordinis Minorum Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum.

§. I. Pro paſtorali &c. Cum autem, ſicut accepimus, & dolenter reſerimus, inſignis, amœna, & ad id capax & propemodum commoda domus apud Caſtrum ſancti Leonis, Ducatus Urbini, dicti Ordinis, cum ob bellorum turbines, ſiniſtroſque caſus, qui ſuperiore anno in dicto Ducatu provinciaque noſtra Marchiæ Anconitanæ viguerunt & evenerunt, tum laxa nimium Conventualium vita, ac moribus ab eorum profeſſione alienis, domus prædicta peoe deſtitnta exiſtat; paterna vigilantia providere volentes, ut Divinus cultus debitaque Religionis & Ordinis ſancti Franciſci in eodem reſtituatur, & reſtituta augeri ſoverique poſſit obſervantia, Ordini veſtro. prædicto Fratrum Minorum de Obſervantia, & ſub illius nunc & pro tempore exiſteotis Generalis Miniſtri cura, regimine, correptione & adminiſtratione domum, illiuſque Eccleſiam hujuſmodi cum viridario, ac pertinentiis omnibus perpetuo ſubjicimus, atque domum hujuſmodi in præmiſſis auctoritate Apoſtolica, motu noſtro proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eidem Ordini & Religioni concedimus & aſſignamus per præſentes; tibique in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præſentium tenore injungimus atque mandamus expreſſe, ut receptis præſentibus noſtris, præſentiumque noſtrarum vigore, ex provincia iſta Tuſciæ quotquot Fratres ejuſdem Ordinis & Obſervantiæ tibi videbitur, alterius cujuſcuuque licentia ſuper hoc mioime requiſita, deligas, & ad domum prædictam inhabitandam, qui Divina inibi officia conſueta celebrent, ac Chriſtifidelibus miniſtrent, prout in aliis ejuſdem Ordinis & obedientiæ locis fieri & obſervari conſuetum eſt, mittas, & Fratres ipſos inibi introducas ſeu introduci facias, ſuper quo tibi plenam auctoritatem & facultatem concedimus per præſentes.

§. II. Ut autem, prout noſtri paterni eſt deſiderii, præmiſſa commodius exequi poſſis, Venerabili fratri Epiſcopo Eſin. provinciæ noſtræ Marchiæ, ac Civitatis noſtræ Fulginei Epiſcopo, ſeu ejus Vicario in ſpiritualibus generali, & eorum cuilibet per præſentes committimus & mandamus, ut ipſi vel unus eorum tibi in præmiſſis, efficacis deſenſionis præſidio aſſiſtendo, præmiſſa, & has noſtras litteras ab omnibus, quorum intereſt, faciant inviola-

violabiliter obſervari: Contradictores omnes per cenſuras Eccleſiaſticas &c. compeſcendo &c. non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis litteris noſtris, in alio Capitulo Generali a nobis emanatis, necnon privilegiis, conceſſionibus & indultis, dictis Fratribus Conventualibus, ſub quavis verborum forma & declaratione conceſſis, & forſan poſt hac concedendis, quibus omnibus, quoad hæc, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe hac vice derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die ultima Julii MDXVIII. Pontificatus noſtri anno VI.

XXIII.

Quod Monialium confeſſores & viſitatores inſtituantur & corrigantur ab Ordinis Superioribus. Ex Bullar. Roder. num. 17.

Dilectis filiis Miniſtris provincialibus domorum ſeu Conventuum Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia in Regno Hiſpaniarum exiſtentium.

§. I. POſtquam ad ſummi Apoſtolatus apicem, meritis licet imparibus, Domino concedente, evecti ſumus, nihil magis aſſidua cura cor noſtrum pulſavit, nihil denique majori deſiderio & affectu paterno concupivimus, quam lapſos & deformatos hominum mores ad priſtinam & puram ſinceritatem, ac religioſas perſonas, præſertim fœminei ſexus, ſub quovis Ordine, & potiſſimum beati Franciſci, quem in viſceribus gerimus caritatis, militantes, ad veram reformationis normam reducere; & propterea ea, quæ pro eorum directione, & animarum ſalute, maxime in Capitulo Generali Lugduni nuper celebrato, & dilecto filio Chriſtophoro tit. ſanctæ Mariæ de Aracœli Præsbytero Cardinali, auctoritate Apoſtolica Præſidente, ſtatuta ac ordinata fuiſſe dicuntur, libenter, cum a nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus.

§. II. Sane ſuit pro parte veſtra nobis nuper expoſitum, quod in dicto Capitulo inter alia decreta, ſtatutum & ordinatum fuit, quod de cetero Moniales ſanctæ Claræ tam de prima, quam de ſecunda Regula, quæ *Urbaniſtæ* appellantur, quam quæcumque aliæ Religioſæ, quæ per Fratres dicti Ordinis reguntur, nullos habeant Viſitatores nec Confeſſores per eas electos, ſed a Miniſtris provincialibus in ſuis provinciis reſpective cum ſuis Capitulis provincialibus eis in Viſitatores & Confeſſores datos & aſſignatos: ipſique Viſitatores & Confeſſores a ſuis Miniſtris provincialibus ſic dati, a provinciali audientia ſervari, aliquibus Diſcretis Capituli præcedentis etiam extra tempus Capituli, exigentibus legitimis cauſis, judicari, & ab officiis prædictis abſolvi poſſint: debeantque ipſi Viſitatores, Confeſſores, ac alii Fratres dictis Monialibus ſervientes, Prælatis Ordinis, ſicut & ceteri Fratres, per omnia eſſe ſubjecti: ita tamen quod Moniales ipſæ, cum eis placuerit, in Viſitatorem ſeu Confeſſorem nominare poſſint aliquem fratrem, quem Miniſter cum ſuo Capitulo, ſi eis placuerit, inſtituere poſſint: non obſtantibus quibuſcumque indultis & privilegiis Apoſtolicis in contrarium dictis Monialibus, Viſitatoribus & Confeſſoribus a Sede Apoſtolica, præſertim Monaſterio de Tordeſillas & Palentiæ conceſſis: quæ omnia per eumdem Chriſtophorum Cardinalem dicta auctoritate Apoſtolica confirmata & approbata fuerunt, prout in ipſius Cardinalis litteris, quarum tenorem, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſertus foret, pro ſufficienter expreſſo haberi

haberi volumus, protenſius continetur. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatuto & ordinationi prædictis Apoſtolicæ confirmationis robur adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſtatutum & ordinationem prædicta, ac omnia & ſingula in litteris confirmationis huiuſmodi contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus & approbamus, ſupplemuſque omnes tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; ac potiori pro cautela ea omnia de novo ſtatuimus & ordinamus: mandantes in virtute ſanctæ Obedientiæ, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, a qua nonniſi a nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore canonice intrante, præterquam in mortis articulo conſtituti abſolvi poſſint, ac injungentes omnibus & ſingulis Fratribus & Religioſis, ac Monialibus ſub cura Fratrum dicti Ordinis degentibus, tam qui ante ſtatuta hujuſmodi erant ſub obedientia Miniſtrorum Provincialium, quam Viſitatorum, ſeu cujuſvis alterius, etiam Sedi Apoſtolicæ mediate ſeu immediate ſubjectis, quatenus præmiſſa omnia ſic ſtatuta & ordinata, ac litteras dicti Chriſtophori Cardinalis & in eis contenta quæcumque firmiter & inviolabiliter obſervent: decernentes nihilominus irritum & inane quidquid ſecus a quoquam quavis auctoritate fieri ſeu attentari contigerit. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. Quocirca dilectis filiis Abbati Monaſterii ſanctæ Mariæ de Hortis Præmonſtratenſis, ac Miniſtro ſanctiſſimæ Trinitatis, ac Priori ſanctæ Mariæ de Mercede oppidi Vallifoleti, Segobienſis & Palentinenſis diœceſ., harum ſerie committimus & mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios vobis in præmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, faciant præmiſſa omnia inviolabiliter obſervari: contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas &c. Ceterum &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIII. Auguſti MDXVIII. Pontificatus noſtri anno VI.

XXIV.

Ut Fratres Congregationis Amadei ſubjiciantur Miniſtris Generali, & Provincialibus. Ex Regeſt. Ciſm. Curiæ fol. 1.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Sacræ Religionis puritatem ubique vigere ſinceris deſideriis affectantes, illa, quæ propterea facta fuiſſe comperimus, ut firma perpetuo & inconcuſſa permaneant, libenter, cum a nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus, ac pro Religionis ipſius conſervatione & manutentione ſtatuimus & ordinamus, prout cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire. Sane pro parte dilecti filii Franciſci Licheti Miniſtri Generalis Ordinis beati Franciſci, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod nuper in proximo Generali Capitulo in domo ſancti Bonaventuræ intra muros Lugdunenſes dicti Ordinis celebrato, in quo ipſe juxta illius Regularia inſtituta in Generalem Miniſtrum dicti Ordinis electus fuit, provide conſiderantes, quod ex quo in alio Generaliſſimo Capitulo, anno proxime elapſo in domo Aracœli de Urbe celebrato, omnes Fratres de Familia, Reformati, Amadei, de Collectaneis, Clarini, de ſancto Evangelio ſeu Caputio, Diſcalceati, & ſimiles quocumque nomine nuncupati, Regulam ejuſ-

ejuſdem beati Franciſci pure & ſimpliciter ſervantes, pro pace & quiete dicti Ordinis invicem uniti fuerant, expediens erat ad obviandum ſcandalis, ne evenirent, ut ex omnibus & ſingulis domibus, quæ ante dictam unionem Fratrum Amadeorum erant, & ultra Civitatem Parmæ conſiſtebant, una Provincia juxta morem dicti Ordinis inſtitueretur, & *ſancti Petri de Monte Aureo* nuncuparetur: Ipſique Fratres Amadei reliqua loca ac domus & Monaſteria Monialium ſeu Sororum quarumcumque, quocumque nomine nuncupentur, citra dictam Civitatem Parmenſem per eoſdem Fratres Amadeos conſtructa, ſeu conſtrui cœpta, ſancti Petri in Monte Aureo de Urbe & Scandrillarum, Sabinen. diœceſis, ac duabus domibus Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, in Urbe & Congregatione degentium, dumtaxat exceptis, Miniſtris & Cuſtodibus, in quorum Provinciis ſeu Cuſtodiis loca & domus Amadeorum hujuſmodi conſiſtentia per eoſdem Provinciarum Miniſtros, & Cuſtodiarum Cuſtodes hujuſmodi tenenda, regenda & gubernanda omnino dimitterentur. Quodque de cetero domos & loca tam Fratrum, quam Monialium ſeu Sororum etiam intra limites Provinciæ hujuſmodi ſancti Petri de Monte Aureo, ſicuti in ipſo Ordine fieri conſueverat, abſque ipſius Franciſci & pro tempore exiſtentis Generalis Miniſtri expreſſo conſenſu, in ſcriptis concedendo, de nuvo recipere non audeant. Quodque ipſa Provincia ſancti Petri de Monte Aureo eidem Franciſco, & pro tempore exiſtenti Generali Miniſtro, ſicuti aliæ dicti Ordinis ſubjectæ ſunt, ſubjecta eſſet: & ita omnium capitulantium unanimi conſenſu decretum & definitum fuit. Quare pro parte ejuſdem Franciſci Generalis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut decreto & definitioni hujuſmodi robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, decretum & definitionem hujuſmodi auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, illaque perpetuæ firmitatis robur obtinere debere decernimus, & inviolabiliter obſervari mandamus. Et nihilominus potiori pro cautela illa in omnibus, & per omnia, eiſdem modo & forma, quibus in dicto Capitulo Lugdunenſi decreta & ordinata fuerant, de novo ſtatuimus & ordinamus; ita quod in dicta Provincia ſic de novo conſtituta, Capitula Provincialia haberi inibi, Miniſtrique ſecundum morem Ordinis præfati, & conſtitutiones Apoſtolicas eligi & deputari, ac omnia & ſingula, quæ in aliis Provinciis dicti Ordinis tam de jure, quam privilegio ſeu conſuetudine exerceri poſſunt, ac loca & domus Regularis Obſervantiæ aliarum Provinciarum dicti Ordinis quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ſeu uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere poſſint. Diſtrictius in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, a qua non niſi per Nos & Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, præterquam in mortis articulo abſolvi poſſint, inhibentes omnibus & ſingulis Fratribus & Prælatis tam Provinciæ ſancti Petri in Monte Aureo, quam omnibus de Familia olim nuncupatis, nunc & pro tempore exiſtentibus, ne aliquis contra præmiſſa, quominus illa ſuum ſortiantur effectum, directe vel indirecte, etiam favore Dominorum temporalium, Civitatum & Univerſitatum, oppidorum, terrarum & villarum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum, etiam Prælatorum quorumcumque, etiam S.R.E. Cardinalium, ſive aliquo quæſito colore vel ingenio procurare ſeu tractare præſumant. Quocirca venerabilibus Fratribus noſtris Aſculan. & Caſertan. ac Tudertino Epiſcopis &c. mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel

alium ſeu alios præſentes litteras, ubi & quando expedierit, ac quoties pro parte Franciſci moderni, & pro tempore exiſtentis Miniſtri Generalis hujuſmodi fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eique in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, decretum, definitionem, & alia præmiſſa inviolabiliter obſervari, non permittentes eum per quoſcumque ſuper his quomodolibet moleſtari: Contradictores &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIV. Novembris anno MDXVIII. Pontificatus noſtri anno VI.

XXV.

Declarat Confeſſiones ſacramentales factas Mendicantibus eſſe validas. Ibid. fol. 1.

Univerſis & ſingulis Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis Electis, Abbatibus, Præpoſitis, ac Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum in ſpiritualibus Vicariis ubilibet conſtitutis.

§. 1 EXponi nobis fecerunt dilecti filii Generales & Provinciales Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani & alii Fratres Ordinis Minorum, de Obſervantia Regulari nuncupati, quod licet alias fel. record. Joannes Papa XXII. prædeceſſor noſter, per quamdam ſuam conſtitutionem, quæ incipit: *Vas electionis*, opinionem erroneam quondam Joannis de Polliaco, inter alia ſentientis, quod fideles Fratribus Ordinum Mendicantium, generalem licentiam a piæ memoriæ Clemente Papa V. etiam prædeceſſore noſtro per ejus conſtitutionem in Concilio Viennenſi editam, quæ incipit: *Dudum*, confeſſiones audiendi conceſſam habentes, confeſſi, tenerentur peccata per eos dictis Fratribus ſic confeſſa ſub ſigillo Sacramenti, iterum confiteri, damnavit. Et deinde recolendæ memoriæ Eugenius IV. ac Nicolaus V. & Sixtus etiam IV. ſimiliter etiam prædeceſſores noſtri prædictam, & nonnullas alias ejuſdem Joannis de Polliaco, & aliorum quorumdam opiniones & aſſertiones etiam condemnantes, mandaverint, contra eorumdem opinionum aſſertores, velut contra hæreticos de fide Catholica ſuſpectos debere procedi; & idem Sixtus prædeceſſor conceſſerit, quod ſi Rectores Parochialium Eccleſiarum ſacram Euchariſtiam, & Extremam Unctionem iis, qui dictis Fratribus eſſent confeſſi, abſque aliqua rationabili cauſa malitioſe negarent, vel exhibere different, Fratres prædicti illa perſonis, quarum confeſſionem audiviſſent, ea petentibus miniſtrare valerent: & quod iidem Fratres, vel conſanguinei eorum, qui elegerint ſepeliri apud Eccleſias Fratrum Mendicantium, etiam prætextu cujuſcumque conſuetudinis non poſſint compelli deferre corpora defunctorum ad Parochiales Eccleſias, aut alia loca, & cum illis, vel ſine illis inibi Divina celebrare, ſeu celebrari facere ante vel poſt ſepulturam eorumdem: prohibueritque Ordinariis locorum ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, & ſuſpenſionis a regimine & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, ac Parochialium Rectoribus, & aliis quibuſcumque ſub excommunicationis latæ ſententiæ & privationis earumdem Parochialium Eccleſiarum, & omnium aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ pro tempore obtinent, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, eo ipſo per contrafacientes incurrendis pœnis, ne eoſdem Fratres contra ipſorum privilegia moleſtare præſumant, aut perſonis quibuslibet Eccleſiaſticis vel ſecularibus, in genere vel in ſpecie, di-

re-

recte vel indirecte aliquid inhibeant, præcipiant, aut alias ordinent aut ſtatuant, quominus Fratres Ordinis prædicti, & illorum domus profeſſores privilegiis & gratiis eis conceſſis libere uti poſſint. Et poſtmodum Nos in noviſſimo Lateranenſi Concilio decrevimus, quod peccata ſua Fratribus Mendicantibus hujuſmodi, præſentatis ſecundum Clementinam Conſtitutionem prædictam, & admiſſis, vel etiam indebite recuſatis confeſſi, Conſtitutioni, quæ incipit: *Omnis utriuſque ſexus*, quoad confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſeantur: & conceſſionem impendendi Sacramenta prædicta limitaverimus, in eventum videlicet, quod denegatio Sacramentorum hujuſmodi, ſi ſine legitima cauſa fieret, & de illa teſtimonio vicinorum, ſeu Notarii publici inde rogati fide conſtaret: necnon per quaſdam noſtras in forma Brevis litteras declaraverimus, audientes Miſſas in Eccleſiis Fratrum Ordinum Mendicantium Dominicis & aliis feſtis diebus, non contempto proprio Sacerdote, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, nec in aliquam labem peccati mortalis, pœnamve incurrere: ac demum per alias noſtras, etiam in forma Brevis litteras, omnia & ſingula privilegia dictis Fratribus conceſſa, ſalvis dictis moderationibus, etiam motu proprio innovaverimus; prout in ſingulis conſtitutionibus & litteris prædictis plenius continetur.

§. II. Nihilominus, ſicut accepimus, plerique Ordinarii locorum, & Parochialium Eccleſiarum Rectores in diverſis mundi partibus, propriæ ſalutis immemores, Deique & Eccleſiæ cenſuræ timore, & Apoſtolicæ Sedis reverentia poſtpoſitis, prædicare & prædicari facere non formidant, non licere eorum Parochianis peccata ſua Fratribus juxta dictam Conſtitutionem Clementinam præſentatis, ſine ipſorum Rectorum petita prius & obtenta licentia confiteri, & aliter ea confeſſos ad illa rurſus eiſdem Rectoribus confitenda obligatos exiſtere. Quod ſi ſecus fiat, eis Sacramenta præfata Euchariſtiæ & Extremæ Unctionis miniſtrare recuſant, eiſdemque Parochianis, ne præfatis Fratribus confiteantur, neve ad eorum Eccleſias pro Divinis audiendis diebus prædictis accedant, ſpecialiter & expreſſe interdicunt: Fratres vero, quorum vitæ ſubſidio fidelium eleemoſynis magna ex parte conſulitur, eleemoſynas hujuſmodi petere non permittunt ſine eorum licentia, & Diœceſanorum vel eorum Vicariorum litteris, eleemoſynarumque Mendicantium medietatem ſibi vendicare volunt; & ne ratione confeſſionum & celebrationum Miſſarum aliquas a ſuis Parochianis eleemoſynas recipiant, prohibere, alioquin & ipſi Rectores, vel Vicarii tantumdem ab ipſis Parochianis extorquere nituntur; etiam ad prohibitiones hujuſmodi obſervandas, cenſuris, vel ab Ordinariis locorum contra illarum tranſgreſſores paſſim obtentis, vel propria auctoritate ad terrendum ſimplicem populum, qui cenſuras timent, latis utuntur, corporaque mortuorum, qui elegerunt ſepeliri in Eccleſiis prædictorum Fratrum, nonnumquam rapiunt, & ad ſuas Eccleſias deferunt, ibidemque Divina celebrant, ut ſic oblationes percipiant, & de funeralibus, ac mortuariis pro corporibus, quæ in Eccleſiis dictorum Fratrum ſepeliuntur, dimidiam, de omnibus autem legatis & oblationibus quartam partes, contra diu obſervatam conſuetudinem habere contendunt; & ſuper præmiſſis, ac pleriſque aliis varias dictis Fratribus moleſtias ac jacturas inferunt, quibus eorum quies turbatur, Divinus cultus minuitur, & inter Chriſtifideles ſcandala paſſim oriuntur, non ſine Divinæ Majeſtatis offenſa, & Apoſtolicæ auctoritatis contemptu.

§. III. Quamobrem Nos, qui dictorum Fratrum quietem, & tranquillum ſtatum intenſis deſideramus affectibus, ut ſuis laudabilibus operibus

Deo acceptiores fiant, & quietius pro delirantium emendatione & ſalute apud Deum inſiſtere poſſint, dictorum Generalis, Provincialium Miniſtrorum, Cuſtodum, Guardianorum, & aliorum Fratrum prædictorum humilibus ſuper hoc nobis porrectis ſupplicationibus inclinati, vobis & cuilibet veſtrum per præſentes diſtricte præcipiendo mandamus ſub dictis cenſuris, ut vos ab eorum moleſtia, & omni inquietudine penitus abſtineatis, & quoties nomine dictorum Fratrum, vel alicujus ex eorumdem Ordinis Miniſtris & Provincialibus, aut aliis Fratribus pro tempore exiſtentibus fueritis ſuper hoc requiſiti, omnes & ſingulos Parochialium Eccleſiarum in veſtris reſpective Civitatibus & diœcesibus exiſtentes Rectores, ſeu Vicarios ad deſiſtendum poſthac ab hujuſmodi moleſtiis & gravaminibus, conſtitutioneſque prædictas, & dictorum Fratrum privilegia eis inviolabiliter obſervanda, ſub pœnis & cenſuris in dicti Sixti prædeceſſoris inhibitione contentis moneatis, & etiam præciſe declaretis, & declaratos publice nuncietis, aut nunciari, & ut tales ab omnibus arctius evitari mandetis, & alia faciatis, quæ in præmiſſis fuerint quomodolibet opportuna. Invocato etiam ad hoc, quoties opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Reliquas vero perſonas tam Eccleſiaſticas, quam ſeculares, cujuſcumque ſtatus aut conditionis exiſtant, qui Rectoribus Parochialium Eccleſiarum in præmiſſis contra Fratres prædictos favorem, auxilium vel conſilium præbere præſumpſerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, monitione præmiſſa, diſtrictius coerceatis, & ut a talibus in poſterum caveant prohibeatis: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & quorumcumque Doctorum ſuper Decretales ante editum librum ſexti, & reprobationem erroneæ opinionis dicti Joannis de Polliaco ſcribentis, opinionibus & gloſſis, ac in ſynodalibus Conciliis editis ſtatutis, & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, & aliis quæ Romani Pontifices prædeceſſores noſtri præfati in ſuis, & Nos in noſtris litteris privilegiorum, gratiarum & indultorum dicto Ordini conceſſorum volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Et quia difficile foret &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die III. Decembris MDXVIII. Pontificatus noſtri anno VI.

XXVI.

Concedit facultatem transferendi Conventum Sartiani. Ibid. fol. 2.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Tuſciæ, ſecundum morem dicti Ordinis.

§. I. EXponi nobis nuper feciſtis, quod domus ſancti Franciſci oppidi de Sartiano, Cluſinæ diœceſis, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, in loco admodum incommodo & indecenti & minus ſalubri conſiſtit, & propterea illius Guardianus & Fratres inibi non ſine eorum maximo incommodo reſidere poſſunt. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum ipſam, & omnia illius ædificia funditus demoliendi, & cæmenta, ac illius hortos, ſolo Eccleſiæ dictæ domus dumtaxat excepto, pro convenienti pretio vendere, & pretium ex illis conveniens, necnon legata Eccleſiæ prædictæ hactenus facta, & alia emolumenta quæcumque quomodolibet ad eamdem Eccleſiam pertinentia, ſeu lapides & ligna, & alia cæmenta ædificiorum demolitorum &c. hujuſmodi, in conſtructionem alterius domus & Eccleſiæ in loco alio magis commodo & ſalubri

bri convertendi licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur ſingulorum Chriſtifidelium, præſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium commoditatibus, quantum cum Deo poſſumus, libenter annuentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis domum ſancti Franciſci prædictam, & omnia illius ædificia funditus, excepta Eccleſia, demoliendi, & lapides ac ligna, necnon alia mobilia bona pro juſto & rationabili pretio vendendi, ſeu illa, & ornamenta Eccleſiaſtica ad Divinum cultum neceſſaria inibi exiſtentia, ad domum conſtruendam deferendi, ac ſolum ſeu fundum & hortos vendendi, & eorum pretium, & alia quæcumque emolumenta ad dictam Eccleſiam pertinentia hujuſmodi, in conſtructionem alterius domus in loco magis congruo, prout vobis videbitur, conſtruendæ convertendi, ac domum ipſam cum Eccleſia, campanili, campanis, clauſtris, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis conſtrui & ædificari faciendi, illamque eiſdem Guardiano & Fratribus recipiendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus: ac Guardiano, & Fratribus in eadem conſtruenda domo pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis & conceſſionibus, dicto Ordini, & aliis illius Fratribus in genere conceſſis uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, eiſdem auctotitate & tenore, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die penultima Decembris anno MDXVIII. Pontificatus noſtri anno VI.

Anno Christi 1519. Leonis X. anno 6. & 7.

XXVII.

Ut Conventum Reolenſem ſubjiciant regimini Miniſtri Provinciæ Aquitaniæ Fratrum Obſervantiæ. Ibid. fol. 4.

Dilectis filiis Archidiacono Burdegalen. & Decano ſanctil Severini prope & extra muros Burdegalen. ac Arnoldo de Baſterot Bazaten. Eccleſiæ Canonico & eorum cuilibet.

§. I. NOn ſine noſtræ mentis perturbatione intelleximus, quod licet alias per noſtri propoſiti, ſeu mentis atteſtationem, omnes & ſingulos Fratres, Conventus, domos & loca Ordinis ſancti Franciſci, qui tempore Capituli Generaliſſimi pro Reformatis, ſive ſub Vicariis, ſive ſub Miniſtris ſe gererent, & pro talibus communiter haberentur, ſuis tunc reditibus, truncis, aliiſve bonis expropriati forent, ſive non, ſub cura, regimine & obedientia Miniſtrorum tam Generalis, quam Provincialium Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia gubernari, & de cetero permanere debere declaraverimus; & decreverimus, ut dilecti filii Conventus Fratrum Minorum extra muros oppidi de Reole, Vaſaten. dioceſis provinciæ Aquitaniæ, qui pro Reformatis tempore dicti Capituli ſe gerebant, & pro talibus a populo & clero habebantur, ut debitas obedientiam & reverentiam Miniſtro Provinciali dictæ Provinciæ Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, ut tenebantur, præſtare deberent, requiſiti fuerunt, eiſque tamquam Fratribus Reformatis, & pro talibus a clero & populo habitis, per certos judices vigore litterarum Apoſtolicarum deſuper conceſſarum, ad eaſdem obedientiam & reverentiam, ut præmittitur, præſtandas ſub excommuni-

ca-

cationis latæ ſententiæ pœna injunctum, ac eoſdem Conventum & Fratres dicti oppidi de Reole, ſub cura & regimine Miniſtri Provinciæ Aquitaniæ de cetero manere debere declaratum extiterit: Nihilominus Conventus & Fratres hujuſmodi, ut inobedientiæ filii, diſciplinæ jugo, ac Sedis Apoſtolicæ reverentia totaliter ſpretis, hujuſmodi debitas reverentiam & obedientiam dicto Miniſtro Provinciæ Aquitaniæ præſtare recuſarunt, prout recuſant, in animarum ſuarum non mediocre damnum, & dicti Ordinis illiuſque Fratrum diſſenſionem.

§. II. Nos ſuper præmiſſis de opportuno providere volentes remedio, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac poteſtatis plenitudine, vobis ac veſtrum cuilibet per præſentes committimus & mandamus, ut de declaratione per judices facta hujuſmodi, diligentem habeatis informationem, & ſi de illa vobis legitime conſtiterit, ſub Divini Judicii obteſtatione, & maledictionis æternæ interminatione, ac excommunicationis ſententiæ, & ſi opus ſit, officiorum privationis & depoſitionis, ac aliis arbitrio veſtro etiam corporis afflictivis imponendis pœnis, eoſdem Conventum & Fratres prædicti oppidi ſub cura, regimine & gubernatione dicti Miniſtri Provincialis dictæ Provinciæ pro tempore exiſtentis de cetero exiſtere, ac obedientiam & reverentiam debitas & requiſitas eidem Miniſtro præſtare debere, auctoritate noſtra compellatis. Dantes vobis & veſtrum cuilibet facultatem & poteſtatem contra quoſcumque ejuſdem Conventus Fratres per prædictas & alias cenſuras & pœnas procedendi, dictaſque cenſuras & pœnas aggravandi & reaggravandi, ac interdictum Eccleſiaſticum apponendi, & auxilium brachii ſecularis invocandi. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una &c. & per eoſdem Conventum & Fratres, ac alias quaſvis perſonas ſuper præmiſſis interpoſitis & interponendis appellationibus, quas tamquam contra legitimam correctionem interpoſitas, dum tempore Generaliſſimi Capituli prædicti Romæ habiti pro Reformatis haberentur, frivolas ac nullas decernimus & declaramus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die 11. Januarii MDXIX. Pontificatus noſtri anno VI.

XXVIII.

Concedit facultatem conſtruendi Conventum in oppido de la Mezzana de Pumonte in Inſula Corſica. Ibid. fol. 2.

Dilecto filio Miniſtro provinciæ Corſicæ Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ profeſſori.

§. I. CUm Communitas & Populi de la Mezzana de Pumonte, Adjacen. diœceſis, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ devotionis gerunt affectum, & pro animarum ſalute, Religioniſque propagatione, ac Divini cultus augmento, ſuis propriis expenſis, in aliquo congruo & convenienti loco, in territorio de la Mezzana de Pumonte, unam domum ſub invocatione beati Franciſci, vel alterius Sancti vel Sanctæ, ſeu alia invocatione, pro perpetuis uſu & habitatione eorumdem Fratrum tuæ curæ commiſſorum, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere ſummopere cupiant: & nobis propterea eadem Communitas, & iidem populi humiliter ſupplicari fecerint, ut tam honeſtæ ac religioſæ petitioni paterna benevolentia de benignitate Apoſtolica dignaremur annuere.

§. II. Nos

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum ubique & præſertim noſtris temporibus, intenſis deſideriis peroptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi in aliquo loco per præfatam Communitatem & præfatos populos aſſignando, unam domum ſub dicta invocatione, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, provinciæ Corſicæ, ſine alicujus præjudicio conſtruendi, erigendi & ædificandi, ſeu conſtrui, erigi & ædificari faciendi, attento, quod dilectus filius Franciſcus Lichettus, præfati Ordinis Generalis Miniſter, ad hujuſmodi domus erectionem aſſenſum præbuit, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus pariter & indulgemus. Ac domui hujuſmodi, poſtquam conſtructa fuerit, & Fratribus pro tempore in ea commorantibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, conceſſionibus, favoribus, immunitatibus, exemptionibus & indultis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, aliis domibus dicti Ordinis & Fratribus nunc & pro tempore in genere per Sedem Apoſtolicam, & alios conceſſis, confirmatis & innovatis, & quibus utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica & tenore prædictis concedimus & indulgemus: ſel. rec. Boniſacii Papæ VIII. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus & ordinationibus, ac dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Pali Portuenſis diœceſis ſub anulo Piſcatoris, die x. Februarii MDXIX. Pontificatus noſtri anno VI.

XXIX.

Concedit ut reædificent Conventum ſancti Bernardini. Ibid. fol. 2.

Dilectis filiis Miniſtro Provinciali & Fratribus provinciæ Brixiæ Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ.

§. I. Accepimus, quod cum alias domus Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia ſub invocatione ſancti Bernardini prope oppidum ſeu caſtrum de Crema, Lauden. diœceſis, pro uſu & habitatione Fratrum Minorum veſtri Ordinis de Obſervantia conſtructa, temporum perturbatione & bellorum turbinibus deſtructa fuerit, pro veſtri Ordinis commoditate, & fidelium devotione deſideratis aliam domum intra muros dicti oppidi ſeu caſtri, pro eiſdem uſu & habitatione conſtrui & ædificari facere poſſe.

§. II. Nos hujuſmodi veſtro deſiderio annuentes, vobis, ut unam aliam domum ſub invocatione prædicta, in aliquo decenti loco ejuſdem caſtri, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum veſtri Ordinis conſtrui & ædificari facere; & poſtquam conſtructa fuerit, domum ipſam inhabitandi licentiam & facultatem, ac dictæ domus Guardiano, Fratribus & aliis perſonis in ea pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, prærogativis, exemptionibus, favoribus, conceſſionibus, indulgentiis & peccatorum remiſſionibus, quibus alii Fratres dicti Ordinis utuntur, potiuntur & gaudent, ſeu uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gau-

& gaudere poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & indulgemus. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii VIII. *Cum ex eo*, incipien. & Clementis IV. prædeceſſorum noſtrorum, qua cavetur, quod nullus alicujus Ordinis domum ſeu Monaſterium in aliquo loco conſtrui & ædificari facere poſſit, niſi illud per centum & quinquaginta cannas per aerem ab alio Monaſterio ſeu domo alterius cujuſvis Mendicantium Ordinis diſtet: dum tamen domus conſtruenda infra dictas cannas quantum commode poterit, arbitrio Ordinarii loci, vel ejus Vicarii ab aliis diſtare debeat, & aliis conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIX. Februarii MDXIX. Pontificatus noſtri anno VI.

XXX.

Jubet ut quædam Monialium Monaſteria per ſe dumtaxat vel per ſuum Commiſſarium viſitet. Ibid. fol. 6.

Dilecto filio Miniſtro Provinciali provinciæ ſancti Jacobi Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ nunc & pro tempore exiſtenti.

CUm, ſicut nobis exponi fecerunt dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſæ & Moniales Monaſteriorum ſanctæ Claræ Salman. & Benavento, & Conceptionis beatæ Mariæ Legionen. & de Sarzoſo, Oveten. & Salman. diœceſ. ipſæ, quæ hucuſque per Vicarium Provincialem Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ dictæ provinciæ ſancti Jacobi, ſeu Commiſſarium ſuum viſitatæ fuerunt, quod per Viſitatorem viſitari debeant, noviter introducatur, ægre ferunt, tamquam conſcientiarum ſuarum quieti contrarium. Quare nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ipſas in ſua poſſeſſione conſervaremus, ac in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos conſiderantes omnes novitates in omnibus ſtatutis, ſine conſenſu partium, eſſe rejiciendas, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, mandamus tibi, & qui pro tempore fuerit Miniſter Provincialis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis ac privationis officii, ut Moniales & Monaſteria hujuſmodi per vos ipſos vel Commiſſarium, prout hucuſque factum fuit, & non per Viſitatorem alium viſitetis & viſitare debeatis. Decernentes quidquid in contrarium factum eſt, vel in futurum fieri contigerit, irritum eſſe & inane. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis tam generalibus, quam provincialibus, & auctoritate Apoſtolica confirmatis, cum quibuſcumque clauſulis, etiamſi opporteret fieri de eis expreſſam mentionem, quibus omnibus quantum ad hoc dumtaxat derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVII. Martii MDXIX. Pontificatus noſtri anno VI.

XXXI.

Conceditur eis hoſpitium in caſtro Fiorentiolæ. Ibid. fol. 8.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus montis Oliveti extra & prope muros caſtri Arquati, Placentin. diœceſis, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ.

§. I. CUm, ſicut exponi nobis nuper feciſtis, vos ex eleemoſynis, quæ per homines caſtri de Arquato, Placentin. diœceſis, ſiti in montuoſo

tuoſo & admodum ſterili loco, vobis & domui veſtræ pro tempore neceſſitatibus veſtris ſubvenire nequeatis, ſi in quadam domo, hoſpitio nuncupata, in caſtro Florentiolæ dictæ diœceſis conſiſtente, & ad vos pro hoſpitandis Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, ad dictum caſtrum pro tempore declinantibus pertinente, ſeu prope illam unum Oratorium conſtrueretur, ac vobis aliquot Fratres ejuſdem Ordinis, qui in dicta domo Florentiolæ reſideant, & eleemoſynas per illius incolas vobis faciendas recipiant, & receptas vobis conſignent, deputandi licentia concederetur, profecto neceſſitati veſtræ, ac commoditati Fratrum in dicta domo Florentiolæ pro tempore hoſpitantium, ac ſpirituali dictarum incolarum conſolationi plurimum conſuleretur; pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur neceſſitati & commoditati ſingulorum Fratrum dicti Ordinis pro ſua in Nos & Sedem Apoſtolicam ſincera devotione, aliiſque benemeritis paterna caritate providere volentes, ac hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis in dicta domo Florentiolæ, ſeu prope illam unum Oratorium cum aliquo ſeu aliquibus Altaribus in eo, necnon campanili humili, campana, ac cœmeterio, pro dicti ac Tertii Ordinis ſancti Franciſci in dicto caſtro pro tempore degentibus Fratribus, ac aliis Chriſtifidelibus ſepulturam ſuam inibi eligentibus libere ſepeliendis, conſtruendi, ſeu conſtrui faciendi, ac in eadem domo Florentiolæ aliquos Fratres dictæ domus caſtri Atquati, qui inibi Miſſas & alia Divina officia celebrare poſſint, ac eleemoſynas vobis per dictos incolas, ut præmittitur, faciendas nomine veſtro recipiant, & receptas vobis conſignent, deputandi licentiam & facultatem auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus: & nihilominus domui Florentiolæ, ac Oratorio & in eis pro tempore degentibus ac hoſpitantibus Fratribus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis & gratiis, aliis domibus & Fratribus dicti Ordinis Minorum per Sedem prædictam, ſeu alias quomodolibet in antea conceſſis, quibus tam de jure, quam de conſuetudine utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere valeant, auctoritate & tenore prædictis, jure Parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XI. Aprilis, Pontificatus noſtri anno VII.

XXXII.

Ut reædificent Conventum in urbe Tarviſina. Ibid. fol. 5.

Dilectis filiis Provinciali Miniſtro, & Fratribus provinciæ ſancti Antonii Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ.

Accepimus, quod cum alias domus Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Jeſu, prope & extra muros Tarviſin. pro uſu & habitatione Fratrum Minorum de Obſervantia conſtructa, temporum perturbatione, & bellorum turbinibus deſtructa fuerit, pro veſtri Ordinis propagatione, & fidelium devotione deſideratis aliam domum intra muros prædictos, pro eiſdem uſu & habitatione extrui & ædificari facere. Nos volentes veſtro annuere deſiderio, motu proprio vobis,

unam domum ſub prædicta vel alias vobis eligenda invocatione, in aliquo decenti loco Civitatis Tarviſin. cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, conſtrui & ædificari faciendi, & poſtquam conſtructa fuerit, domum ipſam inhabitandi, & Fratres opportunos & neceſſarios recipiendi, licentiam & facultatem; ac dictæ domus Guardiano, Fratribus, & aliis perſonis in ea pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, prærogativis, exemptionibus, favoribus, conceſſionibus, indulgentiis & peccatorum remiſſionibus, quibus alii Fratres dicti Ordinis utuntur, potiuntur & gaudent, ſeu uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere poſſint & valeant, concedimus & indulgemus. Non obſtantibus felic. rec. Bonifacii Papæ VIII. *Cum ex eo*, incipien. & Clementis IV. prædeceſſorum noſtrorum, qua cavetur, quod nullus alicujus Ordinis domum ſeu Monaſterium in aliquo loco conſtrui & ædificari facere poſſit, niſi illud per centum & quadraginta cannas ab alio Monaſterio ſeu domo alterius cujuſvis Mendicantium Ordinis diſtet, & aliis conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XV. Aprilis MDXIX. Pontificatus noſtri anno VII.

XXXIII.

Deputantur judices in controverſia domus Tholoſanæ, an debeat ſubjici regimini Obſervantum. Ibid. fol. 7.

Dilectis filiis Appamiarum & ſancti Antonini Ruthenen. Eccleſiarum Archidiaconis, ac Officiali Lumbarien. &c.

§. I. SUa nobis dilecti filii Miniſter provincialis & Fratres provinciæ Aquitaniæ, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem dicti Ordinis, in hac parte litis conſortes petitione monſtrarunt, quod licet alias nos tempore Capituli Generaliſſimi ejuſdem Ordinis in domo de Aracœli de Urbe, dicti Ordinis, celebrati, inter alia, omnes & ſingulos Fratres domorum ejuſdem Ordinis pro reformatis communiter habitos, cum eorum domibus, locis & Conventibus ſub Generalis & Provincialium Miniſtrorum Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum cura remanere debere declaravimus, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, Generali & Provincialibus Miniſtris dictorum Fratrum, Conventualium nuncupatorum, ne de Fratribus pro reformatis habitis, ac domibus, locis aut Conventibus prædictis, quovis quæſito colore ſe intromittere præſumerent, inhibuerimus; ac curiæ cauſarum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ generali Auditori, necnon univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcumque aliis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis perſonis, ut non permitterent eoſdem Fratres de Obſervantia a Fratribus dicti Ordinis, Conventualibus nuncupatis quomodolibet indebite moleſtari aut perturbari, per alias noſtras litteras dederimus in mandatis, & propterea domus & Fratres ſancti Franciſci Tholoſani, qui ante Capitulum Generaliſſimum præfatum communiter pro reformatis habiti & tenti fuerant, juriſdictioni, ſuperioritati & poteſtati, ac ſub cura Generalis & provincialis dictæ provinciæ Miniſtrorum & Fratrum, ſecundum puritatem Regulæ viventium, ſubſint; tamen Syndicus & Fratres dictæ domus ſancti Franciſci Tholoſan. hujuſmodi, ac illius cura . . . eiſdem litis conſortibus graves injurias ac jacturas inferre præſumpſe-

pſerint, dictam excommunicationis ſententiam incurrendo: unde ipſi litis conſortes ſuper his ad tunc Decanum Eccleſiæ Inſulæ Jordanis Tholoſanæ diœceſis judicem auctoritate Apoſtolica ſuper his deputatum, recurſum habuerunt: ſed præfati Syndicus & Fratres dictæ domus ſancti Franciſci Tholoſan. ad tunc Archidiaconum Gymneſii in Eccleſia Tholoſana, quem deſuper judicem dicta auctoritate deputatum dicebant, recurrerunt, ac dicto Decano, ne de cauſa ipſa ſe intromitteret, inhiberi per eum obtinuerunt.

§. II. Et deinde præfati Syndicus & Fratres dictæ domus Tholoſanæ falſo aſſerentes, quod dictus Archidiaconus Gymneſii, pro executore quarumdam aliarum noſtrarum litterarum ad ſalſam ſuggeſtionem Pauli Ziani dicti Ordinis Fratrum Minorum, Conventualium nuncupatorum, in Romana Curia Procuratoris Generalis, a nobis emanatarum, ſe gerens, Decanus Eccleſiæ ſancti Spiritus in capite poteſtatis Baronen. rite procedentes, inter alia domum prædictam ſancti Franciſci Tholoſan. illius Fratres ſub cura & poteſtate Generalis & provincialis Miniſtrorum Ordinis Fratrum Minorum, Conventualium nuncupatorum degere & eſſe, per eorum ſententias reſpective declaraverant; & quidem eorum ſententiæ in rem judicatam tranſierant: quodque dictus Decanus Inſulæ Jordanis, vigore certarum aliarum litterarum, ad eum ejus proprio nomine non expreſſo, per ipſos litis conſortes impetratarum, perperam procedens, poſtquam ipſos Syndicum & Fratres domus ſancti Franciſci, ad comparendum coram eo in certo loco tunc expreſſo, eis non tuto, citari mandaverat, ac eis comparere volentibus, ad comparendum coram eo non admiſſis, in cauſa hujuſmodi proceſſerat, ac eiſdem Syndico & Fratribus dictæ domus Tholoſanæ gravia damna inferre comminatus fuerat: pro parte eorumdem Syndici & Fratrum domus ſancti Franciſci Tholoſan. ſentientium ex his inter alia ſe indebite gravari, ad Sedem fuit Apoſtolicam appellatum, ac ſuper eorum appellatione hujuſmodi, & nonnullis aliis rebus Syndicus & Fratres domus Tholoſanæ hujuſmodi Apoſtolicas ad vos filii Archidiacone Eccleſiæ Appamiarum & Rionen. ac Lumbarien. officiales, litteras impetrarunt. Ut igitur judicium ſine ſuſpicione procedat, te fili Archidiacone ſancti Antonini in Eccleſia Ruthenen. cognitioni & deciſioni hujuſmodi cauſarum duximus adjungendum. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in cauſa hujuſmodi, dummodo in ea a litis conteſtatione proceſſum non exiſtat, appellatione remota, conjunctim procedatis juxta prædictarum ad vos filii Archidiacone in Eccleſia Appamiarum, & Rionen. & Lumbarien. officiales directarum continentiam litterarum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXIX. XII. Kal. Maii, Pontificatus noſtri anno VII.

XXXIV.

Concedit facultatem transferendi Conventum Fanen. & confirmat cujuſdam domus donationem. Ibidem fol. 8. & ex Archivo Conv. ejuſdem.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus ſanctæ Mariæ Novæ extra & prope muros Fanen. Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ.

CUm, ſicut nobis nuper exponi feciſtis, ædificia domus veſtræ ſanctæ Mariæ Novæ extra & prope muros Fanenſes pro majori parte a diverſis militibus, qui annis præteritis partes illas hoſtiliter infeſtarunt, deſtructa fuerint, adeo ut vos inibi habitare nequeatis, & dilectus filius Galeatius de Gabrielis Rector ſeu Commendatarius Parochialis Eccleſiæ ſancti

ſancti Salvatoris Fanen. quaſdam domos eidem Eccleſiæ contiguas, & ad illam legitime pertinentes, vobis in unam domum ad inſtar aliarum domorum Fratrum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ redigendas ſeu reformandas, pro perpetuis uſu & habitatione veſtris, & aliorum Fratrum dicti Ordinis; ita quod vos, & illi aliam Eccleſiam fabricare nequeatis, ſed prædictam dumtaxat prout magis expediens videbitur abſque contradictione illius Rectoris pro tempore exiſtentis ampliare, reformare & fabricare, ac in ea Miſſas, & alia Divina Officia celebrare, & ſacrificia, ceteriſque ipſius Eccleſiæ officinis ad Divinorum hujuſmodi celebrationem uſumque pertinentibus, ac ſi veſtra propria cappela eſſet, uti libere poſſitis, & annuum cenſum unius libræ candelarum ceræ in feſto ejuſdem Salvatoris Galeatio, & ſucceſſoribus prædictis in recognitionem dominii ipſius Eccleſiæ perſolvere, ac pro recompenſa domorum vobis concedendarum hujuſmodi tot alia bona ſtabilia ſaltim equivalentis pretii juxta declarationem ſuper hoc faciendam per dilectos filios Jacobum, & Franciſcum Canonicos Eccleſiæ Fanen. quibus ad hoc harum ſerie plenam ac liberam concedimus facultatem, aſſignare, necnon receptis a dicto Galeatio florenis octuaginta monetæ veteris illarum partium in pluribus ſolutionibus, duas Cameras Rectoris ſeu Prioris dictæ Eccleſiæ nuncupandas intra ſepta domus reformandæ hujuſmodi pro habitatione Galeatii, & ſucceſſorum prædictorum conſtrui facere: vel ſi vobis & pro tempore exiſtentibus Guardiano & Fratribus prædictis placuerit, quod Galeatius & ſucceſſores prædicti in ipſis cameris non habitent, alibi congruam habitationem pro eis deputare teneamini, concedere: Vos vero domum extra dictos muros conſiſtentem, & illius ſolum cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, illis prius ad prophanos uſus redactis, præter Eccleſiam, quam pro Oratorio ipſis Fratribus, vel aliis acceptantibus reſervabitis, vendere, & pretium inde proveniens in emptionem bonorum ſtabilium pro recompenſa hujuſmodi aſſignandorum, convertere proponatis, ſi ad hoc vobis noſtra & Sedis Apoſtolicæ licentia ſuffragetur: pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum ex præmiſſis commoditati veſtræ & Divini cultus augmento in dicta Eccleſia, necnon illorum Parochianorum, ceterorumque circumvicinorum Chriſtifidelium ſpirituali conſolationi plurimum conſulatur, ſubvenire vobis in præmiſſis Paterna benignitate curaremus. Nos igitur, qui jugiter Divini cultus augmentum, & ſingulorum Religioſorum, præſertim Ordinis Minorum ob excellentiam meritorum ejuſdem commoda deſideramus, prædictarum & quarumcumque aliarum conventionum inter vos & dictum Galeatium initarum tenores pro expreſſis habentes, ac hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, annullantes alias litteras in forma Brevis ſuper præmiſſis emanatas, per præſentes dicto Galeatio domos prope dictam Eccleſiam conſiſtentes concedendi, & vobis illas pro eiſdem uſu & habitatione cum præmiſſis, & aliis pro indemnitate Galeatii & ſucceſſorum prædictorum forſan appoſitis pactis & conditionibus recipiendi, ac in unam Domum cum clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis ad inſtar aliarum dicti Ordinis domorum redigendi ſeu reformandi, ac perpetuo retinendi: necnon domum extra muros conſiſten. hujuſmodi, præterque illius Eccleſiam ut præfertur, ad prophanos uſus reducendi & vendendi, pretiumque inde proveniens in emptionem aliorum bonorum ſtabilium eidem Eccleſiæ pro dicta recompenſa aſſignandorum convertendi: & ut in præmiſſis plenius conſulatur, vobis & dicto Galeatio ſuper eiſdem præmiſſis, quaſcumque ordinationes, declarationes & modificationes, licitas tamen & honeſtas, ac ſacris Canonibus non repugnantes, quæ eo ipſo Apoſtolica auctoritate con-

confirmata ſint, & eſſe cenſeantur, dicta Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium licentiam elargimur. Non obſtan. felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri inter alia prohibente, ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres loca habitandi denuo recipere præſumant abſque Sedis prædictæ licentia ſpeciali faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quibuſvis aliis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon domus beatæ Mariæ, & Ordinis prædictorum, ac Monaſterii ſanctæ Crucis Fontis Avellanæ Ordinis ſancti Benedicti, Eugubinæ diœceſis, cui dicta Eccleſia ſubeſſe dignoſcitur, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis, Monaſterio & Ordini prædictis ſub quibuſcumque tenoribus conceſſis, approbatis & innovatis, quibus, illorum tenores etiam pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVI. Septembris anno MDXIX. Pontificatus noſtri anno VII.

XXXV.

Deputat Judicem Conſervatorem Monaſteriorum Sanctimonialium Hungariæ. Ibid. fol. 10.

Dilecto filio Præpoſito Eccleſiæ Alben.

§. I. DUdum ſiquidem ſel. record. Joanni Papæ XXII. prædeceſſori noſtro pro parte tunc Miniſtri Generalis & Fratrum Ordinis Minorum expoſito, quod ipſi a nonnullis, qui nomen Dei in vanum recipere non formidabant, diverſis & gravibus jacturis & injuriis, violentiis & moleſtiis in diverſis mundi partibus extra regnum Franciæ affligebantur: Idem prædeceſſor eorumdem Miniſtri & Fratrum providere quieti, & malignorum conatibus obviare volens, tunc Archiepiſcopum Braccarenſem & Mindonienſem, ac Legionenſem Epiſcopos eis in Conſervatores & Judices deputavit, eiſque mandavit, quatenus eiſdem Miniſtro & Fratribus, cum ab eis vel procuratore aut procuratoribus eorum requiſiti forent, de prædictis & aliis perſonis quibuslibet de quibuſcumque moleſtiis & damnis tunc & in futurum illatis, in illis videlicet, quæ judicialem requirerent indaginem, de plano, ſummarie, ſine ſtrepitu & figura judicii, in aliis vero, prout qualitas negotiorum id exigeret, juſtitiæ complementum ... moleſtatores, præſumptores aut injuriatores hujuſmodi, necnon contradictores quoslibet & rebelles, cujuſcumque dignitatis, ſtatus & gradus, ordinis & conditionis eſſent, etiamſi pontificali præfulgerent dignitate, quantumcumque & quotieſcumque expediret, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus foret, auxilio brachii ſecularis, cum derogatione conſtitutionis ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri tunc ſui, ac aliis clauſulis & facultatibus in forma in quinterno Cancellariæ Apoſtolicæ annotata, contentis, tunc expreſſis, prout in ejuſdem Joannis prædeceſſoris litteris deſuper confectis plenius continetur, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererrentur, hic pro ſufficienter expreſſis haberi volumus.

§. II. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderni Miniſtri provincialis, Guardianorum & Fratrum ejuſdem Ordinis Minorum, olim Reformatorum, nunc autem Regularis Obſervantiæ

tiæ nuncupatorum provinciæ Hungariæ, juxta morem dicti Ordinis, ipſi propter locorum longinquam diſtantiam, Archiepiſcopum & Epiſcopos Conſervatores prædictos pro ſingulis eorum querelis commode adire nequeant, cupiantque pro eorum feliciori commoditate, te eis, necnon pro tempore exiſtentibus Miniſtro & Fratribus dictæ provinciæ, ac eorum curæ & viſitationi etiam pro tempore commiſſis, dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſis & Miniſtris ac Monialibus & Sororibus Monaſteriorum & domorum Ordinis ſanctæ Claræ, in Conſervatorem ac Judicem loco primo dictorum Conſervatorum & Judicum deputari & ſubrogari: & propterea pro dictorum Miniſtri provincialis, Guardianorum & Fratrum, ac Abbatiſſarum, Miniſtrarum & Monialium hujuſmodi parte nobis fuit ſupplicatum, quatenus eis ſuper his de opportuno remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per præſentes committimus & mandamus, quatenus per te vel per alium ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus deputatus Conſervator & Judex exiſtis, eiſdem Miniſtro provinciali, Guardianis & Fratribus provinciæ Hungariæ hujuſmodi, ac Abbatiſſis, Miniſtris & Monialibus ac Sororibus efficacis defenſionis præſidio aſſiſtendo, facias eos quibuſcumque gratiis, privilegiis, libertatibus, exemptionibus, & aliis immunitatibus & indultis Apoſtolicis hactenus conceſſis, & in poſterum quomodolibet concedendis pacifice frui & gaudere, non permittens eos a prædictis vel quibuſvis aliis moleſtatoribus, injuriatoribus & violatoribus præſentibus & futuris, quovis quæſito colore, quomodolibet indebite moleſtari ſeu etiam perturbari; eoſque eorumque jura, privilegia, exemptiones, aliaſque immunitates & facultates, necnon omnia & ſingula clauſulas & indulta, & in eis contenta quæcumque tuearis & defendas, illaque obſervari facias, ac alias ad executionem earum litterarum Joannis prædeceſſoris hujuſmodi procedas in omnibus & per omnia, perinde ac ſi litteræ ipſæ tibi directæ fuiſſent. Et inſuper omnia & ſingula reſcripta, & litteras Apoſtolicas, quibuſvis apoſtatis, ſeu Fratribus dicti Ordinis ad alios Ordines translatis vel transferendis ſeu vagantibus conceſſa & concedenda, aut conceſſas & concedendas videas, ac ſumma cum diligentia examines, citatis & vocatis quorum intereſt, & quatenus illa vel illas ſubreptitia vel obreptitia inveneris, eoſdem Fratres ad Ordinem præfatum revoces: Diſtrictius inhibendo, ac præcipiendo Generali, Provincialibus, & aliis Prioribus & Fratribus Eremitarum ſancti Pauli, & Eremitarum ſancti Auguſtini Ordinum, ne prætextu cujuſvis privilegii Apoſtolici, aliquos Ordinis Minorum & Obſervantiæ prædictorum profeſſores, in eorum domibus, aut aliis locis recipere præſumant; & ſi quos receperint, eos infra competentem terminum eis per te præfigendum, ad dictum Ordinem Minorum remittant: contradictores, moleſtatores, perturbatores, inquietatores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis: non obſtantibus ejuſdem Bonifacii prædeceſſoris &c. ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die VII. Maii MDXIX. Pontificatus noſtri anno VII.

XXXVI.

XXXVI.

Omnem concedit auctoritatem coercendi Apoſtatas. Ex reg. Ultram. Curiæ fol. 40.

Dilectis filiis Miniſtro Generali, ac univerſis Provincialibus, Cuſtodibus & Gaardianis Ordinis beati Franciſci Regularis Obſervantiæ tam citra, quam ultra Montes conſtitutis.

§. I. POſtquam, diſponente Domino, univerſalis Eccleſiæ, meritis licet inſufficientes, regimen ſuſcepimus, illa imprimis nobis cura fuiſſe dignoſcitur, qua Religionum a Sede Apoſtolica approbatarum ſplendor amplius clareſceret, ac ſemotis quibuſvis impedimentis, earumdem Religionum, per internæ caritatis & devotionis augumentum ardor ſerveret; & propterea dudum litteras dedimus tenoris ſubſequentis: *In ſuperna dignitatis ſpecula*, die VIII. Januarii MDXVI. *Dum ſanctam Regulam*, die XV. Aprilis MDXVII.

§. II. Volentes igitur ut præinſertæ litteræ, & in eis contenta, ut par eſt, executioni debitæ demandentur, univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & eorum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ & ſuſpenſionis a Divinis, inferioribus vero Prælatis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, a quibus nonniſi per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, nequeant, præterquam in mortis articulo, abſolvi, præcipimus, committimus & mandamus, quatenus ipſi, & eorum quilibet in ſolidum, quoties a vobis, ſeu a Fratribus, quibus id commiſeritis, requiſiti fuerint, omnia & ſingula præmiſſa tam circa Fratres veſtri Ordinis, quam Moniales ſanctæ Claræ, & Sorores Tertii Ordinis, qui a veſtra obedientia, ut præfertur, receſſerint, aut in futurum contra præmiſſa recedent; ad quorum Fratrum & Sororum ſingulos omnia & ſingula præmiſſa extendimus; plenum ſortiri faciant effectum: vobiſque & veſtrum cuilibet in præmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, præmiſſa omnia & ſingula, ubi & quando deſuper a vobis, vel veſtrum aliquo requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, non permittant vos aut veſtrum aliquem contra illarum tenorem per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari, inquietari, ſeu perturbari: ac omnes & ſingulos, quos eis excommunicationis ſententias in præinſertis latas incurriſſe conſtiterit, quoties a vobis aut veſtrum aliquo fuerint requiſiti, in Eccleſiis & aliis locis publicis excommunicatos publice nuncient, faciantque ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari, donec debita pœnitentia ſatisfacientes, meruerint ab eiſdem pœnis ſeu cenſuris abſolutionis beneficium obtinere; poſſitis etiam vos, quoad perſonas vobis ſubjectas, quæ hujuſmodi ſententias incurrerint, eaſdem ſententias declarare incurriſſe. Non obſtantibus præmiſſis, ac ſententiis pro dictis Apoſtatis a quibuſcumque Judicibus latis, quas forſan in rem judicatam tranſiſſe allegare poſſent, ac omnibus aliis, quæ in præinſertis litteris noſtris volumus non obſtare, contrariis quibuſcumque &c. Et quia difficile foret &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIII. Maii MDXIX. Pontificatus noſtri anno VII.

XXXVII.

XXXVII.

Eos liberat a ſolvendis decimis, taxis, aliiſque exactionibus. Ex Reg. Ciſm. fol. 11.

Dilectis in Chriſto filiabus univerſis & ſingulis Abbatiſſis & Monialibus omnibus ſanctæ Claræ de Obſervantia tam primæ, quam ſecundæ Regulæ, necnon Miniſtris & Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci in Congregatione ſub cura Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ viventibus.

§. I. Dudum ſel. rec. Alexander Papa VI. prædeceſſor noſter, privilegiis & indultis nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædeceſſorum noſtrorum, vobis conceſſorum inhærendo, vobis ut Abbatiſſæ, Miniſtræ, Moniales & Sorores Monaſteriorum & domorum ſeu Conventuum veſtri Ordinis tunc & pro tempore exiſtentes, quibus bona propria pro quotidianis expenſis non ſufficiunt, ad ſolutionem alicujus decimæ, vel alterius exactionis, per Sedem Apoſtolicam, ſeu quoſcunque alios ex quavis cauſa, etiam pro expeditione contra immaniſſimos Turcas, Reipublicæ Chriſtianæ hoſtes, pro tempore impoſitæ, cogi aut compelli non poſſint, indulſit, prout in diverſis ipſius Alexandri prædeceſſoris in forma Brevis litteris plenius continetur.

§. II. Cum autem Nos nuper quamdam in Regno Franciæ, & aliis terris & dominiis tam cariſſimo in Chriſto filio noſtro Franciſco Francorum Regi Chriſtianiſſimo, quam aliis Regibus & Principibus, ac etiam Nobis & Sedi Apoſtolicæ ſubjectis, decimam pro Chriſtianæ fidei defenſione exigi conceſſerimus & mandaverimus, voſque dubitetis, ſicut Nobis nuper exponi feciſtis, Monaſteria & domos veſtras, ac illarum Abbatiſſas & Miniſtras ſuper ſolutione decimæ hujuſmodi contra privilegiorum conceſſionis prædictorum tenorem moleſtari.

§. III. Nos commoditati veſtræ, ſicut religio & pietas poſtulant, paterno affectu conſulentes, & veſtris devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, litteras, privilegia & indulta prædicta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbantes & innovantes, ac illis inhærentes, vobis ut Abbatiſſæ & Moniales ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia, ac Miniſtræ & Sorores Tertii Ordinis beati Franciſci in Congregatione ſub cura & regimine Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ viventes, ac illarum Monaſteria, domus & alia loca quæcumque, quorum fructus, reditus & proventus pro Monialium & Sororum, ac aliarum perſonarum in illis pro tempore degentium commoda ſuſtentatione non ſufficiunt, ad ſolutionem prædictæ & cujuſvis alterius decimæ ſeu taxæ vel collectæ aut exactionis, per Nos & Sedem Apoſtolicam, ſeu ejus Legatos vel Nuncios, aut quoſcumque alios quavis auctoritate fungentes, pro dictæ fidei tuitione, ſeu expeditione contra præfatos Turcas, vel recuperatione Terræ ſanctæ, aut quavis alia urgentiſſima cauſa impoſitæ & imponendæ, etiam prætextu quarumvis cenſurarum & pœnarum Eccleſiaſticarum, in litteris exactionum hujuſmodi appoſitarum, cogi aut compelli nequeatis, eiſdem auctoritate Apoſtolica & tenore concedimus: diſtrictius inhibentes ſub pœna excommunicationis, quam contrafacientes eo ipſo incurrant, & a qua nonniſi per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem abſolvi poſſint, omnibus & ſingulis perſonis ad exactionem decimarum, taxarum & collectarum hujuſmodi pro tempore deputatis, ne Abbatiſſas, Miniſtras, Moniales, Sorores & perſonas pauperes prædictas, occaſione decimarum & exactionum hujuſmodi,

modi, moleſtare, turbare vel inquietare præſumant: Ac decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus univerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, aliiſque perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ac Metropolitanarum & aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, eorumdemque Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Officialibus ſeu Vicariis in ſpiritualibus generalibus, per hæc ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, Abbatiſſis, Miniſtris, Monialibus, Sororibus, & perſonis pauperibus prædictis, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciatis eas, & quamlibet earum conceſſione & aliis præmiſſis pacifice gaudere, non permittentes eas deſuper per eoſdem deputatos aut quoſcumque alios quomodolibet moleſtari. Contradictores &c. compeſcendo &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xxiv. Maii mdxix. Pontificatus noſtri anno vii.

XXXVIII.

Ut poſſint tranſferre Conventum Fratrum Obſervantum ad locum urbi propinquiorem. Ibid. fol. 11.

Dilectis filiis Communitati & Conſervatoribus populi noſtræ Civitatis Caſtellanæ.

§. I. Cum ſicut nobis nuper exponi feciſtis, domus ſanctæ Suſannæ Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, Civitatis Caſtellanæ diœceſis, in loco a noſtra Civitate Caſtellana non parum diſtante ſita exiſtat, ita ut per vos qui ad dictum Ordinem, & illius perſonas, ob illorum exemplarem vitam, & alia præclara opera, quibus ſacroſancta illuſtratur Eccleſia, ſingularem geritis devotionem, ad eamdem domum pro Miſſis & aliis Divinis officiis, & ſermonibus audiendis, necnon confeſſionibus peccatorum faciendis, prout cupitis, recurſus haberi nequeat, & ipſi Fratres ad Civitatem prædictam, pro quærendis eleemoſynis, & aliis ad eorum ſuſtentationem neceſſariis, abſque magno incommodo accedere non poſſint: pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis pro ſpirituali conſolatione, & Fratrum prædictorum commoditate, unam domum ad eorumdem Fratrum uſum & habitationem in loco magis congruo conſtrui faciendi licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis intra ſeu extra dictam Civitatem in loco ad id per vos, ſeu per Miniſtrum dictorum Fratrum Provinciæ Romanæ ſecundum morem dicti Ordinis, deputando, unam domum ſub invocatione, de qua vobis ſeu veſtro Miniſtro videbitur, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis aliquorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum conſtruendi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur: mandantes ſub excommunicationis pœna moderno & pro tempore exiſtenti Miniſtro dictæ Provinciæ, ut relicta domo ſanctæ Suſannæ prædicta, conſtruendam domum hujuſmodi recipiat, ac juxta laudabiles dicti Ordinis conſuetudines regat, gubernet, & inhabitari faciat: Et inſuper eidem Mi-

niſtro, ut certum locum, hoſpitium ſancti Jacobi nuncupatum, ſitum in dicta Civitate, & ad Fratres dictæ domus ſanctæ Suſannæ pro eis hoſpitandis pertinentem vendere, & pretium inde proveniens, in conſtructione domus prædictæ ædificandæ convertere: necnon Guardiano & Fratribus conſtruendam domum hujuſmodi pro tempore habitantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, gratiis, exemptionibus, immunitatibus & indultis, aliis domibus & Fratribus dicti Ordinis per Sedem Apoſtolicam, ſeu alias quomodolibet in genere conceſſis, uti, potiri & gaudere licite & libere valeant, eiſdem auctoritate & tenore facultatem concedimus pariter & indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die v. Junii MDXIX. Pontificatus noſtri anno VII.

XXXIX.

Datur eis omnimodam exemptionem a juriſdictione quorumcumque Prælatorum. Ibid. fol. 12.

Dilectis filiis Miniſtro Provinciali, ac univerſis Fratribus Provinciæ Angliæ Ordinis Minorum Regul. Obſervantiæ, nunc & pro tempore exiſtent.

§. I. CUm, ſicut accepimus, licet nonnulli Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, præſertim ſel. record. Benedictus Papa XI. per conſtitutiones & decreta vos veſtrumque Ordinem ab omnium & ſingulorum quorumlibet Prælatorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum omnimoda poteſtate, & juriſdictione exemerint, ac etiam nullo modo, etiam ratione delicti commiſſi, vel initi contractus, aut rei ſcitæ coram eis conveniri valeretis: ac vos & Ordinem prædictum immediate Sedi Apoſtolicæ, ac tantummodo ſoli Romano Pontifici ſubjacere, ac Eccleſias, Oratoria, domos, & loca quæ tunc tenebatis, exempta prorſus exiſtere, nulloque medio Sedi præfatæ ſubeſſe decreverint: Nonnumquam tamen per nonnullos Sedis Apoſtolicæ Legatos, ad univerſas mundi partes deſtinatos, & alios forſan Cardinales, aut Prælatos vos moleſtari abſque ſpeciali noſtra commiſſione contingit, ac paci & tranquillitati veſtræ Religionis non parum expediat, ab omnium perſonarum juxta veſtra privilegia moleſtiis eximi, & totaliter liberari.

§. II. Nos volentes, ut quietius Altiſſimo valeatis impendere famulatum, exemptionem hujuſmodi, ac per quoſcumque Romanos Pontifices deſuper edita decreta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, eiſque robur Apoſtolicæ confirmationis adjicimus, illaque & ſingula ad quoſcumque ejuſdem Sedis de Latere Legatos Provinciæ Angliæ extendimus & ampliamus; mandantes eis in virtute ſanctæ Obedientiæ, ne in vos, Eccleſias, Oratoria, domos, & quævis loca veſtra juriſdictionem, viſitationem ſeu correctionem aliquam abſque noſtra ſpeciali ſeu præfatæ Sedis auctoritate exercere quoquomodo præſumant. Decernentes quoſcumque proceſſus & actus deſuper habitos ſeu habendos, ac ſententias, etiam excommunicationis, ſeu interdicti, & aliarum cenſurarum latas ſeu ferendas, nullas & invalidas, nulliuſque roboris vel momenti fuiſſe & eſſe. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Et quia difficile foret &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXIII. Junii MDXIX. Pontif. noſtri anno VII.

XL. *Pro-*

XL.

Prohibet Commiſſariis Cruciatæ Fratres moleſtare, aut Moniales gravare, & utriſque inhibet ne privilegiis Cruciatæ utantur abſque Prælatorum ſuorum licentia. Ex Bullar. Roder. num. 24.

Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis & ſingulis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ.

§. I. NOn ſine mentis diſplicentia intelleximus, quod nonnulli indulgentiarum & facultatum Cruciatæ, Regi Catholico conceſſæ, aſſerti Commiſſarii, & forſan alii dictæ Cruciatæ prætextu, nonnullos veſtræ Religionis & Ordinis Fratres, ſine Prælatorum ſuorum licentia ad hujuſmodi Cruciatam publicandam per diverſas mundi partes deſtinare nituntur. Quo fit, ut Fratres jugum Religionis excutere, & ab Obedientiæ voto ſe liberare, & a ſuorum Prælatorum juriſdictione & correctione eximere deſiderantes, ut dicere poſſint, Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus, ad hujuſmodi prædicationis officium aſſumi procurent, ipſis ac aliis præbetur occaſio delinquendi.

§. II. Nos conſiderantes, quod ubi Regularis diſciplina contemnitur, neceſſe eſt, ut Religio naufragium patiatur, in præmiſſis de opportuno reformationis remedio providere volentes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, univerſis & ſingulis dictæ & alterius cujuſcumque Cruciatæ modernis & pro tempore exiſtentibus Commiſſariis, & aliis quibuſvis perſonis, quacumque etiam Archiepiſcopali, & Epiſcopali dignitate fulgentibus, in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac Epiſcopis, & ſuperioribus ſub probibitionis ingreſſus Eccleſiæ, aliis vero ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac officiorum ſuorum privationis, & inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda pœnis, ipſo facto, abſque ulteriori declaratione, incurrendis, præcipimus & mandamus, ne de cetero perpetuis futuris temporibus aliquos dicti veſtri Ordinis Minorum de Obſervantia Fratres extra eorum Conventus ſeu domos, ſine ſuorum Superiorum & Prælatorum expreſſa licentia extrahere, ſeu ad prædicandam Cruciatam, quaſcumque alias indulgentias, ſeu litteras Apoſtolicas deſtinare, aut veſtri Ordinis Fratres, & domos ipſorum, Cruciatæ ſeu indulgentiarum, aut alterius facultatis prætextu moleſtare, perturbare, aut inquietare, ſeu a vobis qui in paupertatis ſpiritu, & ex fidelium eleemoſynis vitam ducitis, aliquid exigere, vel gratias, libertates, facultates, ſeu indulgentias, & peccatorum remiſſiones vobis, & veſtri Ordinis Fratribus de Obſervantia, necnon Monialibus ſanctæ Claræ tam primæ, quam ſecundæ Regulæ, ac Tertii beati Franciſci, de Pœnitentia nuncupati Ordinis Miniſtris & Sororibus, ſub veſtra obedientia degentibus, ſine veſtra licentia concedere vel impertiri. Ac ipſi Fratres, Moniales, Miniſtræ & Sorores hujuſmodi gratiis, indulgentiis, libertatibus, immunitatibus prædictis quovis quæſito colore contra obedientiam veſtri Ordinis, ſine ſpeciali licentia ſuorum Prælatorum nullo modo uti, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna præſumant. Et nihilominus univerſis & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ac Cathedralium & Metropolitanarum Eccleſiarum Canonicis, motu ſimili mandamus, quatenus vobis & veſtrum cuilibet in præmiſſis aſſiſtentes, faciant vos & veſtrum quemlibet ſingulis præmiſſis pacifice frui & gaudere, non permittentes vos deſuper quomodolibet moleſtari: dantes

eis & eorum cuilibet facultatem & auctoritatem contra eoſdem Commiſſarios & perſonas, eiſque auxilium, conſilium & favorem quomodolibet præſtantes, per cenſuras & pœnas prædictas procedendi, illaſque, quoties opus fuerit, aggravandi & reaggravandi, ac auxilium brachii ſecularis invocandi, & interdictum Eccleſiaſticum apponendi, illudque, quoties expedierit, relaxandi. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXIX. Junii MDXIX. Pontificatus noſtri anno VII.

XLI.

Committit ei cauſam ſeu litem circa Conventum, & Eremitoria oppidi de Romanis. Ex Reg. Ciſm. fol. 10.

Venerabili fratri moderno Epiſcopo Gratianopolitano, ſeu ejus officiali.

§. I. JUſtis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem poſtquam nos certis rationabilibus cauſis moti, ad ſupplicationem dilecti filii Romaneti Boffini, & nonnullorum aliorum oppidanorum oppidi de Romanis, Viennen. diœceſis, in quodam loco ſeu territorio mediocriter eminenti, prope dictum oppidum, ad præfatum Romanetum legitime pertinente, in quo ipſe Romanetus unum Eremitorium, *Monte Calvarie* nuncupatum, & alia ædificia ſeu Oratoria, ſepulcrum Dominicum, & cetera Dominicæ Paſſionis myſteria repræſentantia partim ſuis ſumptibus, partim illic devote accedentium piis eleemoſynis & oblationibus conſtrui fecerat, eiſdem Romaneto & oppidanis unam domum ſub *Montis Calvarie* vel alia invocatione, de qua eis videretur, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia Provinciæ ſancti Bonaventuræ, juxta morem dicti Ordinis, ſine alicujus præjudicio conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedi, per quaſdam noſtras litteras ſub plumbo datas mandaveramus, certis deſuper executoribus deputatis.

§. II. Cum tunc Epiſcopus Valentinen. diœceſis, unus dictorum Executorum per certos Judices in partibus illis ad venerabilis fratris Archiepiſcopi Viennen. & dilectorum filiorum Sacriſtæ, & Capituli ſancti Bernardi dicti oppidi, ſuam in præmiſſis intereſſe aſſerentium inſtantiam vel inſtigationem, ne in hujuſmodi mandati executione procederet, de facto impeditus fuiſſet, ſeu pœnæ temporalis per dictos Judices ſibi deſuper indictæ metu, ab ipſa executione ſe penitus retraxiſſet, & ſic per Nos ordinata debito fruſtrarentur effectu, & dicti Judices in alienam meſſem contra Divinam diſciplinam falcem immittere non verentes, ordinationem noſtram hujuſmodi limitare, & fere ad nihilum redigere præſumpſiſſent: Nos Viceſgerenti Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Avenion. & certis aliis ejus in ea parte collegis, ipſorum propriis nominibus non expreſſis, per alias noſtras in forma Brevis litteras, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine dedimus in mandatis, ut ad dictæ domus erectionem, juxta dictarum priorum litterarum tenorem, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, & alias ſub modis & formis ibi expreſſis procederent; & Archiepiſcopo ac Canonicis præfatis ceteriſque perſonis, cujuſcumque gradus, ſtatus, ordinis & conditionis exiſterent, ne di-

dictorum Viceſgerentis & Collegarum proceſſum deſuper faciendum impedirent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna per contrafacientes eo ipſo incurrenda inhibuimus.

§. III. Cum autem, ſicut Fratres dictæ Provinciæ nobis nuper exponi fecerunt, licet dilectus filius modernus dictæ Curiæ Avenionen. Vicesgerens, cui ceteri ejus collegæ ſuper his eorum vices commiſerunt, ad dictarum poſteriorum litterarum, illarum forma ſervata, executionem rite procedens, non obſtante quadam allegata per Canonicos tranſactione, paulo ante ſententiam cum ipſis Fratribus facta, & interpoſitione decreti ipſius Viceſgerentis cum clauſula reſervativa beneplaciti noſtri, veluti captioſa ac generali, & quod dicti Canonici cantabant ſe contra tenorem litterarum noſtrarum, ſtatum & qualitatem Ordinis ipſorum Fratrum, ipſos Fratres cogere ad reſidendum uti Eremitas nullius Ordinis; itaque impedire erectionem Eccleſiæ, campanilis humilis, campanæ, clauſtri, cœmeterii, & aliarum officinarum, ad inſtantiam nonnullorum & plurium oppidanorum, qui non tranſegerant; & quia non apparuit de ſufficienti mandato ipſorum Fratrum, qui tranſactioni conſenſerant, dictis Romaneto, ſeu oppidanis, & pro eis dicti Ordinis Fratribus provinciæ ſancti Bonaventuræ unam domum in dicto monte, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro dictorum Fratrum uſu & habitatione perpetuis conſtrui & ædificari faciendi licentiam conceſſerit, & apud dictos Fratres curam, cuſtodiam, & adminiſtrationem dictorum Eremitorii, Oratorinrum, & aliorum ædificiorum eſſe debere declaraverit, ſalvo jure Archiepiſcopi in directo dominio dicti loci, ſi illud ſibi competeret, Sacriſtæ & Capituli tam in decimis, quam in oblationibus, & aliis rebus tunc expreſſis, prout in ſingulis noſtris litteris præfatis, & publico inſtrumento ſuper conceſſione & declaratione Vicesgerentis hujuſmodi confecto, dicitur plenius contineri. Tamen Sacriſta & Capitulum præfati, tam laudabilis operis effectum, ſuadente forſan antiquo humani generis hoſte, impedire ſatagentes, a licentia, conceſſione & declaratione predictis in vocem appellationis perruperunt, & cauſam appellationis hujuſmodi per tunc Legatum Sedis Apoſtolicæ in Civitate noſtra Avenion. vel ejus Vicelegatum, tunc Archidiaconum Eccleſiæ Valentinen. committi obtinuerunt. Qui quidem Archidiaconus in cauſa ſibi commiſſa, debito ordine non ſervato, imo infra unicam ſeptimanam de facto procedens, per quamdam ejus ſententiam geſta per dictum Viceſgerentem nulla eſſe, & Fratres præfatos ad obſervandum dictorum judicum ordinationem teneri pronunciavit. A qua ſententia pro parte prædictorum Fratrum, ſeu Romaneti, & oppidanorum ad eumdem Legatum appellato, dictus Legatus cauſam poſterioris appellationis hujuſmodi venerabili fratri Epiſcopo Auraicen. qui, non auditis partibus, & ante lapſum primi fatalis termini, etiam ſententiam protulit contra eoſdem Fratres & oppidanos, a qua fuit appellatum ad eumdem Legatum, qui cauſam iterum noviſſimæ appellationis fraternitati tuæ ſeu officiali tuo commiſit. Quare pro parte eorumdem Fratrum dictæ Provinciæ, ne tam ſanctum & meritorium dictorum Romaneti & oppidanorum inſtitutum, fructifero & ſalubri in agro Domini effectu defraudetur, ac per litium hujuſmodi anfractus, & moleſtationum obſtacula in longum protrahatur, vel etiam impediatur, indeque omnium ſcandalorum in dicto oppido materia ſuſcitetur, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, ſeu officiali tuo committimus & mandamus, quatenus, omnibus diligen-

genter examinatis, ſi inveneris fundationem dicti loci in præjudicium dictorum Canonicorum non cedere, ſententiam in favorem dictorum Fratrum latam confirmes & approbes, & contrarias ſententias revoces: & a tua ſententia appellari, aut de nullitate dici, ſeu alias reclamari non poſſe, ſed illam perpetuo & irrevocabiliter obſervari debere decernimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & omnibus illis, quæ in ſingulis noſtris litteris prædictis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xt. Julii MDXIX. Pontificatus noſtri anno VII.

XLII.

Quædam decernuntur circa Viſitatores Monialium in Hiſpania. Ex Bullar. Roder. num. 25.

Dilectis filiis Miniſtris Provincialibus Provinciarum Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia, in regno Hiſpaniarum conſiſtentibus.

§. I. CUm inter alia ſalubria in veſtro moderno Capitulo Generali Lugduni celebrato, inſtituta, & per Sedem Apoſtolicam approbata ſtatuta & ordinationes, Monialibus ſanctæ Claræ tam de prima, quam de ſecunda Regulis, etiam Urbaniſtis nuncupatis, & aliis Religioſis quibuſvis, ſub cura Fratrum veſtri Ordinis degentibus, eligendi Viſitatores & Confeſſores omnino ſit interdicta facultas, ipſique Viſitatores & Confeſſores eiſdem Monialibus & Religioſis a vobis debeant dari & deputari, & legitimis ſuadentibus cauſis, juxta deſuper in eodem Capitulo factas ordinationes, ab hujuſmodi officiis amoveri poſſint; & ut nonnullorum veſtrorum relatione intelleximus, pro veſtri Ordinis quieto ſtatu, non parum expediat, ut tales Viſitatores deinceps Commiſſarii, & non Viſitatores appellentur, ac hujuſmodi Viſitatoris ſeu Commiſſarii, ac Confeſſoris officia ultra triennium durare non debeant.

§. II. Nos volentes dicti Ordinis tranquillitati providere, venerabilis fratris noſtri Bernardini Epiſcopi Sabinenſis, veſtri Ordinis Vice-protectoris, ſupplicationibus inclinati, & ex certa noſtra ſcientia, ac poteſtatis plenitudine, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, ut perſonæ per vos & veſtrum quemlibet ad hujuſmodi viſitationis officium deputatæ ſeu deputandæ, non Viſitatores ſed Commiſſarii veſtri de cetero nuncupentur, ac Commiſſarii & Confeſſores præfati ultra dictum triennium officia hujuſmodi exercere nullatenus poſſint; illoque finito, vel antea, ſi expediens videbitur, talis Commiſſarius a vobis deputatus ab officio abſolvatur: volentes, ut ad cognoſcendum defectus præfatorum Commiſſariorum per vos deputatorum & deputandorum, vos & veſtrum quilibet in Provincia ſibi deputata reſpective Monaſteria, domus & loca Monialium & Religioſarum prædictarum ingredi, & de viſitationis modo, ac Commiſſarii & Confeſſorum meritis, ac vitæ integritate in eiſdem Monaſteriis ſeu domibus libere inquirere valeatis: univerſis & ſingulis Monaſteriorum & domorum prædictis Abbatiſſis, Monialibus & Religioſis ſub excommunicationis ſententia, ac officiorum ſuorum privationis, & ad illa inhabilitatis, & alia in poſterum obtinenda, ſi contra fecerint, ſine alia declaratione incurrendis pœnis, ac ſub obteſtatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, diſtrictius præcipiendo mandamus, quatenus infra unius diei ſpatium, poſtquam ad hujuſmodi inquiſitionem proceſſum fuerit, de viſitationis modo

ac

ac meritis, idoneitate Commiſſariorum & Confeſſorum prædictorum, omni exceptione & contradictione ceſſante, ac appellationis & aliis defenſionis remediis, tamquam contra veram correctionem, & debitam obedientiam interpoſitis, ſublatis, & quibuſvis in contrarium quibuſcumque verborum formis eiſdem Abbatiſſis, Monialibus & Religioſis, earumque Monaſteriis conceſſis privilegiis, indultis & litteris Apoſtolicis, ſua vota deponere, & in publicum, aut alias, prout per vos deſuper ordinatum fuerit, redigere teneantur & aſtrictæ exiſtant. Et nihilominus univerſis & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, motu ſimili per præſentes mandamus, quatenus vobis & veſtrum cuilibet in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant vos & veſtrum quemlibet, poſtquam pro parte veſtra ſeu cujuslibet veſtrum fuerint requiſiti, omnibus præmiſſis pacifice frui & gaudere, non permittentes vos aut veſtrum quemlibet deſuper quomodolibet moleſtari, dantes eis præſentium tenore facultatem & auctoritatem contra Abbatiſſas, Moniales & Religioſas præſatas, ac perſonas quaſcumque eis directe vel indirecte, quovis quæſito colore, etiam prætextu quorumcumque privilegiorum, indultorum & litterarum Apoſtolicarum, auxilium, conſilium, vel favorem præſtantes, per ſupredictas, & alias eorum arbitrio etiam pecuniarias, & corporis afflictivas imponendas pœnas, & cenſuras Eccleſiaſticas procedendi, ipſaſque cenſuras & pœnas, quoties expedierit, aggravandi & reaggravandi, ac auxilium ſeculare implorandi, & interdictum Eccleſiaſticum ubilibet apponendi, & illud, dum videbitur, relaxandi. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, de una, & Concilii generalis de duabus dietis &c. ac quorumvis præſertim de Tordeſillas & Palentinæ, ac Valliſoleti, & aliorum Monaſteriorum, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque: aut ſi Abbatiſſis, Monialibus & Religioſis præfatis, & quibuſvis aliis perſonis, etiam Epiſcopali dignitate fulgentibus, communiter vel diviſim a præfata ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Ceterum, quia difficile foret &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xx. Julii MDXIX. Pontificatus noſtri anno VII.

XLIII.

Concedit ne Eccleſiæ Fratrum de Obſervantia Eccleſiaſtico interdicto ſupponi poſſint, niſi quadam obſervata conditione. Ex Reg. Ultram. fol. 38.

Dilectis filiis Generali, ac univerſis & ſingulis Provincialibus Miniſtris & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia.

§. I. CUm ſancta regula veſtra ſit &c. Nuper ſiquidem relatione cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli, Romanorum, ac Hiſpaniarum Regis Catholici, intelleximus, ſæpenumero contingere nonnullas Eccleſiaſticas perſonas in Romana Curia, vel extra eam litigantes, ac definitivas ſententias, & executoriales litteras deſuper obtinentes, aut alias gratias proſequentes, Eccleſias domorum veſtri Ordinis Eccleſiaſtico ſupponi facere interdicto, etiamſi Civitas ſeu oppidum in quo domus ipſa conſiſtit, minime interdicatur. Ex quo vos, qui ſolum ex fidelium eleemoſynis victum quæ-

quæritis, non parum ſuſcipitis detrimentum, cum fideles ipſi ad dictas Eccleſias pro Divinis audiendis officiis accedere non valentes, ab eorum conſuetis devotionibus, & vobis fieri ſolitis eleemoſynis retrahantur. Quare præfatus Carolus Rex, qui ob exemplarem veſtrum vivendi modum, ad Ordinem prædictum ſingularem gerit devotionis affectum, nobis ſupplicari fecit, ut neceſſitati veſtræ providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos hujuſmodi honeſtis ſupplicationibus inclinati, vobis, quod de cetero futuris perpetuis temporibus Eccleſiæ domorum veſtri Ordinis ad cujuſcumque perſonæ, etiam Cardinalatus honore, vel alia fulgentis dignitate inſtantiam, per Auditores cauſarum ſacri Palatii, ſeu eorum Locatenentes, aut quoſcumque alios Judices, ſeu ordinaria, ac etiam, niſi tota Civitas, ſeu oppidum, ubi domus hujuſmodi conſiſtit, Apoſtolica auctoritate, aut ex ſpeciali commiſſione manu propria Pontificis ſignata, & in publica Signatura propoſita, Eccleſiaſtico ſupponatur interdicto, interdici non poſſint: ac quod in eis degentes Fratres ad ipſius interdicti obſervationem minime teneantur; nec propterea irregularitatis maculam, aut aliquas ſententias, cenſuras & pœnas incurrere debeant: quodque vobis, dummodo cauſam non dederitis interdicto hujuſmodi, ut januis apertis, & campanis pulſatis, Miſſas & alia Divina officia celebrare valeatis, niſi perſona, ad cujus inſtantiam interdictum prædictum fuerit appoſitum, in eiſdem domibus degentibus Fratribus de alimentis, & aliis victui neceſſariis rebus competenter provideri fecerit, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Ac præſentes per quaſcumque alias concedendas litteras Apoſtolicas nullatenus ſuſpenſas, revocatas, ſeu alteratas cenſeri. Ac quia difficile foret præſentes ad unaquæque loca deferri poſſe &c. Non obſtantibus præmiſſis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXIII. Julii MDXIX. Pontificatus noſtri anno VII.

XLIV.

Approbat introductionem Monialium in Monaſterium ſanctæ Claræ Saonenſe, earumque reformationem. Ex Reg. Ciſm. fol. 13.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterii ſanctæ Claræ Saonen. Reformatis.

§. I. Accepimus nuper non ſine magna animi noſtri lætitia, vos juxta tenorem aliarum noſtrarum litterarum in forma Brevis ad ſupplicationem dilectorum filiorum Communitatis Civitatis Saonen. conceſſarum, per Vicarium venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Saonen. in ſpiritualibus Generalem, ac Miniſtrum Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ provinciæ Januæ, ſub cujus cura & regimine laudabiliter permanſiſtis, & deinceps permanere intenditis, in poſſeſſionem Monaſterii veſtri S. Claræ dictæ Civitatis Saonen. introductas fuiſſe, atque inibi ſub reformatione regularis vitæ & diſciplinæ, cum univerſali dictæ Civitatis gaudio, cum animarum veſtrarum pace & tranquillitate, per bonorum operum exhibitionem Domino famulari.

§. II. Nos itaque, ut ſpiritualis veſter profectus, ſicut optamus, in dies majora ſuſcipiat incrementa, ſervorque devotionis veſtræ magis intendatur, quanto amplioribus fueritis ſpiritualibus gratiis & favoribus communitæ, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium introductionem veſtram hu-

hujuſmodi, ac adeptionem poſſeſſionis & reformationem in capite & in membris in dicto Monaſterio, ut præmittitur, factam, & per venerabilem fratrem noſtrum Bernardinum Epiſcopum Sabinen. dicti Ordinis Minorum Viceprotectorem diligenter examinatam, & inde ſecuta quæcumque, ut in poſterum quietius, ſemoto litium quarumcumque fomite, Deo, cui vos dedicaſtis, inſervire valeatis, auctoritate Apoſtolica, ex noſtra certa ſcientia, tenore præſentium confirmamus & approbamus, ac omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus: ac volumus, decernimus & declaramus, vos, & pro tempore exiſtentes ejuſdem Monaſterii Abbatiſſam & Moniales perpetuis futuris temporibus in poſſeſſione, reformatione, ac ſub cura & regimine prædictis perſeverare debere. Et nihilominus quatenus opus ſit, poſſeſſionem ipſam pro potioris cautelæ ſuffragio, tamquam legitime apprehenſam, una cum dicti Monaſterii omnibus & ſingulis juribus, facultatibus, bonis, proventibus, reditibus & emolumentis prædicto Monaſterio tam in ſpiritualibus, quam temporalibus ſpectantibus & pertinentibus adjudicamus; ita ut ipſorum bonorum, jurium, facultatum & proventuum per vos, & Procuratores ſeu Syndicos & œconomos dicti Monaſterii pro tempore conſtituendos, juxta tamen ſeriem & tenorem litterarum hujuſmodi, alias ad inſtantiam dictæ Communitatis conceſſarum, habere & diſponere tam pro uſibus & neceſſitatibus veſtris, ac dicti veſtri Monaſterii, quam pro fabrica & reparatione illius, ac ornamentis & aliis opportunis, prout vobis ſecundum Regulam & inſtituta regularia veſtræ profeſſionis viſum fuerit, poſſitis & valeatis.

§. III. Inſuper vos, & Monaſterium prædictum curæ, regimini & adminiſtrationi, correctioni & viſitationi Miniſtrorum totius Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, ac provinciæ Januæ pro tempore exiſtentium juxta & ſecundum formam & conſuetudinem & morem aliorum Monaſteriorum ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, curæ prædicti Miniſtri Provincialis Januæ commiſſorum ſubjicimus, ac ab omni alia cura, ſubjectione ſeu regimine abſolvimus. Et inſuper vobis pro veſtra ſpirituali conſolatione, quod omnibus & ſingulis indulgentiis, conceſſionibus, immunitatibus, privilegiis, favoribus & gratiis tam ſpiritualibus, quam temporalibus per Nos & prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices ac Sedem Apoſtolicam, ſub quibuſvis verborum formis & tenoribus, Monaſteriis ac Monialibus dicti Ordinis ſanctæ Claræ conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, frui & gaudere poſſitis & valeatis, dicta auctoritate, earumdem tenore præſentium indulgemus: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XII. Octobris MDXIX. Pontificatus noſtri anno VII.

XLV.

Ut poſſint vendere, alienare & permutare bona immobilia Monaſteriorum Monialium, & Tertii Ordinis, in evidentem eorumdem utilitatem. Ex Bullar. Roder. num. 26.

Dilectis filiis Generali, ac univerſis provincialibus Miniſtris Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ nunc & pro tempore exiſtentibus.

CUm ſæpenumero accidat, quod pro urgenti neceſſitate, aut aliqua evidenti utilitate bona immobilia Conventuum, locorum, ac Monaſteriorum Monialium provinciarum veſtrarum reſpective commiſſarum, alienare

vel permutare expedit, & ea ſe offert opportunitas, quæ ſemel prætermiſſa magnam affert jacturam. Nos hinc paterno affectu conſiderantes, indemnitati & utilitati Monaſteriorum, Conventuum & locorum hujuſmodi, quantum cum Deo poſſumus, opportune conſulere cupientes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ut pro emergentibus neceſſitatibus & evidentibus utilitatibus Conventuum & locorum veſtri Ordinis, & Monaſteriorum Monialium ſanctæ Claræ, neenon Tertii Ordinis beati Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, in dictis provinciis conſiſtentium, vendere, alienare ac permutare quælibet bona immobilia de conſenſu duarum partium Conventuum, locorum, ac Monaſteriorum, quorum dicta bona fuerint, ac de conſenſu majoris partis earumdem, etiam ultra triennium locare, ultimis teſtatorum voluntatibus non obſtantibus; dummodo in Convetuum, locorum & Monaſteriorum ipſorum evidentem utilitatem, habita diligenti informatione a duobus vel tribus bonis viris locorum, in quibus bona conſiſtent, cedere dignoſcatur, ſuper quo prudentiam veſtram & bonorum virorum hujuſmodi requirimus, & conſcientiam oneramus, licentiam & facultatem harum ſerie vobis concedimus. Inſuper, ut locationes in præjudicium domorum & Monaſteriorum ipſorum factas retractare, permutationes & venditiones, quæ per ignorantiam conſtitutionis fel. rec. Pauli Papæ II. prædeceſſoris noſtri, in evidentem tamen utilitatem & neceſſitatem factæ fuerint, dum id conſtet coram Vicario Epiſcopali loci, confirmare & approbare poſſitis & valeatis, præſentium tenore, eadem auctoritate indulgemus: conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, præſertim dicti Pauli noſtri prædeceſſoris, aliiſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXVII. Novembris MDXIX. Pontificatus noſtri anno VII.

XLVI.

Declarat quinam & qualiter lucrari poſſint indulgentias conceſſas Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Populo. Ibid. num. 30.

Univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis.

§. I. DUdum per Nos accepto, quod Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, aliqui ad Minorum, alii ad Eremitarum ſancti Auguſtini, alii ad beatæ Mariæ de Monte Carmelo, reliqui ad Prædicatorum Ordinis Fratres & domos, juxta ipſorum vota devotionis affectum gerentes, illorum ſingulis nonnullas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, ac dona tam ſpiritualia, quam temporalia, per diverſas ipſorum Prædeceſſorum litteras reſpective conceſſerunt. Nos ad ſingulos Ordines prædictos, ſingulaſque ipſorum Ordinum domos, ubi religioſe vivitur, indifferenter, abſque acceptione perſonarum, devotionis affectum æqua lance gerentes, omnes & ſingulas gratias & conceſſiones, indulgentias & peccatorum remiſſiones, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta tam ſpiritualia, quam temporalia qualiacumque illa eſſent, quæ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, Carmelitarum, Servorum beatæ Mariæ, ac Minimorum Fratrum in domibus, & illorum Eccleſiis, Oratoriis, ac Eccleſias & Oratoria ipſa pro tempore viſitantibus, cujuſcumque ſtatus aut ſexus, pro earum ma-

manutentione & ornatu contribuentibus, necnon domibus, & præſidentibus, non ſolum Generalibus, ſed & Provincialibus, Fratribuſque & Sororibus, necnon Monialibus & Converſis, Oblatis, ac utriuſque ſexus perſonis, de Pœnitentia ſeu tertii habitus nuncupatis, a dictis Prædeceſſoribus, aut a nobis, ipſiſque ſucceſſoribus, aut alias auctoritatem habentibus, conjunctim vel diviſim, in genere vel in ſpecie conceſſa fuerunt, aut in poſterum concedentur, illa omnia & ſingula, ac ſi nominatim exprimerentur, pro ſufficienter expreſſis tunc habentes, ſingulis Ordinibus prædictis, illorumque ſingulis Eccleſiis, Oratoriis, ac Eccleſias & Oratoria viſitantibus, cujuſcumque ſtatus aut ſexus exiſterent, ſeu pro earum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon domibus & Conventualibus Fratribus etiam, & Sororibus ſive Monialibus, Converſis quoque & Oblatis, ac utriuſque ſexus perſonis, de Pœnitentia nuncupatis, & aliis ſingulorum Ordinum prædictorum, motu proprio, & ex mera noſtra ſcientia & liberalitate, & de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine communicavimus, illaque omnia & ſingula inter dictorum Ordinum perſonas pariformiter communia fuiſſe & eſſe voluimus; prout in ſingulis litteris prædictis plenius continetur.

§. II. Et deinde, ſicut accepimus, nonnulli Fratres dictorum Ordinum volentes ſapere pluſquam oportet, atque ad ipſorum nutum verba interpretantes, diverſis tam ſecularibus, quam etiam aliis perſonis publice & private ſuggeſſerunt, quod ipſi ſeculares viſitando unam dictorum Ordinum domum, omnes & ſingulas indulgentias & remiſſiones peccatorum, tam per dictos Prædeceſſores noſtros, quam per Nos domui beatæ Mariæ de Populo de Urbe conceſſas, conſequi poterant, perinde ac ſi dictam domum ſanctæ Mariæ de Populo viſitarent, quod præter ipſorum Prædeceſſorum & noſtram mentem fuiſſe & eſſe dignoſcitur.

§. II. Attendentes igitur quod indulgentia intuitu Religionis conceſſa, ad ſeculares extendi non debet, volentes mentem dictorum Prædeceſſorum & noſtram declarare, & omnem ambiguitatem & occaſionem tollere, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia volumus, & Apoſtolica auctoritate declaramus, quod univerſi & ſinguli dictorum Ordinum Fratres & Moniales, Tertiique Ordinis utriuſque ſexus, & familiares dumtaxat, omnibus & ſingulis indulgentiis & gratiis per eoſdem Prædeceſſores & Nos domui beatæ Mariæ de Populo de Urbe, ut præfertur, conceſſis & concedendis utantur, potiantur & gaudeant, ac uti, potiri & gaudere poſſint quomodolibet in futurum, perinde ac ſi ipſi dictam domum beatæ Mariæ de Populo, his diebus & feſtivitatibus, quibus indulgentiæ hujuſmodi conceſſæ fore dignoſcuntur, perſonaliter viſitarent: quodque vigore prædictarum litterarum ſeculares gratiis & indulgentiis hujuſmodi uti & gaudere non poſſint. Inhibentes nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo per contrafacientes incurrenda, omnibus & ſingulis Fratribus, cujuſcumque Ordinis exiſtentibus, & quibuslibet aliis perſonis, ne deinceps indulgentias & gratias hujuſmodi ſanctæ Mariæ de Populo de Urbe, ad ſeculares extendi prædicent, aut publice vel private nuncient. Non obſtantibus præmiſſis aut quibuſvis aliis litteris Apoſtolicis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die x. Decembris MDXIX. Pontificatus noſtri anno VII.

XLVII.

Concedit Sororibus Ordinis ſanctæ Conceptionis omnia privilegia & gratias conceſſa Fratribus Obſervantibus, Clariſſis, & Tertii Ordinis profeſſoribus. Ex Reg. Ultram. fol. 44.

Dilectis filiis Generali, ac univerſis Provincialibus Miniſtris Ordinis Minorum ſancti Franciſci nunc & pro tempore exiſtentibus.

QUia nuper accepimus nonnulla in partibus Hiſpaniarum Monaſteria Monialium Ordinis Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ ſub veſtra obedientia in regulari obſervantia, die noctuque Altiſſimo famulatum præſtare; Noſque propterea volentes ipſis gratiam facere ſpecialem, ut omnibus & ſingulis privilegiis, conceſſionibus, prærogativis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis & indultis ſpiritualibus & temporalibus per Nos & Sedem Apoſtolicam Fratribus dicti Ordinis & Obſervantiæ, ac Monialibus ſanctæ Claræ, & Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci quomodolibet conceſſis & concedendis, & quibus Fratres, Moniales & Sorores hujuſmodi de jure vel privilegio aut conſuetudine patriæ utuntur, potiuntur & gaudent, ſeu uti potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, quæ Nos tenore præſentium pro expreſſis & individuis enarratis haberi volumus, eiſdem Monialibus Conceptionis in eadem obedientia permanentibus, ad ipſius Ordinis fundationem & in futurum utantur, potiantur & gaudeant, ac uti potiri & gaudere poſſint in omnibus & per omnia, perinde ac ſi ipſis conceſſa fuiſſent, tenore præſentium, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, de ſpecialis dono gratiæ concedimus. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios ſeu delegatos in foro contentioſo, ac per quoſcumque Confeſſores ſuos in foro conſcientiæ, dum & quoties opus fuerit, interpretari, judicari & definiri debere, ſublata eis aliter interpretandi & judicandi facultate, volumus & mandamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die x. Februarii MDXIX. Pontificatus noſtri anno VII.

Anno Christi 1520. Leonis X. anno 7. & 8.

XLVIII.

Ut faciant exequi litteras Apoſtolicas circa conſtructionem domus, & Oratoriorum oppidi de Romanis. Ex Reg. Ciſm. fol. 19.

Venerabili fratri moderno Epiſcopo Gratianopolitano, vel dilecto filio ejus Officiali.

§. I. EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Ordinis Minorum de Obſervantia, provinciæ ſancti Bonaventuræ, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, quod alias poſtquam Nos certis rationabilibus cauſis moti, ad ſupplicationem dilecti filii Romaneti Boffini & nonnullorum aliorum incolarum oppidi de Romanis, Viennen. diœceſis, tunc Epiſcopo Valentinen. & nonnullis aliis, quatenus eiſdem Romaneto & incolis in quodam loco ſeu territorio mediocriter eminenti, prope dictum oppidum ad ipſum Romanetum legitime pertinente, in quo ipſe Romanetus unum

unum Eremitorium, *Mons Calvariæ* nuncupatum, & alia ædificia aut oratoria, ſepulcrum dominicum, & cetera Dominicæ paſſionis myſteria repræſentantia, partim ſuis ſumptibus, partim illuc devote accedentium piis eleemoſynis & oblationibus conſtrui fecerat, unam domum ſub *Montis Calvariæ*, vel alia invocatione, de qua eis videretur, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione dictorum Fratrum, ſine alicujus præjudicio conſtrui & ædificari faciendi licentiam concederent, per quaſdam noſtras ſub plumbo litteras mandaveramus.

§. II. Et deinde cum dictus Epiſcopus per certos Judices in partibus illis ad venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Viennen. ac dilectorum filiorum Sacriſtæ & Capituli Eccleſiæ ſancti Bernardi dicti oppidi inſtantiam, ne in hujuſmodi mandati executionem procederet; impeditus fuiſſet, & dicti Judices ordinationem noſtram hujuſmodi limitare præſumpſiſſent; Nos Viceſgerenti Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Avenionen. & certis aliis ejus in ea parte collegis, aliis noſtris in forma Brevis litteris dedimus in mandatis, ut ad dictæ domus erectionem, juxta dictarum priorum litterarum tenorem ſummarie, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, & alias ſub modis & formis ibi expreſſis procederent: necnon Archiepiſcopo & Canonicis prædictis, & aliis perſonis, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſterent, ne dictorum Viceſgerentis & ejus collegarum proceſſum deſuper faciendum impedirent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, per contraſacientes eo ipſo incurrenda, inhibuimus.

§. III. Poſtquam vero nobis expoſito, quod ipſe Viceſgerens ad executionem litterarum ſibi directarum hujuſmodi rite procedens, dicto Romaneto & incolis, ſeu pro eis dictis Fratribus, unam domum in dicto Monte, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro eorumdem Fratrum uſu & habitatione perpetuis, conſtrui & ædificari faciendi licentiam conceſſerat, & apud ipſos Fratres curam, cuſtodiam & adminiſtrationem dictorum Eremitorii & Oratoriorum, & aliorum ædificiorum eſſe debere declaraverat, ſalvo jure dicti Archiepiſcopi in directo dominio dicti loci, ſi illud ſibi competeret, ac dictorum Sacriſtæ & Capituli, tam in decimis, quam in oblationibus & aliis rebus tunc expreſſis. Sed dictis Sacriſta & Capitulo prætendentibus ſe a conceſſione & declaratione hujuſmodi appellaſſe, & cauſam appellationis hujuſmodi per tunc Legatum Sedis Apoſtolicæ in Civitate noſtra Avenionen. vel ejus Vicelegatum, tunc Archidiaconum Eccleſiæ Valentinen. committi obtinuiſſe, ipſe Archidiaconus in cauſa appellationis hujuſmodi perperam procedens, quamdam, ut dicebat, per quam geſta per dictum Viceſgerentem nulla eſſe, & Fratres prædictos ad obſervandam dictorum ordinationem Judicum teneri pronunciavit, ſententiam promulgaverat iniquam: a qua pro parte dictorum Fratrum, ſeu Romaneti & incolarum ad eumdem Legatum appellato, dictus Legatus cauſam poſterioris appellationis hujuſmodi venerabili fratri noſtro Epiſcopo Auraicen. commiſerat; & ipſe Epiſcopus in cauſa ſibi commiſſa hujuſmodi perperam procedens, quamdam, ut dicebat, pro dictis Sacriſta & Capitulo, & contra eoſdem Fratres, ſeu Romanetum & incolas ſententiam promulgaverat, & ab ea pro eorumdem Fratrum, ſeu Romaneti & incolarum parte ad eumdem Legatum iterum appellato, idem Legatus ultimæ appellationis hujuſmodi cauſam tibi frater Epiſcope, vel tuo Officiali commiſerat. Nos

per

per alias noſtras litteras in forma Brevis tibi commiſimus & mandavimus, quatenus ſi omnibus diligenter examinatis, invenires ſundationem dicti loci in præjudicium dictorum Canonicorum non cedere, ſententiam in favorem dictorum Fratrum latam confirmares & approbares, & contrarias ſententias revocares, & a ſententia tua hujuſmodi appellari, aut de nullitate dici, vel aliter reclamari non poſſe, ſed illam perpetuo inviolabiliter obſervari debere decrevimus; prout in ſingulis litteris prædictis, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro expreſſis haberi volumus, plenius dicitur contineri.

§. IV. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Sacriſta & Capitulum prætendant, quod Romanetus prædictus omne jus, quod ſibi in monte & loco prædictis competebat, eidem Capitulo ceſſit & donavit, & quod ipſi ceſſionem & donationem hujuſmodi acceptarunt, illaſque confirmari, & alii aliqua deſuper ordinari auctoritate Apoſtolica obtinuerunt, & propterea tu litteras tibi directas prædictas nondum executioni mandaveris, quinimo forſan coram te ad aliquos actus judiciales per partes ipſas proceſſum fuerit; pro parte eorumdem Fratrum aſſerentium in ſupplicatione deſuper confirmatione hujuſmodi ſignata expreſſe contineri, quod dictus Romanetus ſupplicabat, & tamen litteræ ipſæ ad ipſius Romaneti ſupplicationem expeditæ non fuerint; Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque ſtatum & merita cauſæ & cauſarum hujuſmodi, aliorumque omnium & ſingulorum hic forſan de neceſſitate exprimendorum tenores, & clauſulas pro ſufficienter expreſſis habentes, attendentes quod ſi in ſupplicatione nobis ſuper confirmatione ceſſionis, ac donationis prædictarum, & inſtrumenti deſuper confecti correcta, expreſſum fuit, quod etiam dictus Romanetus pro confirmatione & aliis in eadem ſupplicatione contentis ſupplicabat, & in litteris deſuper confectis de precibus hujuſmodi Romaneti nulla mentio facta extitit, litteræ eiſdem Sacriſtæ & Capitulo in aliquo ſuffragari non deberent, omnium & ſingularum litterarum prædictarum, ac dicti & quorumcumque aliorum inſtrumentorum ac ſcripturarum occaſione præmiſſorum quomodolibet confectorum tenores pariformiter præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, diſcretioni tuæ per præſentes committimus & mandamus, quatenus ſi tibi conſtiterit, quod in ſupplicatione contineatur, quod ipſe Romanetus ſupplicabat, ac quidem litteræ expeditæ fuerint, nulla in eis mentione facta de ipſius Romaneti ſupplicatione, ad litterarum tibi directarum prædictarum totalem exequutionem procedas, & quæcumque ad id opportuna omnino facias & exequaris in omnibus & per omnia, perinde ac ſi litteræ confirmationis hujuſmodi a nobis non emanaſſent. Contradictores quoslibet &c. compeſcendo, invocato etiam &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Boniſacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVI. Junii MDXX. Pontificatus noſtri anno VIIt.

XLIX.

Concedit ei facultatem ædificandi Conventum Obſervantum, cui præficit Nicolaum de Oria fundatoris conſanguineum. Ibid. ſol. 21.

Dilecto filio nobili viro Franciſco de Oria.

§. I. CUm, ſicut nobis nuper exponi feciſti, tu ſervore devotionis accenſus, quem ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nun-

nuncupatorum geris, desideres in capella *sanctæ Mariæ de la Grotta*, aut alio loco per te infra territorium dictæ Cassanen. diœcesis eligendo, ad id commodo & convenienti, unam domum sub invocatione ejusdem *sanctæ Mariæ de la Grotta* Ordinis & Observantiæ prædictorum, pro perpetuis usu & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis & Observantiæ hujusmodi, de bonis tibi a Deo collatis, construere & ædificare, seu construi & ædificari facere. Nos, qui Divini cultus augmentum & animarum salutem summopere affectamus, te in hujusmodi devoto proposito consovendo, specialibusque favoribus & gratiis prosequi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi in dicta Ecclesia *de la Grotta*, aut alio honesto & condecenti loco, per te & Ministrum provinciæ Basilicatæ Ordinis Minorum Regularis Observantiæ, de consilio aliquorum proborum Fratrum ejusdem Ordinis eligendo, unam domum sub dicta invocatione *sanctæ Mariæ de la Grotta*, Ordinis & Observantiæ prædictorum, cum Ecclesia, campanili humili, campana, dormitorio, refectorio, claustro, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis necessariis officinis, sub cura, directione, visitatione & correctione dilecti filii Ministri provincialis pro tempore existentis provinciæ Basilicatæ, Ordinis & Observantiæ hujusmodi, secundum morem dicti Ordinis, pro perpetuis usu & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis & Observantiæ prædictorum construendi & ædificandi, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, de speciali dono gratiæ licentiam concedimus pariter & indulgemus: mandantes nihilominus Ministro & Fratribus prædictis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, eo ipso, si contrafecerint, incurrenda, quatenus dictam domum & Fratres ejusdem sub ejus cura, directione, visitatione & correctione recipiant.

§. II. Volumus autem, quod, postquam erectio hujusmodi facta fuerit, ut præfertur, Fratres in ipsa pro tempore degentes, omnibus & singulis privilegiis, gratiis, concessionibus, immunitatibus & exemptionibus, favoribus & indultis spiritualibus & temporalibus, aliis domibus, & illarum Fratribus Ordinis & Observantiæ hujusmodi in genere pro tempore concessis, parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius jure in omnibus semper salvo, uti, potiri & gaudere libere & licite possitis & valeatis, ac fabricæ dictæ domus construendæ ex nunc dilectum filium fratrem Nicolaum de Oria Ordinis & Observantiæ hujusmodi de consensu Superioris sui præficimus & deputamus. Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die VIII. Julii MDXX. Pontificatus nostri anno VIII.

L.

Ut possint acceptare Conventum in Terra Mandelli. Ibid. fol. 21.

Dilectis filiis Ministro Provinciali & Fratribus Ordinis Minorum Observantiæ, provinciæ Mediolanen. secundum morem dicti Ordinis.

§. I. CUm, sicut exponi nobis feciſtis, alias quondam Victor de Trincavellis laicus, dum viveret, Comen. diœcesis, pia devotione ductus, domum suam in Terra Mandelli dictæ diœcesis consistentem, & quartam omnium bonorum suorum partem Fratribus Ordinis Minorum Regularis Observantiæ, cum onere construi faciendi ex domo & bonis prædictis unam domum pro usu & habitatione unius Guardiani, & aliquorum Frā-

Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, in qua ipſi Fratres Divina officia quotidie celebrarent; & ſi Fratres prædicti legatum ipſum acceptare nollent, illud Fratribus cujuſvis alterius Ordinis regularis obſervantiæ ſub hujuſmodi onere devolveretur, legaverit, & domus conſtituenda hujuſmodi ob propinquitatem alterius Ordinis regularis obſervantiæ, conſiſtentis apud Burgum Leucii dictæ diœceſis, ab eadem terra non ultra quatuor milliaria diſtantis, & inſufficientiam legati hujuſmodi ad ipſius conſtruendæ domus fabricam, & etiam ex eo, quod Conventus Fratrum hujuſmodi inibi ob ſterilitatem loci ex quotidianis eleemoſynis ſuſtentari non poſſet, ſine magno veſtro diſpendio conſtrui nequeat, ac vos de conſenſu hæredum Victoris, & conſilio primorum terræ hujuſmodi, loco dictæ conſtruendæ domus unam Eccleſiam cum hoſpitio competenti pro uſu Fratrum Ordinis Minorum provinciæ veſtræ conſtrui facere decreveritis, ſi vobis ad hoc Sedis Apoſtolicæ licentia ſuffragetur. Quare humiliter nobis ſupplicari feciſtis, ut huic piæ intentioni veſtræ annuere ex benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Ordinem veſtrum præ ceteris in viſceribus gerimus caritatis, volentes indemnitati veſtræ, & ne piæ teſtantium voluntates penitus evaneſcant, paterna ſollicitudine providere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis legatum hujuſmodi acceptandi, & de conſenſu hæredum, ſi qui ſunt, vel primorum terræ ipſius, & ex eo, loco conſtruendæ domus hujuſmodi, in domo dicti Victoris, vel alio loco, vobis canonice aſſignando, ubi magis commoditati veſtræ expedire cognoveritis, unam Eccleſiam cum Altaribus, campanili humili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum Ordinis Minorum & Obſervantiæ prædictorum, in quibus ipſi Fratres Miſſas celebrare, & prædicationis ac confeſſionis officia, & alia animarum Chriſtifidelium ſalutem concernentia, exercere valeant, conſtrui faciendi juxta dicti Victoris ordinationem, ita quod ad conſtructionem alterius domus pro ordinaria habitatione eorumdem Fratrum, ac canonicam celebrationem inibi faciendam minime teneri, nec ad id a quoquam compelli valeatis, nec etiam domus legata, ac quarta pars bonorum hujuſmodi ad alios Fratres devolvatur, licentiam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus. Nos enim eidem domui, poſtquam conſtructa fuerit, & Fratribus in ea pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, indultis, ſavoribus, prærogativis, indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus tam in vita, quam in mortis articulo aliis domibus, & ceteris Ordinis Fratrum Minorum Obſervantiæ hujuſmodi conceſſis, & quibus utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere libere poſſint; jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius ſemper ſalvo, eiſdem auctoritate & tenore concedimus & indulgemus. Non obſtantibus voluntate dicti Victoris, quam quoad hoc de hæredum conſenſu commutamus, ac ſel. rec. Boniſacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri inter alia prohibentis, ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres nova loca ad habitandum recipere præſumant abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de hujuſmodi prohibitione mentionem, & aliis quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XI. Julii MDXX. Pontificatus noſtri anno VIII.

LI.

Ut acceptent Conventum in Monte Calvo. Ibidem.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Terræ-laboris, ſecundum morem dicti Ordinis.

§. I. EXponi nobis nuper feciſtis, quod dilectus filius Sigiſmundus Carafa, ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem veſtrum gerit, & uberes animarum fructus, quos ex Fratrum ejuſdem Ordinis exemplari vita, & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperat, terrena in cœleſtia felici commercio commutare ſatagens, quamdam domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, aliiſque neceſſariis officinis, necnon hortis & hortalitiis, pro perpetuis uſu & habitatione eorumdem Fratrum, ſub invocatione de qua vobis videbitur, in loco de Monte Calvo, Beneventanæ diœceſis ædificare intendit: proinde nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis domum prædictam recipiendi licentiam & facultatem concedere, aliaſque de præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus incrementum noſtris potiſſimum temporibus ubique fieri deſideramus, ut votis fidelium omnium, ex quibus præcipue ſpiritualibus profectibus Altiſſimo famulantium, & ſalutaribus fructibus populorum animabus conſulitur, libenter annuimus, eaque, quantum cum Deo poſſumus, favore benevolo confovemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Sigiſmundo domum pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum veſtri Ordinis Regularis Obſervantiæ ipſam conſtruendam, ſeu cum omnibus ſupradictis conſtrui faciendam, vobiſque illam, poſtquam conſtructa & ædificata fuerit, recipiendam, & perpetuis futuris temporibus inhabitandam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam & facultatem concedimus. Nos enim, ut domus prædicta, ac illius Guardianus & Fratres pro tempore degentes, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis &c. uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate & tenore præmiſſis concedimus pariter & indulgemus. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XI. Julii MDXX. Pontificatus noſtri anno VIII.

LII.

Ut Fratres Obſervantes poſſint admittere Eccleſiam ſancti Protaſii in urbe Placentina. Ibid. fol. 22.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. SOlet Sedis Apoſtolicæ circumſpecta benignitas devotorum fidelium juſtis deſideriis favorabiliter annuere, ipſoſque in his præſertim, cum mentes eorum cœleſti pabulo refici, ac exinde ab omnibus optatam animarum ſalutem feliciter conſequi ſperatur, liberaliter exaudire.

§. II. Sane pro parte dilectorum filiorum modernorum Guardiani & Fratrum domus ſanctæ Mariæ de Nazareth, extra & prope muros Placen-

tin. Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, & Antonini de Muſſis Rectoris Parochialis Eccleſiæ ſancti Protaſii Placentin., necnon dilectarum in Chriſto filiarum modernæ Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii Monialium ſanctæ Mariæ Magdalenæ etiam Placentin. Ordinis ſanctæ Claræ, ſub cura dictorum Guardiani & Fratrum ac Regulari Obſervantia viventium, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet alias dictus Antoninus, conſiderans Fratres dicti Ordinis Minorum, etiam de Obſervantia nuncupatorum, non habere in Civitate Placentin. aliquem idoneum locum, in quo prædicationis officium, animarum Chriſtifidelium ſaluti perneceſſarium exercere poſſent; ac cupiens pro ſua erga dictos Fratres ſingulari devotione, eiſdem Fratribus de hujuſmodi loco provideri, Eccleſiam prædictam in loco ad hoc commodo conſiſtentem, Guardiano & Fratribus dictæ domus pro hujuſmodi officio exercendo dumtaxat concederit, & ipſi Guardianus & Fratres ad majorem Chriſtifidelium pro audiendis prædicationibus hujuſmodi in dicta Eccleſia convenientium commoditate, ex eleemoſynis per ipſos Chriſtifideles, opera tamen, ſtudio & perſuaſionibus Guardiani & Fratrum dictæ domus, ac ipſorum intuitu erogatis, Eccleſiam prædictam nimia vetuſtate ruinam minantem, ſumptuoſo opere de novo conſtrui & ampliari facere incœperint, & ut, Deo dante, perfici poſſit, pro viribus operam præſtare intendant. Tamen dicti moderni Guardianus & Fratres dubitant, poſtquam ex eorum induſtria Eccleſia prædicta in ſuis ædificiis & ſtructuris perfecta fuerit, ſe exinde per aliquem ipſius Eccleſiæ Rectorem expelli, & ab officio prædicandi hujuſmodi prohiberi, ac Chriſtifideles eleemoſynas hujuſmodi erogantes, eorum laboribus & effectu ſui pii deſiderii fruſtrari timentes, ab erogandis eleemoſynis retrahi in animarum ſuarum, & ipſius Eccleſiæ maximum detrimentum.

§. III. Verum ſi modernæ, & pro tempore exiſtenti Abbatiſſæ & Conventui dicti Monaſterii Jus patronatus, & præſentandi Ordinario loci perſonam idoneam ad ipſam Eccleſiam, quoties illam deinceps futuris temporibus vacare contigerit, ita tamen, quod ipſa Abbatiſſa, cum duabus ex Monialibus dicti Monaſterii per eam pro tempore eligendis dumtaxat, perſonam ipſum præſentare poſſint, & unum ex agnatione dicti Antonini, ei proximiorem, & aliquo ex eis idoneo non reperto, unum etiam idoneum ſi reperiatur ex deſcendentibus dilecti filii Marii Agniſoli Civitatis, utriuſque juris Doctoris Placentinen., alioquin alium idoneum præſentare teneantur. Et ſi dictus Ordinarius præſentatum hujuſmodi infra terminum unius diei a tempore factæ præſentationis hujuſmodi computandum non inſtituerit, ipſe præſentatus ex tunc auctoritate Apoſtolica inſtitutus cenſeatur, reſervaretur & concederetur. Ac quidem de cetero etiam perpetuis futuris temporibus Fratres dicti Ordinis Minorum ad id per eorum Superiores deputati, in dicta Eccleſia prædicare volentes, id pro eorum voluntate facere, nec per Rectorem ipſius Eccleſiæ pro tempore exiſtentem, ſeu quoſcumque alios etiam cujuſvis Ordinis Religioſos, & quavis auctoritate fulgentes, deſuper impediri poſſent, ac nullus alius, cujuſcunique dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis fuerit, in dicta Eccleſia ſine conſenſu Guardiani & Fratrum domus prædictæ pro tempore exiſtentium, prædicare valeat, ſtatueretur & ordinaretur, profecto dicta Eccleſia opera & induſtria Guardiani & Fratrum dictæ domus, & Chriſtifidelium eleemoſynis, citius & facilius ad optatum finem perduceretur: ipſique Guardianus & Fratres ſperantes Abbatiſſam & Moniales prædictas aliquam ipſis Guardiano & Fratribus amicabilem perſonam ad dictam Eccleſiam, illius occurrente vacatione, præſentaturas fore, aliquem ejuſdem Ordinis probum & litteratum vi-

virum, qui ſincera erga Deum & proximum caritate in dicta Eccleſia ſingulis annis, temporibus opportunis & conſuetis prædicaret, per eorum Superiores deputari curarent, in Divini cultus in eadem Eccleſiæ augmentum, et animarum ſalutem, ac civium et aliorum incolarum Civitatis prædictæ ſpiritualem conſolationem. Quare pro parte modernorum Guardiani & Fratrum dictæ domus, & Abbatiſſæ ac Conventus, necnon Antonini prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Abbatiſſæ & Conventui præfatis, Jus patronatus & præſentandi eidem Ordinario perſonam idoneam ad dictam Eccleſiam, quoties illam pro tempore vacare contigerit, per ipſum Ordinarium ad præſentationem hujuſmodi in illius Rectorem inſtituendam, ut præfertur, reſervare & concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur, qui animarum ſalutem ſinceris exoptamus affectibus, modernos Guardianum & Fratres, ac Abbatiſſam & Conventum, necnon Antoninum prædictos ac eorum ſingulos, a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, modernæ & pro tempore exiſtenti Abbatiſſæ & Conventui prædictis Jus patronatus & præſentandi dicto Ordinario perſonam idoneam ad Eccleſiam prædictam, quoties illam deinceps perpetuis futuris temporibus, etiam apud Sedem Apoſtolicam vacare contigerit, per eumdem Ordinarium ad præſentationem hujuſmodi in Rectorem dictæ Eccleſiæ inſtituendam, ita tamen, quod ipſæ Abbatiſſa & Moniales unum ex agnatione Antonini ei proximiorem, & aliquo ex agnatione hujuſmodi idoneo non reperto, unum etiam idoneum ſi reperiatur ex deſcendentibus Marii prædictorum, alioquin alium idoneum præſentare teneantur, & ſi dictus Ordinarius præſentatum hujuſmodi infra dictum terminum non conſtituerit, ipſe præſentatus ex tunc Apoſtolica auctoritate inſtitutus ſit, & eſſe cenſeatur, Apoſtolica auctoritate prædicta, tenore præſentium concedimus & aſſignamus. Ac quidem Ordinis prædicti Minorum Fratres, ut præmittitur, deputati in dicta Eccleſia prædicare volentes, id pro eorum voluntate facere, nec per Rectorem ipſius Eccleſiæ pro tempore exiſtentem, ſeu quoſcumque alios etiam cujuſvis alterius Ordinis Religioſos, quavis, etiam Apoſtolica auctoritate fulgentes impediri poſſint; nulluſque alius, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtat, in dicta Eccleſia, niſi de conſenſu Guardiani & Fratrum dictæ domus pro tempore exiſtentium prædicare valeat, dicta auctoritate Apoſtolica, earumdem tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus: decernentes Jus patronatus hujuſmodi Laicorum, & non Clericorum cenſeri, & eiſdem Abbatiſſæ & Conventui, ac ſi Eccleſiam prædictam fundaſſent & dotaſſent, competere, illique per quaſcumque dictæ Sedis vel Legatorum ejus litteras quomodolibet, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine pro tempore conceſſas & concedendas, ac quaſcumque regulas etiam derogatoriarum derogatorias continentes, derogari non poſſe; & ſi derogetur, ipſa derogatio minime ſuffragetur, niſi ipſarum Abbatiſſæ & Conventus ad id expreſſus accedat aſſenſus: Sicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales interpretari, judicari & definiri debere, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter interpretandi, judicandi & definiendi facultate: ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. V. Quocirca venerabili fratri noſtro Epiſcopo Cremonenſi, & dilectis filiis Præpoſito ſanctæ Agathæ Cremonenſis, ac Archipresbytero Caſtri Arquati, Placentin. diœceſis Eccleſiarum per Apoſtolica ſcripta man-

damus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Guardiani & Fratrum, ac Abbatiſſæ & Conventus, necnon Antonini prædictorum, ſeu alicujus eorum deſuper fuerint requiſiti, eis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra reſervationem, conceſſionem, aſſignationem, ſtatutum, ordinationem & decretum prædicta firmiter obſervari, ac ipſos Guardianum & Fratres, ac Antoninum, & Abbatiſſam ac Conventum illis reſpective pacifice gaudere: non permittentes eos per quoſcumque deſuper quomodolibet indebite moleſtari: Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam &c. compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus ſel. record. Boniſacii Papæ VIII. &c. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque &c. Nulli ergo omnino &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno MDXX. XIII. Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno VIII.

LIII.

Dat facultatem fundandi Monaſterium Clariſſarum in Urbevetana Civitate. Ibid. fol. 23.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Animas lucrifacere Creatori intenſis deſideriis affectantes &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Communitatis Civitatis noſtræ Urbevetan. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum in dicta Civitate aliquod Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ non exiſtat, ipſi ob ſingularem quem ad ſanctam Claram, & illius Ordinem hujuſmodi gerunt devotionis affectum, cupiunt ad Dei & beatæ Mariæ Virginis gloriam & honorem, ac Religionis propagationem in eadem Civitate unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis, quæ ſub cura, viſitatione & correctione Miniſtri pro tempore & Fratrum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Romanæ, ſecundum morem ipſius Ordinis Minorum, vota ſua Altiſſimo perſolvant, erigi & inſtitui, ac proponant dicti Monaſterii conſtructioni, ac illius Abbatiſſæ et Monialium pro tempore exiſtentium ſuſtentationi pro viribus intendere. Quare ſupplicari fecerunt nobis humiliter dicti Communitas, ut eis Monaſterium hujuſmodi ſub invocatione ejuſdem ſanctæ Claræ in dicta Civitate, et loco ad id convenienti, conſtrui faciendi licentiam concedere, illudque in Monaſterium Monialium hujuſmodi erigere et inſtituere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis propagationem ſinceris deſideriis exoptamus, ſingulas perſonas Communitatis hujuſmodi a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, Communitati prædictis unum Monaſterium Monialium, ſub invocatione ſanctæ Claræ hujuſmodi in dicta Civitate, & loco ad id convenienti, cum Eccleſia, refectorio, dormitorio, clauſtro, horto, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedimus, & illud poſtquam conſtructum fuerit, in Monaſterium Monialium Urbaniſtarum, vel de ſecunda Regula nuncupatarum dicti Ordinis ſanctæ Claræ pro una Abbatiſſa & aliquibus Monialibus, quæ inibi ſub Regulari Obſervantia, & perpetua clauſura, necnon Miniſtri & Fratrum

trum prædictorum cura, viſitatione & correctione Altiſſimo famulentur, cum dignitate Abbatiſſali & Conventu, ac aliis inſigniis, Monaſteriis Monialium Ordinis hujuſmodi congruentibus, ex nunc prout ex tunc, & e contra erigimus & inſtituimus: ac illi ſic erecto, pro ejus dote, ac Abbatiſſæ & Monialium illius ſuſtentatione, omnia & ſingula bona eidem Monaſterio oblata & relicta & in poſterum relinquenda perpetuo applicamus & appropriamus: necnon Miniſtro & Fratribus prædictis, ut curam, viſitationem & correctionem Abbatiſſæ & Monialium in dicto Monaſterio pro tempore degentium, omni exceptione remota, ſuſcipere, & aliquam perſonam idoneam Ordinis Minorum et Obſervantiæ hujuſmodi, quæ ipſarum Abbatiſſæ et Monialium confeſſiones diligenter audiat, eiſque pro modo culpæ pœnitentiam ſalutarem injungat, ac Euchariſtiæ, & alia Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtret, deputare debeant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam niſi paruerint, eo ipſo quilibet eorum incurrat, præcipimus & mandamus, ac eidem Miniſtro ut aliquas Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ ab earum Monaſteriis in dicta Provincia conſiſtentibus, de illarum Superiorum licentia, ad dictum Monaſterium Urbevetan. pro illius Monialium inſtructione, ac inſtitutis & Obſervantia Regularibus inibi introducendis, transferre, ipſiſque translatis Monialibus, ut inibi donec Regularis Obſervantia in ipſo Monaſterio Urbevetan. firmata fuerit, ſeu quoad vixerint, reſidere, abſque alicujus cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu: necnon Abbatiſſæ & Monialibus in Monaſterio Urbevetan. pro tempore degentibus hujuſmodi, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, prærogativis, exemptionibus, gratiis, indultis ac indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus tam in vita, quam in mortis articulo aliis Monaſteriis Monialium ſub cura Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ prædictorum degentibus, in genere conceſſis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, indulgemus, ſine alicujus præjudicio quoad omnia præmiſſa. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno MDXX. III. Nonas Septembris, Pontificatus noſtri anno VIII.

LIV.

Ut ex vetuſtis Clariſſarum Monaſteriis unum conſtruatur novum in Nurſia. Ibid. fol. 16.

Dilecto filio Magiſtro Bonſignoro de Bonſignoribus, Notario noſtro, & in Terra noſtra Nurſiæ Commiſſario.

§. I. EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Univerſitas Terræ noſtræ Nurſiæ, Spoletanæ diœceſis, quod licet alias ad aures noſtras deducto, quod Moniales Monaſteriorum ſanctæ Mariæ Magdalenæ, & ſanctæ Luciæ Ordinis ſanctæ Claræ dictæ Terræ, impudicam & inhoneſtam vitam ducebant; Nos cupientes in litteris opportune providere, dilecto filio Andreæ Griphoni, tunc noſtro in dicta Terra Commiſſario, inter alia, ut adhibitis ſecum aliquibus ejus arbitrio eligendis Religioſis probatæ vitæ, intra certum tunc expreſſum tempus, Moniales prædictas ad obſervantiam & regularem vitam reformaret, ac deinde ad alium locum, ubi honeſtiſſime, & ſub clauſura vivere arctarentur, transferret, mandavimus. Et deinde dictus Andreas una cum tribus per eum ad hoc electis viris Eccleſiaſticis, Monaſteria prædicta tam eo quod mœniis & propugnaculis dictæ Terræ contigua

tigua exiſtebant, & propterea præſenti tempore belli a ſecularium aditu prohiberi vix poterant, quam etiam eo quod aeris intemperies inibi aliquando urgebat, deſtrui ſeu vendi, reſervatis ibidem dumtaxat Eccleſiis, prout Miniſtro Provinciali Fratrum Minorum de Obſervantia videretur, ex his unum novum Monaſterium ſub vocabulo tunc expreſſo, & in loco ad hoc per dictam Univerſitatem deſignato, ad clauſuram apto & idoneo, fieri & conſtrui, ac ad illud Moniales prædictas transferri debere decreverit, ac executionem præmiſſorum dicto Miniſtro Provinciali commiſerit, Noſque poſtmodum de decreto & commiſſione hujuſmodi ſpecifica non facta mentione, omnia & ſingula per Andream, & electos præmiſſos ſuper præmiſſis facta approbaverimus & confirmaverimus, prout in noſtris, & ipſius Andreæ deſuper conſectis litteris plenius dicitur contineri.

§. II. Et deinde Provincialis, & Univerſitas prædicti, Moniales omnes ſancti Hieronymi, tunc Tertii Ordinis beati Franciſci, ac de Pœnitentia nuncupati, Terræ ejuſdem, quod anguſtum, & in loco ad clauſuram & Obſervantiam regulares incommodo ſitum exiſtit, necnon dictæ ſanctæ Luciæ Monaſteriorum ad dictum Monaſterium ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ut in eo quouſque dictum novum Monaſterium perficiatur, maneant, tranſtulerint, ac ædificio ejuſdem Monaſterii novi operam dare inceperint, ac pro complemento Monaſterii novi hujuſmodi, & quia domus inhabitatæ facilius corruunt, opus ſit ſanctæ Luciæ & ſancti Hieronymi ex nunc, & poſtquam ad Monaſterium novum hujuſmodi Moniales ipſæ translatæ fuerint, etiam ſanctæ Mariæ Magdalenæ Monaſteriorum prædictorum ædificia & ſitus, relictis eorum dumtaxat Eccleſiis, vendere. Quia tamen nuper pro parte dilectorum filiorum hominum locorum circumvicinorum dictæ Terræ nobis expoſito, quod ipſi filias, neptes, & conſanguineas in dictis Monaſteriis habebant, & dubitabant eorumdem Monaſteriorum bona exquiſitis modis alienare; Nos per quaſdam, in quibus nulla de decreto & litteris prædictis expreſſa mentio facta fuerat, tibi directas, omnem alienationem ſeu venditionem bonorum quorumcumque ad Monaſteria prædicta legitime ſpectantium, quovis quæſito colore fieri prohibuimus, ac tibi ex eiſdem locis circumvicinis duos probos viros, ſine quorum conſilio bona ipſa vendi vel alienari non poſſent, pro ſingulis Monaſteriis hujuſmodi deputandi facultatem conceſſimus. Tuque forſan venditionem hujuſmodi fieri prohibuiſti, & ſic ædificio novi Monaſterii & reformationi Monialium hujuſmodi non parvum impedimentum ex hujuſmodi prohibitione paratur: pro parte Univerſitatis & Monialium prædictarum nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur omnium & ſingularum litterarum prædictarum, & quorumcumque in eis contentorum tenores, & illarum vigore ſequuta quæcumque præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, litteras tibi directas prædictas, quas, ſi de decreto Andreæ, & aliis litteris prædictis nobis expoſitum fuiſſet, nullatenus dediſſemus, pro majori cautela caſſamus, & nullius roboris vel momenti fuiſſe vel eſſe decernimus. Et nihilominus Provinciali nunc Miniſtro & pro tempore exiſtenti Fratrum Minorum de Obſervantia, provinciæ ſancti Franciſci, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, ac dictis Univerſitati domos & habitationes, ſeu ſtructuras & ædificia, & hortos ac ſitus ſanctæ Luciæ & ſancti Hieronymi ac ſanctæ Mariæ Magdalenæ Monaſteriorum prædictorum, quæ ad prophanos uſus reducimus, relictis dumtaxat eorum Eccleſiis, vendendi, & pretium inde proveniens, in ædificia, & alia pro dicto Monaſterio

rio novo neceſſaria convertendi, plenam & liberam licentiam & facultatem concedimus. Tibique ac dictæ Terræ Commiſſario pro tempore exiſtenti committimus & mandamus, quatenus præſentes litteras faciatis auctoritate noſtra plenum effectum ſortiri, ac ab omnibus inviolabiliter obſervari: contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXIII. Septembris MDXX. Pontificatus noſtri anno VIII.

LV.

Ut duos poſſint admittere Conventus, unum in caſtro Cittadellæ, alterum in caſtro Liniaci. Ibid. fol. 25.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ provinciæ ſancti Antonii juxta morem dicti Ordinis.

§. I. EXponi nobis feciſtis, quod dilecti filii Communitates, habitatores, & incolæ caſtri Cittadellæ, Vincentin. diœc. & Caſtri Liniaci, ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem veſtrum Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ gerunt, & uberes animarum fructus, quos ex eorum exemplari vita & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperant, terrena in cœleſtia felici commercio commutare ſatagentes, duas domos reſpective, unam extra prædictum caſtrum Cittadellæ, ſub invocatione ſancti Franciſci, & aliam in præmiſſo caſtro Liniaci, ſub invocatione ſancti Antonii Paduani, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, aliiſque neceſſariis officinis, necnon hortis & hortalitiis, pro perpetuis uſu & habitatione eorumdem Fratrum Ordinis veſtræ Regularis Obſervantiæ ædificare intendunt. Proinde nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis domos prædictas recipiendi licentiam & facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus incrementum noſtris potiſſimum temporibus ubique propagari deſideramus, & votis fidelium omnium, ex quibus præcipue ſpiritualibus profectibus Altiſſimo famulantium, & ſalutaribus fructibus populorum conſulitur, libenter annuimus, eaque, quantum cum Deo poſſumus, favore benevolo conſovemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut domos præfatas, poſtquam, ut præfertur, conſtructæ & ædificatæ fuerint, recipere, retinere ac inhabitare, quodque domus prædictæ Guardiani & Fratres. in eis exiſtentes, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus, Ordini & Obſervantiæ prædictæ, ejuſque domibus & Conventibus hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, jure parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus &c. non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die X. Decembris MDXX. Pontificatus noſtri anno VIII.

LVI. *Ut*

LVI.

Ut alii ſimiliter Conventus admittantur in Inſula Corſicæ. Ibid. fol. 24.

Dilecto filio Miniſtro provinciæ Corſicæ, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ.

§. I. CUm Communitas caſtri Rogliani, & caſtri Centurii, Marianen. diœceſis ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ devotionis gerunt affectum, & pro animarum ſalute, Religioniſque propagatione, ac Divini cultus augmento, ſuis expenſis in aliquo loco congruo & convenienti, & ſub invocatione, de quibus tibi videbitur, duas domos reſpective in prædictis caſtris, pro perpetuis uſu & habitatione eorumdem Fratrum tuæ curæ commiſſorum, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruere & ædificare, ſive conſtrui & ædificari facere ſummopere cupiant: & nobis propterea eædem Communitates, & iidem populi humiliter ſupplicari fecerunt, ut tam honeſtæ & religioſæ petitioni paterna benevolentia, de benignitate Apoſtolica annuere dignaremur.

§. II. Nos itaque, qui Divini cultus augmentum ubique, & præſertim noſtris temporibus intenſis deſideriis peroptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, ut in locis, de quibus tibi videbitur, per præfatos populos & Communitates aſſignandis, & ſub invocatione, de qua etiam tibi placuerit, duas domos præmiſſas, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Corſicæ, ſine alicujus præjudicio, conſtruendi, erigendi & ædificandi, ſeu conſtrui, erigi & ædificari faciendi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus pariter & indulgemus: ac domibus hujuſmodi, poſtquam conſtructæ fuerint, & Fratribus in eis pro tempore commorantibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis &c. aliis domibus dicti Ordinis & Fratribus nunc & pro tempore in genere per Sedem Apoſtolicam, & alias conceſſis, confirmatis & innovatis, & quibus utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint & valeant, jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate Apoſtolica & tenore prædictis concedimus & indulgemus: ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. conſtitutionibus & ordinationibus &c. ceteriſque aliis in contrarium facientibus non obſtantibus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die x. Decembris MDXX. Pontificatus noſtri anno VIII.

LVII.

Ut gaudeant omnibus privilegiis Ordinum Mendicantium. Ex Brev. origin.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Minorum, Regularis Obſervantiæ nuncupatis.

§. I. DIlecti filii &c. Affectu benevolentiæ ſpiritualis &c. Dudum ſiquidem felic. rec. Julius Papa II. prædeceſſor noſter vobis, ut ex tunc de cetero omnibus et ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, immunita-

nitatibus et indultis ſpiritualibus et temporalibus tam fratribus Prædicatorum, quam Eremitarum ſancti Auguſtini ac beatæ Mariæ de Monte Carmelo, omnibuſque Mendicantibus, per Sedem Apoſtolicam, vel Legatos ejuſdem in genere, etiam per litteras Apoſtolicas, *Mare magnum* nuncupatas, etiam quoad exemptionem a ſolutione *Quartæ*, Ordinariis et Parochialium Eccleſiarum Rectoribus debitæ, a qua vos pro potiori cautela exemit, eatenus conceſſis, uti, potiri et gaudere poſſetis et deberetis in omnibus et per omnia, ac ſi vobis ſpecifice conceſſa fuiſſent, per ſuas in forma Brevis litteras indulſit, illaque de novo vobis conceſſit; prout in dictis litteris plenius continetur.

§. II. Nos igitur ad vos pium animi affectum, quo vos ob devotionis veſtræ ſinceritatem, et religionis honeſtatem proſequimur, extendentes, ac profectui veſtro paterne conſulere volentes, Motu proprio, et ex certa ſcientia litteras prædictas, et in eis contenta quæcumque auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus et innovamus et confirmamus, ac plenum firmitatis robur obtinere et firmiter obſervari, vobiſque perpetuo ſuffragari debere decernimus. Et nihilominus pro potiori cautela præmiſſa omnia de novo auctoritate et tenore prædictis concedimus et indulgemus: mandantes univerſis et ſingulis venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis et Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus et aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica ubilibet conſtitutis, quatenus ipſi vel aliquis eorum per ſe vel alium ſeu alios vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant vos gratiis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, conceſſionibus et indultis præmiſſis pacifice gaudere: non permittentes vos deſuper per Ordinarios et Rectores præfatos, ſeu quoſcumque alios, quavis auctoritate fungentes, quovis quæſito colore, quomodolibet indebite moleſtari, inquietari, ſeu etiam perturbari: contradictores &c. compeſcendo: invocato &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus et ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Ceterum quia difficile foret &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xi. Decembris MDXX. Pontificatus noſtri anno VIII.

LVIII.

Ut poſſit perficere domum Aſilli, ab Anadeis relictam. Ex Reg. Ciſm. fol. 24.

Dilecto filio Miniſtro provinciæ ſancti Antonii Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, ſecundum morem ejuſdem Ordinis.

§. I. Exponi nobis nuper feciſti, quod ex diſpoſitione ſeu ordinatione Capituli Generalis per Fratres Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Lugduni celebrati, dilecti filii Fratres provinciæ ſancti Petri in monte aureo, domum ſancti Hieronymi apud Aſillum, agri & diœc. Tarviſin. reliquerunt, Fratres vero Minores Regularis Obſervantiæ tuæ Provinciæ ejuſdem domus poſſeſſionem ceperunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicta domus nondum complete ædificata exiſtat, pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi domum eamdem pro uſu & habitatione Fratrum dictæ tuæ Provinciæ, perficiendi facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi & Fratribus tuæ Provinciæ & Ordinis dictorum, ut domum prædictam cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, clauſtro, hortis, horta-

litiis, & aliis officinis neceſſariis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum ejuſdem tuæ Provinciæ conſtrui & ædificari facere, illamque recipere & perpetuo inhabitare, ac illam & illius pro tempore Guardianos & Fratres omnibus & ſingulis privilegiis, indultis, exemptionibus, prærogativis, indulgentiis & gratiis, quibus aliæ ejuſdem tuæ Provinciæ domus, illarumque Guardiani & Fratres quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt in futurum, uti, potiri & gaudere libere & licite valeatis, tenore præſentium indulgemus. Quocirca venerabili fratri Epiſcopo Cremonen. ac dilectis filiis Abbati Monaſterii ſancti Georgii Venetiarum, ac Archipresbytero Eccleſiæ loci de Aſillo, Tarviſin. diœceſis in virtute ſanctæ obedientiæ, tenore præſentium committimus & mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios auctoritate noſtra faciant te, necnon dictos Guardianum & Fratres dictarum domus, & tuæ Provinciæ, domo & conceſſione prædictis pacifice frui & gaudere, non permittentes vos, ſeu veſtrum aliquem deſuper contra tenorem præſentium modo aliquo moleſtari, impediri aut inquietari: contradictores quoslibet & rebelles per Eccleſiaſticas, & pecuniarias & alias quaſcumque, de quibus eis placuerit, cenſuras & pœnas, ac alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIII. Decembris MDXX. Pontificatus noſtri anno VIII.

LIX.

Ut reficiatur domus deſtructa Arcæ-ruptæ in ſuburbio Veronenſi. Ibid. fol. 25.

Dilecto filio Miniſtro provinciæ ſancti Antonii Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ ſecundum morem ejuſdem Ordinis.

§. I. EXponi nobis nuper feciſti, quod cum domus ſancti Franciſci Arcœ-ruptæ in ſuburbio Veronen. Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, propter bella, quæ annis elapſis in illis partibus viguerunt, penitus deſtructa fuerit, tu cuperes in aliquo loco Agri Veronen. ad hoc opportuno, unam domum pro habitatione Fratrum dicti Ordinis, qui in dicta domo, ſi deſtructa non eſſet, habitare debebant, conſtrui & ædificari facere. Quare humiliter nobis ſupplicari feciſti, ut tibi ædificandi domum hujuſmodi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, ut in aliquo loco agri Veronen. ad hoc opportuno, unam domum ſub invocatione prædicta ſancti Franciſci Arcœ-ruptæ, vel alia, de qua tibi videbitur, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro perpetuia uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinia, conſtrui & ædificari facere valeas; & Fratres ejuſdem Ordinia illam recipere & perpetuo inhabitare: ac domus ipſa, & illius pro tempore Guardianus & Fratrea omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, prærogativis, indulgentiis, indultis & gratiis, quibus aliæ quæcumque dicti Ordinis domus, illarumque Guardiani & Fratres quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt in futurum, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, jure tamen

men parochialis Eccleſiæ in omnibus ſemper ſalvo, tenore præſentium indulgemus. Quocirca dilectis filiis Abbati Monaſterii ſancti Nazarii, & Archipresbytero, & Nicolao Placentino Canonico Eccleſiæ Veronenſis per hæc ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios auctoritate noſtra faciant te, necnon Guardianum & Fratres pro tempore domus ædificandæ hujuſmodi, illa, necnon conceſſione hujuſmodi pacifice frui & gaudere: non permittentes vos ſeu veſtrum aliquem deſuper contra tenorem præſentium modo aliquo moleſtari, impediri aut inquietari: contradictores quoslibet & rebelles per Eccleſiaſticas, & pecuniarias ac alias quaſcumque, de quibus eis placuerit, cenſuras & pœnas, & alia juris remedia opportuna, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri prohibente, ne quis Mendicantium Fratrum nova loca ad habitandum recipere præſumat abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem faciente, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVIII. Decembris MDXX. Pontificatus noſtri anno VIII.

Anno Christi 1521. Leonis X. anno 8. & 9.

LX.

Declarat quem locum debent habere Fratres Obſervantes in proceſſionibus & actibus publicis. Ibid. fol. 27. Et ex Bulla authentica.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Etſi pro injunctæ nobis Apoſtolicæ ſervitutis officio &c. Sane accepimus, quod ab eo tempore citra, quo dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatis, pro eo quod ad eos jam multo major pars membrorum & ſuppoſitorum dicti Ordinis ſancti Franciſci actualiter fuerat converſa, Miniſtrum illis Generalem de ſua portione ſemper eligendum conceſſerimus; in eoſque juriſdictionem Ordinis Minorum in capite, in Capitulo Generaliſſimo Ordinis Minorum tempore Generalis Concilii Lateranenſis tranſtulerimus, prout olim, cum aliqua minor portio eorumdem Fratrum ad Obſervantiam inclinaſſet, univerſalis Eccleſia in Concilio Conſtantienſi Vicarium ipſi portioni, Minorum familiæ nuncupatæ, ut Regulæ purius inſiſterent, conceſſit, inter eoſque Obſervantes & Conventuales Fratres Minores in eodem Capitulo Generaliſſimo eorumdem Fratrum concordiam ad plenum conſtituerimus, litteris noſtris deſuper editis & promulgatis.

§. II. Deinde vero cum pacata omnia ad Dei gloriam crederemus, inimico ſuperſeminante zizaniam, inter eoſdem Fratres Obſervantes in capite ejuſdem Ordinis conſtitutos, & dilectos filios Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, tam Conventuales, quam etiam de Obſervantia, & nonnullos alios Fratres Ordinum Mendicantium ſuper modo & ordine in proceſſionibus & funeralibus, & aliis actibus publicis incedendi, & dignori loco ibi obtinendo, variæ contentiones & controverſiæ, in diverſis mundi partibus ſunt exortæ, cauſaque inter ipſos ſuper iis in Romana Curia etiam coram ipſorum Protectoribus ſeu Viceprotectoribus de noſtro ſpeciali mandato pendeat indeciſa, cum eorum animarum periculo & ſcandalo plurimorum.

§. III. Nos igitur volentes hujuſmodi litibus, quæ non abſque eorumdem Fratrum nota diutius tolerari poſſunt, finem imponere, & ſcandalorum occaſiones, quæ exinde oriri poſſe de facili formidantur, de medio ſubmovere: Motu proprio, non ad ipſorum Fratrum, vel alicujus eorum ſeu alterius pro eis oblatæ nobis ſuper iis petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia, cauſæ & cauſarum hujuſmodi ſtatus, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illaſque ad Nos harum ſerie advocantes, & lites in quacumque inſtantia deſuper pendentes ubilibet indeciſas, penitus extinguentes, Apoſtolica auctoritate ſtatuimus & ordinamus, quod de cetero in omnibus & ſingulis proceſſionibus & funeralibus, & aliis publicis actibus quibuſcumque ſuper dicto incedendi & ſtandi ordine, & digniori loco tenendo inter dictos Minores de Obſervantia, quos omnibus & ſingulis prærogativis, quibus ejuſdem Ordinis Conventuales Fratres uti & gaudere ſoliti erant, in ſingulis Civitatibus & locis uti & gaudere volumus, & Eremitarum ſancti Auguſtini, ac alios Ordinum Mendicantium Fratres, & ipſos Conventuales Minores, ſive in Urbe, ſive in aliis locis vel terris citra & ultra montes conſtitutis... obſervari conſueverat; in aliis autem ubi Conventuales ipſi Minores numquam fuerunt, vel ſoli Obſervantes, inter eoſdem Obſervantes Minores hujuſmodi, ac alios Mendicantes prædictos hunc ordinem ſervari mandamus: quod Minores Obſervantes hujuſmodi antiquum ſemper locum teneant, quem Ordo ſancti Franciſci in ſimilibus actibus tenere alibi hactenus conſuevit, niſi conſuetudo antiquitus approbata, & legitime obſervata ſecus habeat; Minores vero Fratres omnes Obſervantes & Conventuales juxta litteras noſtras inter eos per Nos editas, quæ *Bulla concordiæ* nuncupatur, penitus incedere teneantur. Nullaque deinceps inter eos querela de hujuſmodi vanitate præceſſionis audiatur, ſed ſint, ſicut decet Dei miniſtros, ſe invicem honore & caritate prævenientes, & terminis a Sede Apoſtolica illis aſſignatis, in pace, gaudio & concordia fruantur, & ſe perpetuo contineant: & ex nunc quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis etiam auctoritate noſtra, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris univerſis & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & in illorum abſentia eorum Vicariis in ſpiritualibus generalibus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, ut eorum quilibet in eorum Civitatibus & dioceſibus, quoties ſuper hoc pro parte dictorum Fratrum vel aliquorum ex eis fuerint requiſiti, præſentes litteras publicent, faciantque eas auctoritate noſtra ab omnibus ſupradictis inviolabiliter obſervari: Non parentes per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia quævis opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus a nobis quibuſcumque etiam in forma Brevis hactenus emanatis litteris, etiam motu & ſcientia ſimilibus, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque &c. Ceterum, quia difficile foret &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die x. Januarii MDXXI. Pontificatus noſtri anno VIII.

LXI.

Ut poſſint ædificare Conventum in Burgo de Gedeborch. Ibid. fol. 26.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Scotiæ, juxta morem dicti Ordinis.

§. I. CUm Communitas Burgi de Gedeborch, Glaſguen. diœceſis, atque habitatores & incolæ Vicecomitatus circumjacentis in regno Scotiæ, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ devotionis gerunt affectum, & uberes animarum fructus, quos ex eorum exemplari vita, & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperant, terrena in cœleſtia felici commercio commutare ſatagentes, ſuis expenſis in aliquo loco congruo & convenienti, ſub invocatione, de qua tibi Miniſtro videbitur, unam domum in prædicto Burgo pro perpetuis uſu & habitatione eorumdem Fratrum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ cum Eccleſia, campanili humili &c. & aliis neceſſariis officinis conſtruere & ædificare, ſive conſtrui & ædificari facere ſummopere cupiant; & propterea nobis fuit ſupplicatum, ut tam honeſtæ & religioſæ petitioni benevolentia paterna, de benignitate Apoſtolica annuere dignaremur.

§. II. Nos itaque, qui Divini cultus augmentum ubique, & præſertim noſtris temporibus internis deſideriis peroptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis ut in loco congruo, & ſub invocatione ut ſupra unam domum præmiſſam cum Eccleſia, campanili &c. & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu & habitatione dictorum Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Scotiæ erigendi, ædificandi & conſtruendi, ſeu erigi, ædificari & conſtrui faciendi, illamque recipiendi & habitandi, ac domui hujuſmodi, poſtquam conſtructa fuerit, & Fratribus in ea pro tempore morantibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis & gratiis &c. uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, jure Parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo, licentiam concedimus & indulgemus &c. non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXXI. Januarii MDXXI. Pontificatus noſtri anno VIII.

LXII.

Confirmatur erectio Cuſtodiæ Murcianæ in Provinciam Carthaginenſem. Ex Reg. Ultram. fol. 48.

Dilectis filiis Miniſtro Provinciali & Fratribus Provinciæ Murciæ Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ.

§. I. ACcepimus ſiquidem, quod licet in Capitulo Generali Lugduni celebrato, de veſtri Ordinis Generalis Miniſtri & aliorum inibi exiſtentium determinatione decretum extiterit, Cuſtodiam Murciæ Provinciæ Caſtellæ, dicti Ordinis, in Provinciam erigi poſſe, ſi Miniſtro Generali debere fieri videretur; ac poſtmodum idem Miniſter Generalis in Congregatione Generali Burdigalæ celebrata, de conſenſu omnium Vocalium Congregationis ipſius, Cuſtodiam præfatam in Provinciam juxta morem dicti Ordinis erexit; a nonnullis tamen hæſitatur de ipſius Provinciæ erectionis & inſtitutionis validitate, niſi Apoſtolica deſuper interveniat auctori-

ctoritas. Nos providere volentes, ne in futurum erectioni hujuſmodi aliquid poſſit objici, per quod ipſius erectionis effectus totaliter impediatur, motu proprio & ex certa ſcientia, Provinciæ erectionem hujuſmodi, ac omnia & ſingula inibi poſt dictam erectionem celebrata Capitula, inſtituta, officia, confecta inſtrumenta, & quæcumque alia deſuper facta, illa pro expreſſis habentes, confirmamus & approbamus, ac omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus.

§. II. Et nihilominus pro potioris cautelæ ſuffragio illam de novo in Provinciam *Carthaginenſem* nominandam erigimus & inſtituimus: concedentes per præſentes, quod Provincia *Carthaginenſis*, & ſub illa exiſtentes domus, Miniſter, Guardiani & Fratres præfatæ Provinciæ veſtri Ordinis omnibus & ſingulis prærogativis, exemptionibus &c. quibus aliæ Ordinis Minorum de Obſervantia Provinciæ, & ſub illa exiſtentes domus, Miniſter, Guardiani & Fratres utuntur, potiuntur & gaudent, ſeu uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere poſſint & valeant. Non obſtantibus ſel. rec. Nicolai Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, per quam inter alia ſtatuit & ordinavit, ac diſtrictius inhibuit, ne ex tunc deinceps Provinciarum dicti Ordinis diſtinctio ſeu diviſio, aut novarum Provinciarum multiplicatio abſque Romani Pontificis ſpeciali licentia per ejus patentes litteras facientes plenam & expreſſam, ac de ordinatione & inhibitione hujuſmodi mentionem concedenda, ac etiam licentia ſeu conſenſu Protectoris pro tempore dicti Ordinis aliquo modo fieri poſſent, ac quibuſvis dicti Ordinis regularibus inſtitutionibus, ac domorum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVIII. Martii MDXXI. Pontificatus noſtri anno IX.

LXIII.

Dat eis Conſervatores contra gravamina Capituli Caſalenſis. Ex Reg. Ciſmont. fol. 27.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus ſanctæ Mariæ Angelorum, prope & extra muros Caſalen. Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ.

§. I. EXponi nobis nuper feciſtis, quod licet ſel. rec. Julius Papa II. prædeceſſor noſter univerſis Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, ut ex tunc omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus, Fratrum Prædicatorum, ac Eremitarum ſancti Auguſtini, ac beatæ Mariæ de Monte Carmelo, omnibuſque aliis Ordinibus Mendicantium per Sedem Apoſtolicam, vel ejus Legatos in genere, etiam per litteras Apoſtolicas *Mare magnum* nuncupatas, etiam quoad exemptionem a ſolutione quartæ, locorum Ordinariis, & parochialium Eccleſiarum Rectoribus debitæ, a qua eos pro potiori cautela exemit, eatenus conceſſis, uti, potiri & gaudere poſſint ac debeant in omnibus & per omnia, ac ſi eis ſpecifice conceſſa fuiſſent, indulſerit, illaque de novo eis conceſſerit per ſuas: Noſque motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia litteras prædictas & in eis contenta quæcumque approbaverimus, innovaverimus & confirmaverimus, ac plenum firmitatis robur obtinere, & firmiter obſervari, eiſque perpetuo ſuffragari debere decreverimus;

rimus; ac pro potiori cautela præmiſſa omnia de novo conceſſerimus, inter alia per alias noſtras in forma Brevis litteras, prout in illis plenius continetur.

§. II. Nihilominus dilecti filii Capitulum Eccleſiæ Caſalenſis prætendens ſe quaſdam revocatorias exemptionis hujuſmodi litteras Apoſtolicas obtinuiſſe, quartam prædictam a vobis exigere, voſque deſuper diverſimode moleſtare, ac etiam quominus parvuli, licet pro eis ſui parentes ſepulturam in veſtra Eccleſia elegerint, inibi ſepeliri poſſint impedire præſumpſerunt hactenus & præſumunt. Quare ſupplicari feciſtis nobis humiliter, ut indemnitati & quieti veſtris ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur a cujuslibet excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententiis quomodolibet incurſis, vos & veſtrum quemlibet harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium Julii prædeceſſoris, ac priores noſtras litteras prædictas, & in eis contenta quæcumque approbamus, confirmamus & innovamus, ac de novo concedimus, illaque perpetuæ firmitatis robur obtinere, ac inviolabiliter obſervari, vobiſque perpetuo ſuffragari, & parvulos, quorum parentes aut tutores vel curatores ſepulturam pro ipſis puerulis in dicta veſtra Eccleſia elegerint, inibi ſepeliri, vobiſque ut quartam de cera tantum eidem Capitulo dare teneamini, prout hactenus dare conſueviſtis, auctoritate & tenore prædictis concedimus. Sicque per quoſcumque &c. judices &c. judicari &c. debere: ſublata eis &c. decernimus. Et nihilominus venerabilibus fratribus Bobienſi. & Nicomedienſi Epiſcopis, ac dilectis filiis ſancti Laurentii Pinerolii, & ſanctæ Mariæ, Triolæ Taurinen. & Albinganen. diœceſ. Eccleſiarum Præpoſitis in virtute ſanctæ obedientiæ per hæc ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios auctoritate noſtra prædicta præſentes litteras ubi, quando & quoties expedierit, ac pro parte veſtra fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, vobiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant vos exemptione, & aliis prædictis pacifice frui & gaudere, non permittentes vos deſuper quomodolibet per Capitulum prædictos ſeu quoſcumque alios, etiam prætextu tertio dictarum, & quarumvis aliarum litterarum, moleſtari, impediri aut inquietari: contradictores quoslibet &c. compeſcendo, invocato &c. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xxi. Martii mdxxi. Pontificatus noſtri anno ix.

LXIV.

Confirmat conceſſionem factam Fratribus Regularis Obſervantiæ de Eccleſia ſanctæ Mariæ Annunciatæ de Petrariis. Ibid. fol. 28.

Dilectis filiis Prioribus, & Univerſitati Terræ noſtræ Gualdi, Nucerinæ diœceſis.

§. I. Exponi nobis feciſtis, quod alias dilecto filio noſtro Antonio tituli ſanctæ Praxedis Presbytero Cardinali, ac Terræ noſtræ Gualdi, Nucerinæ diœceſis Gubernatori & Legato, pro parte veſtra expoſito, quod locus ſancti Thomæ de Petrariis de Gualdo, ſuperioribus annis Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ pro eorum perpetua habitatione aſſignatus, minus commodus ad hoc erat, & propterea oportebat illis de alio

alio commodiori loco provideri, aut eos inde cum veſtri dedecore & ſalutis animarum detrimento recedere: dictus Antonius Cardinalis & Legatus ad inſtantiſſimam ſupplicationem veſtram locum ſive Eremitorium ſanctæ Mariæ Annuntiatæ de Petrariis, per quemdam fratrem Marinum de Offida Tertii Ordinis ſancti Franciſci, dum viveret, poſſeſſum, cum juribus & pertinentiis ſuis, Fratribus Regularis Obſervantiæ hujuſmodi perpetuo conceſſit & conſignavit, ac loca prædicta inſimul perpetuo univit & incorporavit, conceſſionemque de loco ſanctæ Mariæ Annunciatæ hujuſmodi fratri Marino, ſive ejus Ordini prædicto quomodolibet factam, & per ipſum Antonium Cardinalem & Legatum, vel alias confirmatam, tamquam per verborum involucrum, ac ſubreptitie & obreptitie extortam, & veris precibus non fulcitam revocavit & annullavit, nulliuſque roboris vel momenti eſſe declaravit; prout in ipſius Antonii Cardinalis & Legati deſuper confectis litteris plenius dicitur contineri. Quare ſupplicari feciſtis nobis humiliter, ut præmiſſa approbare & confirmare, aliaſque deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur prædictarum & quarumcumque aliarum litterarum, inſtrumentorum & ſcripturarum, occaſione præmiſſorum, quomodolibet conceſſorum, & quorumcumque in eis contentorum tenores, ac ſtatum litis & cauſæ inter Fratres Tertii Ordinis, & vos aut Fratres Regularis Obſervantiæ hujuſmodi coram Viceprotectore dicti Ordinis, vel aliis etiam S. R. E. Cardinalibus, & ſacri Palatii cauſarum Auditoribus, ac aliis quibuſcumque deſuper pendentis, ac nomina & cognomina judicum, & collitigantium præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum pro inſertis habentes, cauſamque ad Nos advocantes, & litem hujuſmodi penitus extinguentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium conceſſionem, aſſignationem, unionem, incorporationem, revocationem, annullationem & declarationem prædictas, & prout illas concernunt, omnia & ſingula in primo dictis litteris contenta, & inde ſecuta quæcumque approbamus & confirmamus, ſupplemuſque omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, illaque perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari, & ſic per Viceprotectorem & Cardinales, ac Auditores prædictos, & alios quoſcumque tam ordinaria, quam delegata & mixta auctoritate fungentes judices & perſonas, ubique judicari, cognoſci atque decidi debere, ſublata eis & eorum cuilibet aliter judicandi, cognoſcendi ac decidendi facultate, necnon irritum & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. III. Et nihilominus locum ſive Eremitorium, vel domum ſanctæ Mariæ Annunciatæ hujuſmodi, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis a Tertio Ordine ſancti Franciſci, & illius Fratribus hujuſmodi perpetuo abdicamus & ſeparamus, ac ſuper illis Tertio Ordini, & illius Fratribus prædictis perpetuum ſilentium imponimus. Quocirca venerabili fratri Epiſcopo Caſertan. & dilectis filiis venerabilium Epiſcoporum Aſſiſinat. & Nucerin. in ſpiritualibus Vicariis generalibus per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios auctoritate noſtra faciant præſentes noſtras litteras, & in eis contenta quæcumque plenum effectum ſortiri, ac ab omnibus inviolabiliter obſervari: non permittentes quemquam contra tenorem præſentium modo aliquo moleſtari, impediri aut inquietari: Contradictores quoslibet & rebelles, etiam per quaſcumque, de quibus eis placuerit, cenſuras & pœnas ac alia juris

reme-

remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato &c. Non obſtantibus præmiſſis litteris Apoſtolicis, ac provincialibus & ſynodalibus conſtitutionibus & ordinatiouibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XI. Aprilis MDXXI. Pontificatus noſtri anno IX.

LXV.

Ut admittant Conventum in oppido de Carceribus. Ibid.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ ſancti Ludovici, ſecundum morem dicti Ordinis.

§. I. EXponi nobis nuper feciſtis, quod dilectus filius nobilis vir Joannes de Pontenis, Dominus temporalis oppidorum de Continhaco, & de Carceribus, Forojulien. diœceſis, ob ſingularis devotionis affectum, quem ad Ordinem veſtrum gerit, & uberes animarum fructus, quos ex Fratrum ejuſdem Ordinis exemplari vita, & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperat, terrena in cœleſtia ſelici commercio commutare ſatagens, quamdam domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, aliiſque neceſſariis officinis, necnon hortis & hortalitiis, pro perpetuis uſu & habitatione eorumdem Fratrum, ſub invocatione *beatæ Mariæ de Conforte* in prædicto oppido de Carceribus, Forojulien. diœceſis ædificare intendit. Proinde nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis domum prædictam recipere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus incrementum, noſtris potiſſime temporibus ubique fieri deſideramus, & votis fidelium omnium, ex quibus præcipue ſpiritualibus profectibus Altiſſimo famulantium, & ſalutaribus fructibus populorum conſulitur, libenter annuimus, eaque, quantum cum Deo poſſumus, favore benevolo confovemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut domum præfatam recipere, & deinceps retinere & inhabitare; quodque domus prædictæ Guardianus & Fratres in ea pro tempore exiſtentes, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis &c. uti, potiri & gaudere, ſine tamen alicujus præjudicio, libere & licite valeant, tenore præſentium concedimus & indulgemus &c. non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Pali, Portuenſis diœceſis, ſub anulo Piſcatoris, die XVIII. Aprilis MDXXI. Pontificatus noſtri anno IX.

LXVI.

Approbat permutationem incolatus Fratrum Regularis Obſervantiæ factam in oppido Naxeræ. Ex Brevi originali.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EXponi nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir Antonius Manrique de Lara, Dux de Naxera, quod alias dilecti filii Fratres Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ vocati ab eo, & dilectis filiis populo oppidi de Naxera, Calaguritanæ diœceſis, in quodam horto, ſive loco eis ad id per Ducem & populos prædictos vel alium conceſſo, quamdam domum ſub invocatione ſancti Franciſci, pro eorumdem Fratrum inibi habitatione, ac Ducis & populi prædictorum ſatisfactione, juxta privilegia eidem Ordini Apoſtolica auctoritate conceſſa, conſtrui facere cœperunt.

Et deinde dilecti filii Abbas & Conventus Monaſterii beatæ Mariæ de Naxera, ſancti Benedicti ſeu Cluniacenſis Ordinis, prætendentes ſe in dicto oppido juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habere, & quod Capella ſanctæ Crucis ſita in dicto Monaſterio parochialis exiſtit, ac hortus ſive locus, in quo dicta domus ædificabatur, infra limites parochiæ, & Monaſterii hujuſmodi exiſtit; quodque populus & oppidum hujuſmodi tempore vocationis aut ædificationis hujuſmodi, erant ſuppoſita interdicto, & propterea interdictum hujuſmodi fuerat violatum; ac etiam juxta eorumdem Abbatis & Conventus ac Ordinis privilegia, eadem domus ædificari non poterat, ſed quidquid in ea factum erat, demoliri debebat; dictos Fratres deſuper coram dilecto filio Antonio de Peregrina, Canonico Burgenſi, judice ſuper hoc, ut dicebant, auctoritate Apoſtolica deputato, traxerunt in cauſam, & unam in partibus, ac aliam in Auditorio Rotæ definitivas ſententias pro ſe, & contra dictos Fratres reportarunt, & cauſa hujuſmodi in tertia inſtantia adhuc pendet indeciſa. Quodque alias quondam Petrus Martini Doctor de Naxera nuncupatus, tunc in humanis agens, quoddam hoſpitale extra & prope muros dicti oppidi pro pauperibus inibi hoſpitandis conſtrui facere incepit ſeu mandavit; ac dilecti filii Petrus de Arez filius dicti Petri, ac modernus Patronus dicti hoſpitalis, necnon mater ejuſdem Petri de Arez cupientes, quod Fratres prædicti a dicto oppido non recedant, cum tot bona opera, quot ex eorum inibi reſidentia ſperantur, impediri non poſſint, conſenſerunt, ſeu conſentire parati exiſtunt, quod in eodem hoſpitali, quod nondum perfectum exiſtit, Fratres prædicti perpetuo habitent, & in domo prædicta pauperes hoſpitentur. Quare tam Dux, quam Fratres prædicti nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut hoſpitale Fratribus, domum vero prædictam pauperibus prædictis concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur domus & hoſpitalis ſituationes, quantitates & qualitates, ac etiam inter Fratres prædictos, ac dilectos filios Rectorem & Beneficiatos Parochialis Eccleſiæ ſanctæ Crucis dicti Oppidi deſuper pendentis litis & cauſæ ſtatum, ac teſtamenti, voluntatis & ordinationis dicti Petri, ac ſententiarum prædictarum & quorumcumque inſtrumentorum, ac ſcripturarum occaſione præmiſſorum quomodolibet confectorum, tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, ipſoſque Antonium Ducem, ac Petrum, & ejus matrem, & ſingulos Fratres a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis &c. abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, hoſpitale prædictum cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, ſi & poſtquam Petrus de Arez, & ejus mater prædicti, ſi nondum conſenſerunt, conſenſerint, Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ hujuſmodi pro eorum perpetuis uſu & habitatione concedimus; domum vero prædictam cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis in hoſpitale pauperum perpetuo deputamus; & quod domus ſancti Franciſci prædicta vel ejus ædificia, aut eorum aliquod nullatenus demoliri poſſint, ſed hoſpitale pauperum perpetuo exiſtat, & in eo omnia & ſingula per dictum Petrum Doctorem ordinata, & ejus voluntas in omnibus & per omnia, prout in dicto hoſpitali debebant & poterant, debeant & poſſint exequi, & plenum effectum ſortiri; Fratres vero prædicti hoſpitale prope & extra muros oppidi hujuſmodi ad formam domus pro eorum perpetuis uſu & habitatione reduci, & in eo unam domum cum Eccleſia, campanili humili, campanis, dormitorio, refectorio, cœmeterio, hortis, hortalitiis, aliiſque officinis neceſſariis conſtrui facere, & perpetuo habitare, & ſi eis placuerit,

ca-

cadavera ſive oſſa defunctorum in domo ſancti Franciſci prædicta & illius Eccleſia ſepultorum, inde ad domum extra muros hujuſmodi transferre & transferri facere, ac præmiſſa etiam tempore, quo dictum oppidum ſit Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitum, fieri libere & licite valeant. Et ſic per quoſcumque tam ordinaria, quam delegata & mixta auctoritate fungentes Judices, & perſonas ubique judicari, cognoſci atque decidi debeat, ſublata eis & eorum cuilibet aliter judicandi &c. facultate, necnon irritum &c. decernimus. Et nihilominus venerabilibus fratribus Caſertan. & Scaben. Epiſcopis in Romana Curia reſidentibus, ac dilecto filio Officiali Calaguritano, per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, auctoritate noſtra faciant conceſſionem, deputationem & decretum prædicta plenum effectum ſortiri, ac ab omnibus inviolabiliter obſervari, non permittentes quemquam &c. impediri &c. Non obſtantibus præmiſſis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die III. Junii MDXXI. Pontificatus noſtri anno IX.

LXVII.

Concedit eis facultatem recipiendi domus quinque infra terminos illius Provinciæ. Reg. Ciſm. Curiæ ſol. 32.

Miniſtro & Fratribus Provinciæ ſancti Angeli Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ.

§. I. EXponi nobis feciſtis, quod dilecti filii Communitates Civitatis Laquidon. ac Forſiæ, Trojanæ diœceſis, & Deliceti, Bovinen. diœceſis, ac Sanguli, Triventinen. diœceſis, necnon Cerri, Venafrinen. diœceſis caſtrorum Univerſitates, ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem veſtrum Minorum Regularis Obſervantiæ gerunt, & uberes animarum fructus, quos ex eorum exemplari vita & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperant, terrena in cœleſtia felici commercio commutare ſatagentes, quinque domos reſpective, unam videlicet extra dictam Civitatem, ſub *Spiritus ſancti*, & aliam extra Fogiæ, ſub *Jeſu Mariæ*, & aliam extra Deliceti, ſub *ſancti Antonii de Padua*, & aliam extra Sanguli, ſub *ſanctæ Mariæ Magdalenæ*, reliquam vero extra Cerri, ſub *ſanctæ Mariæ Gratiarum* invocationibus, caſas hujuſmodi cum Eccleſiis, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, clauſtro, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione eorumdem Fratrum Regularis Obſervantiæ ædificare cœperunt, & perficere intendunt. Proinde nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis, qui jam ad requiſitionem prædictarum Comunitatum prædictas domos inhabitare cœpiſtis, ſalvo tamen Sedis Apoſtolicæ beneplacito, prædictas domos recipiendi & inhabitandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus incrementum noſtris potiſſime temporibus ubique propagari deſideramus, & votis fidelium omnium, ex quibus præcipue ſpiritualibus profectibus Altiſſimo famulantium, & ſalutaribus fructibus populorum conſulitur, libenter annuimus, eaque, quantum cum Deo poſſumus, favore benevolo confovemus; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis ut domos prædictas recipere ac retinere & inhabitare, quodque domus prædictæ, ac Guardiani & Fratres in eis pro tempore exi-

exiſtentes, omnibus & ſingulis privilegiis & gratiis, libertatibus &c. uti potiri & gaudere libere & licite valeant, jure parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus: ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. conſtitutione &c. ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die VI. Julii MDXXI. Pontificatus noſtri anno IX.

LXVIII.

Confirmat litteras Innocentii VIII. quibus concedit penſiones quaſdam in reparationem viarum quæ ducunt ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Angelis Aſſiſii. Ibid. fol. 33.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. DUdum fel. record. Pius II. certas penſiones ab vendentibus mercimonia in platea, ſeu in campo ante Eccleſiam Domus beatæ Mariæ de Angelis Aſſiſii Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ in certis diebus, quibus ad illius Eccleſiam Chriſtifideles pro indulgentia conſequenda confluunt, exigi ſolitas per duos Cives Aſſiſinates a Communitate Aſſiſinate eligendos, & a Guardiano dictæ domus & forſan Provinciali dicti Ordinis pro tempore exiſtentibus confirmandos, illaſque in reparationem aquæductuum, ac refectionem viæ de Civitate Aſſiſinate ad ipſam Eccleſiam ducentis, ac alias in ipſius domus reparationem converti voluit. Et deinde poſtquam bonæ mem. Franciſcus Gajetanus Epiſcopus in illis partibus pro Romana Eccleſia Gubernator, attendens quod dictæ penſiones non juxta voluntatem hujuſmodi, ſed potius in privatorum uſum et utilitatem convertebantur, exactionem penſionum hujuſmodi non ad Cives, ſed ad Guardianum et Fratres dictæ domus dumtaxat ſpectare ordinaverat; piæ memoriæ Innocentius VIII. Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, cum Guardianus & Fratres prædicti propter ſinceritatem eorum Regulæ, confirmationes & exactiones hujuſmodi facere recuſarent, voluit Civium electiones ad Communitatem prædictam, & illorum confirmationem ad Guardianum & Provinciales prædictos, minime ſpectare; ac eidem Communitati, & illius Prioribus ceteriſque Officialibus, ne de electionibus dictorum Civium, ac diſtributionibus apothecarum & locorum, in quibus merces hujuſmodi venduntur, ſe amplius intromitterent inhibuit. Decernens quod ex tunc de cetero Procurator dictæ domus ſanctæ Mariæ, cum conſilio illius Guardiani pro tempore exiſtentis, apothecas et loca prædicta diſtribueret, et a vendentibus in illis penſiones hujuſmodi exigeret, & pecunias inde redactas in reparationem aquæductuum et viæ prædictorum, necnon ut peregrini ad eamdem Eccleſiam devotionis cauſa confluentes, poſſent ad eam facilius accedere, in reparationem, refectionem et manutentionem viarum de Peruſio, Bitonio & Spella ad dictam Eccleſiam de Angelis ducentium, ac ſancti Damiani verſus dictam Civitatem tendentium, dumtaxat exponere & erogare teneretur; prout in eorum Prædeceſſorum et Epiſcopi deſuper confectis litteris plenius continetur.

§. II. Nos igitur prædictarum, & quarumcumque aliarum litterarum et ſcripturarum, occaſione præmiſſorum, quomodolibet confectarum, tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, motu proprio et ex certa noſtra ſcientia, tenore præſentium inhibitionem & decretum, necnon litteras Innocentii Prædeceſſoris hujuſmo-

modi, & in eis contenta quæcumque approbamus, confirmamus & innovamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere &c. decernimus. Et nihilominus Communitati, & Prioribus ac Officialibus prædictis, ac, excepto dicto Procuratore dumtaxat, aliis quibuſcunque, quovis nomine nuncupentur, et quavis auctoritate fungantur, ſub indignationis noſtræ, ac mille ducatorum eo ipſo fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe applicandorum pœnis, per quemlibet contravenientem ipſo facto incurrendis, ne Procuratorem vel Guardianum prædictos in præmiſſis vel eorum aliquo impedire, ſeu de apothecis & locis, aut penſionibus, vel illarum expoſitione aut converſione prædictis, ſe directe vel indirecte, quovis quæſito colore, aliquatenus intromittant: eidem vero Procuratori, ne penſiones prædictas, vel pecunias inde exactas, in alios, quam juxta litteras Innocentii prædicti hujuſmodi uſus convertere audeat vel præſumat, ſub eiſdem pœnis diſtrictius inhibemus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac Provincialibus &c. conſtitutionibus & ordinationibus, necnon ſtatutis &c. quibus &c. harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVIII. Julii MDXXI. Pontificatus noſtri anno IX.

LXIX.

Confirmat litteras Julii II. quibus concedit Fratribus Obſervantibus communicationem omnium privilegiorum Ordinibus Mendicantibus conceſſorum, & exemptionem a ſolutione quartæ funeralis. Ex Reg. Ultram. fol. 50.

Dilectis filiis Miniſtro Generali, & univerſis Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ.

§. I. Affectu benevolentiæ Epiſcopalis ea de cauſa vos proſequi delectamur &c. Dudum ſiquidem ſel. rec. Julius Papa II. Prædeceſſor vobis, ut ex tunc de cetero omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus, tam Fratribus Prædicatorum, quam Eremitarum ſancti Auguſtini, ac beatæ Mariæ de Monte Carmelo, omnibuſque aliis Ordinibus Mendicantibus per Sedem Apoſtolicam, vel Legatos ejuſdem etiam in genere per Litteras Apoſtolicas *Mare Magnum* nuncupatas, etiam quoad exemptionem a ſolutione *Quartæ*, Ordinariis, & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus debitæ, a qua vos pro potiori cautela exemit, eatenus conceſſis, uti, pntiri & gaure poſſetis & deberetis in omnibus & per omnia, ac ſi vobis ſpecifice conceſſa fuiſſent, per ſuas in forma Brevis litteras indulſit, illaque de novo conceſſit, prout in dictis litteris plenius continetur.

§. II. Nos igitur ad vos pium animi affectum, quo vos ob devotionis veſtræ ſinceritatem, & Religionis honeſtatem proſequimur, extendentes, ac profectui veſtro paterne conſulere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia litteras prædictas, & in eis contenta quæcumque auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, innovamus & confirmamus, ac plenum firmitatis robur obtinere, & firmiter obſervari, vobiſque perpetuo ſuffragari debere decernimus: & nihilominus pro potiori cautela, præmiſſa omnia de novo auctoritate & tenore prædictis concedimus et indulgemus: mandantes univerſis & ſingulis Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, et aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica ubilibet conſtitutis, quatenus ipſi vel aliquis eorum per ſe vel alium ſeu alios, vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant

vos

vos gratiis, privilegiis &c. pacifice gaudere, non permittentes vos deſuper per Ordinarios & Rectores præfatos &c. moleſtari, inquietari, ſeu etiam perturbari. Contradictores &c. Non obſtantibus præmiſſis, conſtitutionibus et ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſqne contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xxi. Auguſti Pontificatus noſtri anno ix.

LXX.

Eximit Sorores Tertii Ordinis Provinciæ Poloniæ a ſolvendo quodam cenſu.
Ex Reg. Ciſm. fol. 34.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Provinciæ Poloniæ.

§. I. CUm, ſicut nobis nuper exponi feciſtis, in diverſis Civitatibus, ac Radon, & aliis Terris Provinciæ Poloniæ, circa ſeu prope Monaſteria veſtra, ſint quædam domus, in quibus Sorores Tertii Ordinis ſancti Franciſci inſimul cohabitant, & Regulam profitentur: Et licet Sorores ipſæ ſub cura, viſitatione & correctione veſtris vivant, ac immunitatibus & privilegiis vobis conceſſis potiantur; nihilominus ſæpius a Rectoribus Parochialium Eccleſiarum, prætextu certi cenſus, *Colenda* nuncupati, quem ipſi Rectores ſemel in anno a ſecularibus perſonis exigunt, moleſtantur & excommunicantur, ac a communione Sacroſancti Corporis Chriſti expelluntur in ipſarum præjudicium & perturbationem: Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut earumdem Sororum ſtatui ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religioni deditis, ut a gravaminibus releventur, & liberius Divinis beneplacitis vacare poſſint, Apoſtolici favoris præſidium libenter impendimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica declaramus, ſtatuimus & decernimus, hujuſmodi Sorores Regulam profeſſas, inſimul nunc et pro tempore conviventes, ac Sorores collegialiter exiſtere volentes, eiſdem exemptionibus, immunitatibus, conceſſionibus et privilegiis omnibus et ſingulis, vobis per Sedem Apoſtolicam quomodolibet conceſſis, & quibus de jure vel conſuetudine utimini, potimini & gaudetis, juxta indulta Apoſtolica, ac decretum in Concilio Lateranenſi noviſſime celebrato per Nos editum, uti, potiri & gaudere poſſe & debere, nec ad ſolutionem dicti cenſus, *Colenda* nuncupati teneri, neque ad id per dictos Rectores, ſeu quoſcumque alios cogi, aut propterea aliquibus cenſuris ſeu pœnis innodari, vel deſuper moleſtari poſſe, neque debere: Et ſic per quoſcumque Judices &c. judicandum fore: diſtrictius inhibentes quibuſvis Rectoribus Parochialium Eccleſiarum, & aliis perſonis dictæ Provinciæ, cujuſcumque dignitatis & conditionis exiſtentibus, in virtute ſanctæ Obedientiæ &c. ne dictas Sorores de cetero deſuper moleſtare aut excommunicare ſeu perturbare quoquomodo præſumant: ac decernentes irritum & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca univerſis et ſingulis venerabilibus fratribus Archiepiſcopis &c. eiſdem Sororibus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra declarationem, ſtatutum, inhibitionem et decretum prædicta firmiter obſervari, ipſaſque Sorores illis pacifice gaudere: Non permittentes illas deſuper per dictos Rectores ſeu quoſcumque alios quavis auctoritate fungentes, quomodolibet indebite moleſtari &c. Contradictores, moleſtatores quoslibet &c. compeſcendo &c. invocato &c. Non obſtantibus præmiſſis

ac

ac conſtitutionibus et ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIX. Auguſti MDXXI. Pontificatua noſtri anno IX.

LXXI.

Monaſterium ſancti Pontiani Spoletan. tranſfertur ad Ordinem ſanctæ Claræ. Ex originali.

Dilecto filio Miniſtro Provinciali Provinciæ ſancti Franciſci Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ &c.

ADDITIO *ex Originali. Sub hunc annum refertur a Patre Waddingo in Annalibus n. 31. etſi data ſit an. 1520.*

„ EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Communitas Spoleta-
„ na, ac dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa, et Conventus Mo-
„ naſterii Monialium ſancti Pontiani Spoletani, quod ipſi cupientes ut in
„ eodem Monaſterio perpetua clauſura, ac Regularis vita vigeat, et in-
„ famia, qua aliquandiu Monaſterium ipſum laboravit, aboleatur: Atten-
„ denteſque hæc fieri minime poſſe, niſi Fratres Ordinis Minorum Regula-
„ ris Obſervantiæ, quorum zelus circa Regularem vitam adeo eſt fervens,
„ ut nedum illorum, ſed etiam ſub eorum cura degentium Perſonarum
„ odor bonæ famæ ubique latius diffundatur, ipſius Monaſterii, et illius
„ Abbatiſſæ ac Monialium curam habeant; propterea deſiderant Monaſte-
„ rium prædictum eorumdem Fratrum regimini et ſuperioritati ſubjici et
„ committi: Quare tam Communitas, quam Abbatiſſa, et Conventus
„ prædicti Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſuper his opportune pro-
„ videre de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi
„ ſupplicationibus inclinati, in dicto Monaſterio Ordinem ſancti Benedi-
„ cti auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuo ſupprimimus et
„ extinguimus, et Ordinem ſanctæ Claræ plantamus, ipſaſque Abbatiſſam
„ & Moniales Ordinis ſancti Benedicti hujuſmodi ad ipſum Ordinem ſan-
„ ctæ Claræ transferimus, ac Monaſterium prædictum, illiuſque Abbatiſſam
„ ac Moniales & Perſonas quaſcumque a loci Ordinarii, & Superioris di-
„ cti Ordinis ſancti Benedicti, ac aliorum quorumcumque obedientia,
„ correctione, viſitatione & ſuperioritate omnino eximimus et liberamus,
„ ac tuæ, et tuorum Succeſſorum Miniſtrorum Provinciæ ſancti Franciſci,
„ ſecundum morem eiuſdem Ordinis, pro tempore exiſtentium obedientiæ,
„ correctioni, viſitationi, & ſuperioritati ſubjicimus: Tibique, ac eiſdem
„ Succeſſoribus ſub indignationis noſtræ, ac excommunicationis latæ ſen-
„ tentiæ pœna, quatenus regimen, curam & adminiſtrationem Monaſterii
„ & Abbatiſſæ ac Monialium prædictorum acceptare, ipſumque Monaſte-
„ rium de cetero in perpetuum in omnibus, & per omnia, prout alia Ordi-
„ nis ſanctæ Claræ, et Provinciæ prædictorum Monaſteria regere, et gu-
„ bernare curetis, diſtricte præcipiendo mandamus, ac ut de cetero in
„ perpetuum in eodem Monaſterio perpetua clauſura, et Ordo ſanctæ
„ Claræ, et habitus, ac Regularia inſtituta per Moniales ſanctæ Claræ ſer-
„ vari ſolita ſervari debeant. Et nihilominus venerabili fratri Epiſcopo
„ Pennen. et dilecto filio Tyberio Manilio Romano Canonico Eccleſiæ
„ Lateranenſis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel alter
„ eorum, per ſe vel alium ſeu alios auctoritate noſtra faciant præmiſſa omnia
„ & ſingula plenum effectum ſortiri, ac ab omnibus quos concernunt, in-
„ violabiliter obſervari: Non permittentes quemquam contra tenorem præ-

ſen-

„ ſentium modo aliquo moleſtari, impediri aut inquietari: Contradicto-
„ res quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, ac pecuniarias, &
„ alias quaſcumque arbitrio ſuo imponendas & exequendas pœnas, ac alia
„ juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato etiam
„ ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſeculatis. Non obſtantibus Apoſto-
„ licis, ac Provincialibus & Synodalibus Conſtitutionibus & ordinationi-
„ bus, necnon ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione
„ Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, in-
„ dultis, ac litteris Apoſtolicis per quoſcumque Romanos Pontifices Præ-
„ deceſſores noſtros, ac Nos & Sedem Apoſtolicam ſub quibuſvis verborum
„ formis, ac etiam irritativis, annullativis, reſtitutivis, merit. atteſtaturis
„ ac derogatoriarum derogatoriis, ac motus proprii & certæ ſcientiæ, aliiſ-
„ que efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, quomodolibet con-
„ ceſſis, quibus, illorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter ex-
„ preſſi, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat,
„ illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe
„ deroganus, contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter vel
„ divilim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel
„ excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam
„ & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentio-
„ nem.

„ Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXI.
„ Maii MDXX. Pontificatus noſtri anno VIII.

LXXII.

Ne Patriarcha Venetiarum ſe intromittat in regimen aut reformationem Monaſteriorum Sororum Fratribus Obſervantibus ſubjectarum. Ibidem fol. 35.

Venerabili fratri noſtro Epiſcopo Portuen. S. R. E. Cardinali Grimano Ordinis Fratrum Minorum Protectori.

CUm Miniſter & Patres Provinciæ ſancti Antonii Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, quorum curæ & regimini ſanctæ Claræ de Murano, ſanctæ Mariæ Majoris, ſanctæ Crucis, ac ſanctæ Mariæ de Miraculis Monialium Venetiarum ejuſdem ſanctæ Claræ, ac ſancti ſepulcri Sororum Tertii Ordinis Monaſteria ſubjecta exiſtunt, ſuntque per eos laudabiliter reformata, deſiderent per venerabilem fratrem Patriarcham Venetiarum in nihilo alterari, nec quod de illis ipſe in aliquo ſe intromittere debeat, etiam ſub prætextu reformationis: Nos per alias noſtras in forma Brevis prædicto Patriarchæ in virtute ſanctæ Obedientiæ præcepimus & mandavimus, ne de dictis Monaſteriis, curæ dictorum Fratrum de Obſervantia ſubjectis, ullo quæſito colore ſe intromittere præſumeret. Et ſi de illis aut eorum Monialibus in aliquo hactenus ſe intromiſerit, ea juxta ordinationem tuam reduceret & faceret, prout tibi videretur expedire. Quapropter circumſpectioni tuæ per præſentes committimus, & in virtute ſanctæ Obedientiæ mandamus, quatenus omnia & ſingula prædicta auctoritate noſtra inviolabiliter obſervari facias, revocando & retractando, prout eidem circumſpectioni tuæ videbitur expedire, ſi quid per Patriarcham prædictum, & præfata Monaſteria, etiam ſub prætextu cujuſcumque Reformationis innovatum vel attentatum fuerit, quod tibi videatur eſſe contra id, quod per Fratres ipſos laudabiliter fuerit inſtitutum. Non obſtantibus quibuſ-

buſcumque commiſſionibus, ſub quibuſvis formis verborum per Nos ſuper reformatione Monaſteriorum prædicto Patriarchæ datis vel in poſterum dandis, quibus ad effectum præſentium derogari volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ die VI. Octobris MDXXI. Pontificatus noſtri anno IX.

Leoni ſub finem hujus anni MDXXI. *defuncto ſucceſſit Adrianus VI. ſub initium anni ſequentis, electus* V. *Idus Januarias, coronatus Dominica prima Septembris, poſtquam paucis antea diebus venerat ex Hiſpania.*

Anno Christi 1522. Adriani VI. anno 1.

Nullæ hoc anno Adriani extant Bullæ.

Anno Christi 1523. Adriani VI. anno 1. & 2.

BULLA UNICA.

Committit eis, ut procedant in cauſa Conventuum Reformatorum in Gallia; præſertim Tholoſani. Ex Reg. Ultram. fol. 54.

Venerabilibus fratribus Senonen. & Tholoſan. Archiepiſcopis, & eorum alteri.

§. I. NUper pro parte dilectorum filiorum Miniſtri Provincialis & Syndici Fratrum domorum Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, provinciæ Aquitaniæ, & eis adhærere volentium, in hac parte litis conſortum, nobis expoſitum fuit, quod licet alias fel. recor. Leo Papa X. prædeceſſor noſter, ad ſupplicationem cariſſimi in Chriſto filii noſtri Franciſci Francorum Regis Chriſtianiſſimi, cupientis omnes domos Fratrum Minorum, Conventualium nuncupatorum, tam in regno Franciæ, quam Aquitaniæ, Delphinatus, ac Provinciæ Provinciis conſiſtentes, ad eam vivendi normam, quam Fratres dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ ſervant, & ſub eorum obedientia reduci, ac domibus ipſorum Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum annecti & incorporari, dilectis filiis Joanni Morlini, & Alexandro Roſeti Fratribus dicti Ordinis de Obſervantia, quatenus ipſi vel eorum alter per ſe vel alium ſeu alios domos ſive Conventus in Regno Franciæ, Aquitaniæ, Delphinatus, & Provinciæ Provinciis hujuſmodi conſiſtentes, quæ hactenus reformatæ non fuerant, ſub obedientia Miniſtrorum Provincialium, ſeu Vicariorum de Obſervantia nuncupatorum hujuſmodi, omni oppoſitione ſeu contradictione ceſſante, reformarent, invocato etiam ad hoc, ſi opus foret, anxilio brachii ſecularis, per quaſdam ſuas litteras commiſerit & mandaverit: ac executores, ſeu eorum alter, ad executionem dictarum litterarum, illarum forma in omnibus & per omnia ſervata, procedentes, ad domum ſancti Franciſci Tholoſanam quæ nondum reformata fuerat, ac reformatione tamen maxime indigebat, accedentes, ejuſdem domus Tholoſanæ Fratres Conventuales nuncupatos reformationem prædictam admittere ſeu recipere nolentes, a dicta domo Tholoſana, prout poterant, amoverint in vim dictarum litterarum, domum hujuſmodi nonnullis Fratribus ejuſdem Ordinis de Obſervantia, pro eorum uſu & habitatione aſſignaverint, in eadem domo Tholoſana introduxerint,

& ex tunc Fratres de Obſervantia hujuſmodi dicti Ordinis regularia inſtituta inviolabiliter obſervantes, ad laudem omnipotentis Dei, & populi devotionem, bonæ famæ odorem diffundere non ceſſaverint: nihilominus dicti Fratres Conventuales falſo aſſerentes, ſe dicta domo ſive Conventu Tholoſano, ac aliis domibus in regno & Provinciis hujuſmodi conſiſtentibus, indebite & contra juſtitiam ſpoliatos & expulſos eſſe, ſuper reſtitutione & ſpolio hujuſmodi domus, & expenſis ſibi præmiſſorum occaſione illatis, Apoſtolicas ad venerabilem fratrem Archiepiſcopum Burdegalen. litteras impetrarunt: quarum prætextu, idem Archiepiſcopus, earumdem litterarum forma minime ſervata, ad ipſorum Fratrum Conventualium inſtantiam dictos litis conſortes, eis non vocatis ſeu citatis & indefenſis, quatenus ſub excommunicationis aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis tunc expreſſis, dictam domum Tholoſanam liberam, vacuam & expeditam eiſdem Fratribus Conventualibus realiter & cum effectu reſtituerent & relaxarent, per quaſdam ſuas certi tenoris litteras monuit & mandavit eiſdem. Et deinde ſub prætextu quod monitionibus & mandatis hujuſmodi non paruiſſent, prout nec parere tenebantur, ipſos litis conſortes excommunicatos, ac ſententias, cenſuras & pœnas prædictas incurriſſe declaravit, & pro talibus publice denuntiari mandavit. Ac, quod deterius eſt, Eccleſias tam ſeculares, quam regulares, ac Monaſteria, & alia loca regularia Civitatis Tholoſanæ Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto. Quare pro parte litis conſortium ſentientium ſe exinde inter alia indebite gravari, ad Sedem fuit Apoſtolicam appellatum, & deinde nobis humiliter ſupplicatum, ut ipſos litis conſortes, & eorum ſingulos ab hujuſmodi excommunicationis & interdicti ſententiis, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis in eos præmiſſorum occaſione promulgatis, abſolvi mandare, ac appellationis prædictæ, necnon poſt de contra eam attentatorum & innovatorum quorumcumque, nullitatiſque & nullitatum, monitionis, & mandati, ac proceſſus dicti Archiepiſcopi, necnon indebitarum excommunicationis & interdicti ſententiarum, ac omnium & ſingulorum aliorum per dictum Archiepiſcopum, ac quoſcumque alios Judices & perſonas in ipſorum litis conſortium præjudicium circa præmiſſa quomodolibet geſtorum, totiuſque negotii principalis cauſas cum omnibus & ſingulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis & connexis, aliquibus probis viris in partibus illis committere, ac dicto Archiepiſcopo, & quibuſvis aliis Judicibus & perſonis, quibus inhibendum fuerit, inhiberi etiam mandare, aliaſque eis ſuper iis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, habentes tam Leonis prædeceſſoris hujuſmodi, quam aliarum poſteriorum ad ipſum Archiepiſcopum dictarum litterarum & proceſſuum deſuper habitorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, fraternitati veſtræ per præſentes committimus & mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, vocatis dictis Fratribus Conventualibus, & aliis, qui fuerint evocandi, eiſdem litis conſortibus, & eorum ſingularibus perſonis, ſi id humiliter petierint, receptа tamen prius ab eis cautione idonea ſuper eo, quod excommunicati, & aliis ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis hujuſmodi irretiti forſan habentur, quod ſi excommunicationis, ac alias ſententias prædictas, cenſuras & pœnas prædictas in eos fuiſſe latas juſte repereritis, veſtris & Eccleſiæ mandatis parebunt, ab excommunicationis, ac aliis ſententiis, cenſuris & pœnis hujuſmodi abſolutionis beneficium ad cautelam, ſi & prout juſtum fuerit, auctoritate noſtra hac vice dumtaxat impendatis: ſuper aliis vero dicto

Ar-

Archiepiſcopo, ne de ea ipſe amplius ſe intromittat, ac quibuſvis aliis Judicibus & perſonis, quibus inhibendum fuerit, etiam ſub interdicto ingeſſus Eccleſiæ, & excommunicationis, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis quoties opus fuerit, per vos inhibito, auditis hinc inde propoſitis, etiam de negotio principali hujuſmodi cognoſcentes, legitime, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreveritis, per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellatis veritati teſtimonium perhibere. Nos enim vobis interdicta Eccleſiaſtica per dictum Archiepiſcopum, ut præfertur, appoſita relaxandi, ac Monaſteria ſeu domos & Fratres Conventuales hujuſmodi, prout vobis viſum fuerit expedire, reformandi, ac auxilium brachii ſecularis invocandi, tenore præſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem vel diœceſim, niſi ex certis tunc expreſſis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices a Sede præfata deputati extra Civitatem vel diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant; & de duabus dietis in Concilio generali editis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium non trahatur, ac aliis conſtitutionibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die VIII. Junii MDXXIII. Pontificatus noſtri anno I.

CLEMENS VII.

Electus ſub finem hujus anni XIII. *Kalendas Decembris coronatus* VI. *Kalendas Decembris.*

Anno Christi 1523. Clementis VII. anno 1.

I.

Confirmat donationem eis factam cujuſdam hoſpitii in Burgo ſancti Petri. Ex Reg. Ciſm. fol. 37.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus S. Franciſci Montis Alvernæ Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, Burgi ſancti Sepulcri diœceſis.

§. I. CUm, ſicut nobis exponi feciſtis, alias dilecti filii Communitas & homines Terræ Corzani, Vallis Balnei, diſtrictus Civitatis Florentin. ſeu eorum legitimi Procuratores, pro ſua erga vos, & Ordinem veſtrum devotione, necnon veſtris commodo & quiete, & ad Dei laudem, ac Religionis propagationem, quamdam parvam domum in Burgo ſancti Petri, & loco de Lama, pontis ſanctæ Mariæ, Burgi ſancti Sepulcri, ſeu alterius diœceſis, cum caſamento & terris retro domum prædictam conſiſtentibus, necnon omne id & totum quod infra certos confines tunc expreſſos continebant, vobis pro uno hoſpitio cum hortis, & aliis officinis ad perpetuum uſum & habitationem Fratrum domus veſtræ ſancti Franciſci montis Alvernæ, Ordinis Obſervantiæ, & Burgi ſancti Sepulcri diœceſis

prædictorum pro tempore exiſtentium neceſſariis inibi conſtruendo, conceſſerint & donaverint, voſque domum donatam hujuſmodi cum tenimento & aliis præmiſſis ad effectum conſtruendi hoſpitium prædictum receperitis, prout in inſtrumento publico deſuper confecto dicitur plenius contineri, nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut donationi & conceſſioni hujuſmodi pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religioni deditis, præſertim ſub regulari obſervantia, ſtudio piæ vitæ vacantibus, Apoſtolici favoris præſidium libeoter impendimus, veſtris commoditati & quieti ſuper his favorabiliter conſulere volentes, voſque & veſtrum ſingulos, ſi forſan domum ipſam recipiendo exceſſiſſe dici poſſitis, ab hujuſmodi exceſſu abſolventes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationem & conceſſionem prædictas, ac prout illas concernunt omnia & ſingula in dictis inſtrumentis contenta, & inde ſecuta quæcumque, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium æpprobamus & confirmamus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forte intervenerint in eiſdem: ac vobis domum donatam hujuſmodi, cum tenimento, terris, & aliis prædictis recipiendi, & inibi unum hoſpitium cum capella ſeu oratorio, humili campanili, hortis, & aliis officinis neceſſariis pro uſu & habitatione Fratrum dictæ domus ſancti Franciſci montis Alvernæ, ad inſtar aliorum hoſpitiorum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ſine alicujus præjudicio conſtruendi, ſeu conſtrui faciendi, ac illud perpetuo inhabitandi, necnon inibi Miſſas & alia Divina officia, ac alia animarum ſalutem concernentia, prout per Guardianum dictæ domus montis Alvernæ pro tempore exiſtentem ordinatum fuerit, celebrandi licentiam auctoritate & tenore prædictis concedimus. Et nihilominus dicto hoſpitio & Fratribus in eo pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, immunitatibus, indultis & indulgentiis, domibus & aliis hoſpitiis eorumdem Ordinis & Obſervantiæ per Sedem Apoſtolicam, & alias quomodolibet conceſſis uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint, jure tamen Eccleſiæ parochialis, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, indulgemus. Non obſtantibus fel. recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xxtx. Novembris MDXXtit. Pontificatus noſtri anno t.

Anno Christi 1524. Clementis VII. anno 1. & 2.

II.

Deputat eum Conſervatorem provinciæ Hungariæ. Ibid. fol. 38.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Strigonienſi.

§. I. Dudum ſiquidem fel. rec. Joanni Papæ XXII. prædeceſſori noſtro pro parte tunc Miniſtri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum expoſito, quod ipſi a nonnullis, qui nomen Dei in vanum recipere non formidabant, diverſis & gravibus jacturis, injuriis, violentiis & moleſtiis in diverſis mundi partibus extra Regnum Franciæ affligebantur: ideo prædeceſſor, eorumdem Miniſtri & Fratrum providere quieti, & malignorum conatibus obviare volens, tunc Archiepiſcopum Bracharenſem, & Mindonienſem, ac Legionenſem Epiſcopos eis in Conſervatores & Judices deputavit, eiſque mandavit, quatenus eiſdem Miniſtro & Fratribus efficacis de-

defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permitterent eoſdem a prædictis, vel quibuſvis aliis indebite moleſtari, vel eiſdem damna, injurias, violentias & moleſtias irrogari, facturi eiſdem Miniſtro & Fratribus, cum ab eis vel procuratore aut procuratoribus eorum requiſiti ſorent, de prædictis & aliis perſonis quibuslibet, de quibuſcumque moleſtiis & damnis, tunc & in futurum illatis, in illis videlicet, quæ judicialem requirerent indaginem, de plano, ſummarie, ſine ſtrepitu & figura judicii, in aliis vero prout qualitas negotiorum requireret, juſtitiæ complementum: moleſtatores, præſumptores, injuratores hujuſmodi, necnon contradictores quoslibet & rebelles, cujuſcumque dignitatis, ſtatus & gradus, ordinis & conditionis eſſent, etiamſi Pontificali præfulgerent dignitate, quantumcumque & quotieſcumque expediret, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus foret, auxilio brachii ſecularis, cum derogatione conſtitutionis fel. rec. Boniſacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, tunc ſui, ac aliis clauſulis & facultatibus in forma, in quinterno Cancellariæ Apoſtolicæ annotata contentis, tunc expreſſis; prout in ejuſdem Joannis prædeceſſoris litteris deſuper confectis, plenius continetur, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, his pro ſufficienter expreſſis haberi volumus. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderni Miniſtri Provincialis, Cuſtodum, Guardianorum & Fratrum ejuſdem Ordinis Minorum, Regularis Obſervantiæ nuncupatorum, juxta morem Ordinis provinciæ Hungariæ Salvatoris, petitio continebat; ob longinquam diſtantiam, Archiepiſcopum & Epiſcopos Conſervatores prædictos, pro ſingulis eorum querelis commode adire nequeant, cupiantque pro eorum faciliori commoditate, te eis nunc & pro tempore exiſtentibus Miniſtro & Fratribus dictæ Provinciæ, ac eorum curæ & viſitationi etiam pro tempore commiſſis dilectis in Chriſto filiabus Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci in Conſervatorem & Judicem loco primodictorum Conſervatorum & Judicum deputari & ſurrogari: & propterea pro dictorum Miniſtri Provincialis, Guardianorum & Fratrum, ac Sororum hujuſmodi parte nobis fuit ſupplicatum, quatenus eis de opportuno remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per præſentes committimus & mandamus, quatenus per te vel alium ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus deputus Conſervator & Judex exiſtis, eiſdem Miniſtro Provinciali, Cuſtodibus, Guardianis & Fratribus provinciæ Hungariæ, & Sororibus hujuſmodi efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, facias eos quibuſcumque gratiis, privilegiis, libertatibus, exemptionibus, & aliis immunitatibus & indultis Apoſtolicis hactenus conceſſis, & in poſterum quomodolibet concedendis, pacifice gaudere. Non permittens a prædictis, vel quibuſvis aliis moleſtatoribus &c. indebite moleſtari &c. ac alias ad executionem earum litterarum Joannis prædeceſſoris hujuſmodi procedas in omnibus & per omnia, perinde ac ſi litteræ prædictæ tibi directæ fuiſſent: & inſuper omnia & ſingula reſcripta, & litteras Apoſtolicas quibuſvis Apoſtatis, ſeu Fratribus dicti Ordinis ad alios Ordines translatis vel transferendis, ſeu vagantibus conceſſa & concedenda, aut alias conceſſas & concedendas videas, & ſumma cum diligentia examines, citatis & vocatis, quorum intereſt; & quatenus illa vel illas ſurreptitia vel ſurreptitias inveneris, eoſdem Fratres ad Ordinem prædictum revoces: diſtrictius inhibentes ac præcipientes Generali, Provincialibus, & aliis Prioribus, & Fratribus Eremitarum ſancti Auguſtini, & Eremitarum ſancti Pauli, ne prætextu cujuſvis privilegii Apoſtolici aliquos Ordinis Minorum & Obſervantiæ

tiæ prædictorum profeſſores in eorum domibus aut aliis locis recipere præſumant; & ſi eos receperint, infra competentem terminum eis per te præfigendum, ad dictum Ordinem remittant. Contradictores &c. Invocato &c. Non obſtantibus ejuſdem Bonifacii prædeceſſoris &c. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die ante penultima Februarii MDXXIV.

III.

Ut poſſint bona immobilia ſub certis conditionibus alienare, vendere & permutare, ac legata perpetua extinguere. Ibid. fol. 39.

Dilectis filiis Generali, & univerſis Provincialibus Miniſtris Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ præſentibus & futuris.

§. I. DUdum per fel. rec. Leonem Papam X. prædeceſſorem noſtrum accepto, quod ſæpius pro urgenti neceſſitate, aut evidenti utilitate expediebat immobilia bona Monaſteriorum & aliorum locorum Monialium Provinciarum vobis reſpective commiſſarum permutare, vel alias alienare, & aliquando ea ſe offerebat opportunitas, quæ ſemel prætermiſſa magnam afferebat jacturam; idem prædeceſſor indemnitati & utilitati Monaſteriorum & locorum conſulere cupiens, ad ſupplicationem veſtram, vobis pro emergentibus neceſſitatibus & evidentibus utilitatibus Monaſteriorum & locorum Monialium Ordinis ſanctæ Claræ, & Tertii Ordinis beati Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, in dictis Provinciis conſiſtentium vendendi, permutandi, & alias alienandi quælibet bona immobilia, de conſenſu duarum partium Conventuum, Monaſteriorum & domorum, quorum bona hujuſmodi forent, ac de conſenſu majoris partis eorumdem, & ultra triennium locandi, non obſtantibus ultimis teſtatorum voluntatibus, dummodo id in Monaſteriorum & locorum prædictorum evidentem utilitatem cederet, habita ſuper his diligenti informatione a duobus aut tribus bonis viris locorum, in quibus ipſa bona conſiſterent, per quaſdam ſuas in forma Brevis litteras licentiam conceſſit, prout in illis plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut exponi nobis nuper feciſtis, a diverſis Chriſtifidelibus quamplurima pecuniarum & aliarum rerum legata Monaſteriis & locis prædictis, ac vobis & domibus veſtris annuatim in perpetuum, vel ad tempus perſolvenda, ſub oneribus tamen Miſſas & anniverſaria, aliaque pia ſuffragia celebrandi, facta fuerint, & in futurum forſan fient, & aliquando etiam expediat legata hujuſmodi, tum pro Monaſteriorum & locorum prædictorum utilitate & neceſſitate, tum pro veſtro commodo, & regularium inſtitutorum dicti Ordinis firmiori obſervatione, cum ipſa legata perpetua quaſi proprietates cenſeantur, per anticipatas ſolutiones vobis faciendas, ſalvis tamen oneribus prædictis, remittere & extinguere: Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut litteras prædictas, etiam ad legata & erogata hujuſmodi extendere & ampliare ex benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui ſingulorum Religioſorum, præſertim veſtri Ordinis, commoda & utilitates libenti animo procuramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, litteras prædictas cum omnibus & ſingulis in eiſdem contentis clauſulis ad legata & erogata hujuſmodi, ita quod vos tam illarum, quam præſentium litterarum vigore, ipſarum tamen forma ſervata, pro evidenti utilitate & urgenti neceſſitate Monaſteriorum & locorum prædictorum ipſa legata & alia erogata, quibuſcumque perſonis ad illorum ſolutionem aſtri-

aſtrictis per anticipatas ſolutiones, prout inter vos ac eos concordatum fuerit, faciendas remittere, ipſoſque ab illis de cetero præſtandis penitus liberare valeatis, dummodo pecunias recipiendas in domorum veſtrarum reparationem, & ipſarum domorum neceſſitates, & non in alios uſus convertatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium extendimus & ampliamus, ac vobis ſuper hoc plenam facultatem & licentiam concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quorumcumque defunctorum ultimis voluntatibus, necnon omnibus illis, quæ in dictis litteris conceſſum fuit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus, autem quod præſentium tranſumptis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die VII. Martii Pontificatus noſtri anno 1.

IV.

Concedit eis quaſdam domos Fratrum, & Sororum regendas. Ex brevi authentico.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia, Provinciæ ſancti Petri Montis aurei.

CUm alias tempore fel. rec. Leonis Papæ X. prædeceſſoris noſtri, in quodam Generali Capitulo tum in Civitate Lugduni celebrato, ad conſervandam unionem Fratrum Minorum Ordinis de Obſervantia, & Reformatorum, ſtatutum, & poſtmodum quoque de novo factum fuerit, ut ex omnibus & ſingulis domibus, quas ante dictam unionem, vos, qui Fratres Amadei vocabamini, habebatis, & quæ ultra Parmenſem Civitatem conſiſtebant, una provincia juxta morem veſtri Ordinis Minorum conſtitueretur, & ſancti *Petri de Monte aureo* nuncuparetur; voſque Fratres Amadei reliqua loca, domos & Monaſteria Monialium ſeu Sororum quarumcumque, quocumque nomine nuncuparentur, citra dictam Civitatem Parmenſem, per vos vel conſtructa vel conſtrui cœpta, exceptis dumtaxat ſancti Petri in Monte aureo de Urbe, & Scandrillorum Sabinenſis diœceſis, ac aliis quibuſdam duabus domibus Tertii Ordinis beati Franciſci de Urbe, per Miniſtros Provinciarum, & Cuſtodes cuſtodiarum, ubi loca hujuſmodi, circa Parmam conſiſtentia exiſterent, tenenda, regenda & gubernanda dimittere teneremini: idque dictus Leo prædeceſſor per ſuas ſub plumbo, vel in forma Brevis litteras confirmaverat, & per ſimiles, & in forma Brevis confectas litteras vobis dictus prædeceſſor, certis rationabilibus cauſis animum ſuum moventibus, domum beatæ Mariæ de Angelis veſtri Ordinis extra muros Florentinos conſiſtentem, quamvis citra dictam Civitatem Parmenſem exiſteret, per vos tenendam habitandamque, & numquam dimittendam vobis conceſſerit, prout in dictis litteris latius continetur. Nos ejuſdem Leonis veſtigiis inhærendo, motu proprio, & ex certa ſcientia litteras Leonis prædeceſſoris hujuſmodi auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus & approbamus, ac perpetuæ firmitatis robur adjicimus, & inviolabiliter obſervari debere decernimus; & nihilominus potiori pro cautela, illam, ac beatæ Mariæ Gratiarum oppidi Colle Vallis Helſe, nullius, & ſancti Petri Martyris, oppidi ſancti Geminiani dicti Ordinis, Volaterranæ diœceſis, domos per vos, non obſtante quod domus ipſæ citra Civitatem Parmenſem conſiſtant, perpetuo tenendas, habitandas, & juxta veſtræ Congregationis inſtituta regendas & gubernandas, motu ſimili, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine concedimus. Non obſtantibus conſtitutio-

tionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XI. Aprilis MDXXIV. Pontificatus noſtri anno I.

V.

Ut poſſint ædificare Conventum in Terra Montis Corvini. Ibid. fol. 40.

Dilectis filiis Miniſtro provinciali, & Fratribus provinciæ Terræ Laboris Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Profeſſoribus.

§. I. CUm Communitas & homines Terræ Montis Corvini, Salernitanæ diœceſis, ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem veſtrum gerunt, & uberes animarum fructus, quos ex Fratrum ejuſdem Ordinis exemplari vita, & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperant, terrena in cœleſtia commutare fatagentes felici commercio, quamdam domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, aliiſque neceſſariis officinis, necnon hortis & hortalitiis, pro perpetuis uſu & habitatione eorumdem Fratrum, ſub invocatione *ſanctæ Mariæ de la Pace*, in territorio dictæ Terræ ædificare intendant: proinde nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut vobis domum ipſam recipiendi licentiam dare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus incrementum noſtris præſertim temporibus ubique fieri deſideramus, votis fidelium omnium, ex quibus præcipue ſpiritualibus profectibus Altiſſimo famulantium, & ſalutaribus fructibus populorum conſulitur, libenter annuimus, eaque, quantum cum Deo poſſumus, favore benigno confovemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præfatæ Terræ, Communitati & hominibus, domum pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum veſtri Ordinis Regularis Obſervantiæ ædificandi & conſtruendi, ſeu ædificari & conſtrui faciendi cum omnibus ſupradictis, vobiſque illam, poſtquam ædificata & conſtructa fuerit, recipiendi, & pro perpetuis futuris temporibus inhabitandi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam & facultatem concedimus. Nos etiam, ut domus prædicta, & illius Guardiani in ea pro tempore degentes, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis &c. gaudere libere & licite valeant, jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate & tenore præmiſſis, concedimus & pariter indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVI. Junii MDXXIV.

VI.

Ut reformet Conventus & Monaſteria quædam Regni Navarræ & alia. Regeſt. Ultramon. fol. 53.

Dilecto filio Miniſtro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Burgenſis, ſecundum morem ejuſdem Ordinis.

§. I. CUm, ſicut accepimus, licet fel. record. Adriano Papæ VI. prædeceſſori noſtro, pro parte dilecti filii nobilis viri Franciſci Stu-

Stuniga, Comitis de Miranda, tunc in Regno Navarræ pro cariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Romanorum & Hiſpaniarum Rege Catholico in Imperatorem electo, Locumtenentis, ſeu ejus Vice-Regis, & dilectorum filiorum univerſorum Regnicolarum ejuſdem Regni Navarræ, cum gravi querela expoſito, quod nonnulli Religioſi tam Mendicantium, quam ſancti Benedicti Ciſtercienſis, & aliorum Ordinum non Mendicantium in dicto Regno commorantes, pudicitiæ & honeſtatis laxatis habenis, cum diverſis perſonis etiam ſecularibus & Religioſis converſari, eiſque commiſceri, ac colloquia prava & inhoneſta cum eis habere non erubeſcant, in animarum ſuarum periculum, Divinæ Majeſtatis offenſam, Religionis opprobrium, pernicioſum quoque exemplum & ſcandalum plurimorum; ac, quod niſi de celeri ſuccurreretur remedio, veriſimiliter timendum erat, ne graviora inde forſan orirentur ſcandala: præfatus prædeceſſor Miniſtris Provincialibus Provinciæ Caſtellæ Carmelitarum, & Eremitarum ſancti Auguſtini, ac Minorum Ordinum Reformatorum, & aliis certis Religioſis perſonis, ac eorum cuilibet ſuis litteris in forma Brevis dederit in mandatis, ut ad dictum Regnum Navarræ perſonaliter accedentes, quilibet eorum omnia & ſingula ſui Ordinis reſpective tam conſtructa, quam conſtruenda, ac conſtrui cœpta, ac forſan reformata Monaſteria ac domus, & eorum Monachos & Fratres, ac alias perſonas Religioſas dictorum Ordinum tam in capite, quam in membris reformare, & quos culpabiles reperirent, juxta qualitatem criminum & exceſſuum punire & caſtigare, & ſi delictorum qualitas id exigeret, ab eiſdem Monaſteriis & domibus expellere, & alios Religioſos vitæ laudabilis, & converſationis honeſtæ introducere deberent; & poſtquam Monaſteria & domus hujuſmodi, illarumque perſonas reformaſſent, ac ad Obſervantiæ Regularis normam reduxiſſent, Monaſteria & domus reformatæ hujuſmodi ſub inſtitutione Generalium & Provincialium, ſeu Superiorum Regni Caſtellæ unirent & incorporarent: ac nihilominus eiſdem Provincialibus & aliis Superioribus prædictis Regni Caſtellæ mandavit, ut Reformata Monaſteria & domus hujuſmodi ſub ſua viſitatione, correctione ac obedientia ſuſciperent, & contra rebelles ac contradictores alioſque quoſcunique impedientes, ad cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, invocato etiam ad id, ſi opus foret, auxilio brachii ſecularis, privilegiis & indultis Apoſtolicis, eiſque Ordinibus etiam per piæ memoriæ Julium II. Leonem X. & alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros conceſſis, approbatis & innovatis nequaquam obſtantibus, procederent; aliaſque & alia voluit & mandauit, prout in eiſdem litteris dicitur plenius contineri. Et licet Reformatio hujuſmodi ad ſanctum & catholicum finem tenderet, nihilominus nonnulli Religiosi dictorum Ordinum non Reformatorum, & aliæ perſonæ tam Eccleſiaſticæ, quam ſeculares prædicti Regni Navarræ, ac forſan aliarum partium, aſſerentes ſe religioſe vivere, & reformari nolle, ſeu non debere, reformationi hujuſmodi ſe opponentes, illam pro poſſe impedire præſumpſerunt ac præſumunt, adeo ut Monaſteria & domus hujuſmodi abſque reformatione debita hactenus permanſerint & permaneant: ac propterea præfatus Carolus Rex in Imperatorem electus, ſummopere cupiat ad Dei laudem, & Religionis augmentum, ac conſervationem de Tudella, & de Stella, ac de Piedrola, & Olite, ac in quo dumtaxat duo vel tres Fratres exiſtunt, ſancti Joannis del Ramo, dicti Regni Navarræ, necnon Provinciæ Burgenſis hujuſmodi ſancti Franciſci de Methymna de Pomar, & S. Franciſci de Frias Provinciæ Burgenſis Conventus ſeu domos Ordinis Fratrum Minorum nuncupatorum, & de Tudella, ac de Stella, & de Pampilona Mo-

naſteria Monialium Ordinis ſanctæ Claræ, & unam domum Sororum in villa ſanctæ Crucis de Campezo Tertii Ordinis ejuſdem ſancti Franciſci, ſub cura dictorum Fratrum Conventualium degentium, in dicto Regno Navarræ conſiſtentium, illarumque Fratres, Sorores & Moniales & Tertiarias reformari, & ad Regularem Obſervantiam reduci, ut eorum exemplari vita animæ Chriſtifidelium Deo lucrifiant, idem Carolus Rex in Imperatorem electus, nobis ſupplicari fecit, ut ejus tam pio & honeſto deſiderio opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos, qui Regum & Principum pias petitiones ad exauditionis gratiam libenter admittimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per hæc ſcripta mandamus, quatenus tu, ſeu Commiſſarius tuus, ad dictum Regnum Navarræ perſonaliter accedens, & ſolum Deum & animarum ſalutem præ oculis habens, prædictas domos Fratrum Conventualium, & Monaſteria Monialium ſanctæ Claræ, & domum de Campezo Sororum ſub cura dictorum Fratrum Conventualium degentium, hactenus non reformata, in capitibus & in membris, ac in ſpiritualibus & temporalibus viſitare, corrigere & reformare, & ad Regularem Obſervantiam, ita quod de cetero perpetuis futuris temporibus in eis Obſervantia Regularis vigeat, ac laudabiles ritus & mores circa eorum regimen ac curam Fratrum, Monialium & Sororum, necnon deputationem Guardianoruoi, Prælatorum & Præſidentium, ac quorumcumque officiariorum penitus obſerventur, quæ vigent, & quæ obſervantur in aliis domibus, Monaſteriis & religioſis locis ejuſdem Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, reducere; necnon domos & Monaſteria tam virorum, quam mulierum reformanda hujuſmodi, poſtquam, ut præfertur, reformata fuerint, a Provincia Aragoniæ, ſub qua forſan nunc exiſtunt, ſeparare & diſmembrare, ac dictæ Provinciæ Burgenſi perpetuo aggregare, unire & incorporare, & ſub cura & correctione, viſitatione, obedientia & reverentia tui & pro tempore exiſtentis Miniſtri Provincialis, provinciæ Burgenſis, ac tuorum Superiorum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ hujuſmodi ſubjicere, ſuſcipere & perpetuo retinere; necnon domorum & Monaſteriorum ſic reformatorum Guardianos, ſeu Præſidentes quocumque nomine nuncupentur, ac Fratres religioſos, & alias religioſas perſonas, ad Capitulum Conventus, & Congregationes Provinciales in dicta Provincia Burgenſi per te, & pro tempore exiſtentem Miniſtrum Provincialem ipſius Provinciæ, ſeu alium Superiorem juxta illius ritus & conſuetudines Provinciæ & Ordinis hujuſmodi celebrandas, perſonaliter accedere, & ibidem intereſſe compellere; ipſarumque domorum Conventualium, ac Reformatorum bona immobilia, donec quid de illis diſponi voluerimus, tibi per noſtras litteras ſignificaverimus, conſervare procures. Contradictores & rebelles, ac alios quoſcumque impedientes, per cenſuras Eccleſiaſticas, illas iteratis vicibus aggravando, ac alia juris opportuna remedia, etiam interdictum Eccleſiaſticum apponendo, & ſi opus fuerit, auxilium brachii ſecularis invocando, quavis appellatione & exceptione remota, compeſcendo. Non obſtantibus præmiſſis, ac Clementis V. quæ incipit: *Exivi de Paradiſo*, ac Leonis X. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, ac aliis ſuper concordia & unione Fratrum de Obſervantia & Conventualium facta, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon domorum & Monaſteriorum, & Ordinis Minorum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque & indultis, ac litteris Apoſtolicis, illis & Ordini prædicto, illorumque Fratribus & Sororibus etiam per dictos, ac alios quoſcum-

cumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, etiam ſuper conformitate tam Fratrum Minorum Conventualium, quam de Obſervantia nuncupatorum conceſſis, approbatis & innovatis, etiam quod Fratres Conventuales dicti Ordinis Minorum inviti reformari, & domus dicti Ordinis ſub obedientia unius Provincialis alicujus Provinciæ conſiſtentes, ab ejuſdem correctinne & viſitatione ſeparari, & obedientiæ ac viſitationi alterius Provincialis ſubjici & agreggari non poſſint, forſan diſponentibus: Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis illorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad bum, nnn autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis illa expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus: Quodque tu, fili, de perſonis, quibus ſimiles cauſæ per Sedem Apoſtolicam committi, & quæ illas judicialiter tractare conſueverunt, non ſis, contrariis quibuſcumque &c. Volumus autem quod tranſumptis præſentium &c. fides adhibeatur &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, die XXII. Junii MDXXIV. Pontificatus noſtri anno 1.

VII.

Advocat ad ſe controverſiam exortam inter Obſervantes & alios circa conſtructionem Conventus de Naxara. Ibid. fol. 58.

Dilecto filio Fortunio Senzy de Iraeta Canonico Eccleſiæ Malianenſis.

§. 1. Piis fidelium votis nos decet gratum præſtare aſſenſum &c. Sane dilecti filii Miniſter Provincialis Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum Provinciæ Burgen. ſecundum morem ejuſdem Ordinis, ac Guardianus domus ſancti Franciſci Civitatis de Nagera, Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, Calaguritanæ diœceſis, nobis nuper exponi fecerunt, quod licet annis decem vel citra jam effluxis, venerabilis frater Epiſcopus Calaguritanus, ac dilecti filii Antonius Manrique de Lara, Dux de Nagera, Dominus in temporalibus, & cives dictæ Civitatis, ſingulari devotione, quam ad Fratres eorumdem Ordinis & Obſervantiæ gerebant ducti, certum hortum in ſuburbiis ipſius Civitatis conſiſtentem, & ad eos legitime pertinentem, eiſdem Guardiano & Fratribus, ad effectum, ut ibi conſtruerent unam domum ſub invocatione ejuſdem ſancti Franciſci pro perpetuis uſu & habitatione nonnullorum Fratrum dictorum Ordinis & Obſervantiæ, per quorum exemplarem vitam, verbi Dei prædicationes, ac aſſiduas & devotas Miſſarum celebrationes, & ſalubres exhortationes, fideles illarum ad bene beateque vivendum inſtrui, & ſuarum animarum ſalutem conſequi poſſent, donaverunt & conceſſerunt; ac ipſi Guardianus & Fratres propterea ab Epiſcopo & Duce ac civibus præfatis evocati, cum eiſdem Epiſcopo & Duce ac civibus hujuſmodi proceſſionaliter ad dictum hortum eis, ut præfertur, conceſſum accedentes, & hortum pro conſtructione dictæ domus recipientes, inibi domum pro uſu & habitatione Fratrum hujuſmodi conſtrui & ædificari facere incepiſſent: & cum dilecti filii Abbas & Monachi Monaſterii de Nagera ſanctæ Mariæ de Nagera Ordinis ſancti Benedicti, ac Rector certæ Capellæ ſanctæ Crucis, quæ etiam Parochialis exiſtit ejuſdem Civitatis, & Clerici in illa perpetuel Beneficiati,

prætendentes dictum hortum infra limites ſuarum Eccleſiarum, & ſub eorum cura juriſdictioneque conſiſtere, ac propterea, necnon etiam pro eo, quod Guardianus & Fratres prædicti hortum prædictum tempore interdicti receperant, non liçere eiſdem Guardiano & Fratribus domum ipſam inibi ſine conſenſu eorum ædificare, ſe conſtructioni domus hujuſmodi oppoſuiſſent, Apoſtolicas ſuper hoc ad certos Judices in partibus illis, ſub certa forma litteras impetraverint, & illarum prætextu eoſdem Guardianum & Fratres coram ipſis Judicibus ad judicium evocari, ac eis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ne in dicto horto, vel alio dicti oppidi loco, ſeu illius diſtrictu domum aliquam conſtruere & ædificare ſeu habitare præſumerent, inhiberi; ac deſuper quamdam per eoſdem Judices, per quam Guardianum & Fratres non ſolum prædictum locum dimittere, ſed etiam ab omnibus terminis dicti oppidi exire debere, neque inibi ædificari poſſe pronunciarunt, ſententiam promulgari obtinuerunt; & ab hujuſmodi ſententia pro parte Guardiani & Fratrum prædictorum ad Sedem Apoſtolicam appellato, & cauſa appellationis hujuſmodi certo cauſarum Palatii Apoſtolici Auditori commiſſa, dictus Auditor in illa perperam procedens, definitivam, per quam ſententiam prædictam confirmavit, ſententiam promulgaverit: a qua pro parte Guardiani & Fratrum prædictorum iterum ad Sedem Apoſtolicam appellato, & cauſa appellationis poſterioris hujuſmodi alteri cauſarum Palatii Apoſtolici Auditori commiſſa extiterit.

§. II. Cumque Guardianus & Fratres præfati Chriſtifidelium animarum ſaluti, & Dei ſervitio intendere, & pro eorum & eorumdem Chriſtifidelium pace & quiete primum ſitum, videlicet hortum dimittere, & in quodam hoſpitali in dicti oppidi ſuburbio conſiſtente, eis per uxorem & filios quondam Martinez illius fundatoris pro dictæ domus conſtructione & ædificatione oblato ac conceſſo, & in quo Fratres ipſi a principio ſuæ vocationis uſque nunc tamquam pauperes hoſpitati fuerant, prout etiam tunc hoſpitabantur & permanebant, domum ipſam pro eorum uſu & habitatione ædificare poſſe cuperent: Nos tunc conſiderantes, quod poſtquam Dux & Dominus temporalis dicti oppidi, ac illius incolæ & habitatores deſiderabant dictos Fratres de Obſervantia inibi pro ſalute animarum ſuarum habere, & ſi aliquod præjudicium quoad oblationes & eleemoſynas dictis Parochialibus Eccleſiis inſurgere poſſet, ſi damnum hujuſmodi aliqua honeſta recompenſa per Ducem, ſeu Guardianum & Fratres prædictos aſſignandam recompenſari poterat, differri vel retardari non debebat, per noſtras in forma Brevis litteras Ferdinando Commendatario dicti Monaſterii ſignificandum duximus, ut vellet per ſuas litteras præſtare conſenſum, quod Fratres ipſi, dimiſſo prius per eos primo ſitu, videlicet horto prædicto, in dicto hoſpitali eis, ut præfertur, oblato, & in quo ad præſens exiſtunt, dictam domum conſtruere poſſent; alioquin cauſam ipſam a Rota avocaremus, & aliquibus Judicibus in partibus illis mandaremus, ut de præmiſſis auctoritate Apoſtolica, ſe diligenter informarent, & conſideratis omnibus, quæ circa præmiſſa forent attendenda, ſi eis viſum foret, quod Abbas & Conventus, ac Rector, et Beneficiati Eccleſiarum hujuſmodi, et Conſratres ipſi præmiſſorum occaſione, detrimentum aliquod paterentur, illis congruam recompenſam per eos moderandam et limitandam, per Guardianum et Fratres domus conſtruendæ hujuſmodi, ſeu alias dandam aſſignarent, faciendo recompenſam illis, quibus danda foret, cum effectu exhiberi; qua exhibita, non permitterent Guardianum et Fratres ſuper dictæ domus conſtruendæ habitatione quomodolibet moleſtari aut perturbari: quodque idem Commendatarius cum primum litteras noſtras recepiſſet, mentem ſuam ſuper hoc

hoc ſignificare curaret. Et quamvis litteræ noſtræ prædictæ eidem Ferdinando præſentatæ fuerint, de quarum præſentatione nobis fuit legitime facta fides; tamen dictus Ferdinandus mentem ſuam nobis ſignificare, aut litteris noſtris reſponſum dare hactenus minime curavit: dicti Miniſter Provincialis, ac Guardianus & Fratres nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ne ulterioribus litibus involvantur, ſed ab hujuſmodi perturbationibus ſublevati, liberius Altiſſimo famulatum exhibere poſſent, ſtatui eorum ſuper his opportune providere paterna caritate dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui ad ea, per quæ animarum ſalus procuratur, & Religionis ſtatus, ac Divinus cultus incrementum ſuſcipiunt, libenter intendimus, ſperantes indubie ex hujuſmodi domus conſtructione multiplices fructus proventuros, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, cauſam prædictam, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, ad Nos auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium advocantes, & lites ipſas penitus extinguentes, tibi committimus & mandamus, quatenus eiſdem Guardiano & Fratribus, primo ſitu prius per eos dimiſſo, dictum hoſpitale pro dictis Fratribus retinendi, & inibi perpetuo permanendi, ac unam domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, refectorio, clauſtro, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, pro eorum & aliorum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum Fratrum uſu & habitatione perpetuis conſtrui & ædificari faciendi, ſeu cœptam conſtrui & ædificari perficiendi, Duci prædicto plenam & liberam licentiam & facultatem auctoritate noſtra concedas. Nos enim eidem conſtruendæ domui, ſi illam conſtrui contigerit, poſtquam conſtructa fuerit, ac illius Guardiano & Fratribus pro tempore exiſtentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus & exemptionibus, conceſſionibus, indulgentiis & indultis, aliis domibus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ac illorum Guardianis & Fratribus in genere conceſſis ac concedendis, & quibus illæ ac illi utuntur, potiuntur & gaudent, uti, potiri & gaudere poſſint ac debeant, auctoritate Apoſtolica & tenore prædictis concedimus & pariter indulgemus.

§. IV. Et nihilominus nemini præjudicare volentes, tibi ſeu venerabili fratri moderno Epiſcopo Calaguritano, & dilecto filio Priori Monaſterii per Priorem gubernari ſoliti ſanctæ Mariæ de Mercede Civitatis Lucronen. Calaguritanæ diœceſis per præſentes committimus & mandamus, quatenus tu fili Canonice, ſeu ipſe Epiſcopus & Prior præfati, vel unus eorum, ſi & poſtquam vocatis intereſſe habentibus, ac conſideratis conſiderandis, viſum eis fuerit, quod Abbas & Conventus, ac Rector & Beneficiati, necnon Confratres præfati præmiſſorum occaſione, detrimentum aliquod patiantur, illis congruam recompenſam per te fili Canonice, aut Epiſcopum, ſeu Priorem præfatos moderandam & limitandam, per Ducem, aut Guardianum & Fratres præfatos dandam, auctoritate noſtra aſſignes, vel illi aſſignent, & cum effectu exhiberi faciant, & illa exhibita, Abbati, Conventui, Rectori, & Beneficiatis, ac Confratribus prædictis ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium eadem auctoritate imponas, non permittens Guardianum & Fratres deſuper per Abbatem, Conventum, Rectorem & Beneficiatos, vel Confratres prædictos, ſeu quoſcumque alios quomodolibet moleſtari, impediri vel perturbari. Contradictores &c. compeſcendo &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die 11. Septembris MDXXIV. Pontificatus noſtri anno 1.

VIII. *Do-*

VIII.

Donat Confratribus Caritatis in Urbe Conventum ſancti Hieronymi, in hunc finem ab Obſervantibus oblatum & conceſſum. Ex Bulla originali in Archivio Aræcœli.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. DUm intra mentis noſtræ arcana conſideramus Romanum Pontificem illius in terris Vicarium eſſe, qui tanto caritatis ardore flagravit, ut hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creatum, pretioſiſſimo ſanguine ſuo redimeret, eique ad cœleſtem patriam, qua propter inobedientiæ culpam ſe indignum reddiderat, viam reſerare dignatus ſuerit; nihil Deo gratius & acceptius, ac ipſius in terris Vicario convenientius arbitramur, quam Caritatis opera continuo ſtudio meditari, omneſque exemplo ſuo ad Caritatem ipſam exercendam invitare, ſine qua reliquæ omnes virtutes nullius meriti eſſe poſſunt, dicente Apoſtolo: *Si caritatem in me non habuero, nihil ſum.*

§. II. Animo igitur revolventes, quod dum in minoribus eſſemus, & Cardinalatus honore, ac Vicecancellariatus officio fungeremur, erga viduas, pupillos ac alias miſerabiles perſonas, quæ abſque alieno auxilio vivere & ſe ſuſtentare nequeunt, Caritatis opera exercere cupientes, auctores fuimus, ut una Confraternitas in Alma Urbe ad miſericordiiſſimi Dei laudem inſtitueretur, cujus Conſratres omnibus Caritatis operibus continuo vacarent, ipſique eleemoſynas de propriis ſuis bonis in pauperes & indigentes perſonas erogarent, alioſque ad ſimilia Caritatis opera facienda invitarent, & ut Confratres ipſi præmiſſa commodius facere poſſent, reſervationi penſionis annuæ ducentorum ducatorum auri de Camera ſuper fructibus Monaſterii ſancti Anaſtaſii extra muros dictæ Urbis, Ordinis ſancti Benedicti, quod tunc ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica in commendam obtinebamus, per Nos & ipſius Monaſterii Abbates ſeu Commendatarios pro tempore exiſtentes, eiſdem Conſratribus perpetuo perſolvendæ conſenſimus, prout in litteris Apoſtolicis deſuper confectis plenius continetur. Poſtquam Divina ſavente clementia ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti ſuimus, paſtoralis officii noſtri eſſe duximus, dictam Confraternitatem eo majoribus gratiis ac muneribus proſequi, quo ad id faciendum major eſt nobis data facultas.

§. III. Deſiderantes igitur, ut Conſratres ipſi locum habeant, in quo pro Divinis Officiis celebrandis, & operibus Caritatis exercendis, ac aliis ad directionem & gubernium dictæ Conſraternitatis pertinentibus, convenire, inibique tamquam oliva fructifera cœleſtis gratiæ rore perfuſi, Caritatis & pietatis opera ordinare & diſponere, ipſamque Conſraternitatem pro pauperum ac miſerabilium perſonarum utilitate & commodo, in dies, concedente Domino, augere atque multiplicare valeant; poſtquam dilecti filii Miniſter Provincialis & Fratres Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Romanæ, juxta morem dicti Ordinis, de expreſſo conſenſu dilecti filii Hilarionis Sachetti, dicti Ordinis profeſſoris & Commiſſarii Generalis Ciſmontani, tam noſtris, quam dilectorum filiorum Conſervatorum dictæ Urbis precibus moti, unam ex pluribus domibus, quas in dicta Urbe habent, videlicet ſancti Hieronymi in regione Regulæ ejuſdem Urbis, quam ad præſens inhabitant, & quæ ad eos ſpectat, in manibus noſtris ſub conditionibus, quæ nobis videbuntur, alias ſponte & libere dimiſerunt, ut de illa pro libito voluntatis noſtræ diſponeremus: Motu proprio & ex certa no-

noſtra ſcientia, domum ipſam ad eoſdem Provincialem & Fratres ſpectaſſe & pertinuiſſe declarantes, ac illius dimiſſionem per eos, ut præfertur, factam in manibus noſtris, acceptantes, eamque ratam & gratam habentes, domum ipſam, cujus diſpoſitio ad Nos tam dictæ ceſſionis vigore, quam dominii, quod Romani Pontifices, & Sedes Apoſtolica habent in omnibus domibus dicti Ordinis, libere ſpectat & pertinet, cum illius Eccleſia, dormitorio, clauſtro, refectorio, foreſtaria, libraria, ac omnibus membris, necnon Sacriſtia cum omnibus ornamentis & paramentis Eccleſiaſticis tam aureis, quam argenteis, crucibus, calicibus, & aliis Divino cultui neceſſariis, ac domibus ad illam quomodolibet ſpectantibus & pertinentibus, eidem Societati, ac illius Confratribus per eos perpetuo tenendam & poſſidendam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, ea conditione libere donamus, quod Conſratres ipſi in dicta domo nullos Religioſos cujuſcumque etiam dicti Ordinis, ſed dumtaxat presbyteros ſeculares retinere poſſint, & inibi pro operibus pietatis tractandis & conſultandis, ac executioni debitæ demandandis, more ſolito ſe congregare, ac in Eccleſia dictæ domus octo ſaltem Miſſas ſingulis diebus per proprios ſeu alios idoneos Capellanos ſubmiſſa voce legi, Dominicis vero & feſtivis diebus ultra dictas octo Miſſas, unam magnam Miſſam, cum Diacono & Subdiacono celebrari, necnon Veſperas & Completorium cantari facere teneantur. Quodque domos locari ſolitas, ac ornamenta & paramenta, & alia prædicta ad domum ipſam ſancti Hieronymi ſpectantia, ut præfertur, de quibus Confratres ipſi inventarium conficere teneantur, & illa ſeu ex eis aliqua in aliquam perſonam Eccleſiaſticam ſeu ſecularem nullo modo vel titulo alienare poſſint, & alienationes alias factæ nullius ſint roboris vel momenti, & habeantur penitus pro infectis: & in eventum, in quem Confratres ipſi præmiſſa non ſervaverint, aut illis contravenerint, ſeu domum ipſam ſancti Hieronymi ex quacumque cauſa dimitterent, vel donationem & conceſſionem de ea per Nos ſibi factas hujuſmodi non acceptarent, ex tunc domus ipſa cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, ac aliis ſupradictis, & melioramentis omnibus in ea per ipſos Confratres factis, ad Miniſtrum & Fratres hujuſmodi Provinciæ, libere revertatur. Liceatque eidem Miniſtro & Fratribus illius corporalem poſſeſſionem propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo, ut prius, retinere in omnibus & per omnia, perinde ac ſi domum ipſam in manibus noſtris nullatenus dimiſiſſent. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis generalibus & provincialibus ſtatutis & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque & indultis, ac litteris Apoſtolicis dicto Ordini forſan conceſſis: quibus, etiamſi ad illorum derogationem de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, illorum tenorem præſentibus pro expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, acceptationis, donationis & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXXIV. X. Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno I.

IX. *Con-*

IX.

Confirmat inhibitorias Leonis X. ne quis Fratrum extra Ordinem ſine Superiorum licentia quavis prætenſa auctoritate divagetur. Ex Reg. Ultram. Cur. fol. 54.

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris Ciſmontanis & Ultramontanis Ordinis Minorum de Obſervantia, ceteriſque Prælatis ejuſdem Ordinis, & eorum cuilibet.

§. I. Dudum ſel. record. Leoni Papæ X. prædeceſſori noſtro pro parte veſtra expoſito, quod ſæpe contingebat quoſdam de Ordine veſtro profeſſores ſalutis propriæ immemores, ſuavi ſalutaris obedientiæ jugo ſpreto, ad eumdem Prædeceſſorem & Sedem Apoſtolicam accedere, exemptiones, gratias, privilegia & Apoſtolica indulta, quibus Religionis veſtræ integritas non mediocriter diſſolvebatur, & aliis delinquendi fomentum efficax miniſtrabatur, ad Ordinis diſciplinam regularem & Prælatorum correctionem ſalutarem declinandas, confictis mediis quærere & obtinere, etiam nonnullos ex Prælatis Eccleſiarum, vobis irrequiſitis, ad ſecum morandum, vel pro ipſorum promovendis negotiis aliquos ex eiſdem aſſumere, juxta ſuæ libitum voluntatis, quo fiebat ut Ordo præfatus, & ſuæ pacis diſpendium, & gravis detractionis aliquando perferret detrimentum; idem Prædeceſſor conſiderans incongruum exiſtere, quod hujuſmodi profeſſores habitum dicti Ordinis gererent, ac ſe de ipſo Ordine nominari præſumerent, & juriſdictionem aut diſciplinam Superiorum ejuſdem Ordinis ſuſcipere parvipenderent, ſuper his ſalubriter & provide occurrere cupiens, veſtris in ea parte ſupplicationibus inclinatus, pro dicti Ordinis ejuſque Obſervantiæ Regularis conſervatione, & ut vagantibus & delinquentibus Fratribus, atque aliis exquiſitis mediis libertatis viam quærere ſatagentibus, omnis evagandi tolleretur occaſio, auctoritate Apoſtolica inter alia ſtatuit & ordinavit, quod nullus Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi profeſſur ex tunc de cetero exemptionem aut indultum Apoſtolicum ſub quavis forma & expreſſione verborum obtinere poſſit, niſi veſter aut Commiſſariorum veſtrorum in Romana Curia exiſtentium ad hoc expreſſus accederet aſſenſus; & ſi illa impetrarent, nullatenus ſibi ſuffragarentur, quominus illorum obtentu, a Prælatorum ſuorum juriſdictione, & eorum regulari diſciplina exemptus cenſeretur. Quodque nullus Prælatus, aut Sedis Apoſtolicæ Nuncius aut Legatus, niſi eſſet de Latere Legatus, aliquem ex Fratribus veſtri Ordinis ad ſecum morandum, vel pro ſuis negotiis promovendis abſque veſtra ſeu Provincialium Miniſtrorum ſuorum licentia petita, obtenta, & in ſcriptis habita aſſumere poſſet, ſine ſpeciali mandato Sedis Apoſtolicæ; & ne Profeſſores ipſi cum prædictis contra præmiſſa morari, vel negotia eorum aſſumere auderent, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictius inhibuit; ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna præcepit & mandavit, ut profeſſores, qui ſine dicto ſpeciali mandato veſtro, vel veſtra licentia ad prædicta quomodolibet in poſterum aſſumpti forent, eiſdem diſciplinæ & correctioni, quibus alii Profeſſores veſtri ſubjicerentur, ſubjici deberent: Statuta tamen & ordinata per vos in Congregationibus Generalibus contra hujuſmodi delinquentes in ſuæ firmitatis robore permanere voluit, ac ex tunc irritum decrevit & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari; prout in litteris ejuſdem Prædeceſſoris deſuper confectis plenius continetur. Quare pro parte veſtra

ſtra nobis ſuit humiliter ſupplicatum &c. litteras Prædeceſſoris, ſtatutum, ordinationem, inhibitionem, præceptum, mandatum, voluntatem & decretum prædicta, ac omnia & ſingula alia in dictis litteris contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & innovamus, illaque inviolabiliter obſervari debere decernimus atque mandamus.

§. II. Quocirca venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Colocen. & Epiſcopo Varadien. vel eorum in ſpiritualibus Vicariis Generalibus per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi vel alter eorum, per ſe vel alium ſeu alios vobis in præmiſſis omnibus & ſingulis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illa omnia & ſingula firmiter obſervari, non permittentes vos vel veſtrum aliquem contra præſentium & Leonis prædeceſſoris litterarum hujuſmodi tenorem quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores per cenſuras &c. compeſcendo, invocato &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & de duabus dietis in Concilio generali edita; dummodo ultra tres aliquis auctoritate præſentium non trahatur, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volentes & decernentes, quod præſentibus, ac prædeceſſoris litteris nullatenus derogari poſſit, præterquam ſi præſentes de verbo ad verbum inſertæ fuerint, quodque præſentium tranſumptis, manu Notarii publici &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XI. Martii MDXXV. Pontificatus noſtri anno II.

X.

Confirmat alias Leonis X. litteras de cogendis Fratribus extra clauſtra commorantibus, ut ad Religionem regrediantur. Ibid. fol. 61.

Dilectis filiis Generali, & univerſis Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ceteriſque ejuſdem Ordinis Prælatis.

§. I. DUdum per ſel. rec. Leonem X. prædeceſſorem noſtrum accepto, quod licet tam ſecundum canonicas ſanctiones, quam etiam veſtri Ordinis regularia inſtituta, dicti Ordinis Fratres, quacumque cauſa, etiam ſtudii ſui, ſeu alia occaſione, recedere abſque licentia Superiorum ſuorum, vel poſt ejuſdem licentiæ revocationem, extra domos dicti Ordinis morari non poſſint: nihilominus nonnulli ex dicti Ordinis Fratribus ægritudines, ac corporum & animarum paſſiones ſimulantes, alii ſubveniendi parentum inopiæ colore quæſito, alii vero ad ſtudiorum Univerſitates abſque licentia hujuſmodi, ſeu eadem licentia revocata, accedere & inibi morari, atque, quod deterius eſt, privilegiis Univerſitatibus hujuſmodi illarumque ſcholaribus conceſſis, ut liberius in ſua damnata præſumptione permanere poſſent, ſe tueri: alii vero propriæ ſalutis obliti, Apoſtolicas, in quibus ſe profeſſionem aut numquam, aut infra pubertatis annos, ſeu per vim & metum feciſſe aſſerunt, litteras impetrare; aut habitu abjecto, per habitacula ſecularium perſonarum ac loca inhoneſta diſcurrendo, cum laicis converſari non verebantur: alii vero ſub prætextu habilitatis ſeu diſpenſationis ad obtinendum Eccleſiaſticum ſive Eccleſiaſtica beneficium ſeu beneficia, per clericos ſeculares obtineri ſolitum vel ſolita, per litteras Apoſtolicas ſibi conceſſæ: nonnulli quippe alicujus ex ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus tunc præſentibus, vel pro tempore exiſtentibus, familiaritatis litteras exhibendo, obedientiæ regularis laxatis habenis, extra Ordinem & obedientiam

ſuorum Prælatorum, in parentum vel conſanguineorum ſive amicorum domibus morari & permanere, ac beneficiis Eccleſiaſticis deſervire, & per ſeculum vagari præſumebant: quod ſine animarum ſuarum pernicie, Religionis vituperio, Dei contemptu, & populorum ſcandalo fieri nullo modo poteſt: præfatus prædeceſſor veſtris in ea parte ſupplicationibus inclinatus, quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus Fratres prædicti, ægritudinis, aut ſubveniendi parentum inopiæ, ſive alia quavis occaſione vel cauſa, reſpectu etiam ſtudii, aut diſpenſationis ad obtinendum beneficium hujuſmodi, Apoſtolica ſeu quavis alia auctoritate ſibi conceſſæ, niſi beneficium ipſum foret canonice & actu aſſecutum, ſive familiaritatis alicujus ex dictis Cardinalibus, præterquam ſi actu continui commenſales ejuſdem prædeceſſoris fuiſſent, extra dictum Ordinem, præterquam vel abſque licentia & mandato ejuſdem Superioris, reſpective illa durante, etiam de licentia Sedis Apoſtolicæ, prodeſſe, & prætextu quarumcumque facultatum, indultorum, & aliarum litterarum Apoſtolicarum, quibuſvis Univerſitatibus conceſſarum, ſine conſenſu veſtro commorari non poſſent: quodque unuſquiſque veſtrum in ſua Provincia, dum & quoties opus foret, Fratres extra Ordinem prædictum, quavis occaſione alia tunc commorantes, ad Ordinem hujuſmodi redeundum cogere & compellere poſſitis, auctoritate Apoſtolica perpetuo ſtatuit & ordinavit. Ac idem Prædeceſſor in aliis ſe profeſſionem nunquam, aut infra pubertatis annos, vel per vim aut metum emiſiſſe aſſerentibus, rei tam impiæ occurrere cupiens, cum commiſſiones illæ falſo impetratæ eſſent, ac etiamſi bene recteque impetratæ eſſent, in foro conſcientiæ dumtaxat, non in foro contentioſo nec contra Religionis jura, conſuetudinem aut voluntatem valerent, declaravit; vobis in virtute ſanctæ obedientiæ mandans, ut Fratres Ordinis veſtri, cujuſcumque conditionis eſſent, qui ab obedientia exiviſſent, aut habitum reliquiſſent eatenus, aut in poſterum exituri relicturive eſſent, quacumque auctoritate id facerent, niſi ad arctiorem vitam, ubi actu obſervanter viverent, tranſirent, vigore prædictarum, & aliarum litterarum Apoſtolicarum, ſuper quibuſvis ſupplicationibus, aut mandatis expeditarum, ad Ordinem, atque ad Ordinis loca revocaretis, Bullas eis auferretis, habitum ſacrilege relictum reſumere, in ſame pœnitere, Divino cultui & propriæ ſaluti vacare cogeretis, accito etiam, ſi opus eſſet, auxilio brachii ſecularis. Decernens motu proprio & ex certa ſcientia, ut Fratres, qui ab Ordine recederent, quocumque modo exirent, aut habitum relinquerent, relicturive eſſent, niſi poſt mandatum veſtrum infra dies octo immediate proximos ad obedientiam redirent, habitumque reaſſumerent, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrerent, a qua abſolvi niſi per ſummum Pontificem, aut morte intervenientе, non poſſent: ac voluit & decrevit, pœnam eamdem ſubire omnes eos, qui iis auxilium, conſilium vel favorem præſtarent.

§. II. Ceterum eadem auctoritate, motu & ſcientia ſimilibus ſtatuit & ordinavit, quod in quibuſcumque litteris ad ipſorum Fratrum inſtantiam, ſive ſub anulo Piſcatoris, aut ſub plumbo, vel Pœnitentiaria, ſuper præmiſſorum aliquo, & inobedientiæ regularis derogatione, etiam ſuper quibuſvis ſupplicationibus ab eodem Leone, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente, etiam mandato ſpecialiter & abſolute ſignatis, impetratis eatenus & in poſterum impetrandis, ſemper & indeficienter ſubintelligeretur clauſula hujuſmodi, *& de licentia Superioris, & ea durante*: decernens litteras Apoſtolicas hujuſmodi clauſula carentes, nullas nulliuſque roboris vel momenti fore, in illiſque indifferenter dictam clauſulam, etiamſi non foret appoſita, ſemper tacite intelligi debere, ejuſdem Prædeceſſoris inten-

tentionis fuiſſe: inhibens diſtrictius locorum Ordinariis ſub interdicto ingreſſus Eccleſiæ, & ſuſpenſionis a regimine & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, Univerſitatum Rectoribus, ac illarum Conſervatoribus, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus & aliis quibuſcumque ſub excommunicationis latæ ſententiæ & privationis earumdem Parochialium Eccleſiarum, ac omnium aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad illa & alia in poſterum obtinendà pœnis, eo ipſo, quo contrafacerent, incurrendis, ut vos quominus Fratres dicti veſtri Ordinis ſub indultorum, exemptionum, gratiarum, ac litterarum Apoſtolicarum prædictarum ſpecie exrra domos, & obedientiam veſtram vagantes capere & apprehendere, etiam violenter, illoſque ad domos & loca unde receſſerant, reducere, & carceribus mancipare valeretis, nullo modo per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte impedire præſumerent; prout in litteris ejuſdem Prædeceſſoris deſuper confectis plenius continetur. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut litteras, ſtatutum, ordinationem, mandatum, voluntatem & decretum hujuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori innovare & approbare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, litteras Prædeceſſoris, ac ſtatutum, ordinationem, mandatum, voluntatem & decretum Prædeceſſoris, ac omnia & ſingula alia in eiſdem litteris contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & innovamus, illaque inviolabiliter obſervari mandamus. Quocirca venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Colocen. & Epiſcopo Varadien. vel eorum in ſpiritualibus Vicariis Generalibus per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi vel alter eorum, per ſe vel alium ſeu alios, vobis in præmiſſis omnibus & ſingulis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illa omnia & ſingula firmiter obſervari, non permittentes vos vel veſtrum aliquem contra præſentium & Leonis prædeceſſoris litterarum hujuſmodi tenorem quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores per cenſuras &c. compeſcendo: invocato &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una &c. & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volentes & decernentes, quod præſentibus, ac prædeceſſoris litteris nullatenus derogari poſſit, præterquam ſi præſentes de verbo ad verbum infertæ fuerint, quodque præſentium litterarum tranſumptis, manu Notarii publici &c. fides &c. adhibeatur &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XII. Martii MDXXV. Pontificatus noſtri anno II.

XI.

Confirmat conceſſionem Conventus prope pontem Sixti, factam Procuratori Ordinis Minorum Conventualium. Ex Bulla originali in eodem Conventu.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Officii noſtri debitum exigit ut Religioni deditis, in his, quæ illorum & miniſtrorum ſuorum profectus & commoda reſpiciunt, Apoſtolicæ firmitatis præſidium impendamus, & ut a detrimentis relevantur, ejuſdem officii partes impertiamur. Dudum ſiquidem ſel. rec. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter, ex certis tunc expreſſis cauſis, in Paro-

chiali Eccleſia ſancti Salvatoris de Unda, de Urbe, ſita prope Pontem Sixtum nuncupatum, quam nonnulli Religioſi viri ſub Regula ſancti Pauli primi Eremitæ degentes aliquandiu tenuerant, & ex certis cauſis dimiſerant, Ordinem dicti Sancti inibi ſupprimens & extinguens, ac quaſcumque conceſſiones de illa eiſdem Religiolis viris per Sedem Apoſtolicam factas revocans & annullans, Eccleſiam ipſam cum illius domibus, turribus, hortis, hortalitiis illi contiguis, ad ipſam Eccleſiam legitime pertinentibus, ac omnibus juribus & pertinentiis ſuis, quondam Angelo Peruſino Ordinis Fratrum Minorum & Theologiæ Profeſſori, ac ejuſdem Ordinis in Romana Curia Procuratori, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis Procuratoribus dicti Ordinis Minorum, in ea Curia pro tempore exiſtentibus, per eos perpetuo tenendam, regendam & gubernandam, ita quod Angelus & ſucceſſores præfati per ſe vel alium Sacerdotem idoneum curam animarum parochianorum illius exercere, ac Sacramenta Eccleſiæ inibi miniſtrare, ac omnibus privilegiis & indultis dicto Ordini in genere conceſſis, gaudere valerent, conceſſit, & libere donavit.

§. II. Et deinde piæ memoriæ Sixtus etiam Papa IV. etiam prædeceſſor noſter, ex certis cauſis tunc expreſſis, inter alia voluit, Procuratori dicti Ordinis Minorum, qui in eadem Curia pro tempore eſſet, duas cameras per eum eligendas in eiſdem domibus pro receptione ipſius Procuratoris & ſocii, ac familiarium ſuorum conſervari; ipſumque Procuratorem dicti Ordinis Minorum, qui pro tempore eſſet, quoties eum ad Urbem declinare contingeret, in eiſdem Cameris reſidere, quodque domus & earum proventus hujuſmodi utilitati Procuratoris præfati & pro tempore exiſtentis, quamdiu in Romana Curia reſidentiam faceret, deſervirent, alias juxta ejuſdem Eugenii prædeceſſoris conceſſionem & donationem prædictam; ipſo vero Procuratore in eadem Curia non reſidente, ad præfatum Ordinem Minorum libere pertinerent, prout in litteris recol. mem. Nicolai Papæ V. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, dicti Eugenii immediate ſucceſſoris, cum, ipſius Eugenii prædeceſſoris ejus ſuperveniente obitu, litteræ ſuper hoc confectæ non fuiſſent, ut in dicti Sixti prædeceſſoris inde confectis litteris plenius continetur: Nos dictorum prædeceſſorum veſtigiis inhærentes, ac conceſſionem Eugenii, & voluntatem Sixti prædeceſſorum hujuſmodi ſtabiliri, ne infringi poſſint, dictique Procuratoris diſpendiis obviare cupientes, ac propterea conceſſionem & voluntatem prædictas approbantes & innovantes, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuo ſtatuimus & ordinamus, ac diſtrictius inhibemus, ne bona dictæ Eccleſiæ, cujuſcumque qualitatis exiſtant, cuicumque perſonæ quacumque auctoritate, præeminentia, dignitate, honore ſeu excellentia fulgenti, quovis prætextu, ſeu quæſito colore vendi, permutari, aut alias quomodolibet alienari non poſſint abſque conſenſu expreſſo Superioris dicti Ordinis pro tempore exiſtentis, ſed pro uſu & habitatione decenti ipſius Procuratoris, qui venditioni, permutationi, & alienationi de illis faciendis firmiter reſiſtere, nec ratione reſiſtentiæ hujuſmodi aliquibus cenſuris vel pœnis innodari poſſit, perpetuo exiſteret: ac quod idem Procuratnr, ſicut in Capitulo Generali ejuſdem Ordinis Minorum juxta regularia illius inſtituta, inſtituitur, ſeu inſtitui debet, ita in eodem Capitulo, ſi Prælatis & aliis, ad quos pertinet, in eodem Capitulo intervenientibus, expediens viſum fuerit, & non alias, deinceps deſtitui, ac deponi debeat per Magiſtrum Generalem, etiamſi ad ejus beneplacitum per ſuas litteras patentes, alibique in Capitulo inſtitutus fuerit: & ſic per quoſcumque tam ordinaria, quam delegata, & mixta auctoritate fungentes Judices & perſonas ubique judicari, cognoſci atque decidi

cidi debeat, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, cognoſcendi ac decidendi facultate & auctoritate, necnon irritum & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Mandantes nihilominus dilecto filio noſtro Andreæ tituli ſanctæ Priſcæ Presbytero Cardinali, moderno & pro tempore exiſtenti dicti Ordinis Protectori, quatenus ſtatutum noſtrum hujuſmodi inviolabiliter obſervari faciat, & bona Eccleſiæ hujuſmodi, directe vel indirecte, quovis titulo vendi, permutari, aut alienari nullatenus permittat: ac decernentes quaſcumque venditiones & alienationes, quas de eiſdem bonis contra ſtatutum noſtrum hujuſmodi fieri, necnon ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, nullius fore roboris vel momenti. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis ſæpe & ſæpius per Sedem Apoſtolicam roboratis & confirmatis ſtatutis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XII. Junii MDXXV. Pontificatus noſtri anno II.

XII.

Confirmat eis poſſeſſionem Conventus Nivellenſis. Ex reg. Ultram. fol. 67.

Dilecto filio Miniſtro provinciali Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ provinciæ Flandriæ, ſecundum morem ejuſdem Ordinis.

§. I. EXponi nobis nuper fecerunt dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Margarita, & Univerſitas Oppidi de Nivella, Leodien. diœc. quod alias ipſi videntes malos &c. vitam Fratrum Minorum Conventualium domus ſancti Franciſci dicti Oppidi, Ordinis prædictorum, tunc in ipſa domo habitantium, idque ulterius ferre non valentes, approbante etiam Cariſſimo in Chriſto filio Carolo Romanorum, & Hiſpaniarum Rege Catholico in Imperatorem electo, faventeque dicta Margarita, Fratres Conventuales a domo hujuſmodi expulerunt, in eaque Fratres Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ dictæ provinciæ ad inſtantiam Regis & Margaritæ hujuſmodi introduxerunt, ut illam inhabitarent, prout ex tunc habitarunt, & in ea ſub regulari dicti Ordinis Obſervantia, cum dictæ Univerſitatis ſpirituali conſolatione, & fidelium ædificatione etiam habitant de præſenti, ad laudem Dei Omnipotentis, & regularis vitæ propagationem, ac fidei Catholicæ exaltationem. Quare pro parte Margaritæ, & Univerſitatis prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Fratres ipſos Regularis Obſervantiæ in dicta domo manuteneri mandare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur conſiderantes, eoſdem Fratres Conventuales nulla hujus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ſed populariter ob eorum demerita &c. ab eadem domo fuiſſe ejectos, neque expedire ut domus ipſa Fratribus vacua permaneat, populumque illum eoſdem amplius nolle recipere, ſimulque illius tranquillitati conſulere volentes; prædictæ etiam Margaritæ, & Univerſitatis ſupplicationibus inclinati, ut domum prædictam per te, aut Fratres Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ ſub regimine Provinciæ Flandriæ habitare poſſis & valeas, ipſique Fratres in illa poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium tibi & eiſdem licentiam concedimus. Ipſoſque Fratres, qui domum ipſam receperunt, a cenſuris, quas pro ipſius domus receptione abſque Sedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia, abſolvas facul-

faculiatem tibi elargimur. Et nihilominus venerabili fratri noſtro Epiſcopo Leodien. & dilecto filio Abbati Monaſterii de Gimbloe, Leodien. diœc. harum ſerie committimus & mandamus, quatenus ipſi vel alter eorum, per ſe vel alium ſeu alios auctoritate noſtra faciant præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque firmiter obſervari, nec permittant eoſdem Fratres de Obſervantia ſuper præmiſſis quomodolibet moleſtari, impediri, aut inquietari ſeu perturbari de facto. Contradictores quoslibet & rebelles per pœnas Eccleſiaſticas, ac alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. de una, & in Concilio generali de duabus dietis edita, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate præſentium non trahatur, ac aliis Apoſtolicis, ac in provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis conſtitutionibus & ordinationibus, necnon ſtatutis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die III. Auguſti MDXXV. Pontificatus noſtri anno II.

XIII.

Concedit ei facultatem, ut extra muros Aquævivæ edificet Conventum Fratrum de Obſervantia. Ex brevi authentico.

Dilecto filio nobili viro Antonio Donato Aquaviva de Aragonia Comiti Jodiæ.

§. I. Sinceræ devotionis affectus, quem ad Nos & Romanam Eccleſiam gerere comprobaris, Nos inducunt, ut petitionibus tuis per dilectum filium Donatum Martuccium familiarem noſtrum nobis oblatis, præſertim in Religionis propagationem tendentibus, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & antea vacatura, collationi & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari.

§. II. Cum itaque Eccleſia ſanctæ Mariæ Majoris extra muros Terræ Aquævivæ, Baren. diœceſis, quæ Monaſterio ſancti Angeli de Cœliis Ordinis ſancti Benedicti dictæ diœceſis perpetuo annexa, unita & incorporata erat, ex eo, quod nos unionem, annexionem & incorporationem hujuſmodi, dilecti filii Maſſentis Rugii Clerici Salernitani, qui Monaſterium prædictum, cujus fructus ad XXXIII. florenos & unum tertium in libris Cameræ Apoſtolicæ taxati reperiuntur, in commendam ex conceſſione ſeu diſpenſatione Apoſtolica obtinet, ad hoc expreſſo accedente conſenſu, harum ſerie diſſolvimus, per diſſolutionem hujuſmodi apud Sedem eamdem vacet ad præſens, nulluſque de illa præter Nos hac vice poſſit diſponere, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis; ac pro parte tui, aſſerentis te dominum utilem dictæ Terræ exiſtere, ac dictæ Eccleſiæ fructus, reditus & proventus duorum ducatorum auri de Camera ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non excedere, nobis fuerit humiliter ſupplicatum, ut facultatem conſtruendi in dicta Eccleſia unam domum pro Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, quod in dicta Eccleſia una domus cum dormitorio, re-

refectorio, cœmeterio, campanis, hortis, & hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis Minorum conſtrui & ædificari, quodque Fratres in ea pro tempore degentes omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, gratiis, indultis & præeminentiis &c. uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, indulgemus, ipſamque domum aliis dicti Ordinis Minorum domibus aggregamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſancti Benedicti, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, necnon privilegiis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die VII. Septembris MDXXV. Pontificatus noſtri anno II.

XIV.

Submittit Obſervantibus domos reformatas in Gallia. Ex Reg. Ultram. folio 68.

Dilectis filiis Miniſtris provincialibus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ provinciarum Aquitaniæ, & ſancti Ludovici.

§. I. EXponi nobis feciſtis, quod, poſtquam alias dilecti filii Joannes Morlin, & Alexander Roſeti, Fratres veſtri Ordinis, vigore quarumdam litterarum in forma Brevis à fel. record. Leone Papa X. prædeceſſore noſtro, ad ſupplicationem cariſſimi in Chriſto filii noſtri Franciſci Francorum Regis Chriſtianiſſimi emanatarum, & eis directarum, nonnullas domos Ordinis Fratrum Minorum Conventualium dictarum provinciarum, ſub dilecti filii Generalis Miniſtri Ordinis veſtri, & veſtris obedientia, cura, viſitatione & correctione reduxerant & ſubjecerant, & ceteris domibus veſtris univerant & incorporaverant, & in domibus unitis & incorporatis hujuſmodi vivendi normam juxta regularia inſtituta inſtituerant, & per Fratres in hujuſmodi domibus tunc degentes, & dictam reformationem voluntarie recipientes, perpetuo obſervari mandaverant: alios vero Fratres Conventuales eorumdem domorum reformari recuſantes, ab eiſdem domibus amoverant, & in eorum locum Fratres Ordinis veſtri introduxerant: Dicti Fratres Conventuales reformari recuſantes, quaſdam alias litteras in ſimili forma a piæ memoriæ Adriano Papa VI. etiam prædeceſſore noſtro extorſerant, per quas idem Adrianus prædeceſſor, pro eo quod ipſi Fratres Conventuales aſſerebant, licet falſo, quod Joannes & Alexander præfati certis aliis litteris præfati Leonis prædeceſſoris ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis inhibitoriis, ne prætextu primodictarum litterarum de domibus Fratrum Conventualium in provinciis prædictis conſiſtentibus ſe intromittere præſumerent, certos Conventus ipſorum Fratrum Conventualium in provinciis prædictis conſiſtentes, contra tenorem litterarum inhibitoriarum Leonis prædeceſſoris hujuſmodi, manu armata, per portarum fractionem, ſub prætextu reformandi intraverant & occupaverant, ac tunc occupabant: & Fratres Conventuales inibi exiſtentes, inhoneſte per vim, & non abſque manuum violentarum in eos uſque ad ſanguinis effuſionem temeraria injectione, ab eiſdem domibus ejecerant, ac diverſa bona mobilia & immobilia dictorum Conventuum ſurripuerant, ac tunc occupabant: & Fratres Conventuales ... Archiepiſcopo Burdegalenſi, dicitur dediſſe in mandatis, ut domos, & Conventus occupatos, ac bona ſubrepta hujuſmodi dictis Fratribus Conventualibus reſtitui faceret: & cum ipſe tunc Archiepiſco-

piſcopus ad executionem litterarum Adriani hujuſmodi, ac declarationem cenſurarum & pœnarum in illis contentarum contra vos de facto proceſſiſſet, fuit pro parte veſtra ad Sedem Apoſtolicam appellatum, cauſaque appellationis hujuſmodi venerabilibus Fratribus noſtris Senonenſi, ac Toloſanenſi Archiepiſcopis commiſſa, tunc Abbas Monaſterii ſancti Gallacii, Albien. diœceſis, cui præfatus Archiepiſcopus Senonenſis commiſerat vices ſuas, in cauſa hujuſmodi rite procedens, proceſſum dicti Archiepiſcopi Burdegalenſis & cenſuras per eum latas per ſuam ſententiam definitivam revocavit, ac ad domum Lectorenſem dicti Ordinis Fratrum Conventualium ſe conferens, illam reformavit, illamque vobis pro Fratribus de Obſervantia conceſſit, voſque in illius poſſeſſionem induxit. A qua quidem ſententia pro parte ipſorum Fratrum Conventualium ad Sedem apoſtolicam appellatum fuiſſe dicitur, & cauſam appellationis hujuſmodi dilectis filiis Priori ſanctæ Fidis de Marlanis, & Laſcoren. ac Oloren. officialibus commiſſam fuiſſe, cum mandato & commiſſione, quod Fratres veſtri Ordinis domos Fratrum Conventualium hujuſmodi, favore & auxilio dominorum temporalium, &, ut præmittitur, manu armata, & per portarum effractionem intraſſent, & eaſdem domos Fratrum Conventualium inhabitarent, omnes cenſuras & pœnas in Bulla concordiæ in Capitulo Generaliſſimo omnium Fratrum beati Franciſci olim in domo de Aracœli de Urbe veſtri Ordinis, inter Fratres Regularis Obſervantiæ, & dictos Conventuales edita, contentas, uſque ad appoſitionem interdicti incluſive declararent. Cum autem, ſicut nobis dilectæ in Chriſto filiæ nobiles mulieres Aloyſia Comitiſſa Engoliſmen. pro præfato Franciſco Rege in Regno Franciæ Regens, & Margarita Duciſſa Alenconii, ejuſdem Regis ſoror germana, nobis nuper etiam exponi fecerunt, ex dictis litibus & controverſiis in dicto Regno, in quo dictæ domus conſiſtunt, gravia ſcandala exoriri formidentur, & Fratres veſtri Ordinis ob eorum exemplarem vitam eiſdem Aloyſiæ Commitiſſæ, & Margaritæ Duciſſæ, ac Populo ejuſdem Regni grati exiſtant; pro parte tam Aloyſiæ Comitiſſæ, & Margaritæ Duciſſæ prædictarum, quam veſtra, nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui ſcandala tollere, & ſaluti animarum Populi Chriſtiani providere, quantum cum Deo poſſumus, ex debito paſtoralis officii ubique tenemur: attendentes quod juxta canonicas ſanctiones, propter ſcandalum evitandum, rigor juſtitiæ omittendus eſt, quodque dictæ domus, nec veſtræ, nec dictorum Fratrum Conventualium proprie exiſtunt, ſed meræ diſpoſitioni noſtræ & dictæ Sedis ſubſunt, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ad evitandum ſcandala, quæ ex hujuſmodi litibus formidantur, omnes & ſingulas cauſas prædictas, earum ſtatus & merita, ac ſingularum litterarum & commiſſionum veriores tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ad Nos harum ſerie advocamus, ac lites hujuſmodi penitus extinguimus, voſque ac ſingulos Fratres veſtros, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati eſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; ac omnes & ſingulas domos dictarum provinciarum vigore dictarum litterarum Leonis & Adriani prædeceſſorum, ut præfertur, reformatas, quas Fratres veſtri de præſenti inhabitant, vobis pro veſtris perpetuis uſu & habitatione, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, concedimus & aſſignamus, domoſque ipſas reformatas, ut præfertur, & in quarum poſſeſſione ad præſens exiſtitis, auctori-

ctoritate & tenore præmiſſis vobis de novo conſerimus, illaſque tamquam reformatas vobis de novo perpetuo concedimus. Et nihilominus venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Senonen. & Lectoren. ac Condomien. & Petragoricen. ac Magalonen. Epiſcopis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios auctoritate noſtra faciant præſentes, & in eis contenta quæcumque effectum ſortiri, & vos & Fratres veſtros, ac quos ipſæ litteræ quomodolibet concernunt, pacifice frui & gaudere faciant, nec permittant vos contra præſentium tenorem quoquo modo inſultari, moleſtari, impediri, aut inquietari ſive perturbari: contradictores quoslibet &c. invocato &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac recolendæ memoriæ Boniſacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. ac aliis Apoſtolicis, necnon provincialibus & ſynodalibus conſtitutionibus, ac ſtatutis & conſuetudinibus &c. contrariis quibuſcumque: Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die 111. Novembris MDXXV. Pontificatus noſtri anno 11.

XV.

Idem habet quod Bulla proxime præcedens, ſed exprimit peculiares aliquas domos provinciæ ſancti Ludovici. Ibid. fol. 70.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. ILlius, cujus in pace factus eſt locus &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum nobilium mulierum Aloyſiæ Duciſſæ Engoliſmen. pro cariſſimo in Chriſto filio Franciſco Rege Francorum Chriſtianiſſimo in Regno Franciæ Regentis, & Margaritæ Duciſſæ Alenconii, ejuſdem Franciſci Regis Sororis germanæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, poſtquam alias dilecti filii Joannes Morlin, & Alexander Roſſeti dictorum Ordinis & Obſervantiæ profeſſores, vigore quarumdam litterarum in forma Brevis a ſel. rec. Leone Papa X. prædeceſſore, ſecundum carnem fratre patruele noſtro, ad ſupplicationem præfati Franciſci Regis emanatarum, & eis directarum, nonnullas domos Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Provinciæ ſancti Ludovici ſub dilectorum filiorum Generalis & dictæ provinciæ Provincialis Miniſtri, Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, obedientia, cura & viſitatione & correctione reduxerant & ſubmiſerant, ac ceteris domibus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum in eadem provincia ſancti Ludovici conſiſtentibus univerant & incorporaverant, ac in domibus unitis & incorporatis hujuſmodi vivendi normam juxta regularia inſtituta Ordinis & Obſervantiæ prædictorum inſtituerant, & per Fratres in hujuſmodi domibus tunc degentes, & dictam reformationem voluntarie recipientes perpetuo obſervari mandaverant; alios vero Fratres Conventuales reformari recuſantes, ab eiſdem domibus amoverant, & in eorum locum Fratres dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ introduxerant: dicti vero Fratres Conventuales aſſerentes, licet falſo, ſe a dictis domibus reformatis favore dominorum temporalium violenter & manu armata indebite & contra juſtitiam ſpoliatos fuiſſe, quaſdam alias litteras forſan in ſimili forma Brevis ab Apoſtolica Sede extorſiſſe dicuntur, per quas committebatur dilectis filiis Priori ſanctæ Fidis de Marlanis & Laſcurien. & Olorenſi, officialibus cum mandato & plena commiſſione, quod ſi Fratres dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ domus Fratrum Conventualium hujuſmodi favore & auxilio dominorum temporalium, &, ut præmittitur, manu armata in-

traſſent, & eaſdem domos Fratrum Conventualium inhabitarent, omnes cenſuras & pœnas in Bulla Concordiæ, in Capitulo Generaliſſimo omnium Fratrum beati Franciſci olim in domo de Araceli de Urbe dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ, inter dictos Fratres Regularis Obſervantiæ & dictos Conventuales edita, contentas, uſque ad appoſitionem interdicti inclusive declararent. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ex dictis litibus & controverſiis in dicta provincia ſancti Ludovici, in qua dictæ domus conſiſtunt, gravia ſcandala exoriri formidentur, & dicti Fratres Regularis Obſervantiæ ob eorum exemplarem vitam eiſdem Aloyſiæ & Margaritæ, ac populo illarum partium grati exiſtant; pro parte tam Aloyſiæ & Margaritæ Duciſſarum prædictarum, quam eorumdem Fratrum Regularis Obſervantiæ, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui ſcandala tollere, & ſaluti animarum populi Chriſtiani providere, quantum cum Deo poſſumus, ex debito paſtoralis officii ubique tenemur; attendentes, quod juxta canonicas ſanctiones propter ſcandalum evitandum rigor juſtitiæ omittendus eſt, quodque dictæ domus, nec Fratrum Regularis Obſervantiæ, nec etiam Fratrum Conventualium Ordinis prædictorum propriæ exiſtunt, ſed meræ diſpoſitioni noſtræ & dictæ Sedis ſubſunt, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ad evitandum ſcandala, quæ ex hujuſmodi litibus formidantur, omnes & ſingulas cauſas prædictas, & quaſcumque alias, eorum ſtatus & merita, & ſingularum litterarum & commiſſionum veriores tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ad Nos harum ſerie advocamus, ac lites, ſi quæ ſint, penitus extinguentes, ſingulos Fratres ejuſdem Regularis Obſervantiæ a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, omnes & ſingulas domos dictæ provinciæ S. Ludovici, videlicet Narbonen. Biterren. Montis Peſſulani, Limoſii, Nemauſii, & Lunelli, vigore dictarum litterarum Leonis prædeceſſoris, ut præfertur, reformatas, eiſdem Fratribus Regularis Obſervantiæ pro eorum perpetuis uſu & habitatione, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium de novo concedimus & aſſignamus.

§. III. Et nihilominus venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Senoneo. & Lectoren. ac Condomien. & Petragoricen. ac Magalonen. Epiſcopis per hæc Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios auctoritate noſtra faciant præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque effectum ſortiri, & Generalem ac Provincialem Miniſtros & Fratres Regularis Obſervantiæ prædictos, ac quos ipſæ litteræ quomodolibet concernunt, illis pacifice frui & gaudere, nec permittant Generalem & Provincialem Miniſtros, & alios Fratres Regularis Obſervantiæ præfatos contra præſentium tenorem quoquo modo inſultari, moleſtari, impediri, aut inquietari ſive perturbari: contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri etiam de una, & in Concilio generali de duabus dietis, dummodo non ultra tres dietas aliquis vigore præſentium trahatur, ac aliis Apoſtolicis, necnon provincialibus & ſynodalibus conſtitutionibus & ordinationibus &c. contrariis quibuſcumque: Aut ſi eiſdem Fratribus Conventualibus, vel aliqui-

quibus aliis communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis &c. infringere, vel ei ausu temerario contraire &c. Si quis autem &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno MDXXV. tertio nonas Novembris, Pontificatus nostri anno II.

Anno Christi 1526. Clementis VII. anno 3. & 4.

XVI.

Confirmat Leonis X. Bullam declarantem, Sorores Tertii Ordinis collegialiter viventes, & essentialia vota emittentes, esse veras Religiosas. Ibid. fol. 74.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Decet ex Romani Pontificis benignitate provenire &c. Dudum siquidem a fel. rec. Leone Papa X. prædecessore nostro litteræ emanarunt, sub forma Brevis, tenoris videlicet subsequentis: *Dilecto filio Christophoro tituli sanctæ Mariæ de Aracœli Presbytero Cardinali. Leo Papa X. Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Ea, quæ per Sedem Apostolicam provide statuta & ordinata ac declarata esse noscuntur &c.* ut in Bulla VII. Leonis X. usque ad *Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die ultima Augusti* MDXVII. *Pontificatus nostri anno* V. Nos igitur motu proprio & ex certa scientia hujusmodi litteras Leonis Papæ X. prædecessoris nostri, ac omnia & singula in eis contenta auctoritate nostra approbamus, confirmamus, ac potiori pro cautela de novo concedimus.

§. II. Præterea, ne insolentibus & apostatis in scandalum Christifidelium via erroris amplius pateat, firmiter præcipimus Generali & Provincialibus Ministris, & hujusmodi Sororum Visitatoribus dicti Ordinis Minorum de Observantia, quibus illæ per Regulam suam subjectæ sunt, & subjectas esse volumus, ut rebelles, inobedientes & apostatas, per consuetas disciplinas etiam per excommunicationis latæ sententiæ pœnas, nostra auctoritate in eas, dum opus erit, ferendas, aut per confusibilem post habitus dicti Ordinis spoliationem, a sua Communitate numquam amplius reversuras, ejectionem, corrigant atque reducant: districte mandando executoribus prænominatis, ut quotiescumque ex parte Generalis vel Provincialium Ministrorum, aut Visitatorum, vel Sororum hujusmodi fuerint requisiti, faciant præsentes litteras & in eis contenta quæcunque plenum sortiri effectum: contradictores &c. Non obstantibus &c. Volumus autem quod transumptis harum litterarum &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die XXVII. Martii MDXXVI. Pontificatus nostri anno III.

XVII.

Liberat omnes Moniales ſubjectas regimini Obſervantum a ſolvendis decimis & aliis exactionibus. Ex Brevi originali.

Dilecto filio Franciſco Angelorum totius Ordinis Fratrum Minorum Generali Miniſtro.

§. I. Dudum ſiquidem poſtquam fel. record. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter dilectis in Domino filiabus Abbatiſſis & Monialibus Ordinis ſanctæ Claræ, ſub cura Fratrum Minorum degentibus de Obſervantia conceſſerat, ac ſtatuerat & ordinaverat, quod Abbatiſſæ & Moniales prædictæ de quibuſcumque terris & poſſeſſionibus ad eas legitime pertinentibus & ſpectantibus, etiam quas per alios, quam per proprios familiares, ſeu Monaſteriorum donatos excoli & cultivari pro tempore facerent, decimas, primitias, aut alios cenſus, Apoſtolica tamen auctoritate non impoſitas, quibuſvis perſonis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis forent, ſolvere minime tenerentur, nec ipſæ, aut ipſarum terrarum vel poſſeſſionum coloni ſeu cultores ob non ſolutionem decimarum, primitiarum, aut cenſuum prædictorum moleſtari poſſent, piæ memoriæ Leo Papa X. ſimiliter prædeceſſor noſter, conceſſionem, ſtatutum & ordinationem hujuſmodi approbando & confirmando, illa ad quaſcumque decimas, primitias, cenſus, taxas, collectas & exactiones, etiam per Sedem Apoſtolicam, ſeu ejus Legatos aut Nuncios, vel quoſcumque alios quavis occaſione vel cauſa, etiam pro expeditione contra immaniſſimos Turcas, Reipublicæ Chriſtianæ hoſtes, vel quomodolibet alias pro tempore impoſitas, extendi voluit & ordinavit; prout in litteris Sixti & Leonis prædeceſſorum prædictorum deſuper in forma Brevis confectis, plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut nobis nuper exponi feciſti, nonnullæ Abbatiſſæ & Moniales Monaſteriorum ſanctæ Claræ, Annunciationis, & Conceptionis Ordinum, & in communi viventium Tertiæ Regulæ ſancti Franciſci ſub tua, & pro tempore exiſtentis Miniſtri Generalis, & aliorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum obedientia & cura ubique locorum conſiſtentium, adeo ſunt pauperes, quod ex proventibus & reditibus ipſorum Monaſteriorum & locorum nullo modo ſe ſuſtentare poſſint, & ob id frequenter contingit, eas a contemplatione & Divinis officiis retrahi & impediri, induſtria & labore munuum ſuarum neceſſaria vitæ quærentes. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut de cetero perpetuis futuris temporibus, Abbatiſſæ & Moniales hujuſmodi, nedum per familiares Monaſteriorum & locorum, verum etiam per alienos colonos hujuſmodi poſſeſſiones & terras laborari & cultivari facientes, decimas & primitias, cenſus & collectas, aut quaſcumque exactiones inde ſolvere minime teneantur, ſtatuere & ordinare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui piis votis libenter annuimus, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, litteras Sixti & Leonis prædeceſſorum hujuſmodi, & prout illas concernunt, omnia & ſingula in eis contenta, tenore præſentium, auctoritate noſtra approbamus & innovamus, ac potiori pro cautela ea omnia & eorum ſingula denuo concedimus, eiſque perpetuæ firmitatis robur adjicimus, ſupplemuſque omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et inſuper ſtatuimus & or-

& ordinamus quod perpetuis futuris temporibus Abbatiſſæ & Moniales, Matres & Sorores, ac Monaſteria & loca prædicta terras & poſſeſſiones, tam per proprios, quam alienos colonos & donatos, ac familiares Monaſteriorum & locorum ſuorum coli & cultivari facientes, ad earum ſubſtentationem ſufficientes reditus non habentes, de fructibus in illis excreſcentibus Rectoribus Parochialium Eccleſiarum, infra quarum limites poſſeſſiones ipſæ conſiſtant, aut quibuſvis aliis perſonis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis, etiamſi noſtri Commiſſarii fuerint, decimas & primitias, taxas vel collectas ſive exactiones, etiam per Nos & Sedem Apoſtolicam, vel ejus Legatos & Nuncios, aut quoſcumque alios quavis occaſione vel cauſa, etiam pro dictæ fidei tuitione, ſeu expeditione contra præfatos Turcas, recuperatione Terræ ſanctæ, vel quavis alia urgentiſſima cauſa impoſitas & imponendas, etiam prætextu quarumvis cenſurarum & pœnarum Eccleſiaſticarum in litteris exactionis hujuſmodi appoſitarum, ſolvere minime teneantur, nec ad id a quoquam quavis auctoritate cogi vel compelli poſſint. Quocirca venerabilibus Fratribus Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditori, ac omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, necnon dilectis filiis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ac Metropolitanarum, Cathedraliumque Eccleſiarum Canonicis per præſentes mandamus, quatenus ipſi vel quilibet eorum per ſe vel alium ſeu alios præſentes litteras, & prædeceſſorum noſtrorum prædictorum, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando expediens fuerit, ac quoties pro parte tua, vel Abbatiſſarum & Monialium & Sororum hujuſmodi Monaſteria & loca inhabitantium, ac ſub dictorum Fratrum Minotum Regularis Obſervantiæ cura degentium, & cujuslibet earum deſuper requiſiti fuerint, ſolemniter publican. tibique & illis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant te & ipſas præſentibus noſtris & litteris prædictis pacifice uti, frui & gaudere: non permittentes te, nec ipſas per quoſcumque deſuper quomodolibet moleſtari: Contradictores &c. Invocato &c. Non obſtantibus conſtitutionibus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVI. Aprilis MDXXVI. Pontificatus noſtri anno III.

XVIII.

Concedit Syndicis & Procuratoribus Fratrum de Obſervantia omnes indulgentias, favores & gratias, quibus ipſi Fratres potiuntur. Ex Bullario Roder. Bulla I.

Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis.

DUm conſideramus aſſiduos labores & vigilias, quos dilecti filii Syndici & Procuratores domorum, & Monaſteriorum Fratrum Minorum ſancti Franciſci Regularis Obſervantiæ, & Monialium ſanctæ Claræ, Conceptionis, & Annunciationis Ordinum, & Sororum Tertiæ Regulæ ſancti Franciſci ſuſtinere non ceſſant, Nos obligant ut animarum ſuarum ſaluti conſulamus, ipſoſque a quibuſvis moleſtiis & injuriis ſibi pro tempore illatis, quantumcumque cum Deo poſſumus relevemus. Idcirco uni Syndico vel Procuratori hujuſmodi, cum illius uxore & liberis, preſenti & futuro, ſingulæ domui & Monaſterio prædictis pro tempore ſervientibus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus ipſi, & eorum quilibet omnibus & ſingulis indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, favoribus & gratiis, quibus Fratres Ordinis Obſervantiæ prædictorum utuntur, potiuntur & gau-

gaudent, uti, potiri & gaudere poſſint & valeant, & inſuper quibuſvis cauſis & rebus ipſos Syndicum & Procuratorem concernentibus, civilibus, criminalibus, et mixtis, nonniſi coram Judicibus commiſſariis Conſervatoribus domorum illarum, quarum ipſe Syndicus et Procurator fuerit, de juſtitia reſpondere teneatur, auctoritate Apoſtolica concedimus & indulgemus: inhibendo ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna univerſis et ſingulis Judicibus, Commiſſariis Eccleſiaſticis et ſecularibus, quacumque auctoritate fungentibus, ne de cauſis contra dictos Syndicos et Procuratores motis vel movendis, directe vel indirecte, quovis quæſito colore ſeu prætextu, ſe intromittere quomodolibet de cetero audeant, vel præſumere decernant, vel decernere præſumant; quoſcumque proceſſus contra dictos Syndicos et Procuratores, per alios quam dictos Conſervatores, in cauſis dumtaxat contra eos motis & movendis habendos, et ſententias faciend., nullos et invalidos, nulliuſque roboris vel momenti fuiſſe & eſſe, ac irritum et inane, ſi ſecus ſuper his a quocumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus et ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis &c. eadem prorſus fides &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVII. Aprilis MDXXVI. Pontificatus noſtri anno III.

XIX.

Ne introducantur morbo epidimiæ infecti in domos Minorum, curandi. Ex Brevi origin.

Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis.

NOn ſine magna mentis noſtræ admiratione intelleximus, in nonnullis Civitatibus, caſtris & locis tam in Italia, quam extra illam conſiſtentibus, Priores, Syndicos, Gubernatores, atque alios Officiales Communitatis & Univerſitatis Civitatum, Caſtrorum et Terrarum hujuſmodi, in domibus Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, invitis & renitentibus ipſarum domorum Fratribus, Epidimiæ morbo infectos introducere, illoſque inibi morari facere conari; quo fit, ut inibi degentes Fratres contagionis infectionem probabiliter formidantes, abinde recedere, Divinum cultum dimittere, domos prædictas deſercre, & hinc inde vagari in magnam ipſorum Fratrum jacturam, & ſcandalum plurimorum cogantur. Nos cupientes in præmiſſis animarum et corporum periculis obviare, ac Fratres et domos prædictos ſub noſtra protectione tueri, Prioribus, Syndicis, Gubernatoribus et aliis officialibus, quovis nomine nuncupentur, pro tempore exiſtentibus Civitatum, Communitatum, Univerſitatum, Caſtrorum & Terrarum hujuſmodi ſub excommunicationis latæ ſententiæ, quam in eos et eorum ſingulos, ſi contraſecerint, ferimus, ac mille ducatorum quoad ſubditos noſtros Cameræ Apoſtolicæ applicandorum pœnis, diſtricte præcipiendo mandamus, ne in domibus dictorum Fratrum Minorum Obſervantiæ Regularis, eoſdem morbo Epidimiæ infectos, quovis etiam quæſito colore aut occaſione introducere præſumant, ſed eoſdem infectos in aliis locis, prout conſultius & opportunius videbitur expedire, conducant. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Communitatum & Univerſitatum hujuſmodi ſtatutis municipalibus, privilegiis ac indultis, & litteris Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque. Et quia difficile

ficile foret præſentes litteras originales ad ſingula loca, in quibus opus foret, deſtinare, volumus & decernimus, ut earum tranſumptis &c. ſicut originalibus ipſis adhiberetur, ſi exhibitæ forent vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIV. Auguſti MDXXVI. Pontificatus noſtri anno III.

XX.

Concedit eis facultatem admittendi duos Conventus Trechati, & Romanenghi. Ex Brevi origin.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Provinciæ Mediolani Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ.

§. I. NUper nobis pro parte veſtra expoſitum fuit, quod ſi vobis quædam loca & domus ſancti Franciſci loci de Trechate, Novarien. ac ſanctæ Mariæ Miſericordiarum, terræ Romanenghi, Cremonen. diœceſ. quæ loca & domus ex eleemoſynis Chriſtifidelium illarum partium jam cum nonnullis officinis neceſſariis ædificari & conſtrui cœptæ ſunt, ſeu alia loca, & domus in eis forte ex eleemoſynis Chriſtifidelium conſtruendæ, cum omnibus ſuis neceſſariis officinis, intra vel extra dicta loca de Trechate, & Romanenghi pro perpetuis uſu & habitatione veſtris & Fratrum dicti Ordinis de Obſervantia, qui ſunt, et qui pro tempore erunt, concederentur, profecto ad maximam conſolationem dictorum Chriſtifidelium inibi nunc & pro tempore exiſtentium, qui ad Religionem ſancti Franciſci maximum gerunt devotionis affectum, cederet. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, quatenus dicta loca, et domos ſancti Franciſci de Trechate, Novarien. & ſanctæ Mariæ Miſericordiarum terræ Romanenghi Cremonen. ut præfertur, diœceſum, quæ jam ædificari & conſtrui cœptæ ſunt, ſeu in futurum conſtruendæ ſunt, pro perpetuis uſu et habitatione veſtris, et Fratrum dicti Ordinis qui ſunt, et pro tempore erunt, de benignitate Apoſtolica concedere dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & Divini cultus augmentum ubique fieri & vigere noſtris præſertim temporibus ſummo affectu deſideramus, ac conſolationi Chriſtifidelium illarum partium, quantum cum Deo poſſumus, annuere cupientes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis loca ipſa, et domos ſancti Franciſci de Trechate Novarien. ac ſanctæ Mariæ Miſericordiarum terræ Romanenghi Cremonen. diœceſum, quæ jam, ut præmittitur, ædificari et conſtrui cœptæ ſunt, ſeu in futurum conſtruentur, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione veſtris, et Fratrum dicti Ordinis de Obſervantia, ut ſupra; ita, quod de dictis locis et domibus perficiendis, & ad finem perducendis, vel in futurum conſtruendis, ſeu acceptandis abſque aliqua contradictione vobis per præſentes ſit indultum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium recipiendi et retinendi liberam licentiam concedimus et impertimur. Inſuper Guardianis et Fratribus præfatis inibi pro tempore, cum dicta loca et domus perfecta & ad finem producta aut inhabitari cœpta fuerint, degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, indultis, gratiis, conceſſionibus, exemptionibus & immunitatibus, quæ aliis Guardianis et Fratribus, ac locis dicti Ordinis ubique per Sedem Apoſtolicam conceſſa ſunt, et quibus utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri & gaudere poſſint & valeant libere & licite, eadem auctoritate & tenore

præ-

prædictis concedimus pariter & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutione fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ac aliis quibuſcumque in contrarium facientibus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum. IX. Kalend. Novembris anno MDXXVI. Pontificatus noſtri anno III.

XXI.

Ut poſſint cum hæredibus, aut teſtamentorum executoribus componere circa Legata perpetua. Ex Regeſt. Ciſmon. fol. 47.

Dilectis filiis Miniſtro Generali, & Fratribus Regularis Obſervantiæ.

§. I. NUper pro parte veſtra nobis expoſitum fuit, quod forſan hactenus contigit, & in futurum etiam contingere poſſet, quod aliqui Chriſtifideles devotionem ad veſtrum Ordinem, Fratres & loca ipſius Ordinis gerentes, in eorum teſtamentis inſtitutiones ſeu legata fecerunt, aut facient, quorum ex veſtræ Religionis Regula, & profeſſionis puritate, quam ſervare cupitis, capaces non eſtis. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum hæredes inſtituti, ſive executores per hujuſmodi teſtatores deputati, in conſcientia ſe gravatos ſentiant ad pias defunctorum voluntates exequendas, deſuper opportune vobis, ac ipſis hæredibus & executoribus conſulere & providere de Apoſtolica benignitate dignaremur.

§. II. Nos cupientes pias ipſorum defunctorum intentiones & voluntates, quantum fieri poteſt, exequutioni mandari, & attendentes, quod in hujuſmodi legatis & inſtitutionibus mens illorum fuerit & ſit, veſtram relevare penuriam, ac proinde veſtrorum ſuffragiorum ſpiritualium participes fieri; pro exoneratione quoque conſcientiarum dictorum hæredum & executorum hujuſmodi, veſtris ſupplicationibus inclinati, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica decernimus, diſponimus, ac firmiter ſtatuimus & ordinamus, ac vobis concedimus, quod vos ſinguli Miniſtri Provinciales in veſtris Provinciis, vel Guardiani cum aliquibus diſcretis Fratribus domorum vel locorum, quibus hujuſmodi legata & inſtitutiones factæ fuerunt, vel in poſterum fient, quorum non eſtis, ut præfertur, capaces, mediantibus Procuratoribus & Syndicis eorumdem locorum, cum dictis hæredibus & executoribus ſuper præmiſſis inſtitutionibus & legatis componere poſſitis & valeatis, prout vobis ſecundum æquitatem & bonam conſcientiam viſum fuerit, ad certam ſummam & qualitatem pecuniarum, aut rerum per dictos hæredes aut executores ſemel tantum ſolvendam, & tradendam Fratribus & locis prædictis ad ipſorum relevandas neceſſitates, ſeu ipſa loca fabricanda; facta deſuper ipſis hæredibus & executoribus plena & libera, ac perpetua abſolutione & quietatione, quæ Apoſtolica auctoritate ſit approbata & roborata, ita quod deinceps prætextu talium teſtamentorum, inſtitutionum & legatorum amplius moleſtari non poſſint in judicio vel extra: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod præſentium tranſumptis &c. ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXIII. Novembris anno MDXXVI. Pontificatus noſtri anno III.

XXII. *Mul-*

XXII.

Multa declarat & ſtatuit circa Regulam & ſtatuta Fratrum & Sororum Tertii Ordinis. Ex Bullar. Roder. num. 5.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. AD uberes fructus, quos ſacer Ordo de Pœnitentia, quem Seraphicus ille hominum vere piſcator, ut animas omnes lucrifaceret Creatori, nemoque ſe abſconderet a caritatis calore, Spiritu ſancto illuminatus, beatus Franciſcus inſtituit, in horreum Domini hactenus adduxit, & in dies fertiliori manu afferre non ceſſat, noſtræ dirigentes conſiderationis intuitum, & intra noſtræ mentis arcana revolventes, quod ipſe Ordo nedum conjugatis utriuſque ſexus, verum etiam Fratribus, & Monialibus in communi viventibus, ac tria vota ſubſtantialia ſolemniter emittentibus florere jam diu cœpit, & in dies magis effloreſcit, ipſorumque Fratrum & Monialium vita eſt adeo exemplaris, ut, cum virtus laudata creſcat, prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo, cogamur ipſum Ordinem ſpecialibus prærogativis extollere, & ea, quæ pro conſervatione & augmento Regularis Obſervantiæ in eodem Ordine provide conceſſa ſunt, prout in Domino conſpicimus expedire, ac ſtatuta & ordinata eſſe dicuntur, ut firma & illibata perpetuo perſiſtant, libenter, cum a nobis petitur, Apoſtolico munimine roborare; & ne querentes quæ Jeſu Chriſti non ſunt, & ſub prætextu contemptus mundi ſalcem in alienam meſſem ponere, ac præeſſe omnibus anhelantes, ipſos Fratres & Moniales, in hujuſmodi ſuo ſancto opere perturbare poſſint, ſalubriter providere.

§. II. Sane pro parte dilecti filii Antonii de Tablada moderni Viſitatoris Generalis, & Magiſtri principalis perſonarum dicti Ordinis in Caſtellæ, Legionis, Gallæciæ, Andaluciæ, ſeu Vandaliæ, etiam regnis, & partibus degentium, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum fel. record. Nicolaus Papa IV. Prædeceſſor inter alia, ut recipiendus in dicto Ordine ante receptionem hujuſmodi de fide Catholica, & erga Romanam Eccleſiam obedientia diligenter examinaretur, eique onera ejuſdem Ordinis apertius exponerentur, & poſt unius anni ſpatium, ſi idoneus reperiretur, promitteret ſe omnia Divina præcepta ſervaturum, ac etiam, ut conveniret, ſatisfacturum de trangreſſionibus, quas contra hunc vivendi modum committeret, cum interpellatus ad Viſitatoris exiſteret voluntatem, & hujuſmodi ab eo facta promiſſio per manum publicam in ſcriptis redigeretur, & Fratres ac Sorores dicti Ordinis veſtibus colore non prorſus albo vel nigro, non pompoſis ſed honeſtis, certo modo tunc deſignatis uterentur, & ab inhoneſtis conviviis & ſpectaculis ſive choreis penitus abſtinerent, & ſecunda, quarta et ſexta feriis, dieque Sabbati, carnibus non veſcerentur, niſi aliud infirmitatis vel debilitatis inſtantia ſuaderet, et a feſto omnium Sanctorum uſque ad Paſcha Reſurrectionis Dominicæ quarta & ſexta feriis hujuſmodi, & a feſto ſancti Martini uſque ad diem Nativitatis Domini, et a Dominica Quinquageſimæ uſque ad Paſcha diebus ſingulis, exceptis Dominicis, jejunarent, niſi aliud fortaſſis infirmitatis vel alia neceſſitas ſuaderet, & ter in anno, videlicet in Nativitatis, ac Reſurrectionis Dominicæ, ac Pentecoſtes feſtivitatibus, peccata propria confiteri, & Euchariſtiam devote ſuſcipere, & horas Canonicas, videlicet ſcientes Pſalterium, pro prima, Deus in nomine tuo, & Beati immaculati, uſque ad Legem pone, ac alios horarum Pſalmos juxta Clericorum ordi-

nem, cum Gloria Patri, illiterati vero pro matutinis duodecim, & pro qualibet alia hora ſeptem vicibus Pater noſter cum Gloria Patri, dicere non omitterent, additis ad primam, & completorium Symbolo minori, & qui velint, Pſalmo Miſerere mei Deus; et qui horas hujuſmodi temporibus ad id ſtatutis non recitarent, dicere deberent tribus vicibus Pater noſter, infirmi vero ad horas hujuſmodi, niſi vellent, non tenerentur; et quilibet infra tres menſes poſt ejus in Ordinem hujuſmodi ingreſſum immediate ſequentes conderet teſtamentum; et Viſitator pro tempore cum Fratribus et Sororibus univerſis ſuper jejuniis, abſtinentiis, auſteritatibus Ordinis hujuſmodi ex cauſa legitima diſpenſare, ipſique Viſitator ac Miniſtri, & Congregatio Ordinis hujuſmodi, Fratres & Sorores incorrigibiles ab eadem Congregatione expellere poſſent; nullus tamen ipſorum ob tranſgreſſionem Regulæ Ordinis hujuſmodi ad mortalem culpam remaneret obligatus, ſtatuit per quaſdam ſuas litteras: et deinde piæ mem. Eugenius etiam IV. attendens quod Fratres dicti Ordinis in dictis Regnis conſiſtentes, domos et loca communia habebant, ac communiter & laudabiliter vivebant, & in eorum Generali Capitulo per eos tunc ultimo loco celebrato, nonnulla ſtatuta & ordinationes ediderunt, tunc præſentibus & futuris dicti Ordinis Fratribus degentibus in domibus & locis infra dicta Regna pro tempore conſiſtentibus, ut eorum Generale Capitulum perpetuis futuris temporibus celebrare, & in eo unum ex ipſis in Sacerdotio conſtitutum in eorum ac hujuſmodi domorum & locorum Viſitatorem juxta eorum ſtatuta eligere & deputare, & ipſe Viſitator ſic electus ac deputatus, omnibus & ſingulis domibus ac locis & Fratribus, tum præſentibus & futuris, eorumque bonis præeſſe, & ipſorum curam gerere & exercere, ac de conſilio aliquorum Fratrum dicti Ordinis ad id per hujuſmodi Capitulum pro tempore deputandorum, omnes & ſingulos vagantes, ac ſtatutis & ordinationibus dicti Ordinis tunc editis & edendis contravenientes, ſecundum eorum delicta punire & incarcerare, & quæcumque alia deſuper opportuna facere & exequi etiam per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia, invocato etiam auxilio brachii ſecularis, ac per ſe ipſum Capitulum Generale hujuſmodi congregare, illique præeſſe, ac idoneos ex dictis Fratribus ad officia domorum & locorum prædictorum deputare, ac omnes & ſingulos Fratres & Sorores dicti Ordinis ab omnibus & ſingulis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententiis & pœnis, quibus pro tempore irretiti forent, in foro conſcientiæ abſolvere, et cum Clericis et Presbyteris ex eis ſuper irregularitate, ſi quam ſententiis hujuſmodi ligati, Miſſas & alia Divina officia, non tamen in contemptum clavium celebrando, vel ſe illis immiſcendo pro tempore contraherent, diſpenſare; ac etiam per ſe vel alios ex ipſis Fratribus presbyteris idoneis omnium & ſingulorum Fratrum & Sororum prædictorum, ac illorum & illarum ſervitorum pro tempore confeſſiones audire, & eis pro commiſſis debitæ abſolutionis beneficium in caſibus Sedi Apoſtolicæ non reſervatis impendere, et Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare valeret, licentiam et facultatem conceſſit: ac quod officium Viſitatoris pro tempore electi hujuſmodi ad triennium dumtaxat a die ſuæ electionis computandum duraret, ac omnes et ſinguli Fratres et Sorores Ordinis hujuſmodi pro tempore eidem Viſitatori tamquam eorum Superiori in omnibus juxta eadem ſtatuta plenarie obedire et intendere tenerentur: quodque omnia eorum et cujuslibet ipſorum bona in domibus in quibus profeſſionem pro tempore facerent, illis de quibus infra tres menſes a die illorum in dicto Ordine ingreſſus computandos teſtati fuiſſent, dumtaxat exceptis, et jure uxorum et filiorum eorumdem pro tempore in dicto Ordine

dine poſt obitum parentum ſuorum hujuſmodi remanere volentium in omnibus ſalvo, communia exiſterent, et ad domos et loca hujuſmodi libere pertinerent, nullique ex eis poſt profeſſionem per eum emiſſam, matrimonium contrahere, ac abſque licentia ſpeciali dicti Viſitatoris ſibi ex neceſſitate, et ad tempus dumtaxat, et non alias concedenda, extra domos ſeu loca hujuſmodi reſidere, vel alicui beneficio Eccleſiaſtico inſervire poſſet, et commorantes vel inſervientes pro tempore extra domos cum licentia hujuſmodi, id totum quod interim licite acquirerent, ac eis ſupereſſet, domibus in quibus profeſſionem feciſſent, integre dare deberent, etiam ſtatuit et decrevit ac conceſſit per alias. Et poſtmodum recol. mem. Sixtus ſimiliter quartus quod Ordinis prædicti loca, & utriuſque ſexus perſonæ eiſdem privilegiis, immunitatibus, gratiis, favoribus, conceſſionibus, facultatibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus, Fratrum Prædicatorum & Minorum Ordinibus, acillorum profeſſoribus, domibus, locis & perſonis quomodolibet conceſſis & in poſterum concedendis, quatenus earum ſtatui & ſexui non contradicerent, libere & licite uti poſſent & deberent in omnibus & per omnia, prorſus & ſine ulla penitus differentia, perinde ac ſi locis ac perſonis utriuſque ſexus Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi nominatim conceſſa fuiſſent & concederentur expreſſe, ſtatuit per alias. Et ſucceſſive, cum Viſitator & Miniſtri ac Fratres, necnon Abbatiſſæ ſeu Matres & Moniales, aliæque perſonæ dicti Ordinis de Pœnitentia Monaſteriorum ac domorum Provinciæ ſancti Jacobi in Compoſtella, eo quod ſub obedientia Fratrum dicti Ordinis Minorum numquam fuerant nec exiſtebant, ſed ſub ſui Prælati Viſitatoris juxta regularia inſtituta dicti Ordinis de Pœnitentia de triennio in triennium obedientia degebant, ac illi & Miniſtris ſingulorum Monaſteriorum ac domorum Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi ſuberant, dubitarent ſtatuto Sixti prædeceſſoris hujuſmodi poſſe uti, ſanctæ memoriæ Julius II. omnia & ſingula privilegia, gratias & indulta per Sixtum prædictum & alios Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, & Sedem Apoſtolicam Ordini Fratrum Minorum, & illius Fratribus conceſſa, ad Monaſteria & domos Provinciæ, ac Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi, illorumque Fratres ac perſonas juxta ſtatutum Sixti prædeceſſoris hujuſmodi extendit, & pro potiori cautela, illa eis de novo conceſſit per reliquas Apoſtolicas. Et idem Julius per alias ſuas in forma Brevis, Fratribus & Sororibus Provinciæ Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi, ut domos & Oratoria & loca, quæ publice poſſidebant, & in poſterum acquirerent, recipere, & perpetuo retinere, ac in illis reſidere, & in communi vivere, & eorum conſuetum habitum, videlicet tunicam & mantellum cum caputio ante & retro acuto, & chorda ſub dicto mantello, prout omnes Fratres & Sorores ejuſdem Ordinis de Pœnitentia eatenus geſtare conſueverunt, geſtare libere & licite valerent, conceſſit: ac diſtrictius ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ne Miniſtri, Abbatiſſæ & Fratres Provinciæ & Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi, domos quas eatenus poſſederant, & in futurum poſſiderent, illarumque ac perſonarum earumdem obedientiam abſque dicti Viſitatoris licentia ſpeciali alienare, vel aliis ad inhabitandum concedere, neve illas alii recipere aut inhabitare valerent, ſub ſimili pœna inhibuit: & per quaſdam alias Apoſtolicas dictum Ordinem de Pœnitentia Fratribus Ordinis Minorum ſubjicientes, a Sede præfata emanatas, revocavit, & ipſum Ordinem eiſdem Fratribus Ordinis Minorum minime ſubjici voluit. Ac denique fel. memor. Leo X. Romanus Pontifex prædeceſſor noſter, Regulam de Pœnitentia hujuſmodi, illiuſque declarationem, ſtatuta & conſuetudines laudabiles, necnon privilegia, indulta, & Apoſtolicas aliaſque litteras eidem Ordini de

Pœnitentia, illiuſque Fratribus, Sororibus, domibus & locis tam per Nicolaum & Eugenium & Julium prædictos, quam alios Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos conceſſa, & inde ſecuta quæcumque approbavit & confirmavit, ſupplevitque quoſcumque defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem: necnon quod Viſitator, & univerſi Fratres ac Sorores dicti Ordinis de Pœnitentia in Caſtellæ ac Legionis regnis, ac Gallæciæ, Provinciæ Compoſtellanæ prædictis commorantes, eligere ac deputare Viſitatores, Miniſtros, Vicarios, & alios officiales eis neceſſarios, ac per ipſos juxta cujuslibet eorum officia regi, gubernari, viſitari, corrigi & caſtigari poſſent & deberent, decrevit & declaravit; illaque omnia & ſingula, prout per dictos prædeceſſores conceſſa fuerant, de novo conceſſit, & ab omnibus ſub excommunicationis latæ ſententiæ & ſuſpenſionis ac interdicti & privationis actuum legitimorum pœnis ipſo facto incurrendis inviolabiliter obſervari mandavit; ac litteras dicti Julii prædeceſſoris, Fratribus Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi Congregationis Lombardiæ conceſſas, per quas ipſe Julius prædeceſſor inter alia voluerat & mandaverat, ne Conſervatores & Judices per Fratres dicti Ordinis Minorum, vel ad eorum inſtantiam, per quoſcumque alios ſub quibuſvis verborum formis & clauſulis impetrati, & ex tunc in poſterum impetrandi, & quicumque alii Judices & Conſervatores contra Fratres Ordinis de Pœnitentia Congregationis hujuſmodi procedere, vel de illis eorumque domibus ſe intromittere aliquatenus præſumerent, viſitandi domos & Fratres Ordinis de Pœnitentia & Congregationis hujuſmodi, ac de illis illorumque rebus & negotiis cognoſcendi Viſitatori dictæ Congregationis, & ab eo deputatis relinquerent, diſtricte præcipiendo mandaverat; ac illas inter alia ad domos & Fratres ac Sorores Regnorum & Provinciæ prædictorum extendit & ampliavit, & quaſcumque alias litteras a Leone & aliis Romanis Pontificibus, ſeu Sede prædictis contra præmiſſa ad quorumcumque ſupplicationem pro tempore extortas caſſavit, revocavit & annullavit, ac pro infectis haberi voluit: & quod Regula Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi, prout ſanctus Franciſcus prædictus inſtituerat & fecerat, & ab omnibus illam pro tempore profitentibus cum tranquillitate & pace animarum, abſque alia commixtione cum aliis Regulis & Ordinibus ejuſdem Sancti, illorumque Fratribus & Sororibus ſervaretur & cuſtodiretur, perpetuo ſtatuit & ordinavit per reliquas ſuas ſimiliter in forma Brevis litteras; prout in ſingulis litteris prædictis plenius dicitur contineri.

§. III. Et licet Regula de Pœnitentia per ſanctum Franciſcum inſtituta, & per Nicolaum prædeceſſorem approbata hujuſmodi, prout in ea apparet, pro Chriſtifidelibus conjugatis, & aliis in ſeculo exiſtentibus ordinata fuerit, ac a tempore dicti Eugenii prædeceſſoris, ut ex ejus litteris prædictis etiam apparet, Fratres Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi domos & loca in communi habitare cœperint, & abinde citra, benedicente Domino, in diverſis præſertim Hiſpaniarum partibus vita communis hujuſmodi multiplicaverit, ac in dictis, & Andaluciæ, ſeu Vandaliæ Regnis Fratres Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi in communi viventes, unum Viſitatorem Generalem ejuſdem Ordinis de Pœnitentia de triennio in triennium juxta litteras Eugenii prædeceſſoris hujuſmodi eligere, & illi ſubeſſe: & ne ipſe Viſitator paſtoris officio abutatur, Capitulum Generale in aliqua domo Ordinis, & Regnorum ac partium hujuſmodi quolibet triennio celebrare, & ad illud ex qualibet domo Ordinis, & Regnorum ac partium prædictorum unus Miniſter, & alius per illius Fratres in procuratorem, diſcretum nuncupatum electus accedere, & in eo unus in Præſiden-

dentem, & quatuor Definitores, ac unus in Notarium vel ſcribam ex eiſdem Fratribus per Miniſtros & diſcretos hujuſmodi eligi; & tunc Viſitator flexis genibus coram Præſidente & Capitulo hujuſmodi confeſſionem generalem facere, & officio Viſitatoris in manibus Capituli hujuſmodi renunciare; & deinde Præſidens & Definitores prædicti in loco ad id deputato querelantibus de dicto Viſitatore, ac de aliis, juſtitiam miniſtrare, & poſtmodum votis juratis, per Miniſtros & Diſcretos prædictos Viſitator ex Fratribus in communi viventibus dicti de Pœnitentia, & nullius alterius Ordinis eligi, & publicata electione, Viſitator ſic electus una cum ipſis Præſidente & definitoribus, conſtitutiones & ordinationes jam factas innovare, aliquando vero alterare aut immutare, vel alias de novo facere, prout eidem Ordini de Pœnitentia expedire arbitratur, & finito Capitulo, Viſitator prædictus ad viſitandum domos & Monaſteria Fratrum Ordinis de Pœnitentia & Regnorum ac partium hujuſmodi accedere, illiſque de Miniſtris, ac Abbatiſſis, juxta exigentiam loci providere, & conſtitutiones ac ordinationes juxta ipſius loci & illius perſonarum exigentiam edere, & cum Fratribus & Monialibus ſuper veſtibus, & jejuniis & auſteritatibus Ordinis de Pœnitentia, ac conſtitutionum & ordinationum hujuſmodi diſpenſare, & Præſidenti ac Definitoribus, necnon toti Ordini de Pœnitentia hujuſmodi in Regnis prædictis, ac forſan aliis partibus, illorumque domibus, Monaſteriis, Fratribus & Monialibus in communi viventibus, necnon Eremitis, ac dictis conjugatis & in ſeculo exiſtentibus ejuſdem Ordinis præeſſe: & ſi durante triennio hujuſmodi contra Deum, aut hujuſmodi Ordinem, vel ejus bona deliquerit, ſibi per Præſidentem ac Definitores prædictos pœnitentia ſalutaris imponi, & ejus demeritis jure id exigentibus, per majorem partem Capituli in tali caſu, etiam dicto triennio durante, Præſidens & Definitores prædicti convocari, ac ſervatis ſervandis, puniri & privari, & ejus loco alius modo & forma præmiſſis eligi; ipſeque Viſitator Fratres dicti Ordinis de Pœnitentia, prout ſuarum animarum ſaluti, ac dicti Ordinis de Pœnitentia conſervationi expedire cognoſcit, de una domo ad aliam, & aliquando Moniales de uno Monaſterio ad aliud transferre; & ſi viſitando aliquod Monaſterium vel domum, repererit illius Miniſtrum vel Abbatiſſam minus habilem exiſtere, ſeu male gubernare, talem Miniſtrum aut Abbatiſſam amovere, & alium ſeu aliam loco ejus deputare: & ſi finito tempore adminiſtrationis alicujus Miniſtri vel Abbatiſſæ, ipſe Viſitator ad Monaſterium ſeu domum hujuſmodi pro Miniſtri vel Abbatiſſæ illius proviſione facienda accedere non valeret, officium antiqui Miniſtri vel Abbatiſſæ, uſque ad conveniens tempus prorogare: necnon, quia domus & Monaſteria Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi in dictis Regnis & partibus ſufficientes reditus pro majori parte non habent, cum Fratribus, Monialibus, Sororibus & Eremitis dicti Ordinis de Pœnitentia ſuper voto paupertatis tam in communi, quam in particulari ad vitam, ſeu aliud tempus diſpenſare, necnon omnia & ſingula alia, quæ Generales aliorum Ordinum Mendicantium Prælati exercerere & facere conſueverant, ac Sedi prædictæ alias immediate ſubjectos eſſe: & venientes a ſeculo, cupienteſque in domibus & Monaſteriis dicti Ordinis de Pœnitentia Altiſſimo famulari, in eis recipi, ipſiſque habitum dicti Ordinis de Pœnitentia exhiberi, & finito anno probationis, ac aliquando etiam ante, juxta devotionem talis Novitii, tria ſubſtantialia, videlicet obedientiæ, caſtitatis, ac in particulari paupertatis vota ſolemniter profiteri, & color habitus Fratrum & Monialium Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi potius ad nigredinem, quam ad albedinem tendere: & Fratres clerici, ac Moniales in communi viventes Ordinis de Pœni-

nitentia hujuſmodi, officium Divinum ſecundum uſum Romanæ Eccleſiæ, converſi vero ex eis & in ſeculo exiſtentes conjugati, ac vidui, ſecundum litteras Nicolai prædeceſſoris hujuſmodi horas canonicas recitare, & pro deſunctis orare, Fratreſque in communi viventes hujuſmodi victum & neceſſaria oſtiatim mendicare, et prout alii Religioſi Ordinum Mendicantium quærere, et Mulieres religioſæ ejuſdem Ordinis de Pœnitentia in communi viventes Moniales appellari: necnon Fratres in communi viventes, & Moniales dicti Ordinis de Pœnitentia, illorumque domus et Monaſteria Privilegiis Ordinibus Mendicantium hujuſmodi conceſſis, uti, potiri et gaudere: ac Fratres dicti Ordinis de Pœnitentia præſertim in Gallæcia, ſeu provincia Compoſtellana beneficia Eccleſiaſtica per Clericos ſeculares teneri ſolita juxta inſtitutionem et antiquam conſuetudinem Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi obtinere, et quod eis ex fructibus beneficiorum hujuſmodi ſupereſt, in ſubventionem pauperum domorum, ac alias neceſſitates Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi per illius Viſitatorem Generalem pro tempore converti: et pro Fratribus ac Sororibus conjugatis, ac in ſeculo exiſtentibus pro tempore decedentibus omnes in litteris Nicolai prædeceſſoris hujuſmodi contentæ, pro Fratribus vero in communi viventibus, et Monialibus dicti Ordinis de Pœnitentia pro tempore decedentibus Miſſæ, exequiæ, prout Ordinibus Mendicantium celebrari & fieri: et Eremitæ dicti Ordinis de Pœnitentia ex licentia Viſitatoris Generalis hujuſmodi extra domos dicti Ordinis de Pœnitentia vivere, et bona in particulari poſſidere, ac habitum quaſi ſimilem illi, quem Fratres in communi viventes Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi deferunt, deferre; et tam Fratres et Moniales in communi viventes, quam etiam Sorores, Eremitæ et conjugati, ſeu vidui utriuſque ſexus et in ſeculo viventes infra tres menſes poſt eorum in Ordinem de Pœnitentia hujuſmodi ingreſſum, ſuum condere teſtamentum, & ipſis vita functis, omnia et ſingula ad ipſos Religioſos, etiam ratione cujuſvis hæreditatis ſpectantia bona, ad Monaſteria ſeu domos in quibus profeſſionem fecerint, ſi autem profeſſionem hujuſmodi extra Monaſterium ſeu domum ipſius Ordinis emiſerint, ad propinquius Monaſterium ſeu domum Fratrum ejuſdem Ordinis de Pœnitentia, ubi Religioſos hujuſmodi decedere contigerit, legitimis heredibus non exiſtentibus, et alias juxta litteras Nicolai prædeceſſoris hujuſmodi devolui et devenire: necnon Viſitator Generalis ac Præſidens et Definitores Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi, quolibet triennio in loco ad id per eos deputato, eorum Capitulum Generale, pro ipſo Viſitatore Generali, ut præfertur, eligendo, ac aliis negotiis pro dicti Ordinis de Pœnitentia conſervatione peragendis facere conſueverint.

§. IV. Tamen dudum Viſitator Generalis, Præſidens, Definitores, & Capitulum præfati, nonnullis legitimis & rationabilibus cauſis eos moventibus, in ultimo per eos tunc celebrato Capitulo congregati, locum pro dicto Capitulo Generali quolibet triennio de cetero perpetuis futuris temporibus celebrando, domum, Monaſterium ſanctæ Mariæ de Valle, Aſturicenſis diœceſ. nuncupatum, prope oppidum de Benavente, de expreſſo conſenſu totius Ordinis de Pœnitentia, & Capituli hujuſmodi nominarunt, in eoque & non alibi de cetero Capitulum Generale dicti Ordinis de Pœnitentia fieri, & celebrari ſingulo quoque triennio voluerunt, ac etiam quamplurimas alias conſtitutiones & ordinationes & ſtatuta, in Capitulis Generalibus, ac Monaſteriis & domibus dicti Ordinis de Pœnitentia fecerunt, ediderunt, ſtatuerunt, alterarunt & immutarunt, prout in Nicolai, Eugenii, ac Sixti, Julii & Leonis prædeceſſorum litteris prædictis, ac Capituli prædictorum

ſcri-

ſcripturis deſuper reſpective confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicti Antonii aſſerentis, ſe ex dictis Regnis non ſine magnis periculo & laboribus ad dictam Romanam Curiam obtinendæ confirmationis hujuſmodi cauſa perſonaliter acceſſiſſe, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut litteras prædeceſſorum, ac conſtitutiones, ordinationes, ſtatuta, conſuetudines, ac omnia & ſingula alia in Capitulis, Monaſteriis & domibus prædictis quomodolibet geſta, ordinata, edita, alterata & immutata, necnon Regulam Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori confirmare & approbare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. V. Nos qui ſingulorum fidelium præſertim Religionis jugo adſtrictorum, & ſtudio piæ vitæ Altiſſimo famulantium, ſalubrem & fructuoſam diſpoſitionem mirum in modum cupimus, præfatum Antonium a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, illarum conſtitutionum, ordinationum, ſtatutorum, conſuetudinum, ſcripturarum prædictorum, & Regulæ veriores tenores & formas præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium litteras ac conſuetudines & ordinationes, ſtatuta & Regulam prædictam, & prout illam concernunt, omnia & ſingula in dictis litteris & ſcripturis contenta, confirmamus & approbamus, ac litteras ipſas innovamus & etiam approbamus; ſupplentes omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan in eiſdem conſtitutionibus, ordinationibus & ſtatutis, ac conſuetudinibus & Regula intervenerint; ac præmiſſa omnia & ſingula in quibuſcumque Hiſpaniarum partibus, ac ubique perpetuæ firmitatis robur obtinere, & in dictis, & in quibuſcumque Hiſpaniarum ac Portugalliæ partibus inviolabiliter per quoſcumque ſic de cetero obſervari debere decernimus.

§. VI. Et nihilominus, quod Præſidens pro tempore electus dationi votorum pro electione Viſitatoris Generalis hujuſmodi minime intereſſe, ſed tunc temporis per domum, in qua Capitulum tunc celebraretur, ne conventicula vel monopolium aliquod fiat, diſcurrere, & quod Antonius, & pro tempore exiſtens Viſitator Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi, ſi eum circa finem triennii poſt Capitulum Generale celebratum in Curia Regia pro negotiis ipſius Ordinis de Pœnitentia reſidere contigerit, celebrationem futuri Capituli hujuſmodi ad medium annum, & ſi in Curia Romana fuerit, ad unum annum, & ſi forſan aliqua infirmitate, vel alia juſta cauſa impeditus eſſet, uſque ad tres menſes a fine dicti trienii computandos, celebrationem Capituli hujuſmodi prorogare & extendere: ac dictus exiſtens Viſitator Generalis ſic electus, ut præmittitur, univerſo Ordini illiuſque domibus, Monaſteriis, ac utriuſque ſexus perſonis, & in Hiſpaniarum & Portugalliæ Regnis ac partibus & provincia prædictis exiſtentibus præſit, ac Fratres Moniales & Sorores, ac aliæ utriuſque ſexus, & in ſeculo exiſtentes perſonæ, ipſi Antonio, & pro tempore exiſtenti Generali Viſitatori dicti Ordinis de Pœnitentia in omnibus & ſingulis ipſum Ordinem concernentibus obediant, & ſub ejus obedientia exiſtant: ac ipſe Antonius & pro tempore exiſtens Viſitator Generalis, durante ſuo triennio, Sedi prædictæ, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti dumtaxat, & non alteri, præterquam in caſibus in quibus per Præſidentem, Definitores & Capitulum dicti Ordinis de Pœnitentia hactenus corrigi & puniri conſueverint, ſubſit: & ipſe ſolus

& ab

& ab eo pro tempore ſpecialiter deputati, & nullus alius, venientes a ſeculo, ſeu alias in Fratres ſeu Moniales vel Sorores utriuſque ſexus dicti Ordinis de Pœnitentia recipiant, nec ad profeſſionem admittant, & aliter habitum dicti Ordinis de Pœnitentia recipientes, & profeſſionem emittentes, pro non Fratribus ipſius Ordinis de Pœnitentia habeantur, nec habitum hujuſmodi deſerre poſſint: Dictuſque Antonius & pro tempore exiſtens Generalis Viſitator ſuper voto paupertatis tam in communi, quam in particulari, ad vitam ſeu ad tempus, prout hactenus eſt conſuetum, cum Fratribus & Monialibus ac Eremitis dicti Ordinis de Pœnitentia diſpenſare etiam de cetero libere & licite valeat. Quique promiſſione, impreſſione, minis, vel alia quacumque illicita via, publice vel occulte quovis modo ſe vel alium in Viſitatorem, Præſidentem, ſeu Definitorem, vel Miniſtrum, aut Abbatiſſam, ſeu alium ipſius Ordinis officialem eligi procuraverit, eo ipſo quocumque officio dicti Ordinis per eum tunc obtento privatus, & per decennium ex tunc computandum ad quæcumque prælaturam, officium & actus legitimos dicti Ordinis de Pœnitentia tam active, quam paſſive inhabilis exiſtat. Nec aliquis cujuſcumque ſtatus, dignitatis, ordinis, gradus & conditionis, Viſitator Generalis dicti Ordinis de Pœnitentia ullatenus ſit, niſi ipſum Ordinem antea profeſſus, & per majorem partem Miniſtrorum, & Diſcretorum in Capitulo Generali ejuſdem Ordinis de Pœnitentia canonice electus fuerit: ipſeque Viſitator, & nullus alius ipſius Ordinis, quæcumque dubia in Ordine, Regula, conſtitutionibus, ſtatutis & conſuetudinibus, & omnibus & ſingulis aliis præmiſſis & infraſcriptis pro tempore occurrentia interpretari, declarare, judicare & decidere valeat. Necnon Fratres, Moniales & Sorores, ac Eremitæ, & quicumque alii etiam conjugati, & in ſeculo viventes Ordinis de Pœnitentia hujuſmodi, quibuſvis ſecundis feriis, quibus eſus carnium ab Eccleſia Romana non eſt prohibitus, ac a feſto S. Martini uſque ad Dominicam Adventus Domini qui per eamdem Eccleſiam celebratur, carnibus veſci: Et tam ipſi quam eorum domus, Monaſteria, Eccleſiæ, Prælati, ſervitores, ſervitrices, beneſactores, perſonæ, res & bona quæcumque omnibus & ſingulis exemptionibus, privilegiis, immunitatibus, prærogativis, indulgentiis, indultis, ſavoribus, conſervatoriis & gratiis, quibus Fratres & Moniales Minorum & Prædicatorum, & ſanctæ Claræ, ac aliorum quorumcumque Ordinum Mendicantium, etiam de Obſervantia nuncupatorum, illorumque domus, Monaſteria, Eccleſiæ, Prælati, ſervitores, ſervitrices, benefactores, perſonæ, res & bona quæcumque quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non ſolum adinſtar ſed æque principaliter, abſque ulla penitus differentia libere uti, potiri & gaudere: ac Fratres dicti Ordinis de Pœnitentia beneficia quæcumque, non tamen capitularia, per Clericos ſeculares teneri ſolita, prout hactenus conſueverunt, tenere libere & licite poſſint, ac debeant: & pro conſervatione dicti Ordinis de Pœnitentia, ac regulari modo vivendi in Capitulo Generali ipſius Ordinis tunc primum celebrando, idem Generalis Viſitator, Præſidens, Definitores, nonnulla pro Fratribus & Sororibus conjugatis, ac in ſeculo viventibus, necnon alia pro Eremitis, ac alia pro Fratribus in communi viventibus, necnon etiam alia pro Monialibus dicti Ordinis de Pœnitentia conſtitutiones, ſtatuta & conſuetudines diſtincta & ſeparata, cujuslibet eorum pro quibus fient, ſtatui convenientia, quæ Regula dicti Ordinis de Pœnitentia perpetuis futuris temporibus exiſtat ac nuncupetur, cum proemio, & capitulis ad id congruentibus & neceſſariis, & quæ inviolabiliter obſervari debeant, auctoritate Apoſtolica, concedere, ſtatuere & edere libe-

libere & licite poſſint, ac conſtitutiones, ſtatuta, conſuetudines & Regulam hujuſmodi in omnibus & ſingulis domibus & Monaſteriis dicti Ordinis de Pœnitentia, ipſorumque refectoriis, prout in domibus, Monaſteriis & refectoriis aliorum Ordinum Mendicantium prædictorum ſolitum eſt, legi, ac tranſgreſſores conſtitutionum, ſtatutorum, conſuetudinum, & Regulæ hujuſmodi, per Viſitatorem Generalem, & eorum Miniſtros puniri debeant, ita quod nullus ob tranſgreſſionem illorum ad mortalem culpam ſeu peccatum obligetur. Necnon Antonius pro tempore exiſtens Viſitator Generalis Ordinis de Pœnitentia, hujuſmodi officium Generalis Viſitatoris ipſius Ordinis facere & exercere, ac perſonas ſibi ſubjectas in ſingulis caſibus, in quibus, & prout Miniſtri & Magiſtri ac Vicarii Generales aliorum quorumcumque Ordinum Mendicantium etiam de Obſervantia, & Congregationis reformatorum, juxta eorum regularia inſtituta, & eis conceſſa privilegia Apoſtolica abſolvere & diſpenſare, ac facere & exercere, abſolvere & rehabilitare, & cum eis diſpenſare, necnon quæcumque ſtatuta, ordinationes & conſtitutiones, licita tamen & honeſta, ac etiam ſacris canonibus non contraria, & ad ſtrictiorem Obſervantiam regularem ipſius Ordinis de Pœnitentia tendentia condere & alterare ac immutare & edere libere & licite valeat: quas quidem ordinationes, conſuetudines & ſtatuta condenda, alteranda, mutanda & edenda hujuſmodi, poſtquam condita, inſtituta, alterata, mutata & edita fuerint, & Regulam hujuſmodi ex nunc prout ex tunc confirmamus & approbamus: ac inſuper Fratres, Moniales, Sorores, & Eremitas Ordinis de Pœnitentia veros Religioſos in communi viventes Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia hujuſmodi ſore & eſſe, necnon ſacrum Ordinem, & Regulam ſancti Franciſci de Pœnitentia hujuſmodi, & illius Fratres & Eremitas, Moniales & Sorores ac utriuſque ſexus perſonas etiam in omnibus & ſingulis ſcripturis & actibus publicis tam per ipſos, quam per alios quoſcumque etiam de Obſervantia & Minorum nuncupatorum Ordinum prædictorum, & alias Eccleſiaſticas & ſeculares perſonas, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis & excellentiæ exiſtant, conficiendis, Fratres & Moniales, Sorores & Eremitas Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia, non vero Fratres Terceros, aut alio minus honorabili vocabulo appellari debere; ipſorumque Monaſteria, domos, ac res & bona quæcumque ingredi, atque illa, eorumque Fratres, Moniales & Sorores quæcumque per Miniſtros ſeu Magiſtros, ſeu Vicarios Generales vel Provinciales dicti Ordinis Minorum, ſeu Regnorum provinciæ etiam Hiſpaniarum, ac Portugalliæ partium per Ordinarios, aut quoſcumque alios Prælatos viſitari, aut quoquo modo inquietari, turbari vel moleſtari, aut eis vel eorum Generali Viſitatori in obedientia, viſitatione, correctione, ſuperioritate & officio, ſeu alias quovis modo præjudicari publice vel occulte non poſſe, etiam vigore quarumcumque litterarum Apoſtolicarum, ſub excommunicationis, ac privationis dignitatum, prælaturarum ac officiorum quorumcumque, & inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda in perpetuum, pœnis, quas contra facientes ipſo facto ex nunc, prout ex tunc, & e contra incurrere, & a quibus ab alio quam a Romano Pontifice pro tempore exiſtenti abſolvi non poſſint, concedimus ac ſtatuimus, ordinamus & declaramus: decementes ſic & non aliter per quoſcumque Judices & Commiſſarios ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales judicari, ſententiari & definiri, declarari & interpretari debere, ſublata eis & eorum cuilibet quavis alia judicandi, ſententiandi, definiendi, declarandi & interpretandi, etiam in quavis inſtantia, facultate & auctoritate, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his

a quoquam quavis, etiam Apoſtolica auctoritate, quomodolibet contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c. Nulli ergo hominum liceat &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXXVI. VI. Idus Martii, Pontificatus noſtri anno IV.

XXIII.

Supprimit titulum Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Aracœli, pro Cardinale Chriſtophoro, olim Miniſtro Generali Ordinis, erectum. Ex Brevi originali.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. OLim ſel. record. Leo Papa X. prædeceſſor, & ſecundum carnem frater patruelis noſter, tunc in humanis agens, cum nonnullos Archiepiſcopos & Epiſcopos, ac Notarios Sedis Apuſtolicæ, ac Ordinum Mendicantium Generales, numero triginta & unum ad Cardinalatus honorem promoviſſet, & tunc non eſſent tot tituli Presbyterorum & Diaconorum Cardinalium pro Cardinalibus promotis, nonnullas Eccleſias Urbis & extra eam, in titulum Presbyterorum erexiſſet, illas aliquibus ex Cardinalibus promotis pro eorum titulis aſſignavit, inter quas Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Aracœli in titulum Presbyteri Cardinalis erexit, & illum dilecto filio noſtro, tunc ſuo, Chriſtophoro, tunc Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum Miniſtro Generali aſſignavit. Cum autem, ſicut accepimus, Fratres dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupati, dubitent domum ſeu Eccleſiam hujuſmodi, quæ dicti Ordinis exiſtit, & titulus Cardinalatus antea non fuerat, poſt dicti Chriſtophori Cardinalis ceſſum vel deceſſum, etiam aliis Cardinalibus loco tituli ſui aſſignari, quod in non modicum eorumdem Fratrum in dicta domo degentium cederet præjudicium, ſi Cardinalis ipſe titularis in ipſa domo reſidere vellet, prout contingere poſſet.

§. II. Nos igitur, Fratres a tali timore & incommodo liberare, & ut Divinis laudibus quietiori animo inſiſtere valeant, ac eorum tranquillitati providere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, cum primum dictus Chriſtophorus Cardinalis fuerit vita functus, aut unam ex ſex Eccleſiis Epiſcopalibus, Cardinalibus dumtaxat aſſignari ſolitis, ſeu alium titulum Presbyteri Cardinalis aſſecutus fuerit, titulum de Aracœli hujuſmodi ſupprimimus & extinguimus, ac ſuppreſſum & extinctum fore decernimus: ſtatuentes, quod de cetero Eccleſia ipſa de Aracœli in titulum Presbyteri aut Diaconi Cardinalis erigi non poſſit: decernentes quaſcumque erectiones, & alias quaſvis diſpoſitiones de dicta Eccleſia de Aracœli, & illius domo in titulum Cardinalatus, vel alias pro tempore factas, nullas & invalidas, nulliuſque roboris vel momenti fuiſſe, eſſe & cenſeri: ſicque per quoſcumque Judices & perſonas quavis auctoritate & poteſtate fungentes, etiam ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinales in quavis inſtantia ſententiari, judicari & definiri debere, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & decidendi facultate, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter fieri ſeu attentari contigerit. Non obſtante cre-

erectione prædicta ac aliis præmiſſis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVII. Aprilis MDXXVII. Pontificatus noſtri anno IV.

Annis MDXXVIII. *&* MDXXIX. *nullæ habentur Bullæ aut Brevia Pontificia.*

Anno Christi 1530. Clementis VII. anno 7. & 8.

XXIV.

Prohibet quoſdam abuſus circa regimen Monaſteriorum & bonorum Clariſſarum, & aliarum Monialium Obſervantibus ſubjectarum. Ex Brevi authentico.

Dilectis filiis Generali Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

§. I. CUm ſicut nobis nuper exponi feciſtis, licet cura Monaſteriorum Monialium & Sororum ſanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ, & Tertii Ordinis ſancti Franciſci Ordinum veſtræ obedientiæ ſubjectorum, illorumque Abbatiſſarum & Monialium ac Sororum ad vos de jure ſpectare dignoſcatur, ac laicis in religioſas & Eccleſiaſticas perſonas nulla ſit attributa poteſtas; nihilominus nonnulli in temporalibus Domini, ac Conſervatores, Conſules, Priores, Viſitatores, Communitates, & aliæ perſonæ ſeculares, regiminis Monaſteriorum prædictorum inexpertæ, & falcem in alienam meſſem mittentes, Monaſteriis Monialium ſanctæ Claræ tam reditus & bona habentium, quam mendicantium, & domibus Sororum Tertii ſancti Franciſci Ordinum hujuſmodi veſtræ obedientiæ ſubjectis, factores pro ſuo voluntatis libito ponant, ac Moniales Monaſteriorum eorumdem, cum illis ab earum Prælatis id jubetur, factores ipſos dimittere & expellere, & quod prophanum eſt, aliquam mulierem ſeu ſororem, niſi prius inter ipſos Conſervatores vel Priores & alios plures ſeculares de ipſa muliere recipienda ſors mittatur, & per eorum voces Monialibus & Sororibus ipſis talem in Monialem ſeu Sororem recipi poſſe concedatur, recipi non permittant, bonaque Monaſteriorum & domorum prædictorum ſuo modo, non ſine ipſarum Sororum & Monialium diſpendio adminiſtrare velint; & tempore belli vel peſtis Moniales & Sorores præfatas clauſuras ſuas, etiam Prælatis earum inſciis, egredi arctare; necnon Confeſſores ipſarum Monialium & Sororum a Capitulis veſtris eis aſſignatos, a præfatis Monaſteriis & domibus etiam cum minis mortis, & quandoque vulneribus ejicere, & illos ac alios Fratres Ordinis veſtri, pro Miſſarum celebratione eis deputatos amovere, necnon pro libito clauſuras Monaſteriorum & domorum hujuſmodi intrare præſumant, in Eccleſiaſticæ libertatis, & exemptionis ipſius Ordinis veſtri præjudicium non modicum & detrimentum: Nobis humiliter ſupplicari feciſtis ut pro ſalubri & tranquillo ſtatu & directione Monialium & Sororum prædictarum ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, univerſis & ſingulis in temporalibus Conſervatoribus, Conſulibus, Prioribus, Viſitatoribus, etiam artium & mercantiarum quarumcumque, necnon Communitatibus, Univerſitatibus, & quibuſcumque aliis perſonis ſecularibus

cujuſcumque ſtatus, gradus, artis, conditionis tam almæ Urbis noſtræ, quam etiam Peruſinæ, Caſtelli, Firmani, Montis Politiani, Petræ ſanctæ, & quarumcumque aliarum Civitatum, Terrarum & locorum, nobis & Romanæ Eccleſiæ ſubjectorum, nunc & pro tempore exiſtentibus, ac eorum ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub majoris excommunicationis latæ ſententiæ, a qua præterquam in mortis articulo conſtituti, ab alio quam a nobis, vel pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi nequeant, necnon quingentorum ducatorum auri Cameræ Apoſtolicæ irremiſſibiliter applicandorum pœnis, diſtrictius inhibemus, ne de Monaſteriis Monialium ſanctæ Claræ, & domibus Sororum Tertii ſancti Franciſci Ordinum hujuſmodi, ac illorum Monaſteriorum & Ordinum hujuſmodi ſub cura veſtra degentium, ac illorum bonis, Monialibus & Sororibus, aut etiam Fratribus ipſis Tertii Ordinis veſtræ obedientiæ ſubjectis, aut illarum regimine, ſeu rebus & negotiis ſpiritualibus vel temporalibus, ad Monaſteria, domus, Moniales, Sorores & Fratres hujuſmodi ſpectantibus, ſeu eos contingentibus, per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte quovis quæſito colore ſe intromittere vel immiſcere quoquo modo præſumant. Decernentes irritum & inane &c. Ac mandantes venerabilibus fratribus Caſertan. & Piſtorien. Epiſcopis, ac dilecto filio Vicario almæ Urbis noſtræ per hæc ſcripta, quatenus ipſi vel duo aut unus &c. præſentes litteras & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte veſtra ſeu Monialium & Sororum præfatarum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, ac vobis & illis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra inhibitionem hujuſmodi firmiter obſervari: contravenientes & non parentes &c. per cenſuras &c. compeſcendo: ac legitime ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas iteratis vicibus aggravando, invocato &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Bononiæ ſub anulo Piſcatoris, die XXVI. Januarii MDXXX. Pontificatus noſtri anno VII.

XXV.

Concedit illi Oratorium ſanctæ Mariæ Gratiarum Montis Clericuli. Ex reg. Ciſm. fol. 53.

Dilecto filio Guardiano moderno domus beatæ Mariæ Gratiarum caſtri Montis Clericuli, Parmen. diœc. Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia.

§. I. EXponi nobis nuper feciſti, quod, poſtquam ſuperioribus diebus quondam Damiſella Taurella, Domina temporalis caſtri Montis Clericuli, Parmen. diœceſis, devotione ducta, quoddam Eremitorium ſeu Oratorium, tuæ domui beatæ Mariæ Gratiarum dicti caſtri propinquum, intra illius caſtri territorium conſtitutum, ad ipſam Damiſellam legitime pertinens, cum illi conjuncta domuncula, pro Eremitæ, qui inibi reſideret, habitatione, tibi & dilectis filiis Conventui dictæ domus inter vivos perpetuo donaverat, Eremitorio tam a Miniſtro Provinciali Provinciæ Bononienſis, ſub qua tua domus conſtituitur, quam a Generali Commiſſario Ciſmontano in tuo Ordine Minorum de Obſervantia recepto, ac Eremita ad Eremitorii miniſterium procurato, talis, Altiſſimo inſpirante, Chriſtifidelium illarum partium apud Dei Genitricis imaginem in eodem Eremitorio conſiſtentem prodire cœpit devotio, quod tum ex votis admiſſis, tum ex fide-

fidelium hujuſmodi devotione, nonnullæ eleemoſynæ & piæ largitiones a fidelibus ipſis erogari incipiantur. Quare nobis feciſti humiliter ſupplicari, quatenus donationi prædictæ pro illius ſubſiſtentia firmiori, robur noſtræ confirmationis adjicere, aliaſque deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationem prædictam, ac omnia & ſingula hujuſmodi donationem concernentia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac præſentium patrocinio communimus, & perpetuum firmitatis robur obtinere & inviolabiliter obſervari debere decernimus & declaramus, ſupplentes omnes tam juris, quam facti defectus, ſi qui intervenerint in præmiſſis: potiorique pro cautela Eremitorium prædictum, cum eleemoſynis, largitionibus ac oblationibus, a Chriſtifidelibus pro tempore erogatis, per te, & pro tempore dictæ domus Guardianum, vel a te & illo deputandos exigendis, ac in ipſius domus reparationem, alioſque pios uſus convertendis, tibi & pro tempore exiſtenti Guardiano, ac Conventui præfato perpetuo donamus & concedimus: inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ venerabilibus fratribus noſtris modernis & pro tempore exiſtentibus de Latere Legato & Epiſcopo, ſeu Adminiſtratori Parmenſi, ac ſub majoris excommunicationis latæ ſententiæ pœnis illis inferioribus, Vicelegato, ac Vicario ipſius Epiſcopi, vel Adminiſtratoris Parmenſis in ſpiritualibus generali, illorumque Officialibus & Miniſtris, ceteriſque perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus, & quorumvis aliorum Ordinum Regularibus, ne ſuper eleemoſynis, largitionibus, oblationibus hujuſmodi vel illarum executione ſe intromittere, aut in Eremitorio prædicto abſque tuo, & pro tempore exiſtentis ejuſdem domus Guardiani expreſſo conſenſu & licentia Miſſas vel alia Divina officia celebrare vel celebrari facere, ſeu te vel pro tempore exiſtentem Guardianum & Conventum prædictos, nec Eremitam per vos deputatum, ſeu veſtrum aliquem moleſtare, inquietare aut perturbare quoquomodo præſumant; hortantes etiam in Domino & affectuoſe rogantes dilectum filium nobilem virum Comitem Paulum Taurellum, dictæ Damiſellæ filium, Caſtri hujus Dominum temporalem, quatenus tibi & pro tempore exiſtenti Guardiano, ac Conventui & Eremitæ præfatis in præmiſſis auxilium & favorem præbeat opportunum: decernentes deſuper irritum & inane &c. Non obſtantibus Apoſtolicis ac provincialibus & ſynodalibus conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ xxvtii. menſis Maii mdxxx. Pontificatus noſtri anno vii.

XXVI.

Vetat aliquem fratrem Regularis Obſervantiæ tranſire ad alium Ordinem quemcumque. Ibid. fol. 56.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. In paſtorali ſpecula &c. Sane nuper exhibita nobis pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Ordinis Minorum de Obſervantia, in Romana Curia exiſtentis, petitio continebat, quod licet Fratres dicti Ordinis de Obſervantia in dicto Ordine, in quo Religionem ſunt profeſſi, votaque ſolemnia, & ſubſtantialia emiſerunt, in eo deberent pium propoſitum proſequi, Creatorique omnium famulari; nihilominus tamen nonnulli ex Fratribus eiſdem, turbatore animarum Sathana, ut creditur, inſtigante, qui tamquam leo rugiens oves extra ſuas caulas egredientes quæ-

rit

rit comprehendere, quas in caulis tutas nequit lædere, ſæpe ad alios Regulares, præſertimque Prædicatorum, ſeu ſancti Dominici, ac ſancti Benedicti & Ciſtercienſis Ordines, ſub eo prætextu, quod dictis, præſertimque Prædicatorum Ordinibus ab Apoſtolica Sede ſpecialiter indultum ſit, ut quoſvis & quorumvis etiam prædicti Minorum de Obſervantia Fratres in ſuos Ordines recipere poſſint, dictum Ordinem Minorum de Obſervantia, etiam invitis & irrequiſitis ſuis Superioribus exeunt, & ad alios Ordines ſe transferunt: quo fit, ut præterquam interdum Apoſtaſiæ crimen, etiam inſtabilitatis & inconſtantiæ notam incurrant, et nec in illo Ordine quidem, ad quem ſe tranſtulerunt, diu perſiſtant, ſed damnabili varietate crebria peccatorum periculis ſe exponant. Quare nobis pro parte ejuſdem Procuratoris, aſſerentis ob hoc etiam multa ſcandala inter dictos Ordines excitari poſſe, fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nus igitur provide conſiderantes, nullis magis convenire quam Religioſis in ſuo pio propoſito perſiſtere, licentiamque hujuſmodi ex ſuo proprio Ordine ad alium ſe transferendi ſæpe cauſam præſtare poſſe peccati; dicti Procuratoris honeſtis precibus inclinati, hac perpetua conſtitutione ſancimus, ſtatuimus & ordinamus, quod de cetero nullus ex Fratribus dicti Ordinis Minorum de Obſervantia ad quemcumque alterum Ordinem & Congregationem tam non Mendicantium, quam etiam Prædicatorum ſeu ſancti Dominici Mendicantium, etiam prætextu quorumvis privilegiorum a Sede Apoſtolica hactenus vel pro tempore eis immediate, communicative, aut participative, vel alias quomodolibet conceſſorum, tranſire poſſint. Inhibentes in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna univerſis & ſingulis dictorum Ordinum etiam Prædicatorum ſeu ſancti Dominici Magiſtris, Miniſtris, Vicariis, ac ſancti Benedicti & Ciſtercienſis Abbatibus domuum, Monaſteriorum quorumcumque, ubicumque tam in Italia, quam extra conſtitutis, ne de cetero quemquam ex dictis Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia recipiant; quinimo eis ſub pari pœna mandantes, ut ſi quos a ſex menſibus citra receperunt, eiſdem Fratribus Ordinis Minorum, ſi per Guardianos vel alios Prælatos ejuſdem Ordinis Minorum de Obſervantia requiſiti fuerint, intra unum menſem a die requiſitionis computandum eis reſtituant & efficaciter conſignent. Et nihilominus univerſis & ſingulis Legatis & Nunciis Sedis Apoſtolicæ ubilibet conſtitutis, ac omnibus locorum Ordinariis præcipimus, ut ad omnem dictorum Fratrum Minorum de Obſervantia requiſitionem, eiſdem efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant præſentes litteras juxta earum tenorem executioni effectualiter demandari. Contradictores &c. Invocato &c. non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, dictorumque Ordinum etiam Prædicatorum, ſeu ſancti Dominici ſtatutis & conſuetudinibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVIII. Septembris MDXXX. Pontificatus noſtri anno VII.

XXVII.

Declarat Syndicorum ſeu Procuratorum inſtitutionem non eſſe contra Regulæ puritatem. Ibid. fol. 57.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. VAcantibus ſub Religionis Obſervantia &c. Sane cum, ſicut accepimus, licet etiam juxta Regulam ſeu Inſtituta Regularia Or-

Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Fratres Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi ultra communem, quam omnes Chriſtifideles ad obediendum Romano Pontifici habent, ad obedientiam Romani Pontificis hujuſmodi arctius obligentur, ac eorum Miniſtri & Cuſtodes per amicos ſpirituales pro indumentis ipſorum Fratrum, & neceſſitatibus infirmorum providere debeant, & fel. record. Nicolaus IV. & Clemens V. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri idem de aliis Fratrum neceſſitatibus intelligi debere declaraverint, & piæ mem. Martinus Papa V. etiam prædeceſſor noſter mandaverit etiam ſub pœna carceris, ut quilibet Conventus Fratrum Ordinis hujuſmodi haberet Syndicum, apud quem omnes eleemoſynæ poni deberent, nec propterea ipſi Fratres eſſent, aut dici deberent Regulæ ſuæ tranſgreſſores, aut ab ea abſoluti, cum tales ſint amici ſpirituales; nihilominus a nonnullis hæſitetur, an Procuratores, Œconomi & Syndici Conventuum ſeu domorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, auctoritate ſeu vigore litterarum fel. record. Innocentii Papæ IV., & præfati Martini prædeceſſorum noſtrorum inſtituti & inſtituendi, amici ſpirituales, per quos juxta dictam Regulam neceſſitatibus prædictis providendum ſit, & Fratres ad eos recurrentes, tranſgreſſores Regulæ ſuæ, & ab illa abſoluti dici ſeu cenſeri debeant.

§. II. Nos attendentes Procuratores, Œconomos, & Syndicos præfatos ob periculum animarum, & Regularem Obſervantiam, ac ut Fratres ipſi Divinis beneplacitis liberius vacare poſſent, inſtitui ordinaſſe ſeu conceſſiſſe, ac certum numerum Syndicorum libertatem recurrendi ad amicos ſpirituales magis arctare, quam incertum, Fratres infirmi etiam cum periculo animarum ſuarum ſine ſcitu Prælatorum ſuorum facilius eleemoſynas apud amicos ſpirituales indeterminatos tenere poſſent: ac volentes ipſorum Fratrum maxime Citramontanorum, qui Martino & aliis Prædeceſſoribus præfatis humiliter obedierunt, & ipſius Martini prædeceſſoris mandatum obſervarunt, ſtatui & conſcientiarum ſerenitati in præmiſſis providere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus & declaramus, Syndicos auctoritate ſeu vigore litterarum Innocentii, Clementis & Martini prædeceſſorum prædictorum, pro tempore deputatos, amicos ſpirituales in Regula & declaratione prædictis expreſſos & conceſſos eſſe, & cenſeri debere, & Fratres ad illos recurrentes, eorum Regulæ tranſgreſſores, ſeu ab illius obſervatione abſolutos non eſſe, nec cenſeri debere: diſtrictius inhibentes quibuſvis perſonis, cujuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtentibus, in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub majoris excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo ſi contrafecerint, incurrenda, ne propterea ipſos Fratres Citramontanos infamare aut calumniari quoquomodo præſumant, ac decernentes irritum & inane &c. Non obſtantibus præmiſſis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xix. Septembris mdxxx. Pontificatus noſtri anno vii.

XXVIII.

Subjicit Conventum Sicli in Sicilia regimini Miniſtri Provinciæ Siciliæ Regularis Obſervantiæ. Ibid. fol. 60.

Dilectis filiis Miniſtro Locali nuncupato, & Conventui domus beatæ Mariæ de Cruce Ordinis Fratrum Minorum, Tertii Ordinis nuncupatorum terræ Sicli, Siracuſanæ diœceſis.

§. I. SAne pro parte veſtra exhibita nobis nuper petitio continebat, quod alias vos provide conſiderantes, quod olim fel. record. Leo Papa X. prædeceſſor noſter, per ſuas litteras Apoſtolicas inter alia ſtatuerat & ordinaverat, quod domus, Conventus & loca Minorum Fratrum Tertii Ordinis nuncupatorum, ſub obedientia, correctione & viſitatione Miniſtri Generalis vel Provincialis eorumdem Fratrum, Regularis Obſervantiæ nuncupatorum viverent & degerent, ac illi ſubeſſent, prout in eiſdem litteris plenius continetur: quodque vos, qui in domo beatæ Mariæ de Cruce terræ Sicli, Siracuſanæ diœceſis, ſub obedientia & correctione unius Miniſtri Localis ejuſdem domus, per vos conventualiter congregatos, annuatim, vel ad veſtrum beneplacitum ſeu nutum pro tempore electi vivere conſueveratis; & poſtquam jam per plures etiam ultra decem annos vel circum circa inibi ſub eadem vita & moribus Tertii Ordinis hujuſmodi vixeritis, a nonnullis, qui vos Congregationi Lombardiæ dicti Tertii Ordinis juxta illius morem nuncupatæ, a vobis vero attenta incuria Fratrum Congregationis Lombardiæ prædictæ, qui nullum actum ſuperioritatis ſeu regiminis erga vos unquam exercuerunt, quo Regulari Obſervantiæ bujuſmodi, vel eorum Superioribus ſubeſſetis, aſſereretur.

§. II. Vos cupientes ſcandalis, quæ exinde oriri formidabantur, obviare, & obedientiam debitam, prout decebat, uni tantum & non pluribus præſtare, capitulariter, ut moris eſt, congregati, deliberaſtis obedientiam debitam hujuſmodi, tunc & pro tempore exiſtenti Provinciali Miniſtro Provinciæ Siciliæ Regularis Obſervantiæ hujuſmodi, juxta eumdem morem nuncupatæ præſtare, prout tunc Miniſtro Provinciali Provinciæ & Obſervantiæ hujuſmodi præſtitiſtis: ipſeque Provincialis viſo veſtro laudabili deſiderio, vos & domum veſtram hujuſmodi ſub illius Obedientia Regulari recepit & admiſit, & ex tunc vos ſub obedientia Miniſtri Provincialis Provinciæ Siciliæ hujuſmodi permanſiſtis & permanetis, & tam ante, quam etiam poſt deliberationem prædictam, nullum alium Superiorem dictæ Congregationis Lombardiæ cognoviſtis, nec ab aliquo alio viſitati fuiſtis, ſed a dicto Miniſtro Provinciali Regularis Obſervantiæ dumtaxat; nec ob terrarum & viarum diſcrimina & diſtantiam, ab eadem Congregatione, vel ejus Superiore commode viſitari poſſe creditis, quod in tota Inſula Siciliæ, nulla alia loca ejuſdem Tertii Ordinis præter veſtram domum hujuſmodi exiſtant. Quare pro parte veſtrum aſſerentium vos poſt dictam deliberationem ad Capitulum Provinciale Regularis Obſervantiæ hujuſmodi, tunc proxime celebratum acceſſiſſe ſeu miſiſſe, & illorum obedientiæ vos ſubjeciſſe, ipſoſque Capitulum ſub eorum obedientia vos ſuſcepiſſe, prout in diverſis patentibus litteris deſuper confectis dicitur plenius contineri, ac ſub Regula & ſtatutis per eumdem Leonem prædeceſſorem editis, vivere & perſeverare velle; nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus deliberationem, ſubjectionem, receptionem & admiſſionem, ac alia præmiſſa confirmare & approbare, ac vos ab obedientia dictæ Congregationis, ſi for-

forſan illi ſubjecti fueritis, eximere, & a cenſuris, ſi quas præmiſſorum occaſione incurreritis, abſolvere, ac eidem Miniſtro Provinciali Regularis Obſervantiæ ſubjicere, aliaſque vobis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur veſtrum laudabile propoſitum in Domino commendantes, ac diſtantiam terrarum, & viarum diſcrimina hujuſmodi, propter quæ vos a Superiore Congregationis hujuſmodi commode viſitari non poteſtis, conſiderantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vos & veſtrum ſingulos, ac omnes & ſingulos alios, qui vobiſcum hactenus participarunt & participant, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine, etiam juxta eorumdem Ordinum regularia inſtituta in vos, & eoſdem participantes, præmiſſorum occaſione, latis, ſi quibus propterea innodati exiſtitis, necnon apoſtaſiæ nota, ſi quam propterea incurreritis, abſolvimus, ac vobiſcum ſuper irregularitate, ſi quam præmiſſorum occaſione, ac etiam quia ſic forſan ligati, Miſſas & alia Divina officia celebraſtis, aut alias illis vos immiſcuiſtis, contracta, & in veſtris ordinibus, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, in eadem & aliis domibus dicti Ordinis vocem activam & paſſivam habere, ac prælationes, adminiſtrationes & officia illius habere libere & licite valeatis, diſpenſamus; ac ſubjectionem, receptionem, admiſſionem, litteras & alia præmiſſa, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus & approbamus, ac omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem, ſupplemus.

§. IV. Et nihilominus potiori pro cautela vos ab obedientia, ſi quam eidem Congregationi Lombardiæ, vel illius Superiori prædictis præſtare tenebamini, abſolvimus, ac eidem moderno & pro tempore exiſtenti Miniſtro provinciali ſubeſſe decernimus. Quocirca dilecto filio noſtro Franciſco tit. ſanctæ Crucis in Hieruſalem presbytero Cardinali, & venerabili fratri Epiſcopo Syracuſano, ac dilecto filio Cantori Eccleſiæ Catanien. per hæc ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant vos confirmatione, approbatione, ſuppletione, abſolutione & aliis ſingulis præmiſſis pacifice frui & gaudere, non permittentes vos, & pro tempore exiſtentem Miniſtrum localem, ac Conventum domus hujuſmodi, per Congregationem & illius Superiorem prædictos, ſeu quoſcumque alios contra earumdem præſentium litterarum tenorem quomodolibet perturbari vel inquietari: contradictores &c. invocato etiam &c. & nihilominus eoſdem contradictores & rebelles etiam per edictum publicum locis affigendum publicis citandi, eiſque & aliis, quibus inhibendum fuerit, inhibendi, plenam & liberam licentiam ac facultatem concedimus. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die VIII. Novembris MDXXX. anno Pontificatus noſtri VII.

XXIX.

Commendat impenſe Fratres Obſervantes omnium caritati & benevolentiæ. Ibid. fol. 62.

Univerſis & ſingulis, quibus hæ noſtræ litteræ exhibebuntur.

CUm dilecti filii Generalis & provinciales Miniſtri, ac Commiſſarii & Officiales ejuſdem Miniſtri Ordinis Minorum de Obſervantia ſæpenumero pro ſui Ordinis indigentiis, nec minus pro ſanctæ Religionis

honore, ac animarum ſalute, huc illuc diſcurrentes, ultro citroque commigrent, & in diverſis locis negotia dicti Ordinis curaturi reſideant: Nos cupientes ſincera in Domino ubique caritate tractari, & honeſtis favoribus confoveri, vobis omnibus & ſingulis, quibus has litteras exhiberi contigerit, eoſdem Miniſtrum, Provinciales, Commiſſarios & officiales cum omnibus eorum negotiis pro tempore occurrentibus, Dei cauſa ex animo ac ſtudioſe commendamus, omnes quidem Dominos temporales, eorumque Locatenentes in Domino exhortantes ac requirentes; univerſis autem venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, eorumque Vicariis in ſpiritualibus generalibus, ceteriſque in dignitate Eccleſiaſtica ubilibet conſtitutis, præſertimque Vicelegatis, Gubernatoribus, Præſidentibus, Commiſſariis, & quibuslibet officialibus noſtris, ac terrarum noſtrarum in virtute ſanctæ obedientiæ mandantes, ut Miniſtris, Commiſſariis & officialibus prædictis, omnes honeſtos favores in eorum negotiis pro tempore agendis, ſi & quoties ab eis requiremini, noſtra cauſa exhibeatis, nec ſolum ens in viſitationibus & correctionibus ſuarum domorum, aliiſque piis & laudabilibus operibus non impediatis, ſed etiam omnimode eis faveatis, auxiliumque pium præſtetis. Quod poſt Deum omnipotentem recipiemus gratiſſimum, volentes tranſumptis præſentium litterarum manu Notarii publici ſubſcriptis, & dicti Miniſtri Generalis ſigillo munitis, plenam & eamdem fidem tam in judicio, quam extra ubique adhiberi, quæ adhiberetur, ſi originales litteræ exhiberentur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIX. Decembris MDXXX. Pontificatus noſtri anno VIII.

XXX.

Jubet ne a Fratribus Obſervantibus exigant pædagia, ſeu gabellas. Ibid. fol. 63.

Univerſis & ſingulis Gabellariis, & Datiariis, ac portarum Cuſtodibus, quibus hæ noſtræ litteræ exhibebuntur.

CUm non ſine multa animi noſtri diſplicentia audiverimus, nonnullos veſtrum a dilectis filiis Generali Miniſtro, & aliis Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia interdum res medicinales, coronas orationales, & alia ad eorum uſum & neceſſitatem, non autem mercimonii cauſa deferentibus, gabellam pro dictis rebus exigere velle, eoſque in ſuis itineribus propterea impedire aut retinere: Nos noſtrorum prædeceſſorum exemplo, qui eoſdem Fratres a ſolutione omnium exactionum exemerunt, attenta etiam eorum paupertate & exemplari vita, vos omnes hortamur in Domino, vobis nihilominus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna inhibentes, ne quemquam ex dictis Fratribus, præſertimque Generales & provinciales Miniſtros, alioſque eorum, & dicti Ordinis officiales & Commiſſarios ultro citroque commeantes, aut etiam reſidentes, pro gabella rerum quarumcumque, quas pro ſuo uſu, & non mercimonii cauſa ſe deferre medio juramento aſſeruerint, moleſtare, impedire, retinere, nec gabellam pro his ab eis exigere præſumatis: contrariis non obſtantibus quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die ultima Decembris MDXXX. Pontificatus noſtri anno VIII.

XXXI. *Ut*

XXXI.

Ut possint admittere Conventum in Civitate Montis Piloſi. Ibid. ſol. 67.

Dilecto filio Miniſtro provinciæ Baſilicatæ Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ ſecundum morem dicti Ordinis.

§. I. CUm Communitas Civitatis montis Piloſi, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ gerunt affectum, & pro animarum ſalute, Religioniſque propagatione, & Divini cultus augmento, ſuis propriis impenſis in aliquo congruo & convenienti loco, in territorio ejuſdem Civitatis montis Piloſi unam domum ſub ſancti Franciſci, vel alterius Sancti vel Sanctæ, ſeu alia invocatione, pro perpetuis uſu & habitatione eorumdem Fratrum ſuæ curæ commiſſorum, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere ſummopere cupiant; nobis propterea eadem Civitas humiliter ſupplicari fecerit, ut tam honeſtæ & piæ petitioni paterna benevolentia annuere dignaremur.

§. II. Nos, qui Divini cultus augmentum ubique, & præſertim noſtris temporibus, intenſis deſideriis peroptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi in aliquo loco congruo & convenienti prope dictam Civitatem unam domum ſub dicta invocatione, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ provinciæ Baſilicatæ conſtruendi, erigendi & ædificandi, ſeu conſtrui, erigi & ædificari faciendi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam concedimus pariter & indulgemus: ac domui hujuſmodi, poſtquam conſtructa fuerit, & Guardiano & Fratribus pro tempore in ea commorantibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, conceſſionibus, ſavoribus, immunitatibus, exemptionibus & indultis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, aliis domibus dicti Ordinis, & Fratribus nunc & pro tempore in genere per Sedem Apoſtolicam alias conceſſis, confirmatis & innovatis, & quibus utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in ſuturum, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica, & tenore prædictis concedimus & indulgemus: ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus & ordinationibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die 11. Martii MDXXXI. Pontificatus noſtri anno VIII.

XXXII.

Concedit ut Monaſterium Sororum Ordinis ſancti Benedicti tribuatur Sororibus ſanctæ Clarę. Ibid. fol. 66.

Dilecto filio Miniſtro Generali Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, & Miniſtro provinciæ Baſilicatæ ſecundum morem ejuſdem Ordinis.

§. I. EXponi nobis nuper fecit dilecta in Chriſto filia nobilis mulier moderna Comitiſſa Potentin. tam ſuo, quam dilecti filii nobilis viri moderni Comitis Potentin. ejus filii, nominibus, quod alias jam viginti

quinque annis, vel circa lapſis, Moniales tunc in Monaſterio ſancti Lucæ Potentin. Ordinis ſancti Benedicti exiſtentes, ob earum inhoneſtam, & a regularibus inſtitutis longe alienam vitam, ab eodem Monaſterio, quod de Jurepatronatus Comitis Potentin. pro tempore exiſtentis, exiſtit, auctoritate tunc Epiſcopi Potentin. cui Monaſterium ipſum ſubjicitur, expulſæ fuerunt: quodque nulla ex ipſis Monialibus extat, & Monaſterium ipſum in ſuis ædificiis ruinam eſt paſſum: ipſaque Comitiſſa attendens ad exemplarem vitam Monialium Ordinis ſanctæ Claræ ſecundæ Regulæ, ſub cura Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ degentium, cupienſque ut in dicto Monaſterio laudetur Altiſſimus, & regularis obſervantia vigeat, propoſuit dictum Monaſterium pro perpetuis uſu & habitatione Monialium Ordinis ſanctæ Claræ ſecundæ Regulæ hujuſmodi reædificari facere. Quare ſupplicari fecit nobis humiliter, ut ejus pio propoſito hujuſmodi annuere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, in dicto Monaſterio Ordinem ſancti Benedicti, & omnem dependentiam perpetuo ſupprimimus & extinguimus, ac Ordinem ſanctæ Claræ hujuſmodi plantamus; & quod Monaſterium ipſum, cum Eccleſia, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, pro perpetuis uſu, & habitatione Monialium ſanctæ Claræ ſecundæ Regulæ, ſub cura Miniſtri Generalis hujuſmodi degentium reædificari, ſeu de novo conſtrui, illudque Moniales ſanctæ Claræ hujuſmodi acceptare, & perpetuo inhabitare: ac ipſum Monaſterium & illius pro tempore Abbatiſſa, Conventus, Moniales, Confeſſores, Capellani, Procuratores, Miniſtri, ancillæ, perſonæ, res & bona quæcumque omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, indultis, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, prærogativis & gratiis, quibus alia quæcumque Monaſteria ſanctæ Claræ, illorumque Abbatiſſæ, Conventus, Moniales, Confeſſores, Capellani, Procuratores, Miniſtri, ancillæ, perſonæ, res & bona quæcumque quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt in futurum, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, concedimus per præſentes: ac tibi committimus & mandamus, quatenus Monaſterium ipſum Ordini ſanctæ Claræ hujuſmodi, & Provinciæ Baſilicatæ, juxta morem ejuſdem Ordinis, incorpores, ac ſub cura, regimine & adminiſtratione tui, & pro tempore exiſtentis Miniſtri provincialis Provinciæ & Ordinis prædictorum recipias, illudque ſicuti & alia Monaſteria quæcumque Ordinis ſanctæ Claræ, & provinciæ hujuſmodi gubernes & regas, ac omnia & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna facias & exequaris. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in provincialibus & ſynodalibus Conciliis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die vii. Martii mdxxxi. Pontificatus noſtri anno viii.

XXXIII.

Liberat Fratres Obſervantes a ſolvendis decimis in Regno Neapolitano. Ibid. fol. 67.

Dilecto filio Fabio Arcelle, electo Biſignan. in Regno Neapolis, Nuncio & Collectori noſtro.

Queſtus eſt nobis Viceprocurator totius Ordinis Minorum de Obſervantia, quod Monaſteria Monialium tam ſanctæ Claræ, quam Tertii Ordinis, dicto Ordini Minorum de Obſervantia ſpiritualiter ſubjecta

in

in iſto regno conſiſtentia, moleſtantur a te, vel tuis ſubcollectoribus pro decimis; cum tamen multa ex dictis Monaſteriis ex ſuis fructibus & reditibus & proventibus vix Moniales in eis exiſtentes alere valeant. Quamobrem nobis humiliter ſupplicari fecit, vellemus in hoc clementer providere. Nos igitur nequaquam volentes Moniales prædictas famulatum Altiſſimo exibentes, alimentis eis neceſſariis fraudari, tibi mandamus, ut Monaſteria Monialium ſanctæ Claræ, & Tertii Ordinis hujuſmodi pro dictis decimis nullatenus moleſtes, niſi pro eo, quod illis ſuperſuerit ultra ſeptem ducatos auri pro victu cujuslibet Monialis; eaſque omnes a cenſuris, ſi quibus propterea innodatæ ſunt, præſentium litterarum tenore ſervato abſolvas, & interdicta per te in eorum Eccleſiis appoſita relaxes: contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVIII. Martii MDXXXI. Pontificatus noſtri anno VIII.

XXXIV.

Ut præcedant Fratres Obſervantes Eremitæ Ordinis ſancti Auguſtini. Ibidem fol. 66.

Dilectis filiis Miniſtro Provinciali & Guardiano domus & Conventus ſanctæ Mariæ de Jeſu, Terræ Adernionis provinciæ Siciliæ.

§. I. Accepimus, quod, licet fel. rec. Leo Papa X. prædeceſſor noſter ad amovendum aliquas contentiones inter Fratres Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ & alios Mendicantes, ſuper præcedentia in proceſſionibus & ceteris actibus publicis &c. illum locum & præeminentiam haberent, quem ante declarationem hujuſmodi, Fratres Minores Conventuales habuerant, & in locis ubi Fratres Minores Conventuales numquam, ſed ſoli Fratres Minores Obſervantes fuerant, antiquum ſemper locum teneant, quem Ordo ſancti Franciſci in ſimilibus actibus teneret, prout in ipſis Prædeceſſoris in forma Brevis deſuper confectis litteris plenius continetur: & propterea etiam in Civitate Catanien. Fratres Minores Regularis Obſervantiæ præcedant Fratres Ordinis ſancti Auguſtini in proceſſionibus, & rationabiliter membra debent ſequi caput, & quod in Civitate Catanien. circa hoc ſervatur, ſervari deberet in Terris Catanien. dioec. Nihilominus Fratres dicti Ordinis ſancti Auguſtini Terræ Adernionis dictæ dioeceſis cum Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ ejuſdem Terræ ſuper præcedentia hujuſmodi contendunt: unde ad evitandum contentiones & lites inter eoſdem Fratres, maxime quia ſequuntur multa ſcandala & perturbationes in populis, ac etiam pro pace & quiete eorumdem Fratrum, ut illud idem ſervetur in Terra Adernionis in proceſſionibus, & in omnibus actibus publicis, quod ſervatur per totam inſulam Siciliæ, maxime in Civitatibus, quæ caput dioeceſum ſunt, attento etiam quod hoc ſervatur in Civitate Catanien. quæ caput illius dioeceſis eſt.

§. II. Nos igitur hujuſmodi litibus, quæ non abſque eorumdem Fratrum nota diutius tolerari poſſunt, finem imponere, & ſcandalorum occaſiones, quæ exinde oriri poſſe de facili formidantur, de medio ſubmovere volentes, motu proprio & de noſtra mera deliberatione & ex certa ſcientia, cauſæ & cauſarum hujuſmodi ſtatus præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illaſque ad Nos harum ſerie advocantes, & lites in quacumque inſtantia deſuper ubilibet indeciſas pendentes, penitus extinguentes, Apoſtolica auctoritate ſtatuimus & ordinamus, quod de cetero in omnibus & ſin-

& ſingulis proceſſionibus & funeralibus, & aliis publicis actibus quibuſcumque, ſuper dicto incedendi & ſtandi ordine, & digniori loco tenendo, obſerventur litteræ dicti Leonis prædeceſſoris, ſicut in illis plenius continetur. Quocirca venerabili fratri Epiſcopo Catanien. vel ejus Vicario in ſpiritualibus generali, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, ut quoties ſuper hoc pro parte dictorum Fratrum de Obſervantia fuerint requiſiti, præſentes litteras publicent, faciantque eas auctoritate noſtra ab omnibus ſupradictis inviolabiliter ſervari: contradictores &c. invocato &c. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac provincialibus & ſynodalibus conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xx. Martii MDXXXI. Pontificatus noſtri anno VIII.

Anno Chriſti 1532. Clementis VII. anno 9. & 10.

XXXV.

Confirmat ſtatuta facta in Capitulo Generali Meſſanenſi. Ibid. fol. 68.

Dilecto filio Miniſtro Generali Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ.

§. I. CUm, ſicut nobis exponi feciſtis, nuper in Capitulo Generali Ordinis veſtri in Civitate Meſſanenſi celebrato, multa quietem, tranquillitatem, & augmentum Ordinis veſtri prædicti concernentia facta, ſtatuta & ordinata fuerint, ut illa uberiorem obtineant roboris firmitatem, deſideretis ea noſtræ approbationis munimine roborari: nobis propterea humiliter ſupplicari feciſtis, ut præmiſſis per vos in dicto Capitulo geſtis robur noſtræ confirmationis adjicere, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur ipſius Ordinis veſtri proſperum & tranquillum ſtatum paterno zelantes affectu, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſupradicta per vos in dicto Capitulo Generali, ut præfertur, facta, ſtatuta & ordinata, quatenus ſacris canonibus non ſint contraria, auctoritate noſtra Apoſtolica, ex certa noſtra ſcientia, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac perpetui roboris firmitate ſubſiſtere, nec ab aliquo immutari, ſed inviolabiliter & firmiter perpetuo obſervari debere decernimus, ſupplentes omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem: dantes tibi nihilominus fili Miniſter & concedentes eamdemmet facultatem & auctoritatem per præſentes, quam per alias noſtras litteras ante Capitulum Generale Ordinis veſtri hujuſmodi in Civitate noſtra Parmæ celebratum, cum ejuſdem Ordinis Commiſſarius Generalis deputatus eſſes, & deinde poſt dictum Capitulum, cum ipſius Ordinis Miniſter Generalis creatus fuiſti, dedimus & conceſſimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die III. Julii MDXXXII. Pontificatus noſtri anno IX.

XXXVI.

Confirmat exemptiones, privilegia, gratias, indulta &c. tam a ſe, quam a ſuis prædeceſſoribus conceſſa. Ex Brevi originali.

Dilectis filiis Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, ac ipſius Ordinis in Romana Curia Procuratori Generali.

§. I. EXponi nobis nuper feciſtis, quod, licet alias diverſi Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, diverſa privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, gratias & indulta vobis, & Ordini veſtro conceſſerint, & per ea vos, & totum Ordinem veſtrum, necnon ipſius Ordinis domos & loca quæcumque tam virorum, quam mulierum ab omni ſuperioritate & juriſdictione locorum Ordinariorum, & aliorum quorumcumque exemerint, & Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecerint, noſque ea omnia approbaverimus & confirmaverimus, & propterea nemini eorum liceat domos & loca veſtra hujuſmodi quomodolibet viſitare; nihilominus diverſi locorum Ordinarii, quo ſpiritu ducti neſcitur, diverſa tam virorum, quam mulierum dicti Ordinis in diverſis mundi partibus, & præſertim in provincia ſancti Antonii juxta ejuſdem Ordinis morem conſiſtentia, domos & loca per ſe, & eorum Vicarios viſitare nituntur in maximum Ordinis veſtri præjudicium, ac illius Fratrum & Sororum perturbationem non modicam, necnon Apoſtolicæ Sedis vilipendium. Quare pro parte veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut vobis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur attendentes, quod vos ſub voluntariæ paupertatis habitu Domino famulantes, non ceſſatis in agro militantis Eccleſiæ uberes fructus emittere, & propterea volentes vobis in præmiſſis eo ſubvenire remedio, quo ſemotis moleſtiis & perturbationibus quibuslibet, Divinis beneplacitis quietius inſiſtere valeatis; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, gratias & indulta prædicta, vobis & Ordini veſtro prædicto, ac ſingulis illius domibus & locis tam in genere, quam in ſpecie per dictos Prædeceſſores, ac Nos hactenus conceſſa, ex certa ſcientia denuo approbantes & confirmantes, univerſis & ſingulis locorum Ordinariis etiam Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali aut alia quavis dignitate fulgentibus, ac ipſorum Vicariis, Locatenentibus, & Officialibus quibuſcumque, ne de cetero domos aut loca quæcumque tam virorum, quam mulierum Ordinis veſtri ubicumque conſiſtentium viſitare, aut vos vel ipſius Ordinis veſtri Fratres & Sorores corrigere vel punire, ſeu privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, gratiis & indultis prædictis contravenire contra tenorem privilegiorum veſtrorum quomodolibet præſumant, diſtrictius inhibemus, ac quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Quocirca moderno & pro tempore exiſtenti Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, necnon univerſis Archiepiſcopis &c. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi &c. faciant vos & Ordinem veſtrum prædictum, necnon illius domos & loca ac Fratres approbatione & confirmatione ac inhibitione & decreto noſtris prædictis pacifice frui & gaudere: non permittentes vos deſuper per quoſcumque quavis auctoritate fungentes, quomodolibet indebite moleſtari, contra-

tradictores &c. invocato &c. Non obſtantibus conſtitutiooibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die VIII. Novembris MDXXXII. Pontificatus noſtri anno IX.

Anno Chaisti 1533. Clementis VII. anno 10. & 11.

XXXVII.

Jubet ad Religionem redire extra eam divagantes, aliiſque exceſſibus adhibet remedia. Ex Brev. orig.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Sedis Apoſtolicæ providentia &c. Cum itaque, ſicut accepimus, nonnulli Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Fratres, ac quæ ſub cura & inſtitutis dicti Ordinis degunt Moniales vel Sorores, vigore indultorum Apoſtolicorum per litteras confeſſionales particulariter eis conceſſis, alios quam per dicti Ordinis Superiores ad id pro tempore deputatos, abſque licentia dictorum Superiorum ſibi in Confeſſores eligant; & alii, quibus magis expediret viam Domini non agnoviſſe, ad ſeculum, retento habitu, remanere cupientes, ægros ſe, aut corporum & animi languoribus vexatos ſimulantes, aut parentum ſuorum inopiæ ſubvenire velle aſſerentes, ſeu ſapientiæ avidos ſe fingentes, extra dictum Ordinem pervagentur, ac ad Studiorum Univerſitates citra Superiorum ſuorum licentiam, ſeu illa eis expreſſe revocata, accedentes, & exemptionibus ſcholarium abutantur: alii bona Eccleſiaſtica per clericos ſeculares obtineri ſolita obtineant: aliqui etiam ad prædicationem Apoſtolicam etiam pro miniſterio prædicandi indulgentias Cruciatæ contra infideles in ſubſidium Terræ Sanctæ eligi & aſſumi: ac nonnulli ſe Acholytos, Notarios Apoſtolicos, ſeu Palatii & Aulæ Lateranenſis Comites & Capellanos noſtros creari, & ad noſtram, ſeu alicujus ex venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, vel alterius Domini temporalis, aut Archiepiſcoporum, Patriarcharum, Epiſcoporum, & aliorum inferiorum Prælatorum, & perſonarum quarumcumque familiaritatem recipi & admitti, ac ad deſerviendum in Divinis beneficiis ſecularibus deputari: alii vero qui habitum dicti Ordinis in totum dimiſerunt, ſeu dimittere intendebant, ſimulantes ſe regularia inſtituta ſervare, & ſub jugo dicti Ordinis ulterius vivere non poſſe, vel aſſerentes ſe in dicto Ordine profeſſionem numquam, aut infra pubertatis annos, ſeu per vim & metum renitentes nulliter emiſiſſe, ſe ad dictum Ordinem & illius Regularem Obſervantiam in genere, vel in ſpecie minime teneri auctoritate Apoſtolica declarari: ac ex eis alii ſe ad S. Auguſtini Canonicorum Regularium, & alios Ordines transferendi, aut numero & conſortio Fratrum hoſpitalis noſtri ſancti Spiritus in Saxia de Urbe aggregandi, licentiam obtinuerint, vel alias diverſimode per importunitatem a Sede prædicta extorſerint, & illius prætextu Religionis laxatis habenis, in parentum & conſanguineorum, ac aliorum domibus per ſeculum vagari non vereantur, in animarum ſuarum periculum, Religionis opprobrium, pernicioſum quoque exemplum & ſcandalum plurimorum.

§. II. Nos, qui paſtoris &c. motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera liberalitate, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine noſtris, dilectis filiis Miniſtro ac Commiſſario Generalibus, necnon Miniſtris Provincialibus, ceteriſque

Præ-

Prælatis dicti Ordinis nunc & pro tempore exiſtentibus, per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi & eorum quilibet per ſe, ac ſingulos domorum ſuarum Provinciarum Guardianos, eorumque pro tempore Vicarios & Præſidentes, ſi & poſtquam litteræ aliquæ Apoſtolicæ ad ipſorum Fratrum inſtantiam, ſive ſub anulo Piſcatoris, aut ſub plumbo, vel per Pœnitentiariam ſuerint, præmiſſa quomodolibet concernentes, aut aliqua alia regularibus inſtitutis dicti Ordinis quomodolibet derogantia, ſeu repugnantia in ſe continentes, etiamſi in illis clauſula *de licentia ſui Superioris petita & obtenta* appoſita non reperiatur, a nobis vel a Sede prædicta, aut pro tempore illius majori Pœnitentiario, etiam motu proprio, & cujuſvis etiam Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, ac Comitum & utriuſque ſexus perſonarum intuitu vel contemplatione, ſub quorumcumque verborum forma quomodocumque pro tempore emanatæ ſeu impetratæ, eis præſentatæ fuerint, ac etiamſi bene recteque impetratæ eſſent, in foro conſcientiæ dumtaxat, non in foro contentioſo, nec contra Religionis conſuetudinem valere, ſed eas tamquam ſubreptitias & obreptitias, ac intentionis defectui ſubjacentes, cum omnibus inde ſecutis, nullas & invalidas fuiſſe & eſſe, illaſque eiſdem impetrantibus nullatenus ſuffragari debere, Apoſtolica auctoritate declarent; ipſoſque Fratres & Moniales, quos falſo impetraſſe, aut litteris ſibi, ut præfertur, conceſſis contra tenorem præſentium uti repererint, ablatis ab eis etiam violenter dictis litteris, capi, & ad domos & Monaſteria propria redire omnino manu executiva cogant; alioquin cauſis hujuſmodi veris & comprobatis exiſtentibus, illarum impetratores cum eiſdem ſuis litteris a gremio dicti Ordinis ejiciant, etiam quatenus ipſi Fratres & Moniales, retento habitu, extra obedientiam Superiorum dicti Ordinis vivere malint, ut alium prorſus a dicto Ordine diſtinctum habitum, diverſorum ſcilicet colorum, ceſuræ, longitudinis & latitudinis, ſub excommunicationis majoris latæ ſententiæ pœna, quam Nos ex nunc, prout ex tunc, & e contra in eos & ipſorum ſingulos, tamquam in apoſtatas ab habitu, ſi contrafecerint, auctoritate & tenore præmiſſis ferimus & promulgamus, tam extra quam intra domum, & publice deferre teneantur & deferant, eadem auctoritate ſtatuant & ordinent.

III. Et inſuper univerſis & ſingulis utriuſque ſexus tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus perſonis, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtentibus, ne abſque conſenſu Guardianorum, Miniſtrorum, & ipſis mortuis vel amotis, Vicariorum hujuſmodi provinciarum reſpective, prætextu aliquarum litterarum Apoſtolicarum, in Monaſteriis Monialium dicti Ordinis, etiam de licentia illius pro tempore Abbatiſſæ, & Monialium conſenſu etiam conventualiter præſtito, intrare audeant, aut per ipſam pro tempore Abbatiſſam & Conventum nullatenus recipi vel admitti poſſint, ſub excommunicationis, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis eorum arbitrio imponendis, quas contrafacientes eo ipſo, non expectata alia declaratione aut conſultatione noſtris, incurrere volumus, diſtrictius inhibendo mandent. Decernentes præſentes litteras ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, reſtrictionibus & modificationibus gratiarum, utriuſque ſexus Religioſis & ſecularibus perſonis hactenus conceſſarum, & in poſterum concedendarum nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties emanaverint, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas & plenarie reintegratas fuiſſe & eſſe, & in dictis gratiis, præterquam quoad forum conſcientiæ, ſalvis præſentibus, & de licentia Superiorum petita & obtenta, etiamſi expreſſe non apponatur, clauſulas ſubintelligi, & illis carentes nullas nulliuſque roboris vel momenti exiſtere. Inhi-

bentes diſtrictius locorum Ordinariis ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, & ſuſpenſionis a regimine & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, & illa & alia in poſterum obtinendis eo ipſo per eos, qui contrafecerint incurrendis, ne Miniſtros, Commiſſarium, ceteroſque Prælatos prædictos, quominus Fratres dicti Ordinis ſub indultorum, exemptionis, ac gratiarum aliarum Apoſtolicarum prædictarum ſpecie extra domos & obedientiam dictorum Superiorum vagantes, juxta tenorem præſentium capere & apprehendere etiam violenter, illoſque ad domos & loca, unde receſſerint, reducere & carceribus mancipare poſſint: volentes & mandantes, ne quovis modo per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte impedire præſumant, nec quemcumque talium ad exercitium curæ animarum Parochialium ſuorum, & adminiſtrationem Sacramentorum ſolis Curatis ſpectantium, abſque eo quod illis de licentia prædicta legitime conſtiterit, admittant, nec eoſdem Fratres exemptos de cetero in diſtrictu parochialium ſuarum ſuperpelliceum ſuper habitu ipſorum geſtare permittant: Necnon mandantes pro tempore exiſtenti almæ Urbis noſtræ in ſpiritualibus Vicario, & quibuſvis aliis Curiæ prædictæ Ordinariis, ac omnibus & ſingulis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, aut Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Eccleſiæ Canonicis, & Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ut quoties pro parte alicujus Guardiani, Miniſtri, aut Præſidentis, ſive Procuratoris alicujus Conventus, domorum dictarum Provinciarum & Ordinis, reſpective deſuper requiſiti fuerint, nemini deferentes ſeu indulgentes, præſentes litteras, ubi & quando opus fuerit, publicantes, & in eis præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant præſentes litteras, & in eis contenta ſub prædictis ſententiis, cenſuris & pœnis, non obſtantibus litteris contra tenorem præſentium impetratis, firmiter ab omnibus ac inviolabiliter obſervari: contradictores &c. invocato &c. Non obſtantibus præmiſſis ac Apoſtolicis, necnon in provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volentes & decernentes, quod hujuſmodi ſtatuto & voluntati nullatenus derogari poſſit, præterquam ſi præſentes de verbo ad verbum inſertæ fuerint, proceſſuſque, ſi qui facti ſunt vel fient in poſterum ſuper litteris a Fratribus hujuſmodi obtentis & obtinendis, in quibus dictis Superioribus, aut quibuſcumque aliis ſub quibuſvis excommunicationis latæ ſententiæ pœnis præcipiatur, ne contra eorum tenorem Fratres ipſos inquietare præſumant, ſi contra tenorem præſentium fecerint, nullius eſſe & fore roboris vel momenti, & eos, qui juxta earumdem præſentium tenorem, Fratres ipſos ad Ordinem & diſciplinam revocant, & revocare curaverint, hujuſmodi ſententiis, cenſuris & pœnis non ligari. Ne igitur tantæ peſtis morbus in Eccleſia undique pullulet, hoc noſtrum decretum facimus præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturum. Harum autem &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xxvi. Julii mdxxxiii. Pontificatus noſtri anno x.

XXXVIII.

Eximit Fratres & Sorores eis ſubditas a ſolvendis decimis aliiſque impoſitionibus. Ex reg. Ultram. fol. 84.

Venerabili fratri Epiſcopo Wigornien. Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, & dilectis filiis Archidiacono Eccleſiæ Conchen. ac Hiſpalen. Officiali, & eorum cuilibet.

§. I. EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Leonardus Publicius Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum Vicarius Generalis, quod, licet ſel. rec. Sixtus IV. primo, & deinde Julius II. ac ſucceſſive Leo X. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, omnes & ſingulas domos Fratrum dicti Ordinis, & ſub eorum cura degentium Monialium Monaſteria, ipſoſque Fratres & Moniales, necnon illorum colonos, laboratores & Tertiarios a ſolutione quarumcumque decimarum, quartarum, portionum nuncupatarum, & aliarum impoſitionum, ac ſubſidiorum quorumcumque quacumque auctoritate pro tempore impoſitorum, per ſuas litteras prorſus exemerint, ac Nos litteras Sixti prædeceſſoris hujuſmodi ad ſupplicationem dilecti filii noſtri Franciſci tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem Presbyteri Cardinalis, tunc in minoribus conſtituti, Miniſtri Generalis dicti Ordinis exiſtentis, approbantes & confirmantes, eas inviolabiliter obſervari mandaverimus, Fratreſque & Moniales prædictæ in pacifica poſſeſſione vel quaſi dictæ exemptionis ſemper fuerint, & ſint etiam de præſenti: Nihilominus nonnulli decimarum, impoſitionum, quartarum, portionum, & ſubſidiorum prædictorum collectores ſeu ſubcollectores vel exactores, ipſas decimas, ſubſidia, quartas, portiones & impoſitiones a domibus, Monaſteriis, colonis, laboratoribus & Tertiariis prædictis contra exemptionum prædictarum continentiam exigere & extorquere, ipſoſque Fratres, Moniales, colonos, laboratores & Tertiarios coram diverſis judicibus deſuper moleſtare nituntur, in maximam perturbationem quietis & tranquillitatis Fratrum & Monialium prædictarum. Quare præfatus Leonardus Vicarius nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur volentes dictorum Fratrum & Monialium quieti conſulere, vobis per præſentes committimus & mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum eiſdem Fratribus & Monialibus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciatis eos, necnon colonos, laboratores & Tertiarios prædictos exemptionem hujuſmodi, in cujus poſſeſſione vel quaſi pacifica exiſtunt, juxta litterarum prædictarum continentiam & tenorem pacifice frui & gaudere, non permittentes eos per dictos collectores, ſubcollectores & exactores, ſeu quoſcumque alios ab Apoſtolica Sede ſpecialem ſuper hoc commiſſionem ſeu facultatem cum expreſſa exemptionum prædictarum derogatione, non habentes, deſuper quomodolibet moleſtari, impediri vel perturbari: contradictores &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXIII. Junii MDXXXIV. Pontificatus noſtri anno XI.

XXXIX.

Jubet ne Inquiſitores in Fratres Minores inquirant. Ex Reg. Ultram. fol. 85.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Accepimus, quod alias ſel. rec. Leoni Papæ X. prædeceſſori noſtro pro parte tunc exiſtentis Miniſtri & Vicarii Generalium Ordinis Fratrum Minorum, expoſito, quod licet juxta ſanctæ mem. Clementis IV. & Sixti etiam IV. & Innocentii VIII. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum ordinationes & decreta, Inquiſitores hæreticæ pravitatis, quacumque etiam Apoſtolica auctoritate, & ubilibet deputati, contra Fratres dicti Ordinis ſuper hæreſis & apoſtaſiæ criminibus inquirere, cognoſcere, ſeu quomodolibet procedere non poſſent: Nihilominus nonnulli ex Inquiſitoribus prædictis contra dictos Fratres, ſuper dictis criminibus inquirere teſteſque deſuper recipere, & proceſſus formare nitebantur: Idem Leo prædeceſſor ad ſupplicationem Miniſtri & Vicarii prædictorum, Inquiſitoribus prædictis ſub certis tunc expreſſis pœnis, per ſuas litteras præcepit & mandavit, ne de cetero contra dictos Fratres ſuper præmiſſis inquirere vel procedere, ſeu deſuper quomodolibet ſe intromittere audeſcent, prout in litteris prædictis plenius dicitur contineri.

§. II. Cum autem, ſicut nuper ex multorum querelis accepimus, adhuc aliqui ex dictis Inquiſitoribus contra ordines, decreta & litteras prædictas adverſus eoſdem Fratres ſuper dictis criminibus inquirere, in maximam ipſorum Fratrum perturbationem & ſcandalum nitantur: Nos quieti eorumdem Fratrum, ac alias in præmiſſis opportune providere volentes, univerſis & ſingulis Inquiſitoribus prædictis ubilibet conſtitutis & deputatis, & quacumque auctoritate vel facultate fungentibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium præcipimus & mandamus, quatenus quotieſcunque aliquos ex dictis Fratribus de hujuſmodi criminibus ſuſpectos, ipſis Inquiſitoribus nunciari contigerit vel deferri, eos ad dicti Ordinis Superiores, ut per eos puniantur & caſtigentur, remittant. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXIII. Junii MDXXXIV. Pontificatus noſtri anno XI.

PAULUS III.

Electus die III. *Octobris* MDXXXIV. *coronatus die* II. *Novembris.*

Anno Christi 1534. Pauli III. anno 1.

I.

Confirmat Fratribus de Obſervantia pleraque privilegia a Leone X. conceſſa. Ex Regeſt. Ciſm. fol. 119.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dum fructus uberes, quos Ordo ſacer dilectorum filiorum Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ &c. Hinc eſt quod Nos litteras ſel. record. Leonis Papæ X. prædeceſſoris noſtri Bullam *Unionis* nuncupatam, ac

ac *In vinea Domini* incipientem, ac omnia & ſingula privilegia, immunitates, exemptiones etiam ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ac decimis, & quartis portionibus canonicis, necnon indulta & gratias, ac litteras contra apoſtatas, & alias quomodolibet Minorum præfato, & ſanctæ Claræ, ac Tertio, de Pœnitentia nuncupato, Ordinibus, illorumque Fratribus, Monialibus, Sororibus, & utriuſque ſexus perſonis, ac Monaſteriis, domibus, Eccleſiis, & locis quibuſcumque, etiam per modum extenſionis & communicationis, ac etiam alias quomodolibet per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem Apoſtolicam quomodolibet conceſſa; quatenus in uſu & viridi ſint obſervantia, motu proprio, & ex certa ſcientia, Apoſtolica auctoritate per præſentes approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere & inviolabiliter obſervari debere, & Inquiſitores hæreticæ pravitatis de Fratribus vel Sororibus, aut Monialibus dictorum Ordinum, etiam ratione cujuſvis hæreſis ſe intromittere nullatenus poſſe, & ſi contra fecerint, pœnas in litteris piæ memoriæ Clementis Papæ VII. etiam prædeceſſoris noſtri contentas, juxta earumdem litterarum tenorem incurrere, ac Ordines præfatos per eorumdem Prælatos ordinarios viſitari, regi & corrigi debere, ac de viſitatione, regimine & correctione hujuſmodi, vel de ipſis Fratribus laicum vel ſæcularem aliquem, etiamſi imperiali, regia, ducali, aut alia quavis mundana dignitate præfulgeat, & quavis auctoritate fungatur, ſe directe vel indirecte quovis quæſito colore intromittere nullatenus poſſe: Et ſic per quoſcumque tam ordinaria, quam delegata & mixta auctoritate fungentes judices & perſonas, ubique judicari, cognoſci ac decidi debere, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, cognoſcendi ac decidendi facultate, necnon irritum &c. Et nihilominus venerabilibus fratribus Wigornien. Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, ac Burgen. & Parien. Epiſcopis per hæc ſcripta mandamus, quatenus ipſi &c. auctoritate noſtra faciant præſentes litteras & in eis contenta quæcumque plenum effectum ſortiri, illiſque omnes & ſingulos, quos concernunt, pacifice frui & gaudere, nec permittant quemquam contra tenorem præſentium quomodolibet moleſtari, impediri aut inquietari: contradictores &c. invocato &c. Non obſtantibus ſanctæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri &c. aliiſque Apoſtolicis, & provincialibus, capitularibus, generalibus & ſpecialibus conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die VIII. Novembris MDXXXIV. Pontificatus noſtri anno I.

Anno Christi 1535. Paoli III. anno 1. & 2.

II.

Confirmat eis omnia privilegia immunitatum & exemptionum ab aliis Pontificibus conceſſa. Reg. Ciſm. fol. 87.

Dilectis filiis Fratribus & Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupatis, per Italiam conſiſtentibus.

§. 1. Devotionis veſtræ ſinceritas &c. Exponi nobis nuper feciſtis, quod alias pro parte tunc exiſtentium Fratrum & Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupatorum, per Italiam conſiſtentium, ſel. rec. Sixto Papæ IV. prædeceſſori noſtro expoſito, quod licet plures Romani Pontifices Ordini ac Fratribus & Sororibus ejuſdem Or-

Ordinis diverſa pro eorum immunitatibus conceſſerint privilegia, ac quod illis tamquam perſonæ Eccleſiaſticæ & Religioſæ frui & gaudere debuiſſent: nihilominus Communitates Civitatum, Poteſtates, aliique Officiales locorum Italiæ in dies nova eis tam in rebus, quam in bonis indicebant gravamina: Et propterea idem Sixtus prædeceſſor per ſuas ſub plumbo expeditas litteras Communitatibus, Poteſtatibus & Officialibus præfatis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo ſi contrafacerent, incurrenda, ne eiſdem Fratribus & Sororibus gravamina aliqua indicerent, aut ipſos Fratres & Sorores quominus gauderent privilegiis & immunitatibus tam fori, quam perſonæ, & rerum, ſicut aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, quomodolibet impedirent, inhibuit: mandans univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, quatenus eis in præmiſſis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permitterent aliquem contra ipſius inhibitionis tenorem quomodolibet moleſtari: Contradictores auctoritate Apoſtolica, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; prout in litteris ejuſdem Sixti prædeceſſoris noſtri plenius dicitur contineri. Et, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, vos deſideratis litteras Sixti prædeceſſoris hujuſmodi pro illarum ſubſiſtentia firmiori, per Nos confirmari & approbari. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos gratioſo favore vos proſequi volentes, litterarum prædictarum, ac ſcripturarum & inſtrumentorum quorumcumque ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis forſan confectorum tenores, continentias & formas præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præmiſſa, ac prout illa concernunt, omnia & ſingula in eis contenta, quatenus ſint in uſu, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus & approbamus, ac eis robur perpetuæ firmitatis adjicimus, & inviolabiliter obſervari debere decernimus, ſupplentes omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XXIV. Maii MDXXXV. Pontificatus noſtri anno I.

III.

Ut admittant Conventum unum in Urbe Fori-Julii, & alterum in oppido de Oriolis. Regeſt. Ultramon. fol. 89.

Dilectis filiis Miniſtro Provinciali & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, Provinciæ ſancti Ludovici, ſecundum morem ejuſdem Ordinis.

§. I. Exponi nobis nuper feciſtis, quod Communitas Civitatis Foro-Julii, & Univerſitas oppidi de Oriolis, Tholonen. diœceſis, pro eorum erga vos & Ordinem veſtrum devotione, ad Dei laudem ac Religionis propagationem, terrena in cœleſtia felici commercio commutare ſatagentes, duas domos, unam videlicet ſub ſanctæ Mariæ de Angelis, & aliam ſub invocatione ſancti Franciſci in Civitate & oppido prædictis, ad imitationem & exemplar domus ſeu Conventus ſanctæ Catarinæ dicti Ordinis iſtius Provinciæ, ædificare intendunt: proinde nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis prædictas domos pro conſtruendis in eis duobus Conventibus ſub præfatis titulis, & in quibus Fratres veſtri Ordinis morentur, reci-

recipiendi liceotiam concedere, aliaſque io præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus incrementum noſtris potiſſimum temporibus ubique fieri cupimus, & votis fidelium, ex quibus præcipue ſpiritualibus profectibus Altiſſimo famulantium, & ſalutaribus populorum fructibus conſulitur, libenter anouimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis domos præfatas, juxta conceſſionem vobis per Communitatem & Univerſitatem præfatas faciendam, recipiendi, ac inibi Conventus cum Eccleſiis ſub iiſdem titulis, Altaribus, humilibus campanilibus, campanis, cœmeteriis, domibus, clauſtris, dormitoriis, necnon hortis & hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordiois veſtri cooſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, auctoritate Apoſtolica per præſentes licentiam concedimus & elargimur. Nos enim Conventibus prædictis, poſtquam erecti fuerint, ac Fratribus in eis pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, indultis, exemptionibus, immunitatibus & indulgentiis, aliis eorum Ordinis & Obſervantiæ domibus ſeu Conventibus per Sedem Apoſtolicam io genere hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, ſine alicujus præjudicio, ſimiliter licentiam concedimus & impertimur. Quocirca moderno & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Gracenſi, ſeu ejus officiali per eaſdem præſentes committimus & mandamus, quatenus Fratribus in dictis domibus ſeu Conventibus pro tempore degentibus, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant præſentes litteras & io eis contenta quæcumque inviolabiliter obſervari, non permittentes contra præſentium litterarum tenorem quomodolibet moleſtari vel turbari: contradictores &c. invocato &c. Noo obſtantibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die IX. Auguſti Pontificatus noſtri anno I.

IV.

Committit eis omnimodam viſitationem & reformationem Monaſteriorum Monialium ſibi ſubjectarum. Ex Regeſt. Ciſmon. fol. 71.

Dilecto filio Miniſtro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ ſancti Antonii, juxta morem ejuſdem Ordinis.

§. I. EXponi nobis ouper ſecit dilectus filius Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, quod licet Monaſteria Monialium & Sororum Ordinis ſanctæ Claræ tam primæ, quam ſecundæ aut tertiæ Regularum, de Obſervantia nuncupatarum, Miniſtris Provinciarum, in quibus Monaſteria ipſa conſiſtunt, dicti Ordinis Fratrum Minorum pleno jure ſubſint, ipſique Miniſtri Provinciales per ſe vel per alium ſeu alios Monaſteria hujuſmodi & illorum perſonas temporibus debitis viſitent & reforment, et quæ circa viſitationis et reformationis hujuſmodi officium facienda occurrerint, diligenter faciant et exequaotur: Nihilominus, cum Nos nuper venerabili fratri noſtro Patriarchæ, et dilecto filio Primicerio Venetiarum per alias ooſtras in forma Brevis litteras commiſerimus et mandaverimus, ut ad ulteriorem et totalem executiooem certarum aliarum etiam in forma Brevis litterarum, dudum per fel. record. Leonem Papam X. prædeceſſorem noſtrum ſuper reformatione nonnullorum

rum tunc expreſſorum Monaſteriorum Monialium Civitatis Venetiarum, & forſan partium illi circumvicinarum, inter quæ ſupradicta Monaſteria de Obſervantia non comprehenduntur, reformatione tunc indigentium emanatarum procedere, & nonnulla alia tunc expreſſa facere procurent; a nonnullis aſſeritur Abbatiſſas & Moniales ſeu Sorores Monaſteriorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ Provinciæ ſancti Antonii, juxta morem ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum, ſub eiſdem litteris noſtris comprehendi, in maximam earumdem Abbatiſſarum & Monialium ſeu Sororum animarum trepidationem. Quare idem Miniſter Generalis cupiens ex ſui Generalis Miniſterii officii debito præfatarum Abbatiſſarum & Monialium ſeu Sororum quieti & tranquillitati conſulere, nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui ſingulos fideles, & præſertim perſonas Religionis jugo ſtrictas, ad debitam reformationis normam, attamen quod per hoc eis trepidandi materia non tribuatur, reduci ſinceris deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, volumus et Apoſtolica auctoritate decernimus, quod, ſi ita ſit, & Monaſteria de Obſervantia prædicta, & eorum perſonæ reformatione indigeant, id per vos, ut conſuevit, fiat. Diſtrictius inhibentes eiſdem Patriarchæ & Primicerio, ne litterarum prædictarum vigore contra Abbatiſſas & Moniales ſeu Sorores de Obſervantia hujuſmodi quidquam attentare ſeu innovare præſumant. Ac decernentes ex nunc irritum & inane &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ &c. die XVII. Novembris MDXXXV. Pontificatus noſtri anno II.

V.

Concedit facultatem admittendi duo Hoſpitia. Ibid. fol. 71.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus Domus ſancti Franciſci Montis Alvernæ, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, Burgi ſancti Sepulcri diœceſis.

§. I. CUm, ſicut nobis nuper exponi feciſtis, nonnulli Chriſtifideles incolæ Burgiſtratæ, Feſulanæ diœceſis, ac loci Anglariæ, Aretinæ diœceſis, pro ſua erga vos & Ordinem veſtrum devotione, necnon veſtris commodo & quiete, & ad Dei laudem, ac Religionis propagationem, quamdam domum ac terras in eiſdem locis exiſtentes, necnon omne id & totum, quod infra certos confines expreſſos continetur, vobis pro duobus hoſpitiis cum hortis, & aliis officinis ad perpetuum uſum & habitationem Fratrum domus veſtræ ſancti Franciſci Montis Alvernæ, Ordinis Minorum Obſervantiæ, & Burgi ſancti Sepulcri diœceſis, pro tempore exiſtentium neceſſariis, inibi conſtruendis, conceſſerint & donaverint; Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut donationibus & conceſſionibus hujuſmodi pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationes & conceſſiones prædictas, ac prout illas concernunt, omnia & ſingula in dictis inſtrumentis contenta, & inde ſecuta quæcumque, Apoſtolica auctoritate, ſine alicujus præjudicio, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan

ſan intervenerint in eiſdem: voſque ab omnibus & ſingulis cenſuris & pœnis, ex eo quod domus & alia prædicta forſan acceptaſtis, abſolventes, ac vobis domum donatam hujuſmodi cum tenimentis, terris, & aliis recipiendi, & inibi duo Hoſpitia cum capellis, ſeu Oratoriis, humilibus campanilibus, hortis & aliis officinis neceſſariis pro uſu & habitatione Fratrum dictæ domus ſancti Franciſci Montis Alvernæ ad inſtar aliorum Hoſpitiorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ſine alicujus præjudicio conſtruendi, ſeu conſtrui faciendi, ac illa perpetuo inhabitandi, necnon inibi Miſſas & alia Divina officia, ac alia animarum ſalutem concernentia, prout per Guardianum dictæ domus Montis Alvernæ pro tempore exiſtentem ordinatum fuerit, celebrandi, licentiam auctoritate & tenore prædictis concedimus. Et nihilominus dictis Hoſpitiis & Fratribus in ipſis pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indultis & indulgentiis, domibus & aliis Hoſpitiis eorumdem Ordinis & Obſervantiæ per Sedem Apoſtolicam, & alias quomodolibet conceſſis uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint, jure tamen Parochialium Eccleſiarum, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, indulgemus. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xvii. Novembris mdxxxv. Pontificatus noſtri anno ii.

VI.

Ut admittant Hoſpitium in oppido Rupis, Theatinæ diœceſis. Ibid. fol. 72.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, Regularis Obſervantiæ nuncupatorum, Provinciæ ſancti Bernardini juxta morem dicti Ordinis.

§. I. EXponi nobis nuper feciſtis, quod dilectus filius Stephanus Seraphinus de Rupe, presbyter Theatinæ diœceſis, pro ſua erga vos & Ordinem veſtrum devotione, & ad Dei laudem, & Religionis propagationem, quoddam Oratorium in dicto loco Rupis ejuſdem Theatinæ diœceſis, per eum tam ex bonis propriis, quam aliorum Chriſtifidelium piis eleemoſynis conſtructum, & ad eum legitime ſpectans, cum domo quadam & terra eidem Oratorio adhærentibus, necnon id & totum, quod infra certos confines expreſſos continetur, ſimiliter ad eum ſpectans, vobis pro hoſpitandis Fratribus dicti Ordinis veſtri concedere ac donare proponit, ſi ad id Sedis Apoſtolicæ licentia accedat. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut votis veſtris in hac parte annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religioni deditis, præſertim ſub Regulari Obſervantia, ſtudio piæ vitæ vacantibus, Apoſtolici favoris præſidium libenter impendimus, veſtris commoditati & quieti ſuper his favorabiliter conſulere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis Oratorium prædictum cum domo, terra, ceteriſque juribus & pertinentiis ſuis, quatenus ad dictum Seraphinum legitime ſpectent, pro eiſdem Fratribus veſtris hoſpitandis recipiendi, & in loco illo domum cum Altari, humili campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio aliiſque neceſſariis officinis, necnon hortis & hortalitiis pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis veſtri erigendi, ac perpetuo retinendi, ſine alicujus præjudicio, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur:

mur: & nihilominus dictæ domui, poſtquam erecta fuerit, & Fratribus in ea pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, immunitatibus, indultis & indulgentiis, domibus eorumdem dicti Ordinis & Obſervantiæ per Sedem Apoſtolicam in genere conceſſis uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint, jure tamen Eccleſiarum Parochialium, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, indulgemus: non obſtantibus &c.

Datum &c. XXVI. Novembris, Pontificatus anno II.

VII.

Concedit eis licentiam admittendi Hoſpitium in Terra Baſtericæ in Corſica. Ibid. fol. 71.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ Corſicæ juxta morem dicti Ordinis.

§. I. CUm, ſicut nobis nuper exponi feciſti, nonnulli Chriſtifideles terræ Baſtericæ incolæ, inſulæ Corſicæ, Adjacen. diœceſis, alias pro ſua erga vos & Ordinem veſtrum devotione, quoddam Oratorium ſub titulo ſanctiſſimæ Trinitatis, in dicto loco per eos tam ex bonis propriis, quam aliorum Chriſtifidelium piis eleemoſynis conſtructum, pro veſtris hoſpitandis Fratribus de Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, vobis commodaverint, cupiantque modo propter uberes animarum fructus, quos ex veſtra exemplari vita, & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperant, Oratorium huiuſmodi pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum veſtrorum ſuis expenſis in Conventum erigere, nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut hujuſmodi eorum piæ petitioni annuere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus incrementum noſtris potiſſimum temporibus ubique propagari cupimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis Oratorium ipſum pro eorumdem Fratrum veſtrorum perpetuis, ut præmittitur, uſu & habitatione in Conventum cum Eccleſia, humili campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis erigendi & ædificandi, ſeu conſtrui, erigi & ædificari faciendi, ſine alicujus præjudicio, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus: & nihilominus domui prædictæ, Fratribuſque in ea pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, immunitatibus, indultis & indulgentiis, Ordini & Obſervantiæ prædictæ, ejuſque domibus & Conventibus hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, jure tamen Parochialium Eccleſiarum, & cujuslibes alterius in omnibus ſemper ſalvo, indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. et quibuſvis aliis conſtitutionibus et ordinationibns Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die III. Decembris MDXXXV. Pontificatus noſtri anno II.

VIII.

VIII.

Eas eximit ab omni exactionum genere. Ibid. fol. 74.

Dilectis in Christo filiabus Monialibus Monasterii sancti Claudii Fulginat. Ordinis sanctæ Clarę, de Observantia nuncupatis.

§. I. CUm, sicut nobis nuper exponi fecistis, dilecti filii Priores, Gubernatores, Potestates, Thesaurarii, Datiarii, & alii Officiales Civitatis nostræ Fulginat. nequaquam consideratis paupertate, necessitate, & eminenti indigentia vestris, vobis sub clausura degentibus diversa datia, gabellas et impositiones, ac alia onera sive gravamina in vestrum & dicti Monasterii maximum præjudicium imponunt, & a vobis exigere non verentur: Nobis humiliter supplicari fecistis, ut vobis in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. vestris in hac parte supplicationibus inclinati, Monasterium vestrum, et vos ac in eodem Monasterio pro tempore degentes Moniales, et vestrum quamlibet ab omnibus & singulis datiis, gabellis, impositionibus, et quibuscumque aliis tam ordinariis, quam extraordinariis oneribus, per Priores, Potestates & Officiales, ac alios præfatos quoscumque, quavis auctoritate sive præeminentia, aut quavis alia, etiam Pontificali, aut mundana, sive alia majori dignitate fungentes, quomodolibet tam in genere, quam in specie hactenus impositis, et deinceps imponendis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, eximimus, exoneramus et perpetuo liberamus: ita quod in posterum vos aut aliqua vestrum ad illorum quavis auctoritate impositorum solutionem sive exhibitionem minime teneamini, sed ab illis liberæ, immunes et exemptæ, prout aliorum dictæ Civitatis Monasteriorum ejusdem Ordinis Moniales exemptæ remanent, remanere debeatis.

§. III. Et nihilominus, ut decentius substentari valeatis, vobis & cuilibet vestrum, ut quascumque eleemosynas, & pia dona in quibuscumque locis, & per quascumque personas vobis pro tempore concessas & concessa, sive concedendas & concedenda, una cum aliis omnibus rebus, etiamsi triticum, aut alia grana fuerint, quas ad vestros necessarios usus comparandas duxeritis, ex quibuscumque Civitatibus, terris & locis, annonæ, grassiæ, nuncupatæ, aut aliis dictarum Civitatum & terrarum statutis & consuetudinibus non obstantibus, extrahere & adducere, seu extrahi & adduci facere libere & licite possitis, auctoritate & tenore prædictis indulgemus, plenamque & liberam super hoc licentiam & facultatem concedimus. Mandantes propterea universis & singulis tam dictæ Fulginat. quam quarumcumque aliarum Civitatum, terrarum, & locorum S. R. E. subditorum Gubernatoribus, Potestatibus, & eorum Locatenentibus, necnon Barisellis, Marescallis, & aliis Officialibus, quocumque nomine nuncupatis, ac Prioribus, Communitatibus, Universitatibus, ac personis tam secularibus, quam Ecclesiasticis, necnon Gabellariis, Datiariis, Passageriis, Portitoribus, & aliis quibuscumque, ac exactionum & gabellarum Præpositis nunc & pro tempore existentibus, sub excommuuicationis per singulares personas, & quingentorum ducatorum auri Cameræ Apostolicæ applicandorum per contrafacientes quoslibet eo ipso incurrendis pœnis, ne vos aut famulos vel Ministros vestros, seu quascumque alias personas empta per vos, seu vobis donata, aut pro eleemosynis erogata, ad usum advehentes, quovis prætextu desuper quomodolibet molestare, in-

quietare aut perturbare præſumant: quinimo vos conceſſione & exemptione ac aliis præmiſſis pacifice uti, frui & gaudere faciant & permittant, ac vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtant, non permittentes vos a quibuſvis deſuper quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores &c. invocato &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Malliani Portuen. diœceſis ſub anulo Piſcatoris, die XIV. Maii MDXXXVI. Pontificatus noſtri anno II.

IX.

Ut conſtruere poſſint Conventum in loco Colognolæ, Feſulanæ diœceſis. Ibid. fol. 72.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Provinciæ Florent. Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, juxta morem dicti Ordinis.

§. I. EXponi nobis nuper feciſtis, quod dilecta in Chriſto filia Conſtantia Antonii, uxor olim Franciſci de Caſa veteri, mulier Florentinæ diœceſis, pro ſua erga vos & Ordinem veſtrum devotione, & ad Dei laudem & Religionis propagationem, terrena in cœleſtia felici commercio commutare ſatagens, quaſdam domos & terras, cum quibuſdam hortis & ſilvis poſitas in loco dicto Colognolæ, Feſulanæ diœceſis, ad eam legitime ſpectantes, vobis pro conſtructione unius domus ſub invocatione & titulo *Annuntiatæ* pro perpetuis uſu & habitatione veſtris donare intendit, ſi ad id Sedis Apoſtolicæ licentia accedat. Proinde nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis domum ac terras prædictas cum hortis & ſilvis pro hujuſmodi domus conſtructione recipiendi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur qui &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis domum & terras prædictas cum hortis & ſilvis, ceteriſque juribus & pertinentiis ſuis, quatenus ad dictam Conſtantiam legitime ſpectent, recipiendi, ac inibi domum cum Eccleſia, ſub eodem titulo, Altaribus, humili campanili, campana, cœmeterio, clauſtris, dormitorio, aliiſque officinis, necnon hortis & hortalitiis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis veſtri conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi ſine alicujus præjudicio, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur. Et nihilominus domui prædictæ, poſtquam erecta fuerit, ac Fratribus in ea pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, indultis & exemptionibus, immunitatibus & indulgentiis, aliis eorumdem Ordinis & Obſervantiæ domibus per Sedem Apoſtolicam in genere hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, jure tamen Parochialium Eccleſiarum, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIX. Januarii MDXXXVI. Pontificatus noſtri anno II.

X.

Ut removeatur ab Eccleſia Obſervantum capſa pecuniaria. Ex Reg. Ciſm. fol. 75.

Dilecto filio Vicario venerabilis fratris Epiſcopi Civitatis Aprutinæ in ſpiritualibus generali.

§. I. EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Guardianus & Fratres domus ſanctæ Mariæ Gratiarum extra & prope muros Civitatis Aprutinæ, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, quod alias fel. rec. Clemens Papa VII. prædeceſſor noſter, ad quorumdam inſtantiam per quaſdam litteras ſuas in forma Brevis ſtatuit & ordinavit, quod in Eccleſia dictæ eorum domus ſanctæ Mariæ Gratiarum de cetero capſa una in perpetuum conſtitueretur, in qua eleemoſynæ pecuniariæ a Chriſtifidelibus ibi porrigendæ, deponerentur, quarum una portio eiſdem Fratribus pro uſibus & neceſſitatibus ſuis diſtribueretur, reſiduum vero in fabricam dictæ domus, aut in paramenta & ornamenta ipſius Eccleſiæ converti deberet; prout in eiſdem deſuper confectis litteris plenius continetur dicitur.

§. II. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ex eo quod in regularibus ſtatutis dicti Ordinis expreſſe cavetur, quod in eorum Eccleſiis capſæ pro colligendis eleemoſyois nullo modo teneri poſſint, multaque exinde jurgia inter dictos Fratres, & ipſius Civitatis incolas in dies exoriantur, pro ipſorum Fratrum parte nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui &c. Tibi per præſentes committimus & mandamus, quatenus, ſi ita ſit, capſam illam dictorum Fratrum ſtatui ac profeſſioni penitus repugnantem, ex eadem eorum Eccleſia amoveri facias. Contradictores &c. Invocato ad hoc &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ &c. die xxx. Martii MDXXXVI. Pontificatus noſtri anno II.

XI.

Confirmat litteras aliorum Pontificum circa adminiſtrationem liberam Sacramenti Pœnitentiæ & Euchariſtiæ a Fratribus faciendam. Ibid. fol. 73.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. ROmanum Pontificem decet &c. Cum itaque, ſicut accepimus, alias fel. rec. Nicolaus V. & Sixtus IV. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, quod illi, qui Fratribus Minoribus confeſſoribus pro tempore deputatis peccata ſua confiterentur, Euchariſtiæ Sacramentum ab ipſis Fratribus quandocumque, præterquam dumtaxat in die Paſchatis Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, recipere poſſent, per eorum litteras ordinaverint: & dilectus filius Miniſter Generalis dicti Ordinis, Chriſtifidelium animarum ſalutem exoptans, nobis humiliter ſupplicari fecerit, ut ordinationem hujuſmodi confirmare de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos qui &c. dicti Miniſtri in hac parte ſupplicationibus inclinati, ordinationem prædictam, ac prout eam concernunt, omnia & ſingula in ea eunteota, auctoritate Apoſtolica per præſentes approbamus & confirmamus:

vo-

volentes ut omnes Chriſtifideles, qui Sacramentum prædictum ab eorum Paſtore in die Paſchatis Reſurrectionis acceperint, id aliis anni temporibus a dictis Fratribus quandocumque accipere poſſint. Mandantes dilectis filiis Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori in Urbe, & Locumtenenti Auditoris ejuſdem Cameræ in Civitate noſtra Avenionen. reſidenti, quatenus ipſi vel unus eorum per ſe vel alium ſeu alios auctoritate noſtra faciant præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque plenum effectum ſortiri: Contradictores &c. Invocato &c. Non obſtantibus &c. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVII. Auguſti MDXXXVI. Pontificatus noſtri anno II.

Anno Christi 1537. Pauli III. anno 3. & 4.

XII.

Concedit eis Monaſterium ſanctæ Claræ urbis Maſſanæ. Reg. Ciſm. fol. 77.

Dilectis in Chriſto filiabus Miniſtræ & Monialibus Monaſterii Caſtriveteris Senenſis, Ordinis ſanctæ Claræ, earumque Congregationi ſub cura Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ.

CUm, ſicut nobis exponi feciſtis, Communitas Civitatis Maſſanæ Monaſterium ſanctæ Claræ in dicta Civitate exiſtens, cujus ipſa Communitas patrona exiſtit, & curam ex Apoſtolica diſpenſatione gerit, una cum quibuſdam ſuis terris & poſſeſſionibus, ob ſingularem, quem ad Moniales Ordinis ſanctæ Claræ propter illam exemplarem vitam, ac honeſtum vivendi modum, gerit devotionis affectum, ſummopere deſideret ad Religionis propagationem pro uſu & habitatione Monialium veſtrarum dare, & in illud vos introducere; & propterea nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut Monaſterium ſanctæ Claræ prædictum, ad dictum effectum recipiendi vobis licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos his, quæ ad Divini cultus augmentum tendere dignoſcuntur, facilem præbentes aſſenſum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut ſi Communitas prædicta Monaſterium ſanctæ Claræ prædictum, vobis, ut præfertur, concedere voluerit, ipſum Monaſterium, cum illius terris & poſſeſſionibus recipere, & in illud aliquas Moniales veſtras introducere, ipſumque tenere libere & licite poſſitis & valeatis, ſine alicujus præjudicio, licentiam & facultatem concedimus per præſentes: volentes, ut Moniales introducendæ hujuſmodi omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, gratiis & indultis, Monialibus aliorum Monaſteriorum ejuſdem Ordinis quomodolibet conceſſis & concedendis, & quibus Moniales ipſæ de jure vel conſuetudine utuntur, potiuntur & gaudent, ſeu uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, frui & gaudere poſſint in omnibus & per omnia. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVII. Januarii MDXXXVII. Pontificatus noſtri anno III.

XIII. *Per-*

XIII.

Permittit Urbaniſtis, Ordinis Conceptionis, & Tertiariis Sororibus ſervitrices habere. Ibid. fol. 104.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. SAcræ Religionis, ſub qua dilectæ &c. Sane pro parte dilecti filii moderni Miniſtri Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum provinciæ Caſtellæ, juxta morem Ordinis Minorum hujuſmodi, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet alias ſel. record. Urbanus Papa IV. prædeceſſor noſter Ordinem ſanctæ Claræ, ſecundæ Regulæ nuncupatum, juxta quem Moniales Ordinis ſanctæ Claræ, Urbaniſtæ nuncupatæ, Provinciæ hujuſmodi, ſub regimine, gubernio & adminiſtratione Fratrum dicti Ordinis Minorum degunt, aprobaverit & confirmaverit, ac Monialibus Urbaniſtis nuncupatis hujuſmodi, ut in quolibet eorum Monaſterio aliquas mulieres ſub nominibus Sororum ſeu ſervitricum, quæ ad ipſius Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundæ Regulæ nuncupati, regularium inſtitutorum obſervantiam, excepta clauſura, teneantur, ac de licentia & mandato earum Abbatiſſæ clauſtra Monaſterii ad procurandum illius negotia exire poſſint, habere & tenere valeant, facultatem conceſſerit: ac quid Sorores ſeu ſervitrices præfatæ extra earum Monaſterium obſervare debeant, diſpoſuerit: & propterea, ac ex regularibus inſtitutis hujuſmodi Monaſteria Monialium Urbaniſtarum nuncupatarum prædictarum, ſeu illarum Moniales ſervitrices ipſas habere & tenere licite poſſint: nihilominus, quia ſervitrices hujuſmodi profeſſionem emittere, & in Monaſteriis prædictis perpetuo habitare ſeu morari tenentur, a pluribus annis citra mulieres ſervitrices hujuſmodi non reperiuntur, in ipſorum Monaſteriorum ob illorum Monialium debilitates, ac continuas infirmitates, detrimentum non modicum, ac Monialium prædictarum, quæ pro majori parte ex laboribus conqueruntur, & ad laborandum inſufficientes reperiuntur, perturbationem. Quare pro parte ejuſdem Miniſtri nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Abbatiſſis & Monialibus ſingulorum prædictorum, ac Tertii, necnon Conceptionis beatæ Mariæ Virginis Ordinum, Provinciæ hujuſmodi, Monaſteriorum quaslibet mulieres ſeculares in earum ſervitrices, abſque eo quod profeſſionem regularem emittere teneantur, prout ſingulis Abbatiſſis Monaſteriorum hujuſmodi, cum conſilio & voluntate ipſius moderni, ac pro tempore exiſtentis dictæ Provinciæ Miniſtri Provincialis, eorum Prælati, aut eamdem Provinciam pro tempore regentis, viſum fuerit convenire, intra clauſtra Monaſteriorum prædictorum admittendi, ac ſingulis Abbatiſſis prædictis cum Monialibus earum conſiliariis, Diſcretis nuncupatis, mulieres hujuſmodi, ſi incontinentes fuerint, aut ſervire nequiverint, vel ex illis aliquod inconveniens ſequatur, ex eiſdem Monaſteriis dimittendi & expellendi, & loco illarum alias uſque ad numerum per ſingulas Abbatiſſas & Miniſtrum ſeu Regentem prædictum pro tempore deputatum, aſſumendi facultatem concedere, aliaſque eis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. ipſius Miniſtri in hac parte ſupplicationibus inclinati, Abbatiſſis & Monialibus quorumlibet Monaſteriorum ſingulorum Ordinum prædictorum, ut quasliber mulieres in earum ſervitrices, abſque eo quod profeſſionem regularem emittere teneantur, prout ſingulis Abbatiſſis Monaſteriorum hujuſmodi, cum conſilio & voluntate ipſius moderni

& pro

& pro tempore Regentis viſum fuerit convenire, intra clauſtra Monaſteriorum admittere; ac ſingulis Abbatiſſis hujuſmodi, ut cum Monialibus earum conſiliariis prædictis mulieres hujuſmodi, ſi incontinentes fuerint, aut ſervire nequiverint, vel ex illis aliquod inconveniens ſequatur, ex eiſdem Monaſteriis dimittere & expellere, ac illarum loco alias uſque ad numerum, ut præfertur, pro tempore deputatum aſſumere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno MDXXXVII. VII. Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno III.

XIV.

Concedit facultatem, ut vivant juxta Regulam ſecundam Clariſſarum, Ibidem fol. 79.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterii Feltren. Ordinis ſecundæ Regulæ ejuſdem ſanctæ Claræ, ſub cura Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ.

§. I. EXponi nobis nuper feciſtis, quod licet in erectione Monaſterii veſtri a fel. record. Innocentio Papa VIII. prædeceſſore noſtro facta, cautum ſuerit, quod Monaſterium ipſum pro uſu Monialium Ordinis ſanctæ Claræ primæ Regulæ ſub cura Fratrum Ordinis Minorum eſſe deberet, prout in ipſius Prædeceſſoris litteris deſuper confectis, quarum tenores hic pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, plenius continetur: nihilominus Moniales dicti Monaſterii a primæva earum in dictum Monaſterium introductione, ſecundum inſtituta Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundæ, & non primæ Regulæ, ſub cura eorum dictorum Fratrum, ipſis & ſuperioribus ſuis ad tenorem primarum litterarum non advertentibus, vixerunt, & profeſſionem emiſerunt, & vos vivitis de præſenti.

§. II. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, cupiatis etiam in poſterum in eodem Monaſterio ſecundum dicta inſtituta ſecundæ Regulæ hujuſmodi, prout hactenus vixiſtis, vivere, & virtutum Domino famulari, & propterea nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut tranquillitati & quieti veſtræ conſcientiæ conſulere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut in dicto Monaſterio ſecundum inſtituta ſecundæ Regulæ hujuſmodi, prout hactenus laudabiliter vixiſtis, in omnibus & per omnia vivere, ac omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis & indultis, quibus aliæ Moniales Ordinis ejuſdem ſanctæ Claræ ſecundæ Regulæ de jure vel conſuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſitis & valeatis, concedimus & indulgemus per præſentes. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XII. Februarii MDXXXVII. Pontificatus noſtri anno III.

XV. *Con-*

XV.

Conceditur Fratribus Obſervantibus Eccleſia ſancti Bartholomæi in Inſula de Urbe. Ex Brevi originali.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. SAcri Apoſtolatus miniſterio &c. Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica cum cura apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari.

§. II. Cum itaque poſtmodum parochialis Eccleſia S. Bartholomæi in Inſula de Urbe per liberam reſignationem dilecti filii Baptiſtæ Palavicini, nuper ipſius Eccleſiæ Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, per dilectum filium Franciſcum Palavicinum procuratorem, a dilecto filio Vincentio ſimiliter Palavicino clerico Januen. ipſius Baptiſtæ procuratore, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtituto, legitime ſubſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem prædictam vacaverit & vacet ad præſens, nulluſque de illa præter Nos hac vice diſponere potuerit ſive poſſit, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis: &, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Miniſtri Provincialis & Fratrum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ provinciæ ſancti Hieronymi de dicta Urbe, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, petitio continebat, ſi dicta Eccleſia, cujus, dum pro tempore vacat, collatio & proviſio ad Epiſcopum Portuen. pro tempore exiſtentem pleno jure pertinere dignoſcitur, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, eiſdem Miniſtro Provinciali & Fratribus pro conſtructione unius domus pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis & Obſervantiæ ac Provinciæ prædictorum concederetur & aſſignaretur, profecto ex hoc Divinus cultus & Religio propagationem inibi ſuſciperent; pro parte Miniſtri Provincialis & Fratrum prædictorum, aſſerentium fructus, reditus & proventus ejuſdem Eccleſiæ viginti quatuor ducatorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem valorem annuum non excedere, nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam ipſam eiſdem Miniſtro Provinciali & Fratribus pro conſtructione unius domus dicti Ordinis, ut præfertur, concedere & aſſignare, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis, quorum intereſſet, quique cultum & Religionem hujuſmodi noſtris potiſſime temporibus adaugeri ſinceris deſideramus affectibus, & in quorum manibus venerabilis frater noſter Franciſcus etiam Palavicinus Epiſcopus Alerien. cui alias, ut aſſerebat, quod dicto Baptiſta cedente vel decedente, ac in certos alios tunc expreſſos eventus, liceret ſibi ad dictam Eccleſiam liberum habere regreſſum, Apoſtolica auctoritate conceſſum fuerat, juri & facultati regrediendi hujuſmodi ſponte & libere ceſſit; quique ceſſionem ipſam duximus admittendam: Miniſtrum provincialem ac Fratres prædictos & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam prædictam, ſive præmiſſo, ſive

alio quovis modo, aut ex alterius eujuſcumque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Baptiſtæ, vel cujuſvis alterius de illa in Romana Curia vel extra eam etiam coram Notario publico & teſtibus ſponte factam, aut Conſtitutionem ſel. rec. Joannis Papæ XXII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit *Execrabilis*, vel aſſecutionem alterius beneficii Eccleſiaſtici quavis auctoritate collati vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod collatio ejus juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ipſaque Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel alias generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, cum omnibus juribus & pertinentiis ſupradictis, Miniſtro provinciali & Fratribus præfatis pro conſtructione unius domus Ordinis hujuſmodi, ita quod liceat eis per ſe vel alium ſeu alios corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ, juriumque & pertinentiarum prædictorum propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac inibi unam domum Ordinis & Obſervantiæ ac provinciæ prædictorum, cum clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum eorumdem Ordinis & Obſervantiæ, ac provinciæ conſtrui & ædificari facere, ipſamque Eccleſiam ad inſtar aliarum Eccleſiarum domorum dicti Ordinis reformare, & animarum curam dilectorum filiorum illius parochianorum per Presbyterum idoneum ſecularem ad eorum nutum ponendum & amovendum exerceri facere, cujuſvis licentia ſuper hoc minime requiſita, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuo concedimus & aſſignamus: ac eidem domui & illius Guardiano & Fratribus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, gratiis, & ſpecialibus favoribus & indultis, quibus aliæ domus Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi de jure vel conſuetudine utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate & tenore prædictis, de ſpeciali gratia indulgemus. Decernentes, quod ſi contingat dictam Eccleſiam ſancti Bartholomæi a præfatis Fratribus quoquomodo evinci, tunc & eo caſu, illius collatio & proviſio ad præfatum Epiſcopum Portuenſem pro tempore exiſtentem, ut prius pertinere cenſeatur, illaque in priſtinum ſtatum revertatur eo ipſo: necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari. Non obſtantibus priori voluntate noſtra prædicta, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ &c. anno MDXXXVII. die IX. Martii, Pontificatus noſtri anno III.

XVI.

Ut poſſint transferri ad Monaſterium intra Civitatem. Ibid. fol. 80.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii Monialium ſanctæ Mariæ de Tergia prope & extra muros Cortonen. Ordinis ſanctæ Claræ.

§. I. CUm, ſicut exponi nobis nuper feciſtis, vos, qui juxta Regulam veſtri Ordinis in continua clauſura manere tenemini, prout manetis, Monaſterium veſtrum, dum aliqui milites juxta illud tranſeunt, quod

quod ſæpe contingit, præ timore, ne pro veſtris perſonis & rebus ſalvandis derelinquere, & ad domos ſecularium confugere cogamini; & tam ex his, quam eo quod dictum Monaſterium in loco minus ſalubri conſiſtit, variis tam animæ, quam corporis periculis, incommodis & infirmitatibus ſubjaceatis, ſicque Divino obſequio cum ea animi intentione & quiete, qua decet & cupitis, vacare nequeatis; & ſi unum aliud Monaſterium intra muros dictæ Civitatis pro uſu & habitatione veſtris conſtrueretur & ædificaretur, & ad illud vos transferretis, ex hoc profecto pericula & incommoda prædicta & illis ſubſequentia inconvenientia, quæ plurima ſunt, tollerentur, veſtræque ſecuritati plurimum conſuleretur: pro parte veſtra aſſerentium dilectos filios Communitatem & homines Civitatis Cortonen. pro munienda ipſa Civitate ordinaſſe ut ædificia extra & prope illius muros exiſtentia, inter quæ Monaſterium veſtrum exiſtit, demoliantur, in dieſque, ut Communitas ipſa ordinationem hujuſmodi executioni demandet, expectare, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis hujuſmodi aliud Monaſterium in eadem Civitate, in loco apto, quem ad hunc effectum habere ſperatis, pro uſu & habitatione veſtra conſtruendi, & Monaſterium, in quo ad præſens commoramini, demoliendi, & ex cæmentis ipſius demoliendi Monaſterii dictum aliud Monaſterium ædificandi licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis dictum Monaſterium, in quo ad præſens habitatis, demoliendi, & aliud Monaſterium in Civitate & loco prædicto, cum Eccleſia, ſacrario, campanili, campanis, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro veſtris uſu & habitatione, alia ſuper hoc licentia minime requiſita, etiam ex cæmentis dicti Monaſterii, in quo ad præſens degitis, ſine alicujus præjudicio conſtruendi & ædificandi, voſque ad dictum novum conſtruendum Monaſterium transferendi licentiam & facultatem concedimus per præſentes: decernentes omnia & ſingula bona, jura, legata, actiones, facultates, indulgentias, privilegia & indulta ad dictum demoliendum Monaſterium pertinentia, cum oneribus, quæ in ipſo ſuſtinere tenebamini, ad dictum conſtruendum Monaſterium ſpectare, & illi competere, & conceſſa eſſe intelligi: ſicque per quoſcumque judices & commiſſarios quacumque auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane quidquid ſecus a quocumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari: mandantes quoque dilecto filio Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Cortonen. in ſpiritualibus generali, quatenus vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, non permittat vos in conſtructione dicti Monaſterii, & aliis præmiſſis, a quoquam de facto quomodolibet moleſtari, impediri vel perturbari. Contradictores &c. invocato &c. Non obſtantibus præmiſſis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod in loco, in quo ad præſens Eccleſia demoliendi Monaſterii exiſtit, una parva capella remaneat, per quam & dictæ Eccleſiæ memoria remaneat, & locus ipſe a profanis uſibus reſervetur.

Datum &c. vii. Julii anno MDXXXVII. Pontificatus noſtri anno III.

XVII.

Ut ædificare poſſint Conventum in oppido Palenæ. Ibid. fol. 80.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ provinciæ ſancti Bernardini, juxta marcam dicti Ordinis.

§. I. CUm Communitas oppidi ſeu Terræ Palenæ, diœceſis Sulmon. ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ devotionis gerunt affectum, & uberes animarum fructus, quos ex eorum exemplari vita, & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperant, terrena in cœleſtia felici commercio commutare ſatagentes, ſuis expenſis in aliquo loco congruo & convenienti, ſub invocatione ſancti Antonii de Padua, unam domum in prædicto oppido pro perpetuis uſu & habitatione eorumdem Fratrum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruere & ædificare, ſive conſtrui & ædificari facere ſummopere cupiant, & propterea fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut tam religioſæ petitioni benevolentia paterna de benignitate Apoſtolica annuere dignaremur.

§. II. Nos itaque, qui Divini cultus &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis ut in loco congruo & ſub invocatione, ut ſupra, unam domum præmiſſam cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione dictorum Fratrum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ provinciæ ſancti Bernardini, erigendi, ædificandi & conſtruendi, ſeu erigi, ædificari & conſtrui faciendi, illamque recipiendi & habitandi, ac domui hujuſmodi, poſtquam conſtructa fuerit, & Fratribus pro tempore in ea morantibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, conceſſionibus, favoribus, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis & indultis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, aliis domibus & Fratribus dicti Ordinis in genere per Sedem Apoſtolicam, & alias hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, jure Parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, licentiam concedimus & indulgemus: ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri conſtitutione &c. ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ, die XXI. Auguſti MDXXXVII. Pontificatus noſtri anno III.

XVIII.

Profeſſores Tertii Ordinis in Regnis Caſtellæ & Legionis ſubjiciuntur viſitationi & regimini Superiorum Regularis Obſervantiæ. Reg. Ult. fol. 93.

Dilectis filiis Toletan. & Hiſpalen. ac Salmanticen Officialibus & eorum cuilibet.

§. I. EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii tam Generalis, quam per provincias Caſtellæ & Legionis Regnorum conſtituti univerſi & ſinguli provinciales Miniſtri Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervan-

vantiæ, quod licet ipſi, qui juxta privilegia & indulta Apoſtolica tam per fel. rec. Nicolaum IV. Eugenium etiam IV. ac Sixtum ſimiliter IV. & Alexandrum VI. Julium II. & Leonem X. quam alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros dicto Ordini conceſſa, quibus inter alia cavetur expreſſe, quod Moniales vel Sorores & aliæ utriuſque ſexus perſonæ tam conventualiter, quam in ſeculo degentes, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, quin etiam conjugati in ipſo conjugio permanendo juxta regularia ipſius Tertii Ordinis inſtituta, profiteri poſſunt, illorumque domus & Monaſteria viſitationi, correctioni, ac regimini, curæ & adminiſtrationi Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ hujuſmodi omnino ſubjacere debeant, fuerint hactenus, prout adhuc exiſtunt, in poſſeſſione vel quaſi juris viſitandi, corrigendi & reformandi Monaſteria & domos, illarumque Moniales ſeu Sorores & alias perſonas Tertii Ordinis hujuſmodi; Nihilominus dilectus filius Antonius de Tablada, qui pro Fratre & Miniſtro ac Viſitatore Generali Monaſteriorum, ac utriuſque ſexus perſonarum dicti Tertii Ordinis, in quibuſdam provinciis tunc expreſſis regnorum eorumdem, ſe gerit, prætextu quarumdam litterarum Apoſtolicarum alias pro parte ſua, a piæ mem. Clemente Papa VII. ſimiliter prædeceſſore noſtro impetratarum, per quas dictus Clemens omnes Fratres ſeu Sorores dicti Tertii Ordinis tam conventualiter viventes, quam Eremitas & conjugatas perſonas in ſeculo exiſtentes, ipſorumque domos & Monaſteria eidem Antonio, & pro tempore exiſtentibus ſucceſſoribus ſuis Miniſtris ſubjeciſſe dicebat, exponentes præfatos, ſeu ab eis pro tempore deputatos Viſitatores, quominus juxta privilegia & indulta hujuſmodi Moniales & Sorores, illorumque domos & Monaſteria, aliaſque utriuſque ſexus perſonas dicti Tertii Ordinis, in quorum poſſeſſione fore dignoſcebantur, ut præfertur, viſitare & reformare poſſent & valerent, impedivit & perturbavit, & per ſe ipſum, vel ejus aſſertos Commiſſarios ſeu Viſitatores velle impedire, aut perturbare velle ſe jactavit & jactat. Unde exponentes præfati deſuper impediri vel perturbari poſſe formidantes, propter diſſenſiones & ſcandala, quæ in dies exoriri veriſimiliter ſuſpicantur, ad Nos recurſum habuerunt. Quare pro parte dictorum exponentium nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut litteras prædictas, quatenus per illas eiſdem exponentibus, vel illorum juribus præjudicatur, ad terminos juris reduci mandare, aliaſque ſibi ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos veriſimiliter præſumentes, non fuiſſe mentis & intentionis ipſius Clementis prædeceſſoris, qui juſtitiam colebat, per dictas ſuas litteras velle in aliquo juribus ipſorum Fratrum Minorum præjudicare, ac ſcandalis & diſcordiis hujuſmodi viam aperire, dictarum litterarum tenores & formas præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis per præſentes committimus & mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, per vos vel alium ſeu alios, vocatis dicto Antonio Miniſtro, & aliis qui fuerint vocandi, litteras prædictas, quatenus per illas eiſdem exponentibus, vel illorum juribus præjudicium generari repereritis, ad terminos juris reducatis, ipſaſque litteras quoad Monaſteria, domos, loca & perſonas dicti Tertii Ordinis, in quorum viſitationis & obedientiæ poſſeſſione, vel quaſi dicti exponentes fuerunt & exiſtunt, ac pro tempore erunt, locum ſibi minime vendicare, ſed litteras ipſas de illis dumtaxat Fratribus, Monialibus, Sororibus, domibus & Monaſteriis, aliiſque perſonis Tertii Ordinis hujuſmodi, quæ ſub obedientia & viſitatione dictorum exponentium nunquam extiterunt, intelligendas fore: ſicque per quoſcumque Judices & Cameræ Apoſtolicæ cauſarum Auditores judicari, definiri & inter-

interpretari debere, ſublata eis & ipſorum cuilibet aliter definiendi & interpretandi facultate & auctoritate, irritum quoque & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate noſtra decernatis. Nos enim vobis & veſtrum cuilibet Antonium præfatum & quoſcumque alios ſua in præmiſſis intereſſe putantes, etiam per edictum publicum, conſtito ſummarie & extra judicium de non tuto acceſſu, citandi, ſibique ac quibus, & quoties opus fuerit, etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis, & aliis arbitrio veſtro imponendis pœnis inhibendi, ac contra eos, & alios contradictores quoslibet & rebelles, cenſuras & pœnas prædictas iteratis vicibus aggravandi, ac interdictum Eccleſiaſticum apponendi, & auxilium brachii ſecularis, quatenus opus fuerit, invocandi, per eaſdem præſentes facultatem concedimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac ſel. mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium non trahatur; ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus, privilegiis quoque & indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam *Mare magnum*, vel alias nuncupatis, ipſis Fratribus Tertii Ordinis hujuſmodi, ſub quacumque verborum forma conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus &c. hac vice dumtaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno MDXXXVII. Kalendis Octobris, Pontificatus noſtri anno III.

Anno Christi 1538. Pauli III. anno 4. & 5.

XIX.

Ut poſſit reædificari Conventus Peronen. Ibid. fol. 97.

Dilecto filio Miniſtro Provinciali Provinciæ Franciæ, ſecundum morem Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ.

§. I. EXponi nobis nuper feciſti, quod alias jam fere ducentis quinquaginta annis quædam domus Fratrum Minorum Provinciæ Franciæ in ſuburbio beatæ Mariæ, de Britania nuncupato, caſtri Peronæ, Novionen. diœc. ædificata & conſtructa extitit, & irruente bellorum diſcrimine, ex eo quia domus prædicta erat vicina foribus dicti caſtri, regia auctoritate ſancitum fuit, pro defenſione & tuitione præfati caſtri prædictam domum una cum aliis ædificiis & ædibus ejuſdem ſuburbii demoliendam & deſtruendam, prout demolita & deſtructa fuit; & deinde cariſſimus in Chriſto filius noſter Franciſcus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, ægro animo ferens, quod numerus domorum dictorum Fratrum, a quibus uberes in Eccleſia Dei quotidie fructus proveniunt, diminueretur, miſſo apud Peronam mandato, ſtatuit, quod Fratres prædicti poſſent & valerent aliam domum moderatæ magnitudinis intra caſtrum prædictum dono aut pecunia acquirere & ædificare. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, tu cupias domum prædictam erigendi facultatem concedi, pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum ut votis tuis hujuſmodi annuere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur idem quod præfatus Rex conſideravit, intra mentis noſtræ arcana conſiderantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi ut domum præfatam cum omnibus officinis neceſſariis, ſub invocatione ſub

qua

qua domus diruta prædicta exiſtebat, de novo conſtruere vel conſtrui facere poſſis, ubi deinceps Fratres Ordinis & Provinciæ prædictorum vivant & inhabitent, auctoritate Apoſtolica per præſentes concedimus & indulgemus. Volentes quod domus præfata, Guardianus & Fratres in ea pro tempore exiſtentes omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus, Ordini prædicto ejuſque domibus & Conventibus hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere, quodque Procurator vel Syndicus aliquis vel alter per te ad id eligendus, ſitum, viridária ceteraque ipſius domus membra & pertinentias, ac ſolum ejuſdem domus dirutæ, ſolo Eccleſiæ illius dumtaxat excepto, in quo ad Dei, cui ſemel dicatum eſt, reverentiam, aliquam parvam capellam relinqui volumus, uni vel pluribus etiam laicis pro pretio vel pretiis convenientibus, de quibus inter ſe convenerint, vendere, & pretium inde proveniens in ædificatione & conſtructione novæ domus hujuſmodi convertere, ipſique emptores ſitum, viridaria & bona empta hujuſmodi ad prophanos uſus redigere, ac de illis ſicuti de aliis eorum patrimonialibus bonis quomodocumque eis placuerit, diſponere libere & licite valeant, dicta auctoritate per eaſdem præſentes concedimus &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Marcum, die xviii. Septembris mdxxxviii. Pontificatus noſtri anno iv.

X X.

Ut poſſit in Ducatu Lithuaniæ conſtruere viginti Conventus. Ex Reg. Ciſm. fol. 83.

Dilecto filio Miniſtro Provinciæ Lithuaniæ Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, juxta morem dicti Ordinis.

§. I. Alias tuis ſupplicationibus inclinati, inter alia, quod in Provincia ſeu Ducatu Lithuaniæ, viginti domus pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ conſtrui & ædificari poſſent, per alias noſtras in forma Brevis litteras conceſſimus, prout in illis, in quibus, quod in dicta Provincia ſeu Ducatu ſeptem domus ejuſdem Ordinis exiſtebant, expreſſum fuit, plenius continetur. Cum autem, ſicut exponi nobis nuper feciſti, propterea quod in Provincia ſeu Ducatu hujuſmodi non ſeptem, ſed quatuor dumtaxat domus ejuſdem Ordinis ſunt, dubites ob talem expreſſionem, litteras ipſas ſubreptionis vitio ſubjacere, talique prætextu earumdem viginti domorum conſtructionem & ædificationem impediri forſan poſſe: pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere dignaremur.

§. II. Nos igitur conſiderantes, quod quanto pauciores domus in Provincia ſeu Ducatu hujuſmodi exiſtunt, tanto major cauſa ſubeſt, ut plures in eo ædificentur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, volumus & Apoſtolica auctoritate per præſentes decernimus, quod litteræ prædictæ, quarum tenores hic pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, & executioni mandari poſſint, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi in eis quod quatuor domus in dicta Provincia erant, expreſſum fuiſſet. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, mdxxxviii. die xxviii. Septembris, Pontificatus noſtri anno iv.

XXI. *De-*

XXI.

Declarat ad quæ jejunia obſervanda teneantur Sorores Tertii Ordinis Provinciæ Caſtellæ. Ex Reg. Ultram. fol. 102.

Dilecto filio Miniſtro Provinciali Provinciæ Caſtellæ, ſecundum morem Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ.

§. I. EXponi nobis nuper feciſti, quod poſtquam alias ſel. record. Eugenius IV. & Sixtus etiam IV. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri reſpective conceſſerant, quod Moniales ſanctæ Claræ, ac Sorores Tertii Ordinis ſancti Franciſci ſolummodo tenerentur ad jejunia, quibus Fratres Minores Obſervantiæ tenebantur, ac eiſdem cibis tempore quadrageſimali uterentur, quibus Fratres prædicti, exceptis Sororibus debilibus & infirmis, temporibus vero quatuor temporum, vigiliarum & aliorum jejuniorum, ſervarent conſuetudinem regionis, in qua eſſent, ſecundum quam liceret eis etiam ova & lacticinia comedere, bon. mem. Franciſcus Ximenez, Cardinalis Toletan. nuncupatus, ejuſdem Ordinis Minorum profeſſor, dum quoddam Monaſterium Sororum Tertii Ordinis prædicti ſub invocatione *ſancti Joannis de Pœnitentia*, in oppido Compluten. Toletanæ diœceſis Provinciæ Caſtellæ fundavit & dotavit, nonnulla ſtatuta, ſive Regulam dicti Tertii Ordinis Apoſtolica, ſive alia auctoritate in forma ſtatutorum, quibus Sorores dicti Monaſterii ſancti Joannis ad continuum & perpetuum jejunium totius anni, feſto Dominicæ Nativitatis, vel manifeſta aut alia neceſſitate exceptis, obligari videntur, edidit & ordinavit. Et deinde recol. mem. Leo Papa X. ſimiliter prædeceſſor noſter, priorem Regulam ejuſdem Tertii Ordinis, quoad omnes Sorores præſentes & futuras collegialiter viventes, & inter alia, quod Sorores hujuſmodi perpetuis futuris temporibus, ſecunda, quarta & ſexta feriis, ac Sabbato, Dominicæ Nativitatis feſto excepto, carnes non comedere, & a feſto Omnium Sanctorum uſque in diem Reſurrectionis Domini, quarta, & omni ſexta feriis totius anni, & a feſto ſancti Martini uſque ad Nativitatem Domini, & tota quadrageſima univerſali, omnibus diebus jejunare tenerentur, de novo reformavit, confirmavit & approbavit; prout in litteris Eugenii, & Sixti, ac Leonis X. necnon Franciſci Cardinalis prædictorum plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, tam Monaſterii ſancti Joannis de Pœnitentia, quam omnes aliæ Sorores Tertii Ordinis hujuſmodi ex aliis locis, & capitulis Regulæ, conceſſionum & ſtatutorum prædictorum, ubi agitur de obligatione in illis contentorum, ad jejunia prædicta ſub pœna mortalis peccati credant ſe non teneri, nec obligatas fore aut eſſe, ac Eugenii & Sixti conceſſione uti poſſe: nihilominus ad omne dubium & ſcrupulum conſcientiæ tollendum, ac imbecillitati fœminei ſexus, & penuriæ piſcium in illis partibus communiter exiſtenti ſubveniendum, nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur te & prædictas Sorores ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod omnes & ſingulæ Sorores præſentes & futuræ Tertii Ordinis ſancti Franciſci Provinciæ Caſtellæ ſub tuis regimine & adminiſtratione, ac aliorum dicti Ordinis Minorum Obſervantiæ Prælatorum collegialiter viventes & ſubſiſtentes, præmiſſis Eugenii & Sixti conceſſionibus, abſque aliquo conſcientiæ ſcrupulo perpetuis futuris temporibus uti, frui & gaudere libere & licite poſ-

poſſint & valeant, ita quod ad nulla alia jejunia, nec abſtinentiam, quovis alio tempore, & jejuniis Adventns, & aliorum dierum, quibus Fratres prædicti ſub pœna mortalis peccati ſunt obligati, Sorores prædictæ ſub dicta pœna mortalis peccati minime teneantur, ſed ſecundum propriam Regulam dicti Tertii Ordinis tantum, perpetuis futuris temporibus teneri, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium declaramus & ordinamus, ac de novo concedimus & indulgemus; necnon quatenus opus ſit, cum eiſdem Monialibus deſuper diſpenſamus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ &c. die xi. Octobris MDXXXVIII. Pontificatus noſtri anno iv.

XXII.

Eximit Fratres a ſolutione Gabellarum. Regeſt. Curiæ Ciſinon. fol. 36.

Ad futuram rei memoriam.

ADDITIO ALIORUM.

„ §. ROmani Pontificis providentia &c. Dudum ſiquidem a fel. record. Clemente Papa VII. prædeceſſore noſtro litteræ emanarunt tenoris ſubſequentis. *Clemens Papa VII. univerſis & ſingulis Gabellariis, Datiariis, ac Portarum Cuſtodibus, quibus hæ noſtræ litteræ exhibebuntur, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum non ſine multa noſtri animi diſplicentia audiverimus nonnullos veſtrum a dilectis filiis Generali Miniſtro, & aliis Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia, interdum res medicinales, Coronas orationales, & alia ad eorum uſum & neceſſitatem, non autem mercimonii cauſa deferentibus, Gabellam pro dictis rebus exigere velle, eoſque in ſuis itineribus propterea impedire & retinere: Nos noſtrorum Prædeceſſorum exemplo, qui eoſdem Fratres a ſolutione omnium exactionum exemerunt, attenta etiam eorum paupertate & exemplari vita, vos omnes hortamur in Domino, vobis nihilominus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna inhibentes, ne quemquam ex dictis Fratribus, præſertim Generalem & Provinciales Miniſtros, alioſque eorum, & dicti Ordinis Officiales & Commiſſarios ultro citroque commeantes, aut etiam reſidentes, pro gabella rerum quarumcumque, quas pro ſuo uſu, & non mercimonii cauſa ſe deferre, medio juramento aſſeruerint, moleſtare, impedire, retinere, nec gabellam pro his ab eis exigere præſumatis: contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Volumus inſuper, ut præſentium tranſumptis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die ultima Decembris* MDXXXI. *Pontificatus noſtri anno* VIII. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Generalis ac Provincialium Miniſtrorum & Fratrum petitio continebat, illis a Gabellariis, & Datiariis, ac Portarum Cuſtodibus in diverſis Italiæ partibus pro gabellarum ſeu datiorum hujuſmodi contra præinſertarum aliarumque litterarum Apoſtolicarum pro eis hactenus conceſſarum tenorem, plurimæ in dies moleſtiæ inferantur, nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſuper his illis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

„ §. II. Nos igitur qui præfatum Ordinem propter uberes fructus, „ quos in propagatione Religionis & fidei orthodoxæ in agro militantis „ Eccleſiæ hactenus produxit, & in dies producere non ceſſat, ſpeciali „ dilectione proſequimur, hujuſmodi eorum ſupplicationibus inclinati,

„ litteras Prædeceſſoris hujuſmodi noſtræ approbationis munimine robo-
„ rantes, omnes & ſingulos Gabellarios, Datiarios, & Portarum Cuſto-
„ des in Domino hortamur, eiſque nihilominus in virtute ſanctæ Obe-
„ dientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, tenore præ-
„ ſentium diſtrictius inhibemus, ne de cetero ab eis vel eorum aliquo con-
„ tra tenorem dictarum litterarum ullam pœnitus gabellam ſeu datium
„ exigere, aut alias ſuper his ipſos moleſtare ſeu impedire præſumant:
„ quocirca dilectis filiis Gubernatori Almæ Urbis, & Curiæ cauſarum Ca-
„ meræ Apoſtolicæ Generali Auditori, dictæque Urbis in ſpiritualibus
„ Vicario Generali, necnon univerſis & ſingulis venerabilibus Fratribus
„ Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & dilectis filiis eorum in ſpiritualibus Vi-
„ cariis Generalibus, in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipimus & manda-
„ mus, quatenus ipſi vel alter eorum litteras prædictas Prædeceſſoris hu-
„ juſmodi, & noſtras inviolabiliter obſervari faciant, non permittentes
„ aliquid per quoſcumque, quacumque dignitate, præeminentia & aucto-
„ ritate ſungentes, contra eorumdem Prædeceſſorum, & præſentium no-
„ ſtrarum litterarum tenorem quomodolibet attentari: contradictores
„ quoslibet & rebelles per cenſuras &c. invocato etiam &c. Non obſtan-
„ tibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque in contrarium &c.
„ Volumus autem quod præſentium tranſumptis &c.

„ Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVIII.
„ Decembris MDXXXVIII. Pontificatus noſtri anno V.

XXIII.

Eximit Moniales ſub cura Fratrum Obſer. viventium a ſolutione cujuſcumque oneris. Ex Regeſt. Curiæ Ciſmon. fol. 83.

Dilectis in Chriſto filiabus univerſis & ſingulis Abbatiſſis & Monialibus Ordinis ſanctæ Claræ de Obſerv. tam primæ, quam ſecundæ Regulæ, necnon Miniſtris & Sororibus Tertii Ordinis beati Franciſci, ſub cura Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum in partibus Italiæ in Congregatione degentibus.

„ §. I. Exponi nobis nuper feciſtis, quod licet quamplura Monaſteria
„ veſtra in tanta ſint paupertate, quod ex eorum reditibus &
„ proventibus vix neceſſaria vitæ vobis ſubminiſtrari poſſint; nihilominus
„ a Collectoribus ſeu Subcollectoribus decimarum & ſubſidiorum per Nos
„ & Sedem Apoſtolicam impoſitorum, per eorum ſolutionem tam graves
„ in dies vobis moleſtiæ inferuntur, ut etiam in celebratione Divinorum
„ officiorum turbemini: quapropter nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut
„ in hoc opportune vobis providere de benignitate Apoſtolica dignare-
„ mur. Nos igitur, qui paterna in Domino vos caritate proſequimur, &
„ tanto propenſioribus vos attollere gratiis, ac pia veſtra confovere vota
„ dignum arbitramur, quanto ſexus fœminei fragilitas ad ferendum Ob-
„ ſervantiæ onus potiori favore indigere dignoſcitur.

„ §. II. Attendentes quod, ut accepimus, alias fel. record. Clemens
„ Papa VII. prædeceſſor noſter Monialibus ſanctæ Claræ, & Tertii Or-
„ tii Ordinis prædictorum, in Regno Siciliæ citra Farum exiſtentibus, in
„ Congregatione degentibus, ut pro decimis & aliis ſubſidiis per Sedem
„ Apoſtolicam pro tempore impoſitis nullatenus moleſtarentur, niſi pro eo,
„ quod ſupereſſet ultra ſeptem Ducatos auri pro vita cujuslibet Monialis,
„ conceſſerit; æquum reputantes, ut conceſſio hujuſmodi ad alia dicto-

rum

„ rum Ordinum Monaſteria in aliis Italiæ partibus conſiſtentibus extenda-
„ tur; tenore præſentium vos omnes & ſingulas Abbatiſſas & Moniales di-
„ cti Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia, necnon & Miniſtras & Soro-
„ res Tertii Ordinis beati Franciſci, in Congregatione ſub cura & regimi-
„ ne dictorum Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum in eiſdem
„ Italiæ partibus degentes, necnon domos, Monaſteria, loca, poſſeſſio-
„ nes, & alia quæcumque bona veſtra mobilia & immobilia, a quarum-
„ cumque decimarum & ſubſidiorum hujuſmodi, per Nos & Sedem præ-
„ fatam, ſeu ejus Legatos & Nuncios, aut quoſcumque alios, quavis au-
„ ctoritate ſungentes, etiam pro expeditione contra Turcas, vel fidei
„ tuitione, aut quavis alia urgentiſſima cauſa pro tempore impoſitorum,
„ ſolutione quoad dictam ſummam ſeptem ducatorum auri pro qualibet
„ veſtrum, prorſus eximimus & liberamus: Et nihilominus omnibus &
„ ſingulis Collectoribus ſeu Subcollectoribus prædictis, ac quibuſcumque
„ aliis ad decimarum & ſubſidiorum hujuſmodi exactionem deputatis, &
„ pro tempore deputandis, in virtute ſanctæ Obedientiæ diſtrictius inhi-
„ bemus, ne vos Abbatiſſas, Miniſtras, Moniales & Sorores, domos,
„ Monaſteria & loca præfata vigore quarumcumque litterarum a Nobis,
„ vel a Sede præfata pro tempore emanandarum, etiamſi in eiſdem conti-
„ neatur, quod ad quævis exempta vel non exempta loca & Monaſteria
„ ſe extendant, vel aliqua ſibi, cujuſcumque tenoris exiſtat ipſius Sedis
„ conceſſa facultas, niſi de indulto hujuſmodi, ejuſque toto tenore, ac
„ de dictis Ordinibus, & nomine Cardinalis, cui dictorum Ordinum cu-
„ ra, gubernatio & protectio pro tempore commiſſa fuerint, plenam &
„ expreſſam, non autem per clauſulas generales idem importantes, fece-
„ rint mentionem, ad ſolvendum decimas ſeu ſubſidia hujuſmodi, nonniſi
„ pro eo, quod, deductis ſeptem ducatis auri ſimilibus, pro qualibet ve-
„ ſtrum, ſupereſſe repererint, quovis modo cogere aut compellere, ſeu
„ alias, præmiſſorum occaſione vos moleſtare ſeu inquietare præſu-
„ mant.

„ §. III. Quocirca dilectis filiis Gubernatori Almæ Urbis, ac Curiæ
„ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, dictæque Urbis in ſpi-
„ ritualibus generali Vicario, necnon univerſis & ſingulis Venerabilibus
„ fratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis, & dilectis filiis eorum in
„ ſpiritualibus Vicariis Generalibus, ceteriſque Eccleſiarum Prælatis per
„ præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel eorum alter vo-
„ bis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, præſentes litte-
„ ras, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter obſervari faciant: non
„ permittentes vos, aut veſtra Monaſteria & loca per Collectores aut
„ Subcollectores præfatos, ſeu quoſcumque alios contra præſentium teno-
„ rem quomodolibet moleſtari: contradictores quoslibet & rebelles per
„ cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, ap-
„ pellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocatn etiam ad hoc, ſi opus
„ fuerit, auxilio brachii ſecularis: non obſtantibus præmiſſis &c. Volumus
„ autem quod præſentium tranſumptis &c.

„ Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub anulo Piſcatoris, die XXVI.
„ Septembris MDXXXVIII. Pontificatus noſtri anno IV.

XXIV.

Confirmat tranſitum ad ſecundam Regulam Sororibus domus Annunciatæ Tertii Ordinis. Ex Regeſt. Curiæ Ciſmon. fol. 83.

Dilectis in Chriſto filiabus Miniſtræ & Sororibus Monaſterii Annunciatæ Caſtri ſancti Severini, Camerinen. diœceſis, olim Tertii Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia.

„ §. I EXponi nobis nuper feciſtis, quod vos quæ hactenus ſub Regu-
„ la Tertii Ordinis beati Franciſci, & ſub cura & regimine
„ Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ Marchiæ
„ juxta morem dicti Ordinis & Congregationum, in Monaſterio ſeu do-
„ mo Annunciatæ Caſtri ſancti Severini, Camerinen. diœceſis vixiſtis,
„ ſpiritus fervore accenſæ, ut eo liberius Domino famulari poſſitis, quo a
„ ſeculi vanitatibus magis remotæ fueritis, ſecundam Regulam beatæ
„ Claræ a ſ. l. record. Urbano Papa IV. prædeceſſore noſtro traditam, nu-
„ per profeſſæ eſtis, vel in poſterum profiteri, ac in ejus Obſervantia, ſub
„ perpetua clauſura, & eorumdem Fratrum cura, obedientia & regimine
„ vivere ſinceris deſideratis affectibus: quod ut ſecurius exequi valeatis,
„ nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis ſuper hoc licentiam impertiri, & alias opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

„ §. II. Nos igitur, qui ſingulorum Chriſtifidelium, & præſertim perſonarum Religionis jugo aſtrictarum, ad perfectioris vitæ frugem, melioraque Chriſtinata emulantium intentiones intenſis deſideriis exoptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis aliiſque Monialibus in Monaſterio ſeu domo hujuſmodi pro tempore degentibus, ut Regulam ac vitam hujuſmodi profiteri, & poſtquam eam profeſſæ fueritis, in ejus Regulari Obſervantia ſub perpetua clauſura, ac Fratrum dictorum Ordinis & Provinciæ cura, viſitatione, correctione & regimine vivere, necnon omnia & ſingula bona vobis, domuique aut Monaſterio veſtro hujuſmodi hactenus relicta, ſeu quomodolibet oblata retinere, ac in poſterum relinquenda, pro veſtra, ac domus ſeu Monaſterii hujuſmodi ſubſtentatione recipere, omnibuſque & ſingulis privilegiis, indultis, prærogativis, immunitatibus, exemptionibus & gratiis, aliis dicti Ordinis ſanctæ Claræ domibus ſeu Monaſteriis in genere conceſſis, uti, potiri & gaudere poſſitis, auctoritate Apoſtolica per præſentes concedimus & indulgemus: Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis prædicti, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus &c.

„ Datum Romæ apud ſanctum Petrum, die VIII. Novembris, Pontificatus noſtri anno V.

XXV.

Dat facultatem Fratribus Provinciæ Tusciæ accipiendi Ecclesiam sanctæ Catarinæ cum suis adnexis pro construendo Conventu in urbe Florentina. Regest. Cosmon. fol. 91.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. EXpositum nobis fuit pro parte dilectorum filiorum Archidiaconi, Capituli, & Canonicorum Ecclesiæ Florentinæ, ac Guardiani & Fratrum domus sancti Salvatoris prope & extra muros Florentiæ, Ordinis Minorum, de Observantia nuncupatorum, Provinciæ Tusciæ Florentin. juxta morem dicti Ordinis, quod cum domus sancti Salvatoris prope & extra muros Florentin. ad dictum Guardianum & Fratres spectans, ob fundamentorum lubricitatem pro majori parte in præceps ruerit, sitque jam pene collapsa, ita ut amplius commode inhabitari nequeat, nec ejus ruinæ facile obviari possit; & quod Guardiani & Fratres modum reparandi domum ipsam non habeant: dicti Archidiaconus, Canonici & Capitulum, attendentes fructus uberes, qui ob laudabilem ipsorum Fratrum conversationem in Civitate Florent. provenire solebant, & quos in dies proventuros sperabant, ne Civitas præfata eorumdem Fratrum exemplaris conversationis fructibus, & spirituali conversatione privaretur, utque conditio dictæ eorum Ecclesiæ melior efficeretur, Ecclesiam quamdam sanctæ Catarinæ intra dictæ Civitatis mœnia consistentem, quæ olim a sel. record. Innocentio Papa VIII. prædecessore nostro, expulsis inde quibusdam Monialibus in ea degentibus, dictæ Ecclesiæ Florentin. annexa fuit, cum quibusdam ejus domibus, hortis & hortalitiis sibi cohærentibus, ceterisque aliis bonis ad dictam Ecclesiam sanctæ Catarinæ spectantibus sibi reservatis, de consensu dilecti filii Simonis de Tornabonis civis Florentin. cui domus, horti & hortalitia hujusmodi pro se suisque filiis & descendentibus masculis legitimis & naturalibus pro annuo canone seu censu florenorum decem & octo auri monetæ illarum partium ab eodem Capitulo, salvo Sedis Apostolicæ beneplacito, in perpetuam emphyteusim locata fuerat, pro perpetuis usu & habitatione prædictorum, ac aliorum Fratrum dicti Ordinis tradere promiserunt, si modo ipsi Guardianus & Fratres præfato Simoni pro nonnullis melioramentis in domibus & hortis ac hortalitiis prædictis per eum factis, certam pecuniarum summam persolverent, & ad hæc omnia nostra & Sedis Apostolicæ auctoritas & licentia accederet; prout in publicis instrumentis desuper confectis plenius dicitur contineri. Quare pro parte tam Archidiaconi, Capituli & Canonicorum asserentium se pro recompensa domorum, hortorum & hortalitiorum prædictorum septingentos viginti florenos auri, monetæ illarum partium in emptionem tot bonorum stabilium pro dicta Ecclesia Florentin. emendorum a dilecto filio nobili viro Cosmo de Medicis Duce Reipub. Florentin. qui eos ad hoc ipsi Guardiano & Fratribus libere donavit, actualiter recepisse, ipsamque recompensam in evidentem dictæ Ecclesiæ Florentin. cessisse & cedere utilitatem, quam Guardiani & Fratrum prædictorum, nobis humiliter supplicatum fuit, ut præmissis omnibus & singulis robur nostræ confirmationis adjicere, ac alias super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujusmodi supplicationibus inclinati, præmissa omnia & singula, necnon instrumenta quælibet desuper confecta, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, hic pro sufficien-

cienter expreſſis haberi volumus, veris exiſtentibus præmiſſis, Apoſtolica auctoritate per præſentes approbamus & confirmamus, ſupplentes omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint, illaque perpetuæ firmitatis robur obtinere, ac inviolabiliter obſervari debere, & ſic per quoſcumque tam ordinaria, quam delegata, etiam mixta auctoritate fungentes ubique judicari, terminari ac decidi debere, ſublata eis & eorum cuilibet aliter judicandi ac decidendi facultate, necnon irritum & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Volenteſque ipſos Guardianum & Fratres uberioribus favoribus & gratiis proſequi, eis Eccleſiam ſanctæ Catarinæ prædictam cum domibus, hortis & hortalitiis præfatis, quatenus ad eoſdem donantes legitime ſpectent, recipiendi, ac inibi pro perpetuis uſu & habitatione ipſorum, aliorumque Fratrum dicti Ordinis, unam domum cum Eccleſia, cœmeterio, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, aliiſque officinis, hortis & hortalitiis, ad inſtar aliarum domorum dicti Ordinis, jure Parochialis Eccleſiæ, & cujuſvis alterius ſemper ſalvo, ædificandi ſeu conſtruendi, aut conſtrui & ædificari faciendi, eamque perpetuo retinendi & inhabitandi, necnon domum præfatam ſancti Salvatoris, ac illius ſolum cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, prius ad prophanos uſus redactis, præter Eccleſiam, quam pro Oratorio, ſeu capella reſervari volumus, libere vendendi ſeu alienandi, pretiumque inde proveniens in fabricam dictæ novæ domus, vel alios neceſſarios uſus ipſorum Fratrum convertendi, dicta auctoritate plenam & liberam licentiam & facultatem per eaſdem præſentes concedimus & impertimur: volentes ut Eccleſia ſanctæ Catarinæ, ac de novo erigenda domus prædicta, ac Fratres in ea pro tempore degentes omnibus & ſingulis privigiis, exemptionibus, immunitatibus tam temporalibus, quam ſpiritualibus, indulgentiis & gratiis, aliis domibus & Fratribus dicti Ordinis in eis degentibus hactenus conceſſis, & in futurum concedendis, uti, potiri & gaudere valeant. Non obſtantibus &c. Volumus autem, quod dicti ſeptingenti viginti floreni, donec in bonis ſtabilibus pro dicta Eccleſia Florentin. convertantur, penes aliquam ædem ſacram, aut perſonam fide & facultatibus idoneam deponantur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die x. Decembris MDXXXIX. Pontificatus noſtri anno VI.

Anno Christi 1540. Pauli III. anno 6.

XXVI.

Quaecumque auctoritate etiam Pontificia, transferantur Monialet ab uno Monaſterio ad aliud, vult ut Prælatorum Ordinis accedat aſſenſus. Ex Regeſt. Ultram. fol. 111.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Antonius Machicaus Ordinis Fratrum Minorum in Romana Curia Procurator Generalis ſecundum morem dicti Ordinis, quod cum ſæpius contingat diverſis tam ſanctæ Claræ & Conceptionis beatæ Mariæ Ordinum Monialibus, quam Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, per noſtras etiam in forma Brevis, ac alias Apoſtolicas litteras ex diverſis cauſis indulgeri, ut de uno Monaſterio ad aliud ſe transferant, diverſa diſ-

diſſidia & diſſenſiones inter eaſdem Moniales & Sorores exoriuntur cum maxima illarum mentium perturbatione: quare dictus Antonius Procurator nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ad occurrendum præmiſſis, quod indultis & licentiis, quæ dictis Monialibus ſe de uno Monaſterio ad aliud transferendi, etiam per Nos & Sedem Apoſtolicam quovis prætextu vel cauſa in poſterum concedentur, ſi ad id Prælatorum & Superiorum earumdem Monialium & Sororum expreſſus accedat aſſenſus, ſtatuere & ordinare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur diſſidiorum & diſſenſionum hujuſmodi fomenta tollere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod de cetero indultis & licentiis hujuſmodi, etiam per Nos & Sedem Apoſtolicam prædictam ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, necnon ex quibuſvis cauſis concedendis, ſi Prælatorum & Superiorum hujuſmodi ad id accedat aſſenſus, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVIII. Januarii MDXL. Pontificatus noſtri anno VI.

XXVII.

Concedit ut in Civitate Salamantina fundetur inſigne Collegium pro Fratribus Obſervantiæ. Ibid. fol. 112.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Miniſter Provincialis & Fratres Ordinis Minorum de Obſervantia provinciæ ſancti Jacobi, juxta morem dicti Ordinis, quod alias quondam Maria de Zuniga, dum viveret, Duciſſa de Bejar, condens de bonis ſuis in ejus ultima voluntate teſtamentum, inter alia voluit & ordinavit, quod in Civitate Salaman. arbitrio executorum ſui teſtamenti, unum Collegium ſcholarium pro quinquaginta pauperibus Religioſis Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſoribus provinciæ ſancti Jacobi, juxta morem ejuſdem Ordinis, cum Eccleſia & capella, ad quam ejus corpus transferri juſſit, de bonis ſuis fundari ac erigi & inſtitui, quodque tam a primæva erectione Collegii hujuſmodi, quam ex tunc perpetuis futuris temporibus Rector pro tempore exiſtens, ad tempus de quo videretur, & Religioſi ſcholares dicti Collegii, in eo per ſeptennium dumtaxat moraturi, in Capitulis provincialibus pro tempore celebrandis per Miniſtros, & Definitores Provinciæ, & Ordinis prædictorum pro tempore exiſtentes eligi & nominari, ac Miniſter Provincialis Provinciæ, & Rector Collegii hujuſmodi pro tempore exiſtentes, cum majori parte dictorum Fratrum ſcholarium omnia & ſingula, quæ pro bono dicti Collegii ſtatuenda viderentur, ſtatuere, ordinare, ac ſcholares in Collegio hujuſmodi pro tempore commorantes, in Sacerdotio videlicet conſtituti, Miſſas celebrare, reliqui vero ſcholares ad presbyteratus ordinem non promoti, juxta providam ordinationem Rectoris Collegii hujuſmodi ſingulis hebdomadibus cujuslibet anni officium defunctorum pro ipſius Mariæ teſtatricis, poſtquam ab hoc ſeculo migraſſet, & illius mariti & aliorum defunctorum ſuorum animarum ſalute dicere deberent & tenerentur: ac nullus ex Fratribus dicti Ordinis, qui dictæ Provinciæ filius non eſſet, niſi aliunde ſibi neceſſaria miniſtrarentur, in dicto Collegio admitti poſ-

poſſet : ac pro conſtructione & dotatione dicti Collegii , illiuſque manutentione & conſervatione , ac ſcholarium inibi pro tempore introductorum ſubſtentatione , ex propriis ejuſdem Mariæ bonis certum tunc expreſſum reditum , *annuum ſoro* nuncupatum, ad ſummam ſexcentorum millium morapetinorum monetæ illarum partium aſcendentem , dicto Collegio ex tunc , & in eventum in quem certæ tunc expreſſæ perſonæ abſque filiis legitimis , ſeu ipſorum filii intra pupillarem ætatem decederent , alium etiam tunc expreſſum reditum annuum aliorum ſimilium centum millium morapetinorum , & inſuper nonnulla jocalia & alia bona mobilia & pretioſa , Divino cultui ad uſum dictæ capellæ applicanda , capellæ hujuſmodi legavit , reliquit & deſignavit : quodque ipſum Collegium redituum & bonorum hujuſmodi , regularibus inſtitutis dicti Ordinis non obſtantibus , per Sedem Apoſtolicam capax fieri curaretur , ſimiliter ordinavit ; prout in teſtamento ſeu ultima voluntate ipſius Mariæ Duciſſæ dicitur plenius contineri . Quare pro parte eorumdem exponentium nobis fuit humiliter ſupplicatum , ut juxta voluntatem dictæ Mariæ Duciſſæ unum Collegium ſcholarium in Civitate prædicta pro eiſdem quinquaginta ſcholaribus Religioſis perpetuo erigere & inſtituere , aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur .

§. II. Nos igitur qui Religioſorum quorumlibet , præſertim litterarum ſtudio inſiſtere cupientium , commoditatibus libenter conſulimus , & pias teſtantium voluntates ad debitum effectum perduci ſinceris deſideramus affectibus , hujuſmodi ſupplicationibus inclinati , vobis per præſentes committimus & mandamus , quatenus vos vel duo aut unus veſtrum , per vos vel alium ſeu alios in Civitate prædicta , & loco per executores dicti teſtamenti ad id eligendo , unum Collegium ſcholarium pro uſu & habitatione quinquaginta pauperum Religioſorum Ordinis & Provinciæ prædictorum , cum Eccleſia & capella , & ſub invocatione de qua executoribus dicti teſtamenti videbitur , ac cum campanili , campanis , dormitorio , refectorio , hortis , & aliis officinis neceſſariis perpetuo erigere & inſtituere , ac omnia & ſingula alia per dictam Mariam , ut præfertur , ordinata exequi auctoritate noſtra curetis .

§. III. Nos enim vobis ſuper præmiſſis &c. quodque contradictores quoſlibet & rebelles , cujuſcumque dignitatis , ſtatus , gradus , Ordinis , conditionis , nobilitatis & excellentiæ fuerint , per cenſuras Eccleſiaſticas , & pecuniarias veſtro arbitrio moderandas & ampliandas pœnas , aliaque juris opportuna remedia , appellatione poſtpoſita , compeſcendi , ac cenſuras & pœnas prædictas , etiam iteratis vicibus aggravandi , interdictum Eccleſiaſticum apponendi , & etiam ad hoc , ſi opus fuerit , auxilium brachii ſecularis invocandi , omniaque & ſingula alia in præmiſſis , & circa ea neceſſaria , ſeu quomodolibet opportuna faciendi , ipſiſque Rectori & ſcholaribus , ut omnibus & ſingulis privilegiis , immunitatibus , favoribus , libertatibus , indultis & gratiis , quibus alii quicumque Rector & ſcholares aliorum Collegiorum Univerſitatis dictæ Civitatis quomodolibet utuntur , potiuntur & gaudent , ac uti , potiri & gaudere poterunt in futurum , uti , potiri & gaudere , ac quæcumque ſtatuta & ordinationes perpetuitatem , ac ſalubrem directionem , ac rectam vivendi normam dicti Collegii & illius ſcholarium quomodolibet concernentia , quæ eo ipſo Apoſtolica auctoritate confirmata ſint , condi , alterari & mutari , necnon quaſcumque pœnas in contravenientes apponi libere & licite valeant , concedimus & indulgemus : decernentes præſentes litteras , & in eis contenta quæcumque , & earum vigore ſequuta , ſub nullis etiam illorum totum tenorem inſerentibus revocationi-

bus ,

bus, ſuſpenſionibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, a nobis & Sede prædicta quomodolibet pro tempore emanatis, ullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe & fore cenſeri, ſicque in præmiſſis omnibus per quoſcumque Judices & Commiſſarios, etiam S. R. E. Cardinales, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, in quavis inſtantia, ſublata eis quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari, iuterpretari atque decidi debere: irritum quoque & inane quidquid ſecus ſuper his per quoſcumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus ſel. record. Boniſacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c. Volumus autem quod Miniſter Provincialis & Fratres prædicti litteras Apoſtolicas ſub plumbo ſuper præmiſſis intra annum ab actis præſentium computandum expedire teneantur, alioquin præſentes, & conceſſio, ſi qua ſuper præmiſſis emanavit, nullius ſint roboris vel momenti.

Datum Romæ &c. die XVII. Aprilis MDXL. Pontificatus noſtri an. VI.

XXVIII.

Eos deputat Conſervatores Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, & Monialium eidem ſubjectarum. Ibid. ſol. 113.

Venerabilibus fratribus noſtris Toletan. Hiſpalen. Archiepiſcopis, & Epiſcopo Mindonien. & eorum cuilibet.

§. I. DUdum ſel. record. Joanni Papæ XXII. prædeceſſori noſtro pro parte tunc Miniſtri Generalis & Fratrum Ordinis Minorum expoſito, quod a nonnullis, qui nomen Dei in vanum recipere non formidabant, diverſis & gravibus jacturis, injuriis, violentiis & moleſtiis in diverſis mundi partibus extra Regnum Franciæ affligebantur, idem prædeceſſor eorumdem Miniſtri & Fratrum providere quieti, & malignorum conatibus obviare volens, tunc Archiepiſcopum Braccarenſem & Mindonienſem, ac Legionenſem Epiſcopum eis in Conſervatores & Judices deputavit, eiſque mandavit, quatenus eiſdem Miniſtro & Fratribus efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, non permitterent eos a prædictis vel quibuſvis aliis indebite moleſtari, vel eis damna, injurias & violentias ac moleſtias irrogari, facturi eiſdem Miniſtro & Fratribus, cum ab eis vel procuratore aut procuratoribus eorum requiſiti forent, de prædictis & aliis perſonis quibuslibet, de quibuſcumque moleſtiis & damnis eis tunc & in futurum illatis & inferendis, in illis videlicet, quæ judicialem requirerent indaginem, de plano, ſummarie, ſine ſtrepitu & figura judicii, in aliis vero, prout qualitas negotiorum exigeret, juſtitiæ complementum; moleſtatores, præſumptores & injuratores hujuſmodi, necnon contradictores quoslibet & rebelles, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, ordinis vel conditionis eſſent, etiamſi Pontificali reſulgerent dignitate, quomodocumque & quotieſcumque expediret, per cenſuras Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus foret, auxilio brachii ſecularis; prout in ejuſdem Prædeceſſoris litteris deſuper confectis, quacumque derogatione conſtitutionis piæ memoriæ Boniſacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, tunc ſui, ac aliis clauſulis & facultatibus in forma in quinterno Cancellariæ Apoſtolicæ annotata, contentis, tunc expreſſis emanarunt, plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Vincentii Lunelli, moderni dicti Ordinis Generalis Miniſtri petitio conti-

nebat, ipſe & alii ejuſdem Ordinis profeſſores, propter locorum longinquam diſtantiam, Archiepiſcopum & Epiſcopos Conſervatores prædictos pro ſingulis eorum querelis commode adire non poſſint, cupiantque pro eorum faciliori commoditate alios eis, necnon pro tempore exiſtentibus Miniſtro & Fratribus, ac eorum curæ & viſitationi etiam pro tempore commiſſis dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſis & Monialibus ſanctæ Claræ de Obſervantia & Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ Ordinum, necnon Miniſtris & Sororibus Tertii Ordinis beati Franciſci commodiores Conſervatores & Judices loco prædictorum Conſervatorum & Judicum deputari & ſubrogari, & propterea pro dictorum Miniſtri & Fratrum parte nobis humiliter ſupplicatum fuerit, ut eis ſuper his de opportuno remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per præſentes committimus & mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, per vos vel alium ſeu alios, etiamſi fueritis extra Inca, in quibus Conſervatores & Judices deputati eſtis, eidem Generali Miniſtro & Fratribus, ac Abbatiſſis, Miniſtris, Monialibus & Sororibus hujuſmodi, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis eos a prædictis, vel quibuſvis aliis moleſtatoribus, injuriatoribus & violatoribus præſentibus & futuris, quovis quæſito colore, quomodolibet indebite moleſtari ſeu perturbari, ac alias ad executionem earumdem litterarum Joannis prædeceſſoris hujuſmodi, quorum tenores haberi volumus pro expreſſis, juxta earum tenorem procedatis in omnibus & per omnia, perinde ac ſi litteræ ipſæ vobis directæ fuiſſent. Nos enim vobis ſuper præmiſſis, quodque omnia & ſingula reſcripta & litteras Apoſtolicas quibuſvis Fratribus dicti Ordinis Apoſtatis conceſſa & conceſſas, citatis & vocatis quorum intereſt, examinare, & quatenus illa vel illas ex ſubreptione vel obreptione, aut intentionis defectu nullitatis vitio ſubjacere repereritis, eoſdem Fratres ad Ordinem prædictum revocare & reducere, & etiamſi litteræ hujuſmodi nullitatis vitio non ſubjaceant, Fratres, qui litterarum, aut reſcriptorum hujuſmodi vigore habitum dimiſerunt, a Provinciis, in quibus in habitu dicti Ordinis viſi fuerint, ejicere, & etiam extra dictas Provincias ad portandum aliquod ſignum, per quod a Fratribus dicti Ordinis in ipſo Ordine manentibus diſtinguantur, cogere & compellere; Generalibuſque ac Provincialibus Magiſtris & Fratribus Ordinis Minorum, Conventualium nuncupatorum, ne aliquem Ordinis Minorum & Obſervantiæ prædictorum profeſſores abſque Prælatorum ſuorum ſpeciali licentia inſcriptis habita, in eorum domibus & locis, contra tenorem litterarum a piæ memoriæ Leone Papa X. etiam prædeceſſore noſtro ſuper concordia inter ipſos de Obſervantia, & Conventuales nuncupatos Fratres emanatarum, recipere ſeu retinere præſumant; & ſi quos contra dictarum litterarum tenorem jam receperint, eos intra competentem terminum, eis per vos præfigendum, ad dictum eorum, a quo digreſſi ſunt, Ordinem remittant, præcipiendi & mandandi, Contradictores quoque, moleſtatores, perturbatores ac inquietatores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac ejuſdem Bonifacii prædeceſſoris &c. ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XVII. Aprilis MDXL. Pontificatus noſtri anno VI.

XXIX.

Ut cogant Fratres extra Ordinem commorantes ad eumdem ſuoſque Conventus redire. Ibid. fol. 114.

Univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filiis eorumdem Patriarcharum & Epiſcoporum Officialibus, ſeu Vicariis in ſpiritualibus generalibus, & eorum cuilibet, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius Lunellus, Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ nuncupatorum profeſſor, & totius ipſius Ordinis Generalis Miniſter, quod diverſi Fratres Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ profeſſores, prætextu diverſarum a nobis, ſeu majori Pœnitentiario noſtro ſubreptitie & obreptitie extortarum litterarum, ab obedientia ſuorum Superiorum ſe ſubtraxerunt, & habitu dicti Ordinis dimiſſo, ſeu etiam quandoque retento, per Provincias, in quibus ſub obedientia viſi & verſati fuerunt, ſoli vagantur, & alia eorum profeſſioni minime convenientia faciunt, propter quæ reliqui ejuſdem Ordinis profeſſores ſub obedientia viventes, plurimum perturbantur, & exinde etiam ſcandalum in populis generatur. Quare idem Vincentius Miniſter nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi Ordinis ſalubrem directionem ſinceris deſiderantes affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis & cuilibet veſtrum per præſentes committimus & mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, per vos vel alium ſeu alios, vocatis quorum intereſt, ſingulas litteras hujuſmodi ſuper earum ſubreptione vel obreptione, aut intentionis defectu diligenter examinetis, & ubi illas ex ſubreptione vel obreptione, aut intentionis defectu nullitatis vitio ſubjacere repereritis, eoſdem Fratres ab obedientiam ipſam dicta auctoritate revocare & reducere curetis; nec patiamini aliquos Fratres, qui prætextu litterarum a nobis etiam in forma Brevis, aut Pœnitentiario noſtro præfato pro tempore extortarum, ab obedientia Superiorum ſuorum ſe ſubtraxerint, ſi habitum Ordinis prædicti dimiſerunt, in locis, in quibus in habitu dicti Ordinis viſi fuerint, reſidere, & ſi habitum ipſius Ordinis geſtaverint, ubicumque fuerint, eos aliquod ſignum, per quod a Fratribus dicti Ordinis ſub obedientia manentibus dignoſcantur, deferre cogatis: necnon Generali & Provincialibus Magiſtris pro tempore exiſtentibus, ac Fratribus ipſius Ordinis, Conventualibus nuncupatis, ne aliquos Fratres ſub Regulari Obſervantia degentes, abſque ſpeciali Prælatorum ſuorum licentia in ſcriptis habita, in eorum domibus & locis præter aut contra tenorem litterarum fel. record. Leonis Papæ X. prædeceſſoris noſtri, ſuper concordia inter Fratres de Obſervantia, & Conventuales nuncupatos emanatarum recipere ſive retinere præſumant, diſtrictius inhibentes: ac eis, ut ſi quos contra tenorem litterarum hujuſmodi, jam receperint, eos infra competentem terminum eis per vos, poſtquam deſuper per prædictos Fratres, de Obſervantia nuncupatos requiſiti fuerint, præfigendum, ad domum a qua receſſerunt, remittant, moneatis & requiratis. Contradictores &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xxx. Maii MDXL. Pontificatus noſtri anno VI.

XXX.

Concedit, ut vivere poſſint ſub regimine Fratrum de Obſervantia, & Regula Urbani IV. Ibid. fol. 115.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterii ſanctæ Claræ oppidi Montis Marſani, Ordinis ejuſdem ſanctæ Claræ Tertiæ Regulæ, Aduren. diœceſis.

§. I. CUm, ſicut exponi nobis nuper feciſtis, duodecim jam annis elapſis vel circa, vos, quæ antea ab ipſo veſtri Monaſterii fundationis initio, ſub nullius regimine, & abſque aliqua regularis obſervantiæ Regula vivere conſueveratis, ut meliorem & tranquilliorem vitæ ſtatum conſequeremini, vos curæ & regimini Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum ſubmiſeritis, prout ad præſens ſubmiſſæ eſtis, & zelo devotionis accenſæ, ſub Tertia Regula ſanctæ Claræ a ſel. rec. Urbano Papa IV. prædeceſſore noſtro inſtituta ſeu conceſſa, vivere cupiatis, & Regulam ipſam vobis ab eiſdem Fratribus tradi obtinueritis: pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis, quod ſub Regula hujuſmodi vivere poſſitis, concedere, aliaſque deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis ut ſub Regula ſanctæ Claræ vobis tradita hujuſmodi vivere, omnibuſque & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, favoribus, gratiis & indultis, aliis Abbatiſſis & Monialibus ejuſdem Regulæ tam ab eodem Urbano, quam quibuſvis aliis prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, & Apoſtolicæ Sedis Legatis, aut quibuſvis aliis in genere conceſſis ſeu cummunicatis, quorum omnium tenores hic pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, frui & gaudere libere & licite poſſitis & valeatis, Apoſtolica auctoritate per præſentes concedimus: Mandantes dilectis filiis Cantori Eccleſiæ Toloſan. & officiali Toloſan. quatenus ipſi aut alter eorum, per ſe vel alium ſeu alios vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant vos privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, gratiis, favoribus & indultis prædictis pacifice frui & gaudere, non permittentes vos deſuper contra illorum tenorem per quoſcumque quomodolibet moleſtari. Contradictores &c. Invocato &c. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ &c. die VIII. Junii MDXL. Pontificatus noſtri anno VI.

XXXI.

Declarat Conventus & Monaſteria reformata Regni Navarræ uniri debere Provinciæ Aragoniæ. Ibid. fol. 116.

Dilecto filio Miniſtro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum Provinciæ Aragoniæ ſecundum morem dicti Ordinis.

§. I. EXponi nobis nuper feciſti, quod licet poſtquam alias ſel. record. Adrianus VI. primo, & deinde Clemens VII. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, Fratrum Minorum, Conventualium nuncupatorum, ac ſanctæ Crucis oppidi Campenſis Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, domos, ac alia Monialium Monaſteria Ordinis ſanctæ Claræ, ſub cura

cura dictorum Fratrum Minorum, Conventualium nuncupatorum degentia, in Regno Navarræ conſiſtentia, per eorum litteras reformari mandaverant, cum fuiſſet ortum dubium, an domus & Monaſteria hujuſmodi de Aragoniæ, ſeu Burgen. Provincia eſſent, idem Clemens prædeceſſor dilecto filio noſtro Franciſco tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem Presbytero Cardinali, tunc in minoribus conſtituto, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum Generali Miniſtro, per ſuas in forma Brevis litteras commiſerit, ut domos & Monaſteria prædicta, poſtquam reformata forent, alteri ex dictis Aragoniæ vel Burgenſis Provinciis uniret & incorporaret: & dictus Franciſcus Cardinalis ad dictarum litterarum executionem, etiam juxta concordiam tempore piæ memoriæ Leonis Papæ X. etiam prædeceſſoris noſtri inter Conventuales, & de Obſervantia nuncupatos Ordinis Minorum Fratres procedens, domos & Monaſteria prædicta dictæ Provinciæ Aragoniæ univerit & incorporaverit, ſeu uniri & incorporari mandaverit, ſicque reformatio & unio domorum, & Monaſteriorum prædictorum ad te, tamquam in tua Provincia conſiſtentium, ſpectare debeant: nihilominus dilectus filius Provincialis Miniſter ejuſdem Ordinis Minorum de Obſervantia Provinciæ Burgen. prædictæ, prætendens domos & Monaſteria prædicta de ſua Provincia eſſe, in illis reformandis ſe intromittere nititur, in magnam ejuſdem Ordinis confuſionem & perturbationem, ac ſcandalum plurimorum. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur confuſionem & ſcandala hujuſmodi tollere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, volumus & Apoſtolica tibi auctoritate committimus, quatenus domos & Monaſteria prædicta alias juxta formam litterarum prædictarum reformes, & poſtquam reformaveris, dictæ Provinciæ Aragoniæ unias & incorpores: Inhibentes Provinciali Miniſtro Provinciæ Burgenſis hujuſmodi, ne in reformandis domibus & Monaſteriis prædictis ſe intromittere, aut te impedire præſumat: Fratribus vero & Abbatiſſis & Monialibus domorum & Monaſteriorum eorumdem mandantes, ut tibi tamquam eorum Provinciali Miniſtro in his, quæ ad tuum officium pertinent, omnino pareant & obediant, & tua ſalubria monita adimpleant: præcipiendo quoque venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Cæſarauguſtan. & Epiſcopo Pampilonen. vel eorum in ſpiritualibus Vicariis generalibus, quatenus ipſi vel unus eorum per ſe vel alium ſeu alios tibi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eaſdem præſentes inviolabiliter obſervari, non permittentes aliquid in contrarium per dictum Provincialem Miniſtrum Provinciæ Burgen. vel quoſcumque alios quomodolibet attentari. Contradictores &c. Invocato &c. Non obſtantibus præmiſſis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ &c. die IV. Julii MDXL. Pontificatus noſtri anno VI.

XXXII.

Concedit eis ut poſſint ſuccedere in bonis temporalibus, eorumque confirmat privilegia. Ex Bullario Roder. num. 5.

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Magiſtris, univerſiſque Fratribus Ordinis Minorum, Conventualium nuncupatorum.

§. I. EXhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod licet quamplura privilegia, exemptiones, immunitates, libertates, gratiæ & indulta vobis & Ordini veſtro per diverſos Romanos Pontifices,

ces, præſertim Sixtum IV. per quaſdam ſub pridie Kalendas Septembris incipientes: *Univerſalis Eccleſiæ*, *Mare magnum* nuncupatas, & Leonem X. prædeceſſores noſtros per alias ſuper electione Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis, univerſalique unione & concordia inter vos & Fratres dicti Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum initis, ſub pridie Idus Junii datis, eorum Pontificatus quarto, reſpective annis, deſuper confectas ſub plumbo litteras, *Bullam concordiæ* nuncupatas, conceſſa fuerint, & inter cetera vobis per Sedem Apoſtolicam indultum fuerit, quod in temporalibus bonis, in quibus de jure ſuccederetis, ſi in ſeculo maneretis, ſuccedere; necnon legata, relicta, eleemoſynas, & quamcumque pecuniarum ſummam, aliaque bona, quæ vobis in futurum relinqui vel elargiri contingeret, recipere, tenere & habere, ac in veſtros uſus convertere, omnibuſque & ſingulis aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis & indultis, Fratribus dicti Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatis, & illorum Ordini prædictis quomodolibet conceſſis, uti, frui & gaudere libere & licite poſſetis, prout in ſingulis prædictis, & aliis deſuper confectis litteris plenius continetur; ipſaque privilegia, immunitates, exemptiones, libertates & gratiæ, indulta & conceſſiones in viridi ſint obſervantia: Cupitis tamen pro majori animi veſtri ſatisfactione, privilegia, exemptiones, immunitates, libertates, gratias, indulta & conceſſiones hujuſmodi auctoritate noſtra roborari. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut votis veſtris hujuſmodi annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula privilegia, exemptiones, immunitates, libertates, gratias, indulta & conceſſiones hujuſmodi, & deſuper confectas litteras, quarum omnium tenores hic pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus: decernentes ea, ita tamen quod temporalia vobis per Prædeceſſores noſtros conceſſa, de Superioris veſtri licentia tantum in veſtros particulares uſus convertere poſſitis, inviolabiliter obſervari, & vobis ſuffragari debere: ſicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios &c. judicari & definiri debere, irritumque & inane &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die xxvii. Octobris mdlx. Pontificatus noſtri anno vi.

MO-

MONUMENTA VARIA.

ANNO CHRISTI 1518. LEONIS X. ANNO 6.

I.

Fert teſtimonium quorumdam privilegiorum a Pontifice conceſſorum. Ex Reg. Ciſm. Curiæ fol. 9.

LAURENTIUS miſeratione Divina ſanctorum Quatuor Coronatorum ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis: univerſis & ſingulis venerabilibus Patribus Miniſtris Generali & Provincialibus, & aliis devotis Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, necnon Monialibus ſanctæ Clarę, ac Tertiariis præſentes litteras inſpecturis, lecturis & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam.

RAtio exigit & æquitas perſuadet veritati teſtimonium perhibere; hinc eſt quod nos Univerſitati veſtræ tenore præſentium notum facimus & atteſtamur, quod nuper ſanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter, Dominus Leo Divina providentia Papa X. nobis inſtantibus & procurantibus, infraſcriptas gratias & indulta, quæ ſequuntur, vobis modo, quo ſequitur, vivæ vocis oraculo nobis facto, conceſſit. Beatiſſime Pater, alias S. V. conceſſit omnibus Fratribus, ac Monialibus ſanctæ Clarę, & Tertii Ordinis, quod dicendo quinquies Pater noſter cum Ave Maria, & in fine cujuslibet Gloria Patri, & pro Sanctitate Veſtra, unum Pater cum Ave Maria ſimiliter cum Gloria Patri, lucrentur ſtationes Urbis; a nonnullis dubitatur utrum intelligatur de aliis indulgentiis &c. Dignetur declarare de mente ſua fuiſſe, quod lucrentur ſtationes, indulgentias & remiſſiones tam Urbis, quam etiam Portiunculæ, ſive Hieruſalem, & ſancti Jacobi in Compoſtella. Et quod quacumque hora diei vel noctis, & quocumque loco dicant, ſcilicet, Choro, Eccleſia, Clauſtro, Oratorio, ac cella, lucrentur illas. Item S. V. conceſſit certas indulgentias dicentibus coronam Chriſti Domini noſtri, & Matris ſuæ: infirmi tamen & ſenes in decrepita ætate conſtituti ſive conſtitutæ, non valent illas lucrari, quia non ſemper tot poſſunt dicere. Dignetur eis concedere, quod tales dicendo unum Pſalmum vel Hymnum .... vel Domini noſtri lucrentur illas, prout in dicta conceſſione continetur. Et quoniam P. S. ſcrupuloſi ponendo vel poſtponendo Officium Divinum, ſemper timent, dignetur S. V. præfatis concedere, quod quando habent aliquas occupationes, poſſint ſine conſcientiæ ſcrupulo, anteponere ſive poſtponere Officium, puta Matutinum dicendo ante mediam noctem, quacumque hora voluerint, & alias horas de mane uſque ad veſperas excluſive, etiamſi occupatio non ſit multum acerrima, ſed ſatis eſt, quod cogitent tunc devotius ac quietius dicere. Et quoniam S. V. & alii Prædeceſſores conceſſerunt certas indulgentias ſecularibus morientibus in habitu ſancti Franciſci, & quia vix poteſt fieri, quod quis in habitu moriatur, tum propter infirmitatis gravedinem, tum etiam, quia tractando eum, ſic mors acceleratur: Dignetur declarare ſufficere habitum prædictum petere, & ſuper ſe uſque ad mortem habere, ac in eo ſepeliri, etiamſi ante mortem non induatur. Et quia omnia præinſerta modo præfato, ut præfertur, fuerunt petita a præfato ſanctiſſimo Domino noſtro Leone Papa X. nobis fuerunt conceſſa. Ideo in omnium & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum, præſentes noſtras patentes litteras exinde fieri, & per ſe-

ſecretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus, noſtrique majoris ſigilli juſſimus & fecimus appenſione communiri.

Datum & actum Romæ in ſacro Palatio Apoſtolico in camera noſtræ ſolitæ reſidentiæ, ſub anno a nativitate Dnmini MDXVIII. indictione VI. die vero primâ menſis Septembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Leonis Divina providentia Papæ X. anno VI.

Anno Christi 1520. Leonis X. anno 8.

II.

Pontifex concedit Indulgentias orantibus ante Statuas & imagines cœmeterii Antuerpienſis. Ibid. fol. 19.

CHRISTOPHORUS NUMAJUS miſeratione Divina tituli ſanctæ Mariæ de Aracœli ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Forolivien. univerſis &c. Salutem in Domino ſempiternam.

RAtio exigit, & veritas perſuadet veritati teſtimonium perhibere. Quapropter tenore præſentium Univerſitati veſtræ notum facimus & atteſtamur, quod nuper ſanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter, Dominus Leo Divina providentia Papa X. ad ſedulam inſtantiam venerabilis Patris ac religioſi viri fratris Franciſci Vander Dilſt Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ pro nunc in Romana Curia, & ipſius Ordinis ſervitio permanentis, procurante, atque ad pedes ſuæ Sanctitatis, ſupplicante Reverendo Patre fratre Joanne Franciſco de Potentia, totius præfati Minorum Ordinis Procuratore meritiſſimo, infraſcriptas gratias & indulta, quæ ſequuntur, vivæ vocis oraculo, de benignitate Apoſtolica ſibi facto, modo, quo ſequitur, conceſſit. *Beatiſſime Pater, exponitur S. V. pro parte devoti illius oratoris Franciſci Vander Dilſt Antuerpienſis, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ religioſi, quod cum in dicto inſigni oppido Antuerpienſi, Cameracenſis diœceſis, celebris ſit ejuſdem Minorum Ordinis Regularis Obſervantiæ Conventus, cujus idem orator pro nunc conventualis exiſtit, ubi in dies Divinus cultus magna cum devotione, ac copioſa populi frequentia celebratur, Dei verbum indefeſſe prædicatur, atque in optimo ſanctitatis odore exemplariter vivitur, adeo ut innumerabiles utriuſque ſexus fideles animabus ſuis conſulere volentes, ad prædictum locum nedum in vita paſſim confluant, ſed etiam poſt mortem juxta eorum ultimam voluntatem, corpora ſua ibidem tam in Eccleſia, quam cœmeterio adjuncto humanda relinquant: in quo quidem cœmeterio ſatis ſpatioſo, multis arborum frondibus, politis ſarcophagis, diverſis mortuorum epitaphiis, ingenioſis picturis, atque ex lapide ſtatuis mirifice adornato, inter cetera redemptionis noſtræ inſignia, ob communem Chriſtiani populi devotionem, & animarum, quarum ibi corpora requieſcunt, ſalubrem recordationem, ſumma induſtria, & non minima populi impenſa elaborata, pretioſiſſimæ imagines ſacram Chriſti paſſionem, ejuſque doloroſæ Matris Mariæ memoriam repræſentantes ſunt poſitæ, quæ non ſolum intuentium corda ad mentis compunctionem excitant, verum etiam ad pie pro defunctis exorandum provocant. Rogat igitur humiliter S. V. orator prædictus, quatenus eadem S. V. ex ſanctæ Matris noſtræ Eccleſiæ theſauro digniſſime ſibi credito, tum vivis tum defunctis Chriſtifidelibus ſuccurrendo, omnibus & ſingulis præfatis Chriſtifidelibus ante Dominicam Cracem, in eodem cœmeterio decentiſſime erectam, atque imaginem glorioſæ Dei Genitricis Mariæ, de Pietate nuncupatam, e regione ejuſdem*

ANNO CHRISTI 1520. LEONIS X. ANNO 8.

dem Crucis poſitam, reliquaſque figuras, tam ipſius filii Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti reſurrectionem, ſanguiniſque pretioſiſſimi effuſionem, quam prædictæ Deiparæ Virginis lamentabilem compaſſionem deſignantes, atque ſacra Divi Franciſci ſtigmata præferentes, ter orationem Dominicam, annexa toties Salutatione Angelica pro S. V. totiuſque orthodoxæ fidei ſalute, & animarum in pœnis exiſtentium, quarum illo in Conventu univerſum per ambitum tam in Eccleſia, quam cœmeterio aliiſque locis Deo dicatis, corpora carnis reſurrectionem expectant, liberatione, dicentibus ante ſingula ſupra præmiſſa loca, centum dies indulgentiarum omni tempore, ac quoties id fecerint, ſibi animabuſque purgandis per modum ſuffragii promerendas, ſemper duraturas, vivæ vocis oraculo, de benignitate & auctoritate Apoſtolica, ac ſingulari gratia, nullis contrariis obſtantibus concedere & elargiri dignetur.

ANNO CHRISTI 1530. CLEMENTIS VII. ANNO 7.

III.

Jubet ne exigatur ab Obſervantibus taxa impoſita bonis ſtabilibus. Ibid. fol. 55.

AUGUSTINUS SPINULA tituli ſancti Cyriaci in Thermis Presbyter Cardinalis Perufinus, S. R. E. Camerarius, univerſis & ſingulis ſuper impoſitione dimidii ducati pro quolibet centenario valoris bonorum ſtabilium Commiſſariis, ſalutem in Domino.

DE ſpeciali ſanctiſſimi D. N. Papæ mandato vivæ vocis oraculo ſuper hoc nobis facto, & auctoritate noſtri Camerariatus officii, ſub arbitrii noſtri pœna vobis mandamus, quod Miniſtros, Guardianos & Fratres Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia, qui alia bona ſtabilia, quam Eccleſiam, Conventum, hortos & ſylvas Conventui conjunctas, recreationis, non fructus cauſa, non habent, occaſione dicti dimidii pro quolibet centenario valoris Conventus, hortorum & ſylvarum hujuſmodi non moleſtetis, nec faciatis neque permittatis moleſtari.

Datum Romæ in Camera Apoſtolica die XXX. Maii MDXXX. Pontificatus ſanctiſſimi D. N. Clementis Papæ VII. anno VII.

IV.

Declarat Mulieres viventes ſub quadam norma peculiari in Monaſterio Clariſſarum Vigilienſi eſſe veras Clariſſas. Ibid. fol. 60.

ANDREAS miſeratione Divina tituli ſanctæ Priſcæ S. R. E. Presbyter Cardinalis de Valle vulgariter nuncupatus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci, necnon & Monialium ſanctæ Claræ univerſalis Protector.

DE mandato ſanctiſſimi D. N. Papæ vivæ vocis oraculo deſuper nobis facto, necnon vigore motus proprii, ac auctoritate officii declaramus Mulieres illas introductas & perpetuo introducendas in quoddam Monaſterium tituli ſanctæ Mariæ de Virginibus in Vigilien. diœceſi conſtitutum, per Præſulem dictæ diœceſis vigore unius oblationis cujuſdam nobilis viri Bernardini Spallutiæ dictæ diœceſis, qui donavit eidem Præſuli quaſdam domos & poſſeſſiones, ut ex ipſis fieret Monaſterium Monialium viven-

ANNO CHRISTI 1530. CLEMENTIS VII. ANNO 7.

viventium ſub Regula ſanctæ Claræ de Obſervantia, obſervantes & viventes in clauſura, obedientia, caſtitate, ac paupertate in communi, facienteſque nonnulla negotia ultra quam Eccleſia præcipit, vivere ſecundum Regulam ſanctæ Claræ, & tuto ipſas poſſe emittere profeſſionem vivendi ſub Regula ſanctæ Claræ, licet non omnia præcepta ipſius Regulæ ſervent, cum tamen principaliora & eſſentialia ſervent, quæ ſupra diximus. Ideo etiam declaramus, quod ipſæ tali modo viventes, voluntati fundatoris tamen ſatisfaciant; non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus. In quorum fidem & teſtimonium has noſtras fieri præcepimus, & manus noſtræ propriæ ſubſcriptione, ac ſigillo noſtro rotundo communiri fecimus.

Datum in Palatio noſtro intra Urbem, die XV. Julii MDXXX. Pontificatus ſanctiſſimi D. N. Clementis Papæ VII. anno VII.

ANNO CHRISTI 1536. PAULI III. ANNO 2.

V.

Teſtimonium perhibet de Indulgentiis & gratiis, quas Pontifex conceſſit Confratribus Confraternitatum Conceptionis. Ibid. fol. 221.

FRANCISCUS miſeratione Divina tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem S. R. E. Presbyter Cardinalis de Quiñones: univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis, lecturis pariter & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam.

HOdie ſanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter, Dominus Paulus Divina Providentia Papa III. ad preces noſtras, dilectis nobis in Chriſto Confratribus Confraternitatum Conceptionis beatæ Mariæ Virginis in Hiſpaniarum Regnis exiſtentibus, atque eorum cuilibet utriuſque ſexus, qui vere contritus atque confeſſus, ſeu confitendi propoſitum habens, in feſto Conceptionis ejuſdem beatæ Mariæ Virginis, ſeu aliqua infra ejus octavam die, aliquam Eccleſiam ſub invocatione præfatæ beatæ Mariæ Virginis viſitaverit, ac novies ſalutationem Angelicam fuderit; ſeu ſi legitime impeditus fuerit, aut ſi Eccleſia ſub hujuſmodi invocatione non exiſtat, ubicumque moram traxerit, coram aliqua dictæ Mariæ Virginis imagine eaſdem novem ſalutationes Angelicas recitaverit, ut omnes & ſingulas indulgentias, ac peccatorum remiſſiones, quas conſequerentur, ſi quadrageſimalibus, & aliis anni temporibus & diebus ſtationum Eccleſias etiam ſeptem principales Almæ Urbis, & extra ejus mœnia & muros conſiſtentes eodem die ad id deputatas perſonaliter viſitarent, conſequantur, & quilibet eorum conſequatur: necnon quaſcumque gratias, indulta & conceſſiones, ac immunitates per Romanos Pontifices Sanctitatis ſuæ prædeceſſores, ſub quibuſcumque verborum formis, Confraternitati & Confraternitatibus Conceptionis ejuſdem beatæ Mariæ Virginis in Curia Regni Hiſpaniarum ubicumque de loco ad locum transfertur, conceſſas & conceſſa, præfatis Confratribus vivæ vocis oraculo nobis deſuper facto miſericorditer & perpetuo conceſſit & elargitus eſt. Quodque quilibet ex dictis Confratribus in feſtivitate Conceptionis beatæ Mariæ Virginis, ſeu aliquo infra ejus octavas die, poſſit eligere Confeſſorem idoneum ſecularem, vel cujuſvis Ordinis regularem, qui eorum quemlibet a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, inflictis & promulgatis, quibus ipſos & eorum quemlibet quomodocumque etiam Apoſtolica au-

auctoritate pro tempore illaqueari contigerit, dummodo cauſam cenſuris ſeu interdicto hujuſmodi non dederint vel dederit: necnon votorum quorumcumque, Ultramarino, Viſitationis liminum Apoſtolorum Petri & Pauli de Urbe, ac ſancti Jacobi in Compoſtella, Religionis & caſtitatis votis dumtaxat exceptis, ac Eccleſiæ mandatorum tranſgreſſoribus, homicidiorum caſualium vel mentalium, præterquam voluntarii, & caſibus manuum violentarum in quaſvis perſonas Eccleſiaſticas, non tamen Epiſcopos, aut alios Prælatos injectionibus, ab omnique irregularitate mentali & caſuali, ceteriſque omnibus & ſingulis illorum peccatis, criminibus, exceſſibus & delictis quantumcumque gravibus & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes Apoſtolica merito conſulenda foret, exceptis contentis in Bulla, quæ in Cœna Domini ſolita eſt legi, ac bigamis, ſemel in vita, & in mortis articulo eorum confeſſionibus diligenter auditis, in foro conſcientiæ plenarie abſolvere, ac pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungere, & plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem Apoſtolica auctoritate impendere valeat, indulſit. Ac præſentibus, quas ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, & limitationibus ſimilium vel diſſimilium indulgentiarum, etiam in favorem Cruciatæ ſanctæ, ſeu fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis per eum & Sedem Apoſtolicam, etiam motu proprio & alias quomodolibet factis & faciendis, nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties in priſtinum ſtatum eo ipſo reſtitutas exiſtere & cenſere, præfato vivæ vocis oraculo etiam ſuper hoc nobis facto, idem Dominus noſter Papa decrevit perpetuis futuris temporibus quoad ſtationes Urbis valituras. In quorum &c.

Datum Romæ apud Campum Martium in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, ſub anno a Nativitate Domini MOXXXVI. Indictione IX. die vero VII. menſis Januarii, Pontificatus prælibati Sanctiſs. D. N. Papæ anno II.

Simile omnino teſtimonium eodem die perhibuit de Induigentiis, & gratiis eiſdem conceſſis Confratribus Confraternitatum Diſciplinatorum, ſeu ſanctæ Crucis, aut Pœnitentiæ nuncupatorum. Ibid. fol. 222.

Anno Christi 1536. Pauli III. anno 2.

VI.

Fert teſtimonium diſpenſaſſe Pontificem, ut Moniales Fratribus Obſervantiæ ſubjectæ, incipiant jejunium Adventus a feſto ſancti Andreæ; & quod ſex Fratres poſſint ingredi ſepta Monaſterii ad ſepeliendum Sorores. Ex Bullario Roder. num. 2.

FRANCISCUS miſeratione Divina S. Crucis in Hieruſalem S. R. E. Presbyter Cardinalis de Quiñones, univerſis Chriſtifidelibus ſalutem in Domino ſempiternam.

HOdie ſanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Paulus Divina providentia Paulus Papa III. ſupplicationibus noſtris per nos ex parte dilecti Fratris Franciſci Caſtelli, Procuratoris Ordinis Minorum Obſervantiæ porrectis inclinatus; intelligens quod aliquæ Moniales, Fratribus Minoribus de Obſervantia ſubditæ, habent facultatem a Sede Apoſtolica incipiendi jejunium Adventus Domini a feſto ſancti Andreæ, contra ritum & conſuetudinem aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis; ut conformitas in omnibus

ſervetur, & earum fragilitati naturali conſulatur, omnibus & ſingulis Monialibus etiam ſanctæ Claræ prædictis, ut a dicto feſto ſancti Andreæ jejunium Adventus prædictum, non obſtante eadem Regula, ac quibuſcumque aliis ſtatutis & conſuetudinibus eas obligantibus, accedente tamen earum Prælatorum arbitrio, inchoare: item, cum conſuetudo in aliquibus locis Hiſpaniæ admiſerit, quod, cum aliquæ Moniales ab humanis diſcedere contigerit, ſex Fratres ingredi & intrare ſolent Monaſterium ad eas ſepeliendum, & de eo nonnulli Fratres eonſcientiam formant; ut de cetero abſque aliquo ſcrupulo conſcientiæ, clauſtrum dicti Monaſterii intrare, hujuſmodique munere ſungi poſſint & valeant; per ſuum vivæ vocis oraculum nobis deſuper factum, auctoritate Apoſtolica diſpenſavit, conceſſit & indulſit. In quorum &c.

Datum Romæ apud Campum Martium in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, ſub anno a Nativitate Domini MDXXXVI. Indictione IX. die vero XX. menſis Martii, Pontificatus prælibati ſanctiſſimi D. N. Papæ anno II.

PROTESTATIO AUCTORIS.

Lector *adverte, in Elogiis Virorum Illuſtrium, quos hoc libro complexus ſum, nonnulla me obiter attingere, quæ ſanctitatem ipſis videantur aſcribere; perſtringo nonnumquam aliqua ab iis geſta, quæ eum vires humanas ſuperent, miracula videri poſſunt: præſagia futurorum, arcanorum manifeſtationes, revelationes, illuſtrationes, & ſi quæ ſunt alia hujuſmodi: beneficia item in miſeros mortales eorum interceſſione divinitus collata; demum nonnullis ſanctimoniæ, vel martyrii videor appellationem tribuere. Verum hæc omnia ita meis lectoribus propono, ut nolim ab illis accipi tamquam ab Apoſtolica Sede examinata atque approbata: ſed tamquam, quæ a ſola ſuorum Auctorum fide pondus obtineant, atque adeo non aliter quam humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum Sacræ Congregationis S. R. & Univerſalis Inquiſitionis Decretum anno* MDCXXV. *editum, & anno* MDCXXXIV. *confirmatum, integre atque inviolate, juxta declarationem ejuſdem Decreti a ſanctiſſimo D. N. D. Urbano Papa VIII. anno* MDCXXXI. *factam ſervari a me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum aut venerationem aliquam per has meas narrationes ulli arrogare, vel famam & opinionem ſanctitatis aut martyrii inducere ſeu augere, nec quidquam ejus exiſtimationi adjungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem. Sed omnia in eo ſtatu a me relinqui, quem ſecluſa hac mea lucubratione obtinerent, non obſtante quocumque longiſſimi temporis curſu. Hoc tam ſancte profiteor, quam decet eum, qui ſanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione & actione dirigi.*

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM

Notæ Arabicæ paginam, Romanæ marginalem paragraphum denotant.

A

ABAANTINUS Conventus. 238. XXXVIII.
Abulenſe Monaſterium Conceptionis. 457. XLVIII.
Adrianus Enneuſis Archiepiſcopus. 306. XIV.
Adrianus VI. ad Pontificatum evehitur. 135. 2. ejus encomia 172. XXXI. Miſſionariis Indiarum certas conditiones præſcribit, & privilegia concedit 136. III. moritur 171. XXXI.
Adrienſis Conventus 283. XL.
S. Agatæ Conventus. 456. XLIII.
Agennenſe Monaſterium. 296. XXXIII.
Aggeræ ſancti Martini Conventus. 248. XVIII.
Agnes a Conceptione Franciſci Cardinalis Ximenii Soror ſanctitate & ſpiritu prophetico clara. 68. LXIII.
Agnes N. prima Monaſterii Spei Ulyſſiponen. Abbatiſſa, humilitate, patientia & caritate illuſtris. 413. XVIII.
Ajetæ Conventus. 110. XL.
Alacauti Monaſterium. 79. XLI.
Albaciuæ Conventus. 278. XXXI.
Albazeti Domus Sororum Tertii Ordinis. 297. XXXIV.
Albertus de Dereslyen Miniſter Provincialis Hungariæ. 106. XXX.
Albertus Marcheſius doctrina celebris, & ſanctitate. 305. XII.
Alcazaris de Conſnegra Conventus. 336. XXXVIII.
Alcodiæ Conventus 412. XV.
Alcoucelii Conventus. 238. XXXIX.
Aldonſa Pantoxa una ex primis Monaſterii Metymnæ Cœli Fundatricibus. 262. XXIII.
Alexander Roſſetus Commiſſarius Apoſtolicus in Galliis pro Conventualium reformatione. 130. XXII. 219. XXIX.
Alphonſus Alcannizes ſingulari pietate præditus apud Indos & Hiſpanos in maxima veneratione habetur. 383. LXXXII.
Alphonſus de Ataide pietate & virtute illuſtris. 247. XV.
Alphonſus de Caſtro in Cuſtodem Provinciæ ſancti Jacobi eligitur. 190. XXI.
Alphonſus Manriquius Archiepiſcopus Hiſpalenſis de Conventu Furuorum valde meritus. 296. XXIX.
Alphonſus a Manzanete caritate conſpicuus in Cœnobio Alconcelii tumulatus. 239. XXXIX.
Alphonſus de Molina apud Indos Minoritis inſervit, eiſque ad gentis illius converſionem valde utilis, in Conventu Mexicano tumulatur. 266. V. multos libros ad Indos erudiendos neceſſarios edit. ibid.
Alphonſus de Salvaterra Provinciæ Conceptionis Miniſter. 304. VIII.
Alphonſus Sartor Hiſpanus ſummæ ſanctitatis & integritatis vir ſpiritu prophetico claret. 206. XIII. quando mortuus. ibidem.
Alphonſus a Sotomajore Comes Belalcazarenſis dat nomen Minoritis. 66. LII. Cœnobium Herreræ extruit. ibid.
Alphonſus de Villa Sancta Epiſcopus Sabulenſis, ſive potius Scopulenſis. 236. XXX.
Altilis Conventus. 335. XXXVI.
Altobaſii Monaſterium. 250. XXIII.
Alvarus Perez Oſorius Monaſterium Pontis Ferrati cum Conjuge extruit. 198. XLV.
S. Alviti Conventus. 30. LIV. 383. LXXX.
Amadeitæ in nova ab Ordine ſeparatione a Peruſinis adjuti. 108. XXXII.
Amandus Zierixienſis a doctrina, & humilitate commendatus. 207. XVI. quando mortuus. ibidem.
Andreas a Caſtro pro Indorum converſione ſtrenue laborat. 283. XLII.
Andreas Ebroncius primus Provinciæ Saxoniæ Miniſter. 74. XX.
Andreas ab Ecixa Provinciæ Caſtellæ Miniſter Monaſterium Oropeſæ pro Monialibus recipit. 114. LVIII. qualis fuerit ejus doctrina. 167. XXIV.
Andreas Fulginas pietate, doctrina, & prudentia celebris. 247. XV.
Andreas Spoletanus Martyr. 331. XXIII. ejus acta recenſentur. ibid. ſeqq.
Andreas Vives Medicinæ Doctor Conven-

ventum Ergavicæ Minoritis condit. 284. XLIV.
Angela a Deſenzano Virginum Urſulinarum fundatrix. 425. XXI. Ejus vita, & beata mors. 470. XXVII.
Angela Martinez a Miedes Monaſterii Elchenſis fundatrix pietate, & omni virtute illuſtris. 67. LXI. 247. XV.
S. Angeli in Vado Conventus. 436. XIX.
Angelus a Clavaſio commendatur. 104. XXVII.
Angelus de Neapoli Provinciæ Terræ laboris Miniſter. 304. VIII.
Angelus Pincianus moritur. 304. XI.
Angli ad Lutheraniſmum proclives. 390. XV.
Anna Bogartzia humilitate, obedientia, paupertate ceteriſque virtutibus, & extatico ſpiritu donata in Monaſterio Lovanii claret. 31. LIX.
Anna Munnozia Eccleſiam Corpori Chriſti ſacram Monaſterio Villæ novæ infantium addit. 134. XXXVIII.
Annæ a Conceptione elogium. 413. XVIII.
Anſolinus N. ſancti Leonis Epiſcopus. 235. XXX.
Antipoli Conventus. 30. LV.
Antiquæ Melariæ Monaſterium. 308. XX.
Antonia de Bracamonte Clariſſa inſigni pollens ingenii acumine, ingenua nitet ſinceritate. 31. LVIII. corpus ſuum multimode affligit. ibid. mortis diem prædicit, eique ante obitum B. Virgo apparet. ibid.
S. Antonii de Ficu Conventus. 249. XX.
Antonius de Ataide Monaſterium Caſtanetis reædificat, Sororum numero auget, utque Clariſſarum Regulam amplectantur, obtinet. 113. LVII.
Antonius de Buarcos vir pius & venerabilis Conventum ſancti Antonii de Ficu ædificat. 249. XX.
Antonius de Calcena Provinciæ Aragoniæ Miniſter. 188. XVII. Commiſſarius Generalis nationis Hiſpanicæ. 243. VIII. & totius Ordinis. ibidem. Ejus juriſdictio limitatur. 252. IV. Congregationem in Hiſpania convocat. 253. VI. ad Epiſcopatum Dertuſenſem evehitur. 425. XXII.
Antonius Civitatenſis, ſive de Civitate Roderici Miſſionis Indiarum præfectus. 247. XIV. Provinciæ ſancti Evangelii Miniſter. 405. II.
Antonius de Guevara Cæſareus hiſtoricus. 202. VI. & Imperatoris Eccleſiaſtes. 157. XIV.
Antonius de Guzman ſanguine & doctrina illuſtris eligitur in Miniſtrum Provinciæ ſancti Jacobi. 166. XXIII.
Antonius Iudus puer pro Chriſtiana fide una cum ſocio necatus. 269. XI.
Antonius Manrique de Lara Cœnobium Navaræ ædificat. 132. XXVIII.
Antonius Marcellus Magiſter Generalis Conventualium. 50. XXIX.
Antonius de Muſſis Rector Eccleſiam Conventus Placentini Fratribus largitur. 111. XLVII.
Antonius Panicandus Provinciæ Provinciæ Miniſter. 112. LIII.
Antonius Paſchalis Epiſcopus Roſſenſis. 109. XXXV.
Antonius de Plebe Commiſſarius nationalis Hiſpaniarum. 340. III.
Antonius de Portu Provinciæ Carthaginenſis Miniſter. 253. VI.
Antonius Saſcolinus Florentinus Conventualium Generalis Magiſter. 81. VI. & Epiſcopus Minervini. 219. XXX.
Antonius Segedinus Regi Hungariæ a ſacris Concionibus, in præliando contra Turcas ſtrenue ſe gerit. 233. XXIII.
Antonius de Tablada Viſitator Generalis Tertii Ordinis in Hiſpania, cum Obſervantibus diſſidet. 428. XXXII.
Antonius Ulyſſiponenſis Provinciæ Portugalliæ Miniſter præclare ſe gerit in regimine, & plura indicit ad tollendos abuſus. 190. XX.
Apoſtatæ cum pietate tractandi. 204. XXVII.
Aquilani ablata ab Templo ſancti Bernardini reſtituere jubentur. 448. XIX.
Aquilanus Conventus. 448. XIX.
Aquenſe Monaſterium. 403. XLV.
Aquævivæ Conventus. 220. XXXI.
Arcæruptæ Conventus. 110. XLI.
Arcæſalis Conventus. 198. XLI.
Ardſertenſis Conventus. 78. XXXV.
Arelatenſis Conventus. 66. LIV.
Aretinum ſanctæ Claræ Novellæ Monaſterium. 93. XXXIII.
Argentonii Monaſterium. 67. LX.
Armacanus Conventus. 77. XXXV.
Armandus Zierixenſis vir doctus & pius, ſcrutinii veritatis hiſtoricæ auctor moritur. 382. LXXVIII.
Arnoldus de ſancto Felice Vicarius Generalis Ultramontanus. 205. X. Commiſſarius nationalis Galliarum. 228. XI. Commiſſarius Curiæ. 273. XVIII. moritur. 402. XL.
Arnolphinus Florentinus de Conventu Pontis Sevæ benemeritus. 90. XXII.
Aſilli Conventus. 110. XLII.
Aſtenſis Conventus. 196. XXXIII.
Auctor hujus operis Waddingus quando in Italiam venit. 284. XLVII. Collectiouem Opuſculorum ſancti Franciſci

ciſci incipit. 249. xx. meditatur aphoriſmos in Regulam Minorum. 275. xxiii. ſacræ Theologiæ in Conymbricenſi Collegio dat operam. 295. xxvii. eamdem Theologiam Salamanticæ docet. 473. xxxv.
Averii Conventus. 198. xli.
Auguſtæ-emeritæ Conventus. 262. xxii.
Auguſtinus Alveldius vir pius & eruditus contra Lutheri errores ſcribit. 95. i.
Auximanum Monaſterium. 412. xvii.
Ayamontis Conventus. 249. xxi.
Azurariæ Conventus. 77. xxxiii.

B

BAptiſmus ut conferendus Indis in Concilio decernitur. 405. iii. & a Summo Pontifice. 416. vi. quibus ritibus. 415. iv. an abſque conſueta ſolemnitate conferendus. 415. v.
Baptizata a Minoritis Indorum ingens multitudo. 414. iii.
Barnabas Laicus aſſidua oratione, ſpiritu prophetico, ſcientia infuſa, virtutibus & miraculis illuſtris. 77. xxx.
Baroli Conventus. 261. xxi.
Barrafrancæ Conventus. 195. xxxii.
Bartholomæus de Baſſama eruditione & ſanctitatis fama conſpicuus, mortis ſuæ die pronuntiato obdormit in Domino. 306. xiii.
Bartholomæus Bonnites Lugo Conventum Ortavæ ædificat. 92. xxix.
Bartholomæus a Capua Altevillæ Comes Cœnobium Supini inchoat & abſolvit. 90. xxiii.
Bartholomæus Cimarellus acta Franciſci Cardinalis Ximenii ſcribit. 41. xviii.
Bartholomæus Cordonus Thyphernas ſanctitate & ſanguine illuſtris Tunetũ in Africa cum exercitu Imperatoris abit. 402. xl. inde expulſus & in capite percuſſus, ſecundo redit eum Carolo V. Imperatore. ibidem. Milites ad Gollettam expugnandam concionibus, & Chriſti imagine animat. ibid. pœnitentia, paupertate, humilitate, aliiſque virtutibus exoruatus pie moritur. ibidem.
Bartholomæus a Middelburgo in Cœnobio Ultrajecti fulget. 67. lvi.
Bartholomæus de Plebe Provinciæ Tuſciæ Miniſter. 49. xxvi.
Baſteriæ Conventus. 402. xli.
Beatrix Aquini Comitiſſa Cœnobium Riviſicci extruit. 30. liv.
Beatrix a Beumoote humilitate, & Regia progenie illuſtris. 101. xix.
Beatrix a ſancto Franciſco Domum Tertiariarum Villæ-longæ conſtruit. 32. lxi.
Beatrix a Gerea cum aliis Monaſterio Lorcenſi initia præbet. 101. xxi.
Bellicaſtri Conventus. 295. xxv.
Bellimontis Conventus. 30. lvi.
Benedictus Cremonenſis ſanctitate conſpicuus, Crucis ſigno ciſternam aquis exhauſtam replet. 419. xi. Locuſtas ſegetes abſumentes propulſat. ibid. Sterili prolem impetrat, & plurimos dæmoniacos, & a variis infirmitatibus vexatos liberat. ibidem. in Domino obdormit. ibidem.
Benedictus Geneſius Vicarius Generalis Ciſmontanus. 342 viii.
Benedictus a ſancto Torquato vir ſummæ ſimplicitatis & humilitatis, apud omnes magnæ ſanctitatis opinionem aſſequutus moritur. 81. v.
Bergomenſis Capuccinorum Conventus. 402. xxxviii.
Bernardina Antonii Fulginas genere nobilis Clariſſarum habitum in Monaſterio ſanctæ Luciæ ſuſcipit. 334. xxx. Orationibus aſſidua, & lacrymarum dono exornata, Chriſti paſſionis continua meditatione, & peccatorum planctu oculorum lumen amittit. ibidem. Caritate eximia flagrans omnibus prodeſſe cupit. ibid. Dolium vino plenum cœlitus accipit. ibidem. Quartum facta Abbatiſſa in ſumma annonæ caritate triticum divinitus miſſum recipit. ibidem. Dierum & virtutum plena moritur. ibid.
Bernardinus de Aguero Miniſter Provinciæ Burgenſis virtutibus illuſtris. 180. xlix.
Bernardinus de Arevelo Miniſter Proviciæ Concceptionis. 253. vi.
Bernardinus Aſtenſis Capuccinorum Vicarius Generalis. 402. xxxix.
Bernardinus Carvajalius Ordinis Viceprotector. 88. xvi. 132. xxix.
Bernardinus Cremonenſis Beryſenſis Archiepiſcopus. 306. xiv.
Bernardinus Georgius de Rhegio Calaber moritur. 411. xii.
Bernardinus de Gualdo Provinciæ ſancti Franciſci Miniſter. 304. viii.
Bernardinus N. Cartaginenſis Epiſcopus. 88. xv.
Bernardinus N. Regis Galliarum Genitricis Confeſſarius. 158. xv.
Bernardinus a Numbela virtute & pietate commendabilis. 91. xxvii.
Bernardinus Ochynus Senenſis Vicarius Generalis Capuccinorum. 435. x.

Bernardiuus de Piuerolio Provinciæ Turoniæ Miniſter. 71. v.
Bernardinus a Prato iu Concilio Laterauenſi Privilegia Mendicantium defendit. 1. i.
Bernardinus Ptolomæus Miniſter Provinciæ Tuſciæ. 273. xviii.
Bernardinus Salzedo Miuiſter Provinciæ Burgenſis. 273. xviii.
Bernardinus de Soria Epiſcopus Ravelleuſis. 282. xxxviii.
Bernardinus Spellutiæ pro Monaſterio Vigilienſi extruendo poſſeſſiones domoſque largitur. 296. xxxi.
Bernardus de Armentia de Rebus indicis ſcribit. 430. ii. ſeq.
Bernardus Foroſempronicnſis laicus Capuccinus pœnitentia & oratioue præclarus, eum magna ſanctitatis opinione diem claudit extremum in Conventu Maceratæ. 450. xxiv.
Bernardus a ſancto Joanne a virtute & pietate commendatus. 91. xxvii.
Bethuniæ Monaſterium. 68. lxii.
Biturgii Conventus. 294. xxi.
Blanca Princeps Molinæ Minoritis Cœnobium ædificare incipit. 112. l.
Blandinus de Blandinis Conventum Caſtri Plebis extruit. 131. xxvi.
Blaſius Alagonius Comes Conventum Pinæ ædificat. 295. xxvi.
Bonaventura Firmanus genere, virtutibuſque præclarus, abjectus & ignotus cupit vivere in Religione. 255. x. Miræ fuit abſtinentiæ, & in proximum caritatis. ibidem. obit in Conventu Firmano, ejuſque corpus pulchrum & incorruptum poſt novem menſes transfertur. ibidem. Miraculis claret. ibidem.
Bonaventura de Leon Epiſcopus Ozeuvrianus. 436. xxii.
Bonaventura Mechliuienſis Guardianus Antuerpienſis. 289. ix.
Bonaventura Oldenzel Concionator celebris, Ultrajectenſis, Epiſcopi ſuffragaucus, claret. 67. lvi. ad Epiſcopatum Ebrouenſem aſſumitur. 435. xi.
Bonaventura Venetus Reginæ Cypri a ſacris confeſſionibus. 436. xvii.
Bononienſe Monaſterium. 262. xxiii.
Braccarenſis Conventus. 143. xvii.
Braguigniani Conventus. 112. liii.
Breviarium Romanum reformatur. 419. i.
Brexilli Conventus. 76. xxvii.
De Brivieſca Conventus. 191. xxiii.
Brixienſis Conventus. 66. l. 401. xxxviii.
Brugenſe Monaſterium Annunciatarum. 79. xliii.
Bulla Concordiæ iuter Conventuales & Obſervantes. 51. xxx.
Bulla Unionis aliarum Congregationum cum Obſervautibus. 42. xxiii.
Bullæ. V. *Epiſtola*, & Bullarum Regeſtum.
Burdigalenſe Monaſterium. 133. xxxv.
Burgentii Conventus. 220. xxxi.
Burgi Lucenſis Conventus. 238. xxxiv.
Buxalaucii Cunventus. 428. xxix.
Buxeti Monaſterium. 67. lix.

C

CÆſar Periſtacienſis Epiſcopus. 236. xxx.
Calaritanum Monaſterium. 457. xlix.
Camerini Capuccinorum Conventus. 260. xvii.
Canariæ Conventus. 212. li.
Cantus-Lupi Monaſterium. 133. xxxvi.
Capitii Bovis Monaſterium. 351. xxv.
Capitula Generalia Obſervantum ante ſeparationem à Conventualibus Rothomagi. 23. xlvii.
Capitula Generalia Obſervantum poſt ſeparationem. Romæ ſub Leone X. in quo Conventualibus ſejunctis unio Obſervantum ſuccedit. 41. xx. Lugduni. 69. i. Carpi. 117. iii. Burgenſe iu Hiſpania. 145. i. Parmenſe. 273. xviii. Nicienſe. 395. xxxi.
Capitula Generalia Obſervantum Intermedia Burdigalæ. 103. xxiii. Aſſiſii. 226. viii. Toloſæ. 310. vi. Meſſanæ. 324. xi.
Capitula intermedia bina ſimul fieri jubetur iu utraque familia. 287. vi.
Capitula Geueralia Conventualium ante ſeparationem Cherii. 23. xlviii. Romanum Generaliſſimum ſub Leone X. 41. xx.
Capitula Generalia Conventualium poſt ſeparationem Bononiæ. 81. vi. Aſſiſii 157. xiii. Spoleti. 278. xxx. Mediolani. 378. lxx. Romæ. 425. xx. Cremonæ. 466. xvi.
Capitula Generalia Capucinorum Albanicæ. 278. xxxi. Romæ. 402. xxxix. Iterum Romæ. 407. x. Florentiæ. 435. x.
Capucini à Matthæo de Baſſio originem ducunt. 207. xvi. Baſſium alii ſequuntur. 256. xiv. eorum Congregatio confirmatur. 257. xv. 260. xviii. 279. xxxiv. 407. xi. Miniſter Generalis Obſervantum objiciens pro ſe diploma impetrat. 279. xxxiii. 291. xv. eorum mutuus tranſitus cum Obſervantibus interdicitur. 398. xxxv. 422. xvii.

xvii. eorumque augetur Congregatio. 291. xiv. 334. xxxi. 350. xx. eis inhibetur ne ad Ultramontanas tranſeant Regiones. 423. xviii. eorum Capitula. V. *Capitulum* ſupra.
Carolus V. Regis Hiſpaniarum nomen affectat. 10. xiv. ei deberi Cardinalis Ximenius ſuſtinet. ibidem. ejus inter Belgas mora Hiſpanis noxia. 33. i. ut inde diſcedat Ximenius ſuadet. ibid. in Hiſpaniam proficiſcitur. 34. iv. ſalutatur Imperator. 80. i. ejus zelus in propaganda fide. 136. iii. Rebus Indicis corrigendis intendit. 264. ii. Corteſium, Pizarrumque honoribus accumulat. 264. ii. 265. iii.
Cartaxii Conventus. 238. xxxv.
Caſſaboni Conventus 90. xxiii.
Caſſellenſis Conventus. 436. xv.
Caſtaneti Monaſterium. 113. lvii.
Caſtelonii de Planitie Conventus. 307. xvi.
Caſtellonii Monaſterium. 199. xlv.
Caſtilionis Conventus. 382. lxxix.
Caſtri Franci Conventus. 436 xvii.
Caſtri Novi Conventus. 89. xxi.
Caſtri Plebis Conventus. 131. xxvi.
Caſtri Regalis Conventus. 283. xl.
Caſtri Veterani Conventus. 382. lxxix.
Catanenſis Conventus. 294. xx. & Monaſterium. 413. xx.
Cazorbæ Monaſterium. 262. xxiii.
Cellonici Conventus. 261. xxi.
Cempoallæ Conventus. 284. xliii.
Centi Conventus. 456. xliii.
Centifontana Domus Sororum Tertii Ordiuis. 221 xxxviii.
Centurii Conventus. 111. xlviii.
Cherubinus de Interamnis Provinciæ S. Franciſci Miniſter. 49 xxvi.
Chichimeces qui, & quales. 438. i.
Chriſtophorus Cataneus Mediolanenſis vitæ auſteritate, humilitate & paupertate inſignis floret. 301. xiii. Lamina ferrea pro cilicio utitur. ibidem. nudis pedibus incedit. ibidem. obit in urbe Civitatenſi. ibid.
Chriſtophorus à Fonte ſtrenuus Miles Conventum Garacini extruit. 198. xlii.
Chriſtophorus Longolius Vir celebris in habitu Franciſcano tumulatus. 140. viii.
Chriſtophorus Mendes à Sedenno Provinciæ S. Jacobi Miniſter. 340. iii.
Chriſtophorus Numajus ad Generalem Ordinis Præfecturam aſſumitur. 48. xxiv. ad Cardinalatum. 60. xxxv. ad Epiſcopatum Iſernienſem. 140. x. ad Regienſem. 236. xxx. ad Alatrienſem. ibidem. in Urbis direptione capitur à militibus, & crudeliter opprobriis afficitur. ibidem. ejus calamitati compatientes ſcribunt Clemens VII. Franciſcus Gallorum, & Henricus Anglorum Reges. ibidem. Galliarum Reginæ à Sacris Confeſſionibus extitit. 60. xxxv. ejus acta recenſentur. ibidem. obit in Domino. 255. x.
Chriſtophorus Pallavicinus Monaſterium Buxeti pro Clariſſis conſtruit. 67. lix.
Chriſtophorus Papienſis laicus paupertatis, humilitatis, & in laboribus ſuſferendis commendatiſſimus in Conventu Biturgii tumulatur. 294. xxi.
Chriſtophorus de Pergellis Epiſcopus Colybraſenſis. 75. xxvi.
Chriſtophorus Puer Indus ob Chriſti fidem ab ipſo ſuo Genitore necatus. 268. ix. ſeq.
Chriſtophorus a Sedenno Provinciæ S. Jacobi Miniſter. 351. xxv.
Chriſtophorus Suarez Monaſterium Salamantinum conſtruit. 437. xxi.
Chianciani Domus Sororum Tertii Ordinis. 473. xxxvi.
Cidoniæ Couventus. 294. xxiv.
Cittadellæ Conventus. 110. xli.
Civitatis Caſtellanæ Monaſterium. 412. xvii. & Domus Sororum Tertii Ordinis. ibidem.
Civitatis Regiæ Monaſterium. 249. xxiii.
Civitellæ Conventus. 295. xxv.
Clara Rodriguez Clariſta miræ abſtinentiæ, humilitatis, in proximum caritatis, & contemplationis inſignis floret. 349. xviii. in ejus obitu Angeli lyram pulſant. ibidem.
Claudius Chambon Provinciæ Franciæ Miniſter. 70. iii.
Clemens VII. ad Pontificatum aſſumitur. 172. xxxi. excuſat Miuores a collectis pecuniariis. 213. xxv. aliis eos favoribus proſequitur. 214. xxvii. 239. xlii. 297. xxxv. 308. xx. 336. xli. 351. xxvii. Quinnonium Generalem Miniſtrum ad Cæſarem Nuncium mittit. 240. i. 243. viii. 250. i. in Aree S. Angeli Romæ obſidetur. ibid. Locis Terræ Sanctæ ſubſidium decernit. 262. xxiv. Compromiſſum electionis Miniſtri Generalis confirmat. 273. xix. Reformationem novam in Ordine ſtatuit. 328. xxi. Obſervantes recipere Capuccinis vetat. 380. xxv.
S. Clementia Domus Tertii Ordinis. 180. lv.
Clonmelienſis Conventus. 412. xvi.

Cochinii Conventus. 180. LI.
Collegia Minoritica Conymbricenſe. 295. XXVII. Mexicanum. 406. V. Salamanticenſe. 473. XXXV.
Collis Conventus. 179. XLVII.
Collis Vallis Elſæ Conventus. 195. XXXII.
Colmenzoni Capuccinorum Conventus 260. XVII.
Colognolæ Conventus. 412. XIV.
Colonienſis Conventus. 76. XXVIII.
Comitia Generalia. V. *Capitula Generalia*.
Conceptionis Immaculatæ Virginis ut celebrentur officia non obſtare interdictum. 64. XLV.
Conceptionis Provincia quando firmata. 73. XIX.
Conchenſis Conventus. 456. XLVI.
Conradus Bondorfius in Germania bonas litteras docet. 407. VIII. multa ſcribit utilia. ibid. Conventum Willinget regit, exoruat & ampliat. ibidem.
Conradus Molitor a Lutheranis pro fide occiſus. 332. XXV.
Conventuales in Gallia reformantur. 130. XXII. eorum Magiſtri Provincialcs a Miniſtris Provincialibus Obſervantum confirmationem petere ſanctum. 171. XXX. eum iiſdem concordiam ineunt. 337. I.
Conventus Abrantinus. 238. XXXVIII. Adrienſis. 283. XL. S. Agathæ. 456. XLIII. Aggeræ S. Martini. 248. XVIII. Ajetæ. 110. XL. Albacinæ. 278. XXXI. Alcazaris de Conſuegra. 336. XXXVIII. Alcodiæ. 412. XV. Alconcelii. 238. XXXIX. Altilis. 335. XXXVI. S. Alviti. 30. LIV. 383. LXXX. Sancti Augeli in Vado. 436. XIX. Antipoli. 30. LV. S. Antonii de Ficu. 249. XX. Aquilanus. 448. XIX. Aquævivæ. 220. XXXI. Arcæruptæ. 110. XLI. Arcæſalis. 198. XLI. Ardferatenſis. 78. XXXV. Arelatenſis. 66. LIV. Armacanus. 77. XXXV. Aſilli. 110. XLII. Aſtenſis. 196. XXXIII. Averii. 198. XLI. Auguſtæ Emeritæ. 262. XXII. Azurariæ. 77. XXXIII. Ayamontis. 249. XXI. Baroli. 261. XXI. Barrafrancæ. 195. XXXII. Baſteriæ. 402. XLI. Bellicaſtri. 295. XXV. Bellimontis. 30. LVI. Bergomenſis Capuccinorum. 401. XXXVIII. Biturgii. 294. XXI. Braccarenſis. 143. XVII. Braguigniani. 112. LIII. Brexilli. 76. XXVII. de Brivieſca. 191. XXIII. Brixienſis. 66. L. 401. XXXVIII. Burgenſis. 220. XXXI. Burgi Lucenſis. 238. XXXIV. Buxalancii. 428. XXIX. Cameriui Capuccinorum. 260. XVII. Canariæ. 212. LI. Cartaxii. 238. XXXV. Caſaboni. 90. XXIII. Caſalenſis. 436. XV. Caſtellionis de Planitie. 307. XVI. Caſtilionis. 382. LXXIX. Caſtri Franci. 436. XVII. Caſtri novi. 89. XXI. Caſtri Plebis. 131. XXVI. Caſtri Regalis. 283. XL. Caſtri Veterani. 382. LXXIX. Catanenſis. 294. XX. Collonici. 261. XXI. Colmenzoni Capuccinorum. 260. XVII. Cempoallæ. 284. XLIII. Centi. 456. XLIII. Centurii. 111. XLVIII. Cidoniæ. 294. XXIV. Cittadellæ. 110. XLI. Civitellæ. 295. XXV. Clonmelienſis. 412. XVI. Cocbinii. 180. LI. Collis. 179. XLVII. Collis Vallis Elſæ. 195. XXXII. Colognolæ. 412. XIV. Colonienſis. 76. XXVIII. Conymbricenſis. 296. XXVII. Conymbricenſis S. Antonii. 472. XXXII. Concbenſis. 456. XLVI. Corleonis. 283. XL. Cornu Vaccarum. 283. XLII. Corſicæ Capuccinorum. 471. XXXI. Corzanus. 179. XLVIII. Coſtæ S. Andreæ. 112. LII. Cotronii. 109. XXXVI. Cremenſis. 89. XX. Cropanienſis. 335. XXXVI. Cumanus. 21. XLII. Cupertini. 30. LIV. Cuſcanus. 384. LXXXIII. Cutronis. 471. XXX. Cypri. 277. XXVIII. Daciæ. 83. IX. Dundenſis. 132. XXIX. Edimburgi. 132. XXIX. Elgobairi. 66. LIII. S. Eliæ Capuccinorum. 335. XXXI. Ergavicæ. 284. XLIV. Eſcamillæ. 180. L. Eſcazeriæ. 307. XVI. Eſpartinus. 261. XXII. Eſtremotii. 428. XXIX. Fanenſis. 89. XX. Farcani. 428. XXIX. Favariæ. 295. XXV. Fererim. 220. XXXIII. Florentinus de Angelis. 195. XXXII. Fontanellæ. 261. XXI. Foro Julii. 403. XLIII. Foro Semprouii. 278. XXXI. Francicæ. 456. XLIII. Franciſcantis. 412. XIV. Furnurum. 296. XXIX. S. Gadeæ. 239. XL. Graeiei. 198. XLII. Gedeborcbenſis. 132. XXIX. S. Geminiani. 195. XXXII. S. Geneſii. 109. XXXVIII. Genuenſis. 427. XXVI. Genucuſis S. Barnabæ. 436. XVIII. Genuenſis Capuccinorum. 427. XXVIII. Gibellinæ. 111. XLV. Giennenſis. 197. XXXVI. Gomeræ. 351. XXIV. Gualdi. 109. XXXVII. Guaxalziuganus. 283. XLII. Guazocingi. 225. V. Herreræ. 66. LII. Huexotzincanus. 283. XLII. Inſulæ Conchenſis. 180. L. Inſulæ Lignorum. 283. XLI. S. Joannis Rotundi. 401. XXXVIII. Juſtinopolitanus. 282. XXXIX. Ixareuſis. 197. XXXIX. Katzlſtarft. 78. XXXVIII. Kermendi. 198. XLIII. Kildarienſis. 113. LV. Lacuenſis. 77. XXXII. S. Leonis, ſive Sancti Lei. 76. XXVII. Leuci. 110. XLIII. Liciaui. 403. XLII. Limæ.

mæ. 383. LXXXII. Liniaei. 110. XLI. Lymineenſis. 383. LXXX. Macharſchæ. 78. XXXVII. Mandelli. 110. XLIII. Marchenæ. 296. XXVIII. Marchici. 249. XXI. Marrubii. 382. LXXIX. S. Marthæ. 336. XXXIX. Saoſti Martini de Aggere. 248. XVIII. Matelicæ. 76. XXVII. Medianæ. 90. XXIV. Mediolanenſis Capuceinorum. 401. XXXVIII. Meldulæ. 131. XXVI. Mellariæ Antiquæ. 111. XLIX. Meridæ Iudieæ. 383. LXXXI. Metymnæ Cœli. 249. XIX. Mexicanus. 220. XXXV. Molioæ. 111. L. Montionis. 76. XXVIII. Mootis Calvi. 111. XLVI. Montis Cœli. 350. XXIII. Montis Clericuli. 142. XIII. 293. XIX. Montis Corvini. 196. XXXIV. Mootis Leonis. 351. XXIII. Montis Melonis Capuccinorum. 261. XIX. Montis Milonis. 456. XLIV. Montis Piloſi. 306. XV. Montanæ. 471. XXX. Montopolis, ſive Montionis. 76. XXVIII. Morani. 132. XXIX. Muſmolis. 196. XXXII. Naxaræ. 132. XXVIII. 197. XXXVIII. Neapolitanus S. Annæ. 89. XVIII. Neapolitanus Capuceinorum. 291. XIV. Nivellanus. 221. XXXVI. Noyæ. 143. XV. Oppidi. 294. XXIII. Oriolenſis. 403. XLIII. 412. XVI. Oropeſæ. 90. XXVI. Ortavæ. 92. XXIX. Oſſunæ. 198. XL. Pacis Auguſtæ. 91. XXVII. Padulæ. 436. XIV. Palatioli. 293. XX. Paleuæ. 427. XXVII. Palmæ. 77. XXX. Paloni. 427. XXVII. Pampiloneoſis. 179. XLIX Panaliæ. 335. XXXI. Pariſienſis. 277. XXVIII. Paſti. 456. XLV. Pedemontis Capuccinorum. 471. XXXI. Peronenſis. 436. XV. Peruſinus S. Hieronymi. 236. XXXI. Peſciotæ. 143. XIV. Pinæ. 295. XXVI. de Pinu. 90. XXV. Pirani. 282. XXXIX. Piſcheriæ. 76. XXIX. Podii, ſive Collis in Marchia. 179. XLVII. Placentinus. 91. XXVIII. 111. XLVIII. 435. XIII. S. Crucis. 472. XXXIII. Poliſtenæ. 111. XLV. 427. XXVI3. Politiani. 335. XXXIII. Pontaous. 132. XXIX. Pontiſeræ. 89. XXII. Popayanæ. 412. XV. Populæ. 336. XXXIX. Portus Læti. 143. XVI. Portus S. Mariæ. 66. 13. Pozrhaviæ. 113. LIV. S. Promontorii. 77. XXXI. Quauhtitlaous. 283. XLII. Quiuquefrondium. 279. XXXII. Raudatii. 435. XII. Recineti. 65. XLVII. Refadali. 403. XLII. Rendæ. 351. XXIII. Reolenſis. 92. XXX. Rhodiorum. 176. XLII. Rioncil. 144. XVIII. Riparoli. 65. XLIX. Robineriarum. 112. LII. Roccæ Siccæ. 30. LIV. Rogliani. 111. XLVIII. Romanengi. 237. XXXIII. S. Romani. 76. XXVIII. de Romanis. 92. XXXI. Romanus S. Bartholomæi. 411. XIII. Capuccinorum. 279. XXXI. 291. XIV. S. Hieronymi. 89. XVII. 195. XXXI. S. Romuli. 131. XXVI. Rupis. 402. XLI. Sabiniani. 131. XXVI. Sartiani. 76. XXVII. Securæ. 307. XVII. Senaciani. 437. XIX. Senenſis Capuccinorum. 472. XXXI. Serpæ. 112. LI. Serræ Capreolæ. 401. XXXVIII. S. Severinæ. 335. XXXVI. Silvenſis. 77. XXXII. Squillacenſis. 196. XXXV. Supini. 90. XXIII. Suppronienſis. 78. XXXVIII. Tabernæ. 131. XXVII. Tarpatenſis. 92. XXXII. Tarviſinus. 89. XX. Telucanus. 283. XLII. Tepeaeanus. 283. XLII. Terræ Novæ. 279. XXXII. Tezcucanus. 283. XLII. Ticinenſis Capuccinorum. 427. XXVIII. Typhernas. 89 XIX 436. XIX. Tlalmanalci. 283. XLII Tlaxcallenſis. 283. XLII. Tuloſanus. 78. XXXV. Tomarii. 262. XXII. Trecati. 110. XLIV. 237. XXXIII. Tropeanus. 279. XXXII. 456. XLIII. Truxilli. 246. XLII. Tuneti. 403. XLIII. Valentinianus. 77. XXXIV. Valliſoleti Indiarum. 247. XIV. Vallis Viridis. 472. XXXIV. Venetus. 336. XXXVII. Velonienſis. 104. XXVI. Veroncnſis Capuc. 401. XXXVIII. Vicarienſis. 89. XVIII. Villæ Comitis. 238. XXXVI. Villæ Fraochæ de Campo. 220. XXXIV. Villæ Novæ Luſitanæ. 296. XXVIII. Vincentiæ. 294. XXII. Ultrajecti. 66. LVI. Urbis S. Franciſci. 384. LXXXV. Uſſerii. 262. XXII. Waterfordiæ. 132. XXIX. Zacynti. 471. XXX. Zagabriæ. 307. XV. Ziriezeæ. 66. LV. Zuatzit. 67 LVII.
Conymbricenſis Cunventus. 296. XXVII.
Conymbricenſis Conventus S. Antonii. 472. XXXII.
Corleonis Conventus. 283. XL.
Cornu Vaccarum Conventus. 283. XLII.
Coronæ Chriſti, & Mariæ Virginis approbatur officium. 62. XXXVIII.
Corſicæ Capuccinorum Conventus. 471. XXXI.
Cortonenſe Monaſterium. 428. XXXI.
Corzanns Conventus. 179. XLVIII.
Coſtæ S. Andreæ Conventus. 112. LII.
Cotronii Conventus. 109. XXXVI.
Cremenſis Couventus. 89. XX.
Cremonenſe Monaſterium. 30. LVII.
Cropanieoſis Conventus. 335. XXXVI.
Cruciata contra Tureas indicitur. 81. III.
Cuellaris Monaſterium. 198. XLIV.

Cumanus Conventus. 21. XLII.
Cupertini Conventus. 30. LIV.
Cupramontanum Monaſterium. 132. XXX.
Cuſcauus Couentus. 384. LXXXIII.
Cuſcutinum Monaſterium. 93. XXXIII. 133. XXXI.
Cuſtodes Cuſtodiarum qualiter eligendi. 73. XVI.
Cutronis Conventus. 471. XXX.
Cypri Conventus. 277. XXVIII.

D

DAciæ Conventus reformantur. 83. IX.
Damianus Valentinus Vir ſummæ caritatis in proximos in Africam trajicit. 349. XVII. dum Chriſti fidem Barbaris enuntiat, capitur, & in ignem proicitur. ibidem. ſed inde illeſus evadens, lapidibus obrutus, & gladio confoſſus Martyr occumbit. ibid.
Dauiel de Crapocata Provinciæ S. Angeli Miniſter. 100. XVII.
Didacus de Ciſneros Cœuobii Salicetani Guardianus. 167. XXIV. & Provinciæ Caſtellæ Miniſter. 262. XXIII.
Didacus Fernandez diſſertiſſimus Concionator ubi tumulatus. 91. XXVII.
Didacus Iudus Puer, uua cum ſocio martyrio coronatus. 269. XI.
Didacus Landa Yucatanæ Meridæ Epiſcopus. 383. LXXXI.
Didacus a Lugo caritate, & oratione inſignis. 75. XXV.
Didacus Nuunez Fratribus addictiſſimus Marchenæ Couentus fundator. 296. XXVIII.
Didacus Pacheco Marebio Villenæ Monaſterium Conceptionis Scalonæ extruit. 249. XXII.
Didacus a Silva pagn Fundano oriundus 238. XXXVII. Joannis III. Portugalliæ Regi a conſiliis, & confeſſionibus. ibidem. Epiſcopus Ceptenſis. ibid. 382. LXXVII. Inquiſitor Generalis. ibidem. Archiepiſcopus Braccarenſis. ibidem. & 451. XXVI. Conventum Fundanum extruit. 238. XXXVII. quare in actis Conſiſtorialibus de Caputio dicitur. 382. LXXVII. ejus dotes. ibid. alius a Didaco de Silva Ordinis Minimorum. 451. XXVII. pro hac veritate rationes. 451. XXVII. ſeqq. & objecta ſolnta. 455. XXXV. ſeqq.
Didacus a Souſa Conventus Braccarenſis fundator. 143. XVII.
Didacus a Toleto Cœnobium Alcazari erigit. 336. XXXVIII.
Dimas-Terræ Provinciæ Aragoniæ Cuſtos, & Commiſſarius nationalis Hiſpaniæ. 228. XI.
Dionyſius Græcus Fulminenſis Epiſcopus. 282. XXXVIII.
Dionyſius N. Epiſcopus Melipotantenſis, Chironnenſis &c. 435. XI.
Dionyſius Paleottus doctrina, & pietate celebris vitam & officium S. Catarinæ Bononienſis componit. 235. XXX.
Dionyſius Sac Darienſis Epiſcopus. 88. XV.
Dominicus Alphonſus a Toleto Spiritu Prophetico præditus. 220. XXXIV.
Dominicus Cardinalis Grimanus Ordinis Protector. 56. XXXII.
Dominicus Paſtorellus Algarenſis Epiſcopus. 261. XX.
Domus Sororum Tertij Ordinis Albazeti. 297. XXXIV. Centiſontana. 221. XXXVIII. Chianciani. 473. XXXVI. Civitatis Caſtellanæ. 412. XVII. S. Clementis. 180. LV. Fontis Salidæ. 351. XXVI. Frigeironi. 473. XXXVI. Gorneji. 180. LIII. Grinionii. 180. LIV. Hungariæ plures. 473. XXXVI. Illeſiæ. 68. LXIII. Lavalenſis. 31. LX. Montis Sancti in Aragonia. 239. XLI. Murciæ. 284. XLVII. Nolana. 284. XLVI. Nurſina. 78. XXXIX. Sicli. 293. XVII. Toletana S. Annæ. 134. XXXVII. Turrium Novarum. 413. XIX. Varſaviæ. 134. XXXIX. Villæ Lougæ. 32. LXI. Villæ Novæ Infantium. 134. XXXVIII. Ultrajecti. 437. XXIII.
Donaldus Obechan Epiſcopus Darenſis. 471. XXIX.
Donatus de Aquævivis de Aragonia Cœnobium Aquævivæ extruendi facultatem impetrat. 220. XXXI.
Duridenſis Conventus. 132. XXIX.

E

EDimburgi Conventus. 132. XXIX.
Elcheuſe Monaſterium. 67. LXI.
Elgnbairi Conventus. 66. LIII.
S. Eliæ Capuceinorum Conventus. 335. XXXI.
Eleonora Rodriguez Clariſſa prima Monaſterii Gazorlæ Abbatiſſa. 262. XXIII. miræ pœnitentiæ, humilitatis & caritatis fuit. ibid. ejus corpus poſt plures annos integrum, & ſuaviſſime redolens invenitur. ibid.
Eliſabetha ab Alarcbonio Domum Sororum Tertii Ordinis Murciæ extruit. 284. XLVII.

Eliſabetha Angliæ Regina naſcitur. 365. XXXIII. apud Minores infauſto omine baptizatur. 365. XXXIV.
Eliſabetha ab Annunciatione Abbatiſſa Monaſterii Portuenſis orationibus aſſidua, & frequenti morbo purgata ſanctiſſime obit. 403. XLIV.
Eliſabetha ab Aquila una ex primis Monaſterii Oropeſſæ fundatricibus. 114. LVIII.
Eliſabetha Gonzalez ſpiritu extatico & propbetico illuſtris. 100. XIX.
Eliſabetha a Mendanba Conventum Cartaxii ædificat. 238. XXXV. & Conventum Villæ Comitis. 238. XXXVI.
Eliſabetha Portugalliæ Regiua publice colitur. 7. VI.
Eliſabetha Velazquez Monaſterium Ulmeti ædificat. 30. LVIII.
Elvira Garzias de Conventu Villæ novæ infantium valde merita. 134. XXXVIII.
Elvira a Villa Sicca, Cordubenſe Monaſterium conſtruit, ejuſque ſit prima Abbatiſſa. 101. XX. inde transfertur ad Monaſterium Hiſpalenſe, ubi pœnitentiis & auſteritatibus vacaus ſancto fine quievit. ibidem.
Epiſcoporum excellentia. 2. II.
Epiſtola Leonis X. Summi Pontificis.
Pro explicatione privilegiorum Mendicantium. 1. I.
Pro Officio celebrando Martyrum ſeptæ. 7. VII.
Pro convocatione Comitiorum Generalium in Urbe. 23. XLVIII.
Pro exemptione Fratrum Minorum ab Inquiſitoribus. 25. L.
Franciſco Cardinali Toletano. 37. XI.
Pro Ordinis unione, Bulla *Unionis* dicta. 42. XXIII.
Pro ejuſdem Ordinis concordia, Bulla *Concordiæ* dicta. 51. XXX.
Antonio Marcello Magiſtro Generali Conventualium. 55. XXXI.
Gabrieli Mariæ Commiſſario Generali Ultramontano pro confirmandis Confraternitatibus beatæ Mariæ Virginis. 61. XXXVII.
Eidem pro Officio Coronarum Chriſti & beatæ Virginis. 62. XXXIII.
Pro aufereudo in ſolemnitate Conceptionis interdicto. 64. XLVI.
Reginæ Daciorum & Gothorum. 82. VIII.
Pro Reformatione Cœnobiorum Daciæ. 83. IX. & Franciæ. 84. X.
Franciſco Lycheto Miniſtro Generali. 101. XXII. 107. XXXIV.
Prioribus Artium Civitatis Perufiæ. 106. XXXIII.
Joanni Glapion, & Franciſco de Angelis. 115. II.
Pro Canonizatione ſancti Joanuis de Capiſtrano. 126. XVIII.
Fratribus & Sororibus Tertii Ordinis pro confirmatione Regulæ. 127. XIX.
Pro ſalvo conductu Ludovici Heuingi Pruteni. 130. XX.
Adriani VI. Summi Pontificis.
Carolo V. Imperatori. 136. III.
Guardianis & Fratribus Provinciæ Tuſciæ. 148. VI.
Pro confirmatione erectionis Provinciæ Flandriæ. 152. X.
Andreæ Cardinali ſanctæ Priſcæ. 176. XLI.
Commiſſario Generali Ciſmontano Obſervantium. 177. XLIII.
Joanni Baptiſtæ de Puppio Commiſſario Apoſtolico. 178. XLIV.
Pro exemptione Fratrum Minorum ab Inquiſitoribus. 193. XXIX.
Clementis VII. Summi Pontificis.
Epiſcopis Aſculano & Camerinen. pro Canonizatione ſancti Jacobi de Marchia. 204. IX.
Hilarioni Sacchetto Generali Commiſſario Ciſmontano. 213. XXVI.
Pro Privilegiis Fratribus elargiendis. 215. XXVII.
Pro unione Provinciæ Conceptionis in Hiſpania. 217. XXVIII.
Pro Conventu ſancti Hieronymi Perufiæ dando Obſervantibus. 236. XXXI.
Franciſco Angelorum Miniſtro Generali. 241. III. 251. II.
Univerſis Miniſtris Proviucialibus & Fratribus Obſervantiæ. 241. IV. 244. IX.
Vice-Miniſtro Generali per Generalem deputando. 246. XI.
Antonio de Calcena. 252. IV. 272. XVII.
Paulo Piſotto. 252. V.
Ludovico & Raphaeli de Foroſempronio. 257. XV.
Miniſtro Generali & Fratribus Obſervantiæ. 274. XX. 279. XXXIV. 291. XVI.
Paulo de Parma. 287. VII. 327. XX. 344. X.
Franciſco Aretino Provinciali Tuſciæ. 288. VIII.
Pro Officio ſanctiſſimi Nominis Jeſu. 289. XI.
Miniſtro & Procuratori Generali. 300. V.
Nicolao Herbono Commiſſario Generali. 322. VIII.
Pro nova Ordinis Reformatione. 328. XXI.
Pro inſtitutione Vicariorum Generalium. 342. IX.
Lennardo Publicio Vicario Generali. 346. XII.

Com-

Communi & Incolis Caſtri Florentini. 348. XIV.
Franciſco Cardinali Quinonio. 354. VI.
Ludovico de Foroſempronii. 380. LXXV.
Pauli III. Summi Pontificis.
Pro erectione in Provinciam Cuſtodiæ ſancti Evangelii. 378. LXXI.
Ut Fratres Obſervantes ad Capuceinos non tranſeant. 381. LXXVI. 422. XVII. neque Capuccini ad partes ultramontanas. 423. XVIII.
Fratribus Capuccinis. 397. XXXIV. ſeq.
Pro confirmatione ſtatus Capuccinorum. 407. XI.
Inſtructio pro Indiarum Miſſionibus. 416. VI.
Univerſis Chriſtifidelibus. 418. VII.
Pro confirmatione Reformatioois Provinciæ Aquitaniæ. 434. IX.
Vincentio Lunello Generali Miniſtro. 443. XIII. 467. XVI.
Petro Galatino. 447. XVIII.
Abbati Monaſterii ſancti Joannis de Cucolo. 448. XX.
Epiſcopis Vigiliarum & Cuperſani. 457. L.
Fratribus Tertii Ordinis. 459. LI.
Marcelli Lanies.
Pro firmandis inter Conventuales & Obſervantes articulis. 56. XXXIII.
Ludovici Hungariæ & Boemiæ Regis.
Pro Conventibus Vratislavienſi & Aurei Montis. 140. XII.
Catarinæ Reginæ Anglorum.
Joanni Foreſto Ordinis Minorum. 391. XVIII.
Laurentii Card. Præneſtinenſis.
Matthæo de ſaucto Leone, aliiſque ſociis. 260. XVII.
Auguſtini Spinulæ Cardinalis.
Pro ſubſidio Terræ ſanctæ tribuendo. 362. XXIV.
Cardinalis Quiſtonii.
Leonardo Publicio Vicario Generali. 347. XIII.
Patriarchæ Maronitarum.
De Obedientia Romano Pontifici præſtanda. 5. IV.
Jo: Jacobi Epiſcopi Albinganenſis & Vicelegati Umbriæ.
Pro Conventu Peruſii ſancti Hieronymi dando Obſervantibus. 236. XXXII.
Plurium Principum.
Pro Canonizatione ſancti Joannis de Capiſtrano. 123. XII. ſeqq. 172. XXXIII. ſeqq.
Franciſci Angelorum Generalis Min.
Martino de Valentia. 159. XVIII. 162. XIX.
Fratribus Provinciæ Indiarum. 186. XV.
Univerſis ſuas litteras inſpecturis. 190. XXII.
Ad Miniſtros Provinciales. 242. V.
Pro abdicatione ſui Muneris. 245. X.
Pauli de Soncino Miniſtri Generi III.
Petro de Montibus de Occa. 118. V. 121. VII.
Univerſis ſuis Fratribus. 138. V.
Univerſis ſuas litteras inſpecturis. 142. XIII.
Pauli Parmenſis Generalis Miniſtri.
Fratribus Provinciæ Aquitaniæ. 326. XVII.
Joannis a Zumarraga Mexicanorum Epiſcopi.
De profectu Minorum in Indiis. 299. II.
Martini de Valentia.
De profectu Minorum in Indiis. 298. I.
Nicolai Herborni.
Pro inſtructione Miſſionariorum in Indiis. 311. VI.
Joannis Foreſti.
Catarinæ Anglorum Reginæ. 391. XIX.
Eliſabethæ Hammoniæ. 392. XXI.
Abeli Nobili Anglo. 393. XXIII.
Eliſabethæ Hammoniæ.
Joanni Foreſto. 392. XX.
Abelis Nobilis Angli.
Joanni Foreſto. 393. XXII.
Bernardi de Armentia Præfecti Miſſionum.
Joanni Bernal Diaz de Lugo. 430. III.
Patrum Granatenſium.
Miniſtro Generali. 120. VI.
Ergavicæ Conventus. 284. XLIV.
Eſcamillæ Conventus. 180. L.
Eſcazenæ Conventus. 307. XVI.
Eſpartinus Conventus. 261. XXII.
Eſtremotii Conventus. 428. XXIX.
Eſtuniga Ferdinando Regi Catholico a ſacris confeſſionibus. 22. XLV. miracula quædam patrat. ibid & ſeq.
Evangeliſta de Caſali vir venerabilis. 65. XLIX. Provinciæ ſancti Petri in Monte Aurco Miniſter inſtituitur. 74. XXI.
Eugubinum Monaſterium. 308. XIX.
Euphraſia a ſancta Clara una ex primis Monaſterii Illeſcis Inſtitutricibus. 68. LXIII.
Euſebius de Novo Foro Provinciæ Boemiæ Miniſter. 273. XVIII.

F

FAnenſis Conventus. 89. XX.
Farcani Conventus. 428. XXIX.
Favariæ Conventus. 295. XXV.
Ferdinandus Alphonſus Domus Sororum Tertii Ordinis Fontis Salidæ fundator. 351. XXVI.
Ferdinandus ab Ataide pro Sororibus Ter-

Tertii Ordinis domum extruit. 113. LVII.
Ferdinandus Baſſarius Indorum converſionem promovet. 283. XLII.
Ferdinandus Corteſius de Indorum converſione zelator. 136. II. Conventum Mexicaoum extrui curat. 220. XXXV.
Ferdinaodus Rex Catholicus moritur. 8. VIII.
Ferdioaodus a Silva Algarbiorum Epiſcopus, Cœnobium ſacri Promontorii extruit. 77. XXXI. & Lacuenſe. 77. XXXII.
Ferdinandus alius a Silva Ceutifontanus Comes Conventum Eſcamillæ ædificat. 180. L. & Ceutifoutauum Monaſterium. 221. XXXVIII.
Ferdinandus de Toleto Provinciæ Scotiæ Vicarius. 23. XLVII.
Ferdinaudus Vaqucirus Aureopolienſis Epiſcopus. 306. XIV.
Fererim Conventus. 220. XXXIII.
Feſtorum Dies apud Indos. 417. VI.
Floreotinus de Angelis Conventus. 195. XXXII.
Fons miraculoſus meritis Joannis Navareti exurgit. 255. XII.
Fontanellæ Conventus. 261. XXI.
Fontis Salidæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 351. XXVI.
Fontis Sambuci Monaſterium. 437. XX.
Foro-Julii Conventus. 403. XLIII.
Foro-Sempronii Conventus. 278. XXXI.
Francicæ Conventus. 456. XLIII.
Francifontis Conventus. 412. XIV.
Franciſca de Canis Monaſterii Leouici Reformatrix. 296. XXX.
Franciſca Gerea Monaſterio Lorceoſi initia præbet. 101. XXI.
Franciſca Guaſquina a pœnitentia commendabilis. 240. XXII.
Franciſca a ſancto Joanne una ex primis Monaſterii Centifontani fundatricibus. 221. XXXVIII.
Franciſcani. V. *Minores*, *Obſervantes*, *Conventuales*, *Capuccini*.
Franciſcus Alvarez a Toleto ædificat Conventum Oropeſæ. 90. XXVI. & Monaſterium ejuſdem loci abſolvit. 114. LVIII.
Franciſcus de Angelis Caſtellæ Cuſtos. 49. XVI.
Franciſcus Antonius ſui obitus diem prædicit, & ſocio poſt obitum apparet. 449. XXII.
Franciſcus de Aragonia ſanctitate & genere illuſtris. 66. L. Primus in partibus Peruvianis Cuſtos. 310 V.
Franciſcus de Barchonovo Epiſcopus Algarenſis. 195. XXX.
Franciſcus Brixienſis humilitate, aſſidua oratione, ferventi caritate, & miraculis clarus in Domino obdormit. 175. XXXIX.
Franciſcus de Cartoceto ſummæ abſtinentiæ & orationis clarus, & lacrymarum dono ornatus ſanctiſſime moritur, eique apparet beata Virgo Sanctorum choris ſtipata. 235. XXVIII.
Franciſcus de Caſtro Sanguiois Provinciæ ſancti Angeli Miniſter. 304. VIII.
Franciſcus de Curia Epiſcopus Cinnerenſis. 350. XXII.
Franciſcus a Fortella. 304. X.
Franciſcus de Frangipanibus Provinciæ Romanæ Miniſter. 205. XI. fit Archiepiſcopus Colocenſis, & Epiſcopus Agrienſis &c. 455. XLII.
Franciſcus a Fraxincto pietate illuſtris. 91. XXVIII.
Franciſcus de Fraxino Provinciæ ſancti Gabrielis Miniſter. 158. XVI.
Franciſcus de Gatta moritur. 432. VI. Ejus præclaræ actiones recenſentur. ibid. ſeqq.
Franciſcus Gonzaga Cœnobium ſancti Martini ab Aggere Minoritis reſtitui curat. 248. XVIII. ejus merita corriguntur. 50. XXVII. 68. LXIII.
Franciſcus de Iunojoſa Hiſpanicæ nationis Commiſſarius. 191. XXIII. Provinciæ Angelorum Miniſter. 167. XXIV. 254. VI.
Franciſcus de Liardo Nuncius Apoſtolicus. 109. XXXV.
Franciſcus de Loria de Conventu Ajetæ valde meritus. 110. XL.
Franciſcus Lychetus Nuncius & Commiſſarius Apoſtolicus. 87. XII. circa ſtudia ſcholaſtica multa ſtatuit. 103. XXIV. & pro Monialium regimine. 87. XIII. quæ in Germania præſtitit. 104. XXV. moritur. 105. XXVIII. ejus vita. ibidem.
Franciſcus Marturanus Epiſcopus Cyreuenſis. 178. XLV.
Franciſcus Melodunæus Monaſterium Anounciatarum Bethuniæ ædificat. 68. LXII.
Franciſcus Merot pietate celebris. 255. X. Cuſtos Holſatiæ. 50. XXVII.
Franciſcus a Meſſana Provinciæ Siciliæ Cuſtos. 273. XVIII.
Franciſcus de Molendina Epiſcopus Agrenſis. 178. XLV.
Franciſcus a Monte Politiano Provinciæ Capuccinorum in Etruria dat initia. 335. XXXIII.
Franciſcus de Mora Epiſcopus Drivaſtenſis. 76. XXVI.
Franciſcus N. Epiſcopus Sardeorum in Lydia. 282. XXXVIII.

Fran-

Franciſcus N. Archiepiſcopus Philadelphienſis. 131 XXV.
Franciſcus Orellus Epiſcopus Tiburienſis. 109. XXXV.
S. Franciſcus de Paula in Sanctorum Albo aſcribitur. 81. III.
Franciſcus Peſciota prophetico ſpiritu clarus. 143. XIV.
Franciſcus Quinnouius ad Indias cogitat transfretare. 115. I. Pontificium diploma cum variis privilegiis impetrat. 115. II. Familiæ Ultramontanæ eligitur Commiſſarius Generalis. 117. III. Belgii Provinciam viſitat. 122. X. ſedulo Ordinis regimini incumbit. 157. XIII. omnes Hiſpaniæ Provincias perluſtrat. 188. XVI. Controverſias exortas inter Provinciam Conceptionis, & Cuſtodiam Domus Dei dirimit. 190. XXII. Rebus ultramontanis diſpoſitis, in Italiam pergit. 205. X. Italiæ Proviocias perluſtrat 206. XII. ſeqq. 226. VII. Congregationem Generalem Obſervantium Aſſiſii indicit. 226. VIII. abdicat ſe officio. 227. IX. abdicatio non admittitur. ibid. a Pontifice ad Cæſarem mittitur pacis caduceator. 229. XIV. 240. I. 250 I. fit a Piratis captivus 242. VI. iterum ad Cæſarem mittitur. 243. VIII. Ordinis Præſulatum deponit. ibid. ad Cardinalitiam Purpuram promovetur. 250. I. Pacem inter Chriſtianos concludit. 264. I. creatur Epiſcopus Caurienſis. 293. XVIII. & Acernenſis. 455. XLII. Breviarium Romanum reformat. 429. I. obit in Domino. 468. XXII. Ejus epitaphium. ibidem.
Franciſcus Reatinus Caldaici idiomatis peritiſſimus ad Maronitas inſtruendos mittitur. 5. III.
Franciſcus Regis Caroli V. ejuſque Sororis concionator moritur. 469. XXIII.
Franciſcus a ſancto Romano cauſam Fidei, atque Indorum agit. 41. XIX.
Franciſcus de Scio Crotonenſis Epiſcopus. 219. XXX.
Franciſcus a Stunica Conventum Ayamontis extruit. 249. XXI.
Franciſcus Titelmannus moritur. 421. XIV.
Franciſcus a Turre ſimiliter. 383. LXXXI.
Franciſcus Valeſius Galliarum Rex de Franciſcanis optime meritus. 144. XVIII.
Franciſcus Ximenius Cardinalis Illeſcis Domum Sororum Tertii Ordinis fundat. 68. LXIII. Hiſpaniarum Gubernator inſtitutur; eo munere laudatiſſime fungitur, & biennio circiter dat operam rebus maximis. 8. IX. ſeqq. graviter apud Franciſcanos Aquileræ ægrotat. 33. III. iude multa exoriuntur molimina. 34. III. iterum ægrotat. 35. V. Morti religioſiſſime ſe diſponit. ibid. in Domino obdormit. ibid. Complutum cadaver defertur. 35. VI. Ad ſancti Ildephonſi ædem tumulo traditur. ibidem. Nobili ei parentatur funere. 35. VII. Ejus monumentum deſcribitur, & epitaphium recenſetur. 36. VII. Deſcribitur etiam corpus. 36. VIII. Ejus mors jucunda perverſis. 36. IX. Qualis fuerit complexionis. 37. X. ejuſque vita narratur. ibid. ſeqq. de eo inter Cœlites adſcribendos agitur. 41. XVIII. Quinam ejus vitam ſcripſerunt. ibidem.
Franciſcus Ximenius junior Antiqueræ Epiſcopus. 382. LXXVII.
Franciſcus Zafra Provinciæ ſancti Jacobi Miniſter. 87. XI.
Fridericus a Stunniga Marchio ſuo ære Cœnobium Placentiæ extruit. 91. XXVIII.
Frigeironi Domus Sororum Tertii Ordinis. 473. XXXVI.
S. Fructuoſus Braccarenſium Archiepiſcopus Eccleſiam Cœnobii Braccarenſis extruit. 143. XVII.
Furnorum Conventus. 296. XXIX.

G

GAbriel de Ave Maria Proviociæ Aquitaniæ Miniſter. 273. XVIII. V. *Gilbertus Nicolai*.
Gabriel Mediolanenſis Darienſis Epiſcopus. 75. XXVI.
Gabriel de Tauro Luſitaniæ Regibus a ſacris Confeſſionibus a Carolo V. deſignatur Regii Conſilii Caſtellæ Viſitator. 407. VIII.
S. Gadeæ Conventus. 239. XL.
F. Gallierus N. ſpiritu prophetico clarus. 100. XVI.
Garacini Conventus. 198. XLII.
Garcias de Ciſneros Provinciæ ſancti Evangelii Miniſter. 404. II.
Gaſpar Legionenſis Imperatrici a ſacris Concionibus. 286. V.
Gaſpar Salgerus doctrina conſpicuus. 207. XV. Miniſter Provinciæ Argentinæ. 247. XV.
Gaſparinus N. miraculis celebris. 420. XI.
Gattinaræ Monaſterium. 284. XLV.
Gedeborchenſis Conventus. 132. XXIX.
S. Geminiani Conventus. 195. XXXII.
Generales Ordinis. V. *Magiſtri*, *Miniſtri*, *Vicarii*.

S. Ge-

S. Geneſii Conventus. 109. xxxviii.
Genuenſis Conventus. 427. xxvi.
Genuenſis ſancti Baruabæ Conventus. 436. xviii.
Genuenſis Capuccinorum Conventus. 427. xxviii.
Georgius Quadra invictæ patientiæ vir. 96. iv. ejus vita, peregrinationes, diſcrimina, & rerum variationes referuntur. ibid. ſeq.
Gibellinæ Conventus. 111. xlv.
Gienneuſis Conventus. 197. xxxvi.
Gilbertus Nicolai, qui & Gabriel Maria in Vicarium Generalem iterato eligitur. 23. xlvii. 49. xxvi. 87. xi. 103. xxiii. Ordinem Annunciatarum promovet. 60. xxxvi. In hæreticam pravitatem Inquiſitor inſtituitur. 146. iii. Commiſſarius Pariſienſis ſtudii inſtituitur. 228. xi. ſanctiſſime moritur. 333. xxviii.
Gomeræ Conventus. 351. xxiv.
Gomezulus Fernandez Soliſius Cœnobium Pacis Auguſtæ extruit. 91. xxvii.
Gondiſalvus de Coutinho Imperatrici Iſæbellæ a ſacris Confeſſionibus. 325. xiv.
Gonzaga. V. *Franciſcus Gonzaga*.
Gorneii Domus Tertii Ordinis. 180. liii.
Granatenſe ſanctæ Eliſabethæ Monaſterium. 437. xxii.
Gratia Botellia oratione & contemplatione inſignis. 31. lviii.
Grimonii Domus Sororum Tertii Ordinis. 180. liv.
Guadalfagiaræ Monaſterium. 336. xl.
Gualdi Conventus. 109. xxxvii.
Guaxalzinganus Conventus. 283. xlii.
Guaxocingi Conventus. 225. v.
Guillelmus Duffid Aſcalonenſis Epiſcopus. 306. xiv.
Guillelmus ab Intimelio Provinciæ Siculæ Vicarius. 435. xii.
Guillelmus Peraza Comes Minoritis addictiſſimus. 351. xxiv.
Gutierrus Gomezulus Domus quaſdam in Monaſterii formam pro Clariſſis adaptat. 133. xxxiv.
Gutierrus a Trejo vir præclarus. 296. xxix.

H

HEctor Pignatelius Cœnobium Montis Leonis extruit. 351. xxiii.
Helena a Latere patientia illuſtris. 413. xix.
Henricus Borbonius cæditur. 242. vi.
Henricus VIII. Angliæ Rex a legitima uxore, ſimulque a Chriſti Eccleſia deficere incipit. 363. xxix. excommunicatur. 364. xxx. 390. xv. in omne ſcelus prolabitur. 364. xxxi. ex Bolena filiam ſuſcipit. 365. xxxiii. Catholicos dire perſequitur. 365. xxxv. ſeqq. 385. i. ſeqq. 390. xvi. 418. viii. ſeqq. Catarinam Hiſpanam in uxorem ducit. 386. v. eamdem repudiat. 389. xiv. Annæ Bolenæ matrimonio jungitur. 390. xv.
Henricus Regius Paderbonenſis floret. 402. xl.
Henricus Standeſch Aſſaphenſis Epiſcopus. 75. xxvi.
Hermolaus de Hermolais Modruſienſis Epiſcopus. 407. viii.
Herreræ Conventus. 66. lii.
Hieronymus de Burgonovo Provinciæ Bononiæ Miniſter. 303. viii. 273. xviii.
Hieronymus Ferrerius Cœnobium Valentinum Fratribus largitur. 77. xxxiv.
Hieronymus Leopolitanus inſignis Eccleſiaſtes, & Lutheranis hoſtis infenſiſſimus moritur. 407. viii.
Hieronymus a Meſſuraca diem obitus ſui a Chriſto, beata Virgine, & ſancto Franciſco diſcit, & ſanctiſſime obit in Domino. 366. xxxviii.
Hieronymus de Spoleto Provinciæ ſancti Franciſci Miniſter. 145. i.
Hieronymus de Valentia Commiſſarius nationalis Hiſpaniæ. 227. x.
Hieronymus Veratus moritur. 469. xxiii.
Hieronymus Viginus Epiſcopus Chienſis. 382. lxxvii.
Hiſpanorum apud Mexicum Minores diſſidia compeſcunt. 201. iv.
Honorius Chayanus Clementis VII. Pontificis a ſacris confeſſionibus. 353. iv.
Honuſrius a Caramanico miraculis clarus. 283. xl.
Hoſpites in Romana Curia cui eſſe debent ſubjecti. 325. xiii.
Hoſpitia Florentiolæ. 89. xxi. Baylaſæ. 110. xxxix. Romanum ſancti Salvatoris. 220. xxxii.
Hubertinus Gerattus Epiſcopus Syrenſis. 435. xi.
Huexotzincanus Conventus. 283. xlii.
Hugo Richæus pro Eccleſia Catholica interfectus. 419. x.
Hungari a Turcis cæduntur. 233. xxii. ſeq.
Hungariæ plures Domus Sororum Tertii Ordinis. 473. xxxvi.
Hylarion Sacchettus Commiſſarius Generalis Ciſmontanus. 145. i.

I

JAcobina ex Lanſacorum familia Monaſterio Burdigalenſi initia præbet. 133. XXXV.

Jacobus Antonius Ferdutius. Anconitanus. Conventualis Vicarius Generalis in Gallia. 337. I. Magiſter Generalis. 378. LXX. Marturanenſis Epiſcopus. 426. XXII.

Jacobus de Alcala Provinciæ Aragoniæ Miniſter. 49. XXVI.

Jacobus Bidaveri Provinciæ Burgenſis Miniſter. 191. XXIII.

Jacobus Brigantinorum Dux Conventus Elvenſis fundator. 77. XXXIII.

Jacobus de Ciſueros Provinciæ Angelorum Miniſter. 192. XXIII. & Provinciæ Caſtellæ. 205. X.

Jacobus N. Epiſcopus Budicenſis. 293. XVIII.

Jacobus Paſius Epiſcopus Faventinus Eccleſiam Conventus Brexilli conſecrat. 76. XXVII.

S. Jacobus Picenus miraculis claret. 204. IX. 286. IV. de iis jubet Pontifex inquiri. 204. IX.

Jacubus a Porta pietate & virtute illuſtris. 247. XV.

Jacobus de Sillis Epiſcopus Sagienſis Eccleſiam Monaſterii Argentonii conſecrat. 67. LX.

Jacobus de Teſtera Conventum Meridæ ædificat. 383. LXXXI. Commiſſarius Generalis Indiarum. 439. II.

Jacobus Triaduſcbieze Epiſcopus Sueuenſis. 471. XXIX.

Jacobus Ungarellus pietate & doctrina illuſtris. 63. XL.

Jambra de Roſa pro Cœnobio Elvenſi exiruendo ſolum largitur. 77. XXXIII.

Idola, & impii mores Mexicanorum recenſentur. 270. XV. Franciſcani illa cum templis deſtruunt, iſtos reformant. 200. II.

Jejunium Iodorum quale. 417. VI.

SS. Jeſu Nominis Officium recitari conceditur. 289. X.

Ildephonſus Antiquæ mellariæ virtute & miraculis celebris. 111. XLIX.

Illeſiæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 68. LXIII.

Indiarum Apoſtoli Franciſcani deſtinantur. 158. XVI. 414. I. Rei Eccleſiaſticæ in iis regionibus memoria exilis. 306. XIV.

Indiarum cum Germania comparatio. 185. XI.

Indorum Pueri Cathechiſtæ. 267. VI. ad varias erudiuntur artes. 267. VII. Idolorum Sacerdotem occidunt. 267. VIII. a propriis parentibus non impune interficiuntur. 268. IX.

Iudus quidam longa CCC. annorum ætate ſupervivit. 166. XXI. Alius annis CCCXXV. 166. XXII.

Infideles an ad baptiſmum cogi poſſint. 203. VIII.

Innocentius a ſancto Angelo innocentia & ſimplicitate illuſtris. 305. XII.

Innocentius Carpenſis miraculis illuſtris. 291. XIII.

Inquiſitoribus jubetur, ne contra Minoritas procedant. 25. L. 193. XXIX.

Inquiſitores Minoritæ Gabriel Maria. 146. III. Miniſter Provinciæ Argentinæ. ibid. Didacus a Silva. 238. XXXVII.

Inſulæ Conchenſis Conventus. 180. L.

Inſulæ Lignorum Conventus. 283. XLI.

Joachimus Villalupenſis virtute & genere præclarus. 306. XIII.

Joanna a Cardenas Cœnobio Antiquæ Melariæ dat initia. 111. XLIX.

B. Joanna a Cruce floret. 367. XXXIX. Ejus nativitas & pueritia. ibid. Cupit Religionem ingredi, & non ſine diſcrimine obtinet. 367. XL. Qualis ejus in Religione progreſſus. 368. XLI. Statim poſt emiſſam profeſſionem ſpiritu prophetico, aliiſque virtutibus & miraculis coruſcat. 368. XLII. Ejus erga ſacratiſſimam Euchariſtiam reverentia & fervor comprobatur miraculo. 369. XLIII. Erga Chriſti Crucem pietas. 373. LIV. & beatam Virginem devotio. 373. Erga proximum caritas. 370. XLVI. & Animas Purgatorii. 372. LII. Qualis ad ejus cuſtodiam Angelus fuerit deputatus. 369. XLIV. Alii item Angeli familiares. ibid. Chriſtus coram beata Virgine eam ſibi deſponſat. 371. XLIX. Roſaria ipſius precibus benedicit. 372. LII. & ſanitatum gratia ornat. 373. LVI. Incredibiles & mirabiles patitur extaſes & raptus. 370. XLV. qui variis probantur experimentis. 370. XLVII. in ipſis diverſis loquitur linguis & eruditos profert ſermones. 371. XLVIII. Inſtanter petit pati pro Chriſto. 374. LVII. exauditur. 374. LVIII. In extaſim rapta perſecutiones & tribulationes ſibi parari cognoſcit. 370. XLV. Privatur auditu, eique miraculoſe reſtituitur. 372. L. Eligitur Monaſterii Abbatiſſa, quod ſanctiſſime regit & auget. 372. LI. ſed poſt detractiones injuſte removetur ab officio. 374. LIX. iterum reſtituitur. 375. LX. Toto corpore contracta & doloribus vexata, torquetur a Dæmonibus. 374. LVIII. ſed bis ipſam

ipſam Chriſtus conſolatur. ibid. jubetur ut beneficia a Deo accepta ſcribat. 375. LXI. Angelus eam propinquæ mortis admonet. 375. LXII. cui ſe diligentiſſime præparat. ibidem. Obdormit in Domino. 375. LXII. acta poſt ejus obitum. 376. LXIII. ſeq. de ejus canonizatione agitur in Urbe. 377. LXVI. Quinam ejus vitam ſcripſerunt. 377. LXVIII.

Joanna Guizmouda de Conventu Noyæ valde merita. 143. XV.

Joanna Henriquez Monaſterium Legionenſe fundat. 78. XL.

Joanna Mexia una ex primis Monaſterii Metymnæ fundatricibus. 262. XXIII.

Joanna Regina Galliarum Sororibus Annunciat. Cantus-lupi Monaſterium extruit. 133. XXXVI.

Joannes Alburquerquius Indiarum Orientalium Epiſcopus. 306. XIV. & Goanus. 426. XXIII.

Joannes Alcozius laicus mira erga pauperes caritate, abſtinentia, pœnitentia, oratione, aliiſque virtutibus illuſtris. 468. XX.

Joannes Antonius Caracciolus Conventum Oppidi ædificat. 294. XXIII.

Joannes de Aora Religione præclarus. 283. XLII. in Indias proficiſcitur. 138. VI. moritur. 202. V.

Joannes ab Aquiſgrano doctrina præclarus. 402. XL.

Joannes de Argomanez Provinciæ ſancti Jacobi Antecminiſter. 166. XXIII.

Joannes Aubergh Provinciæ Saxoniæ Miniſter. 70. IV.

Joannes Baptiſta de Puppio Commiſſarius Apoſtolicus. 177. XLIV.

Joannes Baptiſta Cropellius pro Conventu Romanengi extruendo ſuas crogat facultates. 237. XXXIII.

Joannes Beltran Indiarum Commiſſarius. 286. V.

Joannes a Belviſio laicus pietate, ſpiritu prophetico, & miraculis celebris. 91. XXVIII.

Joannes Bonaventuræ Epiſcopus Sardenſis. 75. XXVI.

Joannes Bratianus Sidoniæ Epiſcopus. 402. XL.

Joannes Byl Lovanienſis vir præclarus moritur. 469. XXIII.

Joannes Calcicena laicus ſanctitate celebris. 384. LXXXIII.

Joannes de Calvi Provinciæ Corſicæ Miniſter. 273. XVIII.

Joannes Calvus Commiſſarius Romanæ Curiæ Montem Pietatis in Urbe erigit. 444. XV.

Joannes de Capiſtrano ut Sanctorum albo adſcribatur miracula perquiruntur. 105. XXX. eorum recenſentur compilationes. 106. XXXI. Canonizatio poſtulatur. 122. XI. ſeqq. 172. XXXII. ſeqq. cam Pontifex intendit. 126. XVIII.

Joannes a Capraria virtute illuſtris. 472. XXXIV.

Joannes Caſalla Epiſcopus Bericnſis. 65. XLVII.

Joannes Cedraillus Conventum Bellimontis conſtruit. 30. LVI.

Joannes a Cruce doctrina & pietate illuſtris. 225. V.

Joannes Cuyphius Epiſcopus Groeningenſis ubi floruit. 67. LVI.

Joannes Daciæ Rex moritur, & in Eccleſia Minorum Ottonenſi ſepelitur. 81. VII.

Joannes a Daventria doctrina clarus. 402. XL.

Joannes Enciſius Monaſterium Juliobrigæ extruit. 308. XX.

Joannes Faber Provinciæ Aquitaniæ Miniſter. 340. IV. Epiſcopus Aurienſis. 471. XXIX.

Joannes Fabrianenſis paupertatis amantiſſimus, abſtinentia, oratione & Miraculis clarus. 449. XXI.

Joannes de Fano Miniſter Provinciæ Marchiæ Matthæum de Baſſio inſequitur. 211. XXII. liberam impetrat ubique verbum Dei diſcerninandi facultatem. 335. XXXIV. ad Capuccinos tranſit. 379. LXXII. & Inſtitutum promovet. 401. XXXVIII. Ejus elogium. 450. XXIII.

Joannes Ferrerius Archiepiſcopus doctrina & pietate celebris ubi tumulatus. 66. LIV.

Joannes a Figueroa Monaſterium Conceptionis extruit Valliſoleti. 133. XXXIII.

Joannes Forceſtus ab Henrico VIII. Angliæ Rege comprehenditur. 365. XXXII. cruciatur inhumana ſævitia. 390. XVI. ſeq. Catarina Regina ad eum epiſtolam dirigit. 391. XVIII. cui dat reſponſum. 391. XIX. Ejus ultimatum Martyrium. 419. IX.

Joannes Franciſcus Potentinus Nuncius Apoſtolicus Maronitas ad obedientiam Romani Pontificis reducit. 5. III. aliis mirabilibus rebus dat operam. ibid. ſeq. Commiſſarius Romanæ Curiæ, & Baſilicatæ Miniſter. 72. XIV. Epiſcopus Scarenſis eligitur. 178. XLV.

Joannes Garges Cœnobium Cumanum extruit. 21. XLII.

Joannes Glapoin Miniſter Provinciæ Burgundiæ. 50. XXVII. Commiſſarius Curiæ Romanæ. ibidem. Carolo V. a ſa-

ſacris Confeſſionibus. 115. I. Cum Quinonio cogitat Indias petere. ibid. moritur. ibidem.
Joannes Granatenſis Indiarum Commiſſarius. 340. IV.
Joannes a Leone Monaſterium Fontis Sambuci extruit. 437. XX.
Joannes a Lovanio Proviuciæ Brabantiæ Miniſter. 277. XXIX.
Joannes III. Luſitaniæ Rex Collegium in Conymbricenſi Academia pro Minoritis erigit. 295. XXVII. pro Conventu Eſtremotii eleemoſynas largitur. 428. XXIX.
Joannes Marcheyſen Provinciæ Argentinæ Cuſtos. 49. XXVI.
Joannes de Marchena Provinciæ Caſtellæ Miniſter. 189. XVIII.
Joannes Maria Arctinus Suffraganeus Atrebatenſis. 131. XXV.
Joannes Maucanius Monaſterium Burdigalenſe abſolvit. 133. XXXV.
Joannes de Medina Epiſcopus Sudenſis moritur. 195. XXX.
Joannes de Morellis Canetenſis Suffraganeus in Dalmatia. 88. XV.
Joannes Morlinus Commiſſarius Apoſtolicus. 130. XXII.
JoannesNavarretus Concionator ardentiſſimus, erga ſanctiſſimam Euchariſtiam ſummo flagrat amore, ejuſque cultum ubique promovet. 255. XI. diem ſui obitus, dum concionatur, prædicit. ibid. obit in Domino & miraculis fulget. ibid ſeq.
Joannes N. Epiſcopus Viſenſis. 195. XXX. fuit Joanni Portugalliæ Regi a ſacris Confeſſionibus. ibidem.
Joannes de Olmillos religione & obedientia præclarus. 206. XIII.
Joannes Pachecus Monaſterium Populæ de Monte Albano extruit. 144. XIX.
Joannes de Padilla Martyr. 466. XV.
Joannes de la Parra laicus virtute celebris. 91. XXVIII.
Joannes Paulus Germanus floret. 291. XIII.
Joannes Petrus Sacerdos ab hæreticis necatus. 144. XVIII.
Joannes a Pontevedra in Conventu Noyæ dat Minoritis nomen. 143. XV. Ejus elogium. 192. XXV.
Joannes Quevedo Miniſtros Regios inter ſeſe componit. 21. XLIII. miſeris Indis opitulatur. 75. XXIV.
Joannes de Ribas Religione inſignis. 283. XLII.
Joannes de Rimarona Provinciæ Coloniæ Miniſter. 75. XXII.
Joannes Rivus Tortus Martyr. 66. LIV.
Joannes de Salazar Epiſcopus Conſtantienſis. 109. XXXV.
Joannes a Salvaleone virtute & pietate præclarus. 91. XXVII.
Joannes a Sotomajori Cœnobium Alconcelii ædificat. 238. XXXIX.
Joannes Spadacinus Obſervantibus perquam addictus. Cœnobio Ceutenſi initia præbet. 456. XLIII.
Joannes a Stobnica Polonus Artium Magiſter in Univerſitate Cracovienſi. 100. XVIII.
Joannes Suarez rebus Indicis valde proficuus. 225. V. Epiſcopus Floridæ. 248. XVI.
Joannes de Tecto quondam Guardianus Gandavenſis. 138. VI.
Joannes Telles Comes Conventum Oſſunæ extruit. 198. XL.
Joannes Tinctoris Provinciæ Scotiæ iterato Miniſter obit. 23. XLVII.
Joannes Toletanus a nobilitate & prudentia commendatus. 254. IX.
Joannes de Tomanis Pœnitentiarius Apoſtolicus. 469. XXIII.
Joannes Vigerius Commiſſarius Apoſtolicus, & Conventualium Generalis. 278 XXX.
Joannes Winter Cuſtos Provinciæ Argentinæ. 273. XVIII.
Joannes a Zerda Dux Methymnæ Cœli Conventum Portus S. Mariæ ædificat. 66. LI.
Joannes Zumarraga Provinciæ Conceptionis Miniſter. 167. XXIV. Primus Mexicanus Epiſcopus. 248. XVI. Indorum Protector. 293. XVIII. pacem inter Hiſpanos conciliat. 285. I. Ejus pietas. 466. XIV.
Joannes de Zuniga Provinciæ S. Jacobi Commiſſarius. 167. XXIV.
S. Joannis Rotundi Conventus. 401. XXXVIII.
Jodoci de Riiche epiſtola. 384. LXXXIV.
Joſeph de Montanaris Archiepiſcopus Naxienſis & Parienſis. 435. XI.
Iſabella Lutemburgenſis Monaſterii Annunciatarum Bethuniæ fundatrix. 68. LXII. Ejus epitaphium. ibidem.
Iſabella Peralta Monaſterii Guadalfagiaræ Abbatiſſa. 336. XL.
Iſabella de Toleto prima Monaſterii Metymnæ Cœli Præfecta. 262. XXIII.
Juliobrigæ Monaſterium. 308. XX.
Juniperus a Campo ſilentio, abſtinentia, & corporis maceratione ſpectabilis. 420. XIII.
Juſtinopolitanus Conventus. 282. XXXIX.
Ixarenſis Conventus. 197. XXXIX.

K

KAtszlſtarff Conventus. 78. XXXVIII.
Kermeudi Conventus. 198. XLIII.
Kildarienſis Conventus. 113. LV.

L

LAcuenſis Conventus. 77. XXXII.
Lavaleuſis Domus Tertii Ordinis. 31. LX.
Laurcutius Aldanus miles Cœnobium Paſti ædificat. 456. XLV.
Laurentius Cardinalis Campegius Monaſterium Bonouienſe ſanctæ Marthæ Clariſſis tradit. 262. XXIII.
Laurentius a Rapariegos laicus miraculis, & ſpiritu prophetico illuſtris. 63. XLIII.
Laurentius Spatha Magiſter Generalis Conventualium. 425. XX.
Legionenſe Monaſterium. 78. XL.
Leo X. varia Privilegia Minoritis largitur. 32. LXII. 68. LXIV. V. *Privilegia* in fine quorumlibet annorum. Franciſcanos Nuncios mittit ad Maronitas. 5. III. Cultum Eliſabethæ Luſitanæ, & Martyribus ſeptæ concedit. 7. VII. Capitulum Generaliſſimum Ordinis Romæ convocat. 23. XLIX. Bullam *Vnionis* expedit. 42. XXIII. & *Concordiam* in Ordine firmat. 56. XXXIII. Ordinem Annunciatarum approbat. 61. XXXVII. & Officium Coronarum Chriſti, & B. Virginis. 62. XXXVIII. Interdictum pro diebus Octavæ Conceptionis auſert. 64. XLV. Franciſcum de Paula Sanctorum albo aſcribit. 81. III. Cruciatam indicit. 81. IV. Miſſionis Indicæ privilegia confirmat & auget. 115. II. Canonizationi Joannis de Capiſtrano incendit. 126. XVIII. Regulam Tertii Ordinis confirmat. 127. XIX. alia Diplomata expedit. V. *Epiſtola Leonis X.* moritur. 130. XXIII.
Leo de Lanchut Provinciæ Poloniæ Miniſter. 75. XXII.
Leonardus Cæva Bidanenſis Epiſcopus Eccleſiam Conventus Romanengi conſecrat. 237. XXXIII.
Leonardus Publicius Vicarius & Procurator Generalis Ordinis. 395. XXXI. Cuſtos Provinciæ Januenſis. 273. XVIIII.
Leonellus II. Pius Franciſcanis valde addictus. 131. XXVI.
Leonici Monaſterium. 296. XXX.
S. Leonis, ſive S. Lei Conventus. 76. XXVII.
Leonora a ſancto Joanne virtutibus & oratione illuſtris. 437. XXII.
Leuci Conventus. 110. XLIII.
Liceutiatus Mexia Eccleſiam Corpori Chriſti ſacram Domui Villæ Iulautium largitur. 134. XXXVIII.
Liciaui Conventus. 403. XLII.
Limæ Conventus. 383. LXXXII.
Liniaci Conventus. 110. XLI.
Littoris Monaſterium. 428. XXX.
Lopetius ab Almeida Conventum Abrantinum ædificat. 238. XXXVIII.
Lopetius a Catena Conventum ſanctæ Crucis in Hiſpania extruit. 472. XXXIII.
Lopetius a Salinis Cœnobium ſanctæ Gadeæ in Caſtella fundat. 239. XL.
Lovanii Monaſterium. 31. LIX. 297. XXXIII.
Lucia ab Angelis una ex primis Monaſterii Illeſcis inſtitutricibus. 68. LXIII.
Ludovica a Cruce ab humilitate, pœnitentia, rerum Divinarum contemplatione, omnique aſperitate laudatur. 131. XXIV.
Ludovica de Olmedilla oratione & pietate inſignis. 31. LVIII.
Ludovicus Anhaltinus genere & moribus illuſtris moritur. 192. XXVI.
Ludovicus Biancus Archiepiſcopus Dyrachienſis. 471. XXIX.
Ludovicus Biaſtouus pietate & virtute celebris 247. XV.
Ludovicus Calaiagironenſis ſumma pietate claruit. 435. XII.
Ludovicus Cambonus Epiſcopus Terrazomenſis. 219. XXX.
Ludovicus Cherigattus Antibarenſis Epiſcopus. 261. XX.
Ludovicus de Eſcalona laicus ſanctitate celebris. 466. XV.
Ludovicus a Foroſempronii a Pontifice Diploma pro ſejunctione Capuccinorum ab Obſervantibus impetrat. 257. XV. ſuæ Congregationis Vicarius inſtituitur. 278. XXXI. a Capucciuis recedit. 424. XIX.
Ludovicus Gonzaga Marchio Conventus Caſtilionis fundator. 382. LXXIX.
Ludovicus Heningus a Pontifice in Orientem amandatus. 130. XX.
Ludovicus de Ixar Cœnobium Obſervantibus ædificat. 197. XXXIX.
Ludovicus Lerma a vitæ ſanctimonia commendatus. 198. XLII.
Ludovicus a Marmore Monaſterium Conceptionis Civitatis Regiæ commutat. 249. XXIII.

Lu-

Ludovicus de Martinis Epiſcopus Arienſis. 426. XXII.
Ludovicus Mendez a Sotomajori Conventum Eſcazenæ cum Conjuge extruit. 307. XVI.
Ludovicus Palmenſis Comes Cœnobium Palmæ Franciſcanis ædificat. 77. XXX.
Ludovicus Rheginus miraculis illuſtris moritur. 420. XII.
Ludovicus Salmanticenſis laicus miræ humilitatis, caritatis & pœnitentiæ vir obdormit in Domino. 91. XXVIII.
Lutherus in Germania furit. 94. I.
Lymiricenſis Conventus. 383. LXXX.

M

MAcharſchæ Conventus. 78. XXXVII. Magdalena Budriſich miræ ſanctitatis fœmina. 402. XL.
Magiſtri Generales PP. Conventualium. Antonius Marcellus. 50. XXIX. Antonius Ferdutius Anconitanus. 378. LXX. Antonius Saſcolinus Florentinus. 81. VI. Joannes Vigerius. 278. XXX. Laurentius Spatha. 425. XX.
Malacenſe Monaſterium. 133. XXXIV.
Mandelli Conventus. 110. XLIII.
Marcellus Cherinus Archiepiſcopus Patracenſis. 109. XXXV.
Marchenæ Conventus. 296. XXVIII.
Marcus a Nicia apud Indos Evangelicus operarius. 309. III. Novas terras explorat. 440. IV.
Marcus a ſancta Maria Picenus apud Vincentiam tumulatus. 294. XXII. Ejus elogium. ibidem.
Marcus Theatinus Provinciæ S. Bernardini Miniſter. 420. XI.
Margarita a Lotharingia Monaſterii Argentonii reformatrix. 67. LX.
Magarita N. Domus S. Agnetis Fulginatis fundatrix. 247. XV.
Margarita Palatiniſſa Tertii Inſtituti Soror. 134. XXXIX.
Margarita Malaſpina prima Monaſterii Buxeti Regularis diſciplinæ magiſtra. 67. LIX.
Margarita Pallavicina Monaſterii Buxeti reformatrix. 67. LIX.
Marhici Conventus. 249. XXI.
Maria Calderonia Monaſterii Populæ de Monte Albano prima fundatrix. 144. XIX.
Maria de Cardona Monaſterium Calaritanum extruit. 457. XLIX.
Maria de Figueroa in Conventu Oropeſæ tumulata. 90. XXVI.
Maria Gerea ſanctitate illuſtris. 101. XXI.
Maria Hamalia Guillelmi Croii Marchionis vidua Monaſterium Lovanienſe ædificat. 297. XXXIII.
Maria Louga Hiſpana Monaſterium Clariſſarum Neapoli extruit. 437. XXV.
Maria Manuel ex Ducibus Metymnæ Sydonii Conventum Eſpartinum extruit. 261. XXII.
Maria Munnozia virtutibus illuſtris. 349. XVIII.
Maria Santerrana prima Monaſterii Bethuniæ Præfecta. 68. LXII.
Maria de Silva Cœnobium Metymnæ Cœli extruit. 249. XIX. & Monaſterium Monialium. 262. XXIII.
Maria Suarez vitæ aſperitate conſpicua. 192. XXVII.
Maria a Toleto de Monaſterio Oropeſæ valde merita. 114. LVIII.
Maria Walliæ Princeps Catarinæ Auſtriacæ, & Henrici VIII. Angliæ Regis filia. 387. VIII.
Maria de Zuuniga Collegium pro Minoritis Salamanticæ extruit. 473. XXXV.
Marina Alvarez Marco vidua Domus Tertii Ordinis Albazeti fundatrix. 297. XXXIV.
Marina a Cardenas prima Monaſterii Romani Conceptionis Præfecta. 221. XXXVII.
Mariottus de Sajano Conventum Gollis ſive Podii ædificat. 179. XLVII.
Maronitas Franciſcani ad Romani Pontificis obedientiam reducunt. 5. III.
Marrubii Conventus. 382. LXXIX.
S. Marthæ Conventus. 336. XXXIX.
Martialis Boulier Vicarius Generalis Ultramontanus moritur. 22. XLVII.
S. Martini de Aggere Couventus. 248. XVIII.
Martinus de Bejar Provinciæ Conceptionis Cuſtos. 273. XVIII.
Martinus Garibayus Commiſſarius Curiæ Romanæ. 103. XXIII.
Martinus de Omenno laicus ſanctitate clarus. 180. XLIX.
Martinus a Turnhout pietate illuſtris. 31. LIX. moritur. 469. XXIII.
Martinus de Valentia floret. 64. XLIV. cum ſociis deſtinatur ad Indos. 158. XVI. Præfectus Miſſionis eligitur. 159. XVIII. 161. XVIII. Mexicum perveniens honorifice ſuſcipitur a Ferdinando Corteſio. 181. I. prædicare incipit. 182. III. & Pueros docere. 183. V. alia ejus acta. ibid. ſeq. Urbis Mexicanæ reprimit ſeditiones. 201. IV. quanta ejus apud Mexicanos auctoritas. 225. V. obit in Domino. 354. VIII. ejus vita recenſetur. ibid. ſeqq.

ejus corpus ubi conditum. 283. XLII.
Martyres duo Minoritæ in Catalonia. 22. XLIV.
Martyribus Septæ ab Apoſtolica Sede cultus conceditur. 7. VII.
Matelicæ Conventus. 76. XXVII.
Matthæus de Baſſio Capitium aeuminatum induit. 207. XVI. Romam petit. ibid. ut eum defendat, univerſumOrdinem Boverius calumniatur. 208. XVIII. eum Miniſter Marchiæ conatur ad Ordinem reducere. 256. XIV. Vicarius Generalis ſuæ Congregationis præficitur. 278. XXXI. ad Obſervantes regreditur. 424. XIX.
Matthæus Leopolitanus genere, & religione illuſtris. 305. XII.
Matthæus a Meſſuraca virtutibus & miraculis celeberrimus. 131. XXVII.
Matthæus de Vivariis Epiſcopus Amidenſis. 65. XLVII.
Matthias Antuerpienſis variarum Proviociarum Commiſſarius. 205. X. 228. XI.
Matthias Benkan Commiſſarius Generalis Ultramontanus & nationis Germanicæ. 273. XVIII.
Matthias Ugonus Brixienſis Epiſcopus Famaguſtanus. Templum Conventus Brixiæ conſecrat. 66. I.
Mattbias Weyſſen Commiſſarius Generalis in Capitulo Toloſano. 322. VII.
Mauri Granatenſes Mahometiſmi tenaces. 349. XIX. eorum in Hiſpaniæ Regno perfidia. 202. VI. Pontifex jubet eos coerceri. ibid. Cæſar excogitat modum. ibid. Prædicatores, & Minores eliguntur ad opus. 203. VII. V. *Franciſcus Ximenius*.
Mauritius Doranus Epiſcopus Leghlinenſis. 219. XXX.
Mauritius de Poderino Commiſſarius Romanæ Curiæ. 324. XII.
Maximilianus Imperator moritur, & laudatur. 80. I.
Medardus Alemannus vir probus & doctus Ferdinando Regi Romanorum a Sacris Confeſſionibus. 304. X. inſtituitur Generalis Conciouator per totam Germaniam. ibidem.
Medianæ Conventus. 90. XXIV.
Mediolanenſis Capuccinorum Conventus. 401. XXXVIII.
Meldulæ Conventus. 131. XXVI.
Mellariæ Antiquæ Conventus. 111. XLIX.
Mentia Alvarez prima Monaſterii Centiſontani Præfecta. 221. XXXVIII.
Mentia a Conceptione virtutibus, & prodigiis celebris. 113. LVII.
Meutia a Toleto Monaſterio Oropeſæ dat initia. 113. LVIII.
Mercenarii Religioſi in Indiis. 226. VI.
Meridæ Iudicæ Conventus. 383. LXXXI.
Metymnæ Cœli Conventus. 249. XIX. & Monaſterium. 262. XXIII.
Mexicanorum Vitia nefanda. 270. XV.
Mexicanus Conventus. 220. XXXV. & Monaſterium. 265. II. 285. II.
Michael ab Angelis Provinciæ S. Gabrielis unus ex fundatoribus, & Commiſſarius. 349. XVI.
Michael Apruſtenſis erga Infirmos valde miſericors quos crucis ſigno ſanabat. 420. XIII.
Michael de Garovillas religione inſignis. 283. XLII.
Michael Lorcanus de Cœnobio Villæ Novæ infantium valde meritus. 134. XXXVIII.
Michael N. laicus vitæ ſanctimonia memorabilis. 198. XLII.
Michael Rochus Conventus S. Honuphrii de Lappa Præfectus. 253. VI.
Michael Serra Catarioæ Imperatrici a Sacris Confeſſionibus. 158. XV.
Minerva Vidua Clariſſa Spiritu Prophetico prædita. 101. XXI.
Miniſter Generalis Ordinis unus eſſe debet, & per ſexennium durare. 44. XXIII. alia ad eumdem pertinentia. ibid. ſeqq. quis eum debet eligere. 72. XV. ſeqq. num poſſit per compromiſſum eligi. 254. VIII. 273. XIX. de novo Miniſtro Generali, & veteri plura ſtatuuntur. 73. XVII.
Miniſtri Geoerales totius Ordinis Minorum Cbriſtophorus Numajus Forolivienſis. 48. XXIV. Franciſcus Lychetus. 69. I. Paulus a Sonciuo. 117. III. Franciſcus Quinnonius. 145. I. Paulus Piſottus. 273. XVIII. Vincentius Lunellus. 395. XXXI.
Minores. V. *Obſervantes Capuccini Conventuales*.
Miſſio Indica Fratrum Minorum. 19. XXXVI. 95. II. 138. VI. 158. XVI. ſeqq. 199. I. 225. V. 246. XIII. 254. IX. 265. III. 309. II. 414. I. 429. II. ſeqq. 438. I. 460. I.
Miſſionis conditiones. 136. III. ſeqq. & inſtructiones. 159. XVIII. 310. VI.
Mittendi ad Indias plerique determinati. 396. XXXII.
Molinæ Conventus. 211. E.
Monaſteria Clariſſarum Abulenſe, Conceptionis. 457. XLVIII. Agennenſe. 296. XXXIII. Alacauti. 79. XLI. Altobaſi. 250. XXIII. Antiquæ Mellariæ. 308. XX. Aquenſe. 403. XLV. Aretinum S. Claræ novellæ. 93. XXXIII. Argentonii. 67. LX. Auximanum.

412. xvii. Bethuniæ. 68. lxii. Bononienſe. 262. xxiii. Brugenſe Annuntiatarum. 79. xliii. Burdigalenſe. 133. xxxv. Buxeti. 67. lix. Calaritanum. 457. xlix. Cantus-Lupi. 133. xxxvi. Capitis Bovis. 351. xxv. Caſtaneti. 113. lvii. Caſtellonii. 199. xlv. Catanenſe. 483. xx. Cazorbæ. 262. xxxiii. Civitatis Caſtellanæ. 412. xvii. Civitatis Regiæ. 249. xxiii. Cortonenſe. 428. xxxi. Cremonenſe. 30. lvii. Cuellaris. 298. xliv. Cupramontanum. 132. xxx. Cuſentinum. 93. xxxiii. 133. xxxi. Elchenſe. 67. lxi. Eugubinum. 308. xix. Fontis Sambuci. 437. xx. Gattinaræ. 284. xlv. Granatenſe S. Eliſabethæ. 437. xxii. Guadalfagiaræ. 336. xl. Juliobrigæ. 308. xx. Legionenſe. 78. xl. Leonici. 296. xxx. Littoris. 428. xxx. Lovanii. 31. lix. 297. xxxiii. Malacenſe. 133. xxxiv. Metymnæ Cœli. 262. xxiii. Montisfeltri. 428. xxxi. Montis fortis. 180. lii. Montis Marſani. 473. xxxvi. ~~Montis~~ Maſſani. 428. xxxi. Neapolitanum. 437. xxv. Nurſinum. 78. xxxix., & plura alia. ibid. 213. lv. Ottonenſe. 79. xlii. Petræ Sanctæ. 296. xxxii. Pontis ferrati. 198. xlv. Populæ Montis Albani. 144. xix. Portuenſe. 403. xliv. Potentianum. 307. xviii. Pratenſe. 67. lviii. De Puliolis Bononienſe. 180. lii. Raveunæ. 93. xxxiv. Recineti. 296. xxxii. Regienſe. 93. xxxv. Romanum Conceptionis. 221. xxxvii. alia duo in Regione Montis. 114. lix. aliud S. Eliſabeth de Gregoria. 114. lix. Roſchildenſe. 83. ix. Ruthenenſe. 144. xx. Salmanticenſe. 437. xxi. Sanlucari. 93. xxxvii. Saonenſe. 93. xxxiii. Sartiani S. Claræ. 67. lviii. S. Joannæ. 67. lviii. Scalabienſe. 351. xxv. Scalonæ. 249. xxii. S. Severini. 456. xlvii. Spoletanum. 132. xxxi. Tridentinum. 307. xix. Tudertinum. 113. lvi. Turris furnorum. 93. xxxvi. Valliſoleti. 133. xxxiii. Venetum S. Claræ de Murano. 137. xxxii. Sanctæ Crucis. ibid. S. Mariæ de Miraculis. ibid. S. Sepulcri. ibid. Vigilienſe. 296. xxxi. Villæ Pedrochæ. 385. lxxxv. Uliſypponenſe ſpei. 412. xviii. Ulmeti. 30. lviii. Urbevetanum. 113. lvi.

Mons Pietatis Romanus a quonam inſtitutus. 444. xv. ejus privilegia, & leges ad ipſum pertinentes. ibidem. ſeq.

Montionis ſive Montopolis Conventus. 76. xxviii.

Montis Calvi Conventus. 111. xlvi.

Montis Cœlii Conventus. 350. xxii.

Montis Clericuli Conventus. 142. xiii. 293. xix.

Montis Corvini Conventus. 196. xxxiv.

Montis Feltri Monaſterium. 428. xxxi.

Montis Fortis Monaſterium. 180. lii.

Montis Leonis Conventus. 351. xxiii.

Montis Marſani Monaſterium. 473. xxxvi.

Montis Maſſani Monaſterium. 428. xxxi.

Montis Melonis Capuccinorum Conventus. 261. xix.

Montis Milonis Conventualium Conventus. 456. xliv.

Montis Piloſi Conventus. 306. xv.

Montis Sancti in Aragonia Domus Sororum Tertii Ordinis. 239. xli.

Montonæ Conventus. 471. xxx.

Montopolis, ſive Montionis Conventus. 76. xxviii.

Morani Conventus. 132. xxix.

Murciæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 284. xlvii.

Muſmolis Conventus. 196. xxxii.

N

NAxaræ Conventus. 132. xxviii. 197. xxxviii.

Neapolitanus S. Anoæ Conventus. 89. xviii.

Neapolitanus Capuccinorum Conventus. 291. xiv.

Neapolitanum Monaſterium. 437. xxv.

Nicolaus de Actis Epiſcopus Recinetenſis Conventus Minorum Recineti Varani fundator. 65. xlviii.

Nicolaus Burreanenſis Epiſcopus Sarreptanus. 88. xv.

Nicolaus Comeu Monaſterium Lavalenſe Tertii Ordinis conſtruit. 31. lx.

Nicolaus Graſſottus Patavinus Epiſcopus Lampſacenſis. 30. liii.

Nicolaus Herbonus contra Henricum VIII. Angliæ Regem ſcribit. 304. ix. Commiſſarius Generalis Ultramontanus. 322. vii. Miſſionarios Indiarum inſtruit. 310. vi. Vicarius Generalis Ultramontanæ familiæ. 342. viii.

Nicolaus Malipierus a pietate, & doctrina commendatus. 109. xxxv. Provinciæ S. Antonii Miniſter. ibid. 304. viii.

Nicolaus de Monte Corvino Martyr, ubinam ortum duxit. 196. xxxiv.

Ni-

Nicolaus de Valle Epiſcopus Madaurenſis. 219. XXX.
Nivellanus Conventus. 221. XXXVI.
Nolana Domus Sororum Tertii Ordinis. 284. XLVI.
Nomina irriſoria undique Fratribus vetita. 46. XXIII.
Noyæ Conventus. 143. XV.
Nurſinum Monaſterium Pacis. 78. XXXIX. & plura alia. ibid. 113. LV. Domus etiam Sororum Tertii Inſtituti. 78. XXXIX.

O

OBſervantes Minores primi omnium Cumanos docent. 21. XLII. duo Martyres in Calabria. 22. XLIV. ab Inquiſitorum poteſtate eximuntur. 25. L. nolunt cum Conventualibus uniri niſi reformentur. 41 XX. eis dumtaxat electio Miniſtri Generalis commiſſa. ibid. ſuper omnes Minores fruuntur præcedentia. 53. XXX. horum cum Conventualibus concordiæ articuli. 56. XXXII. Privilegia relaxativa numquam voluerunt admittere. 70. II. 72. IX. ſtrenue contra Lutherum certant. 95. I. 121. VIII. 175. XXXVIII. ab ejus ſectatoribus in Saxonia vexantur. 186. XIII. item in Pruſſia, aliiſque Germaniæ locis 225. IV. 443. XIII. plures ad Indos mittuntur Cæſare inſtante. 138. IV. Pueros apud Indos docent. 183. V. 266. V. eos Boverius male habet. 208. XVII. ſeq. a pecuniariis collectionibus excuſantur. 213. XXV. in Indiis conſtituuntur executores Imperialium Legum. 225. V. multi a Turcis in Hungaria interfecti. 234. XXVII. 333. XXVII. commendantur a Corteſio Indiarum Præfecto. 264. II. eique adhærent. 202. IV. qualiter in Regno Peruano ſe geſſerint. 265. III. eorum profectus in propaganda fide. 139. VI. 298. I. ſeqq. 460. I. ſeqq. conſtanter impietati Regis Angliæ reſiſtunt. 326. XV. 366. XXXVI. in Gallia cum Conventualibus concordiam ineunt. 337. I. mittuntur ad inſtruendos Mauros Granatenſes. 349. XIX. Nequeunt ad Capuccinos tranſire. 398. XXXV. 422. XVII. inter eos & Capuccinos datur interlocutoria ſententia. 400. XXXVII. ingentem infidelium numerum ſacro baptiſmatis lavacro ad Chriſtum ducunt. 414. III. contra uſurariam pravitatem laboraut. 444. XV. ſeq.
Officiorum perpetuitas, tamquam pernicioſa interdicitur. 44. XXIII.
Officium Divinum ſanctiſſimi Nominis Jeſu conceditur. 289. X. 404. I. Sanctæ Catarinæ Bononienſis. 290. XII. Sancti Joannis de Capiſtrano. 404. I. SS. Euſtachii & Sociorum. ibidem. Paſſionis Domini. ibidem. Deſponſationis B. M. V. 428. XXXIII.
Oppidi Conventus. 294. XXIII.
Orioleuſis Conventus. 403. XLIII. 412. XVI.
Oropeſæ Conventus. 90. XXVI. & Monaſterium. ibidem.
Ortavæ Conventus. 92. XXIX.
Oſſunæ Conventus. 198. XL.
Ottonenſe Monaſterium. 79. XLII.
Ordo Minorum vinea Domini. 42. XXIII. V. *Obſervantes, Conventuales, Capuccini*.

P

PAcis Auguſtæ Conventus. 91. XXVII. Padulæ Conventus. 436. XIV.
Palatioli Conventus. 293. XX.
Palenæ Conventus. 427. XXVII.
Palmæ Conventus. 77. XXX.
Paloni Conventus. 427. XXVII.
Pampilonenſis Conventus. 179. XLIX.
Panaliæ Conventus. 335. XXXI.
Pariſienſis Conventus. 277. XXVIII.
Paſchalis Caſtellutius a patientia commendatus. 100. XVII.
Paſti Conventus. 456. XLV.
Paternus Jacobinæ Militiæ Eques Monaſterium Ulmeti conſtruit. 30. LVIII.
Paulus Britius Aſtenſis Epiſcopus. 196. XXXIII.
Paulus a Corleone miraculis clarus. 283. XL.
Paulus a Foſſa Clodia virtutibus exornatus. 305. XI.
Paulus de Parma, ſive Piſottus, Provinciæ Bononiæ Cuſtos. 49. XXVI. Procurator Generalis Ciſmontanus. 50. XXVII. Generalis Miniſter. 273. XVIII. Capuccinos inſequitur. V. *Capuccini*. Indiſcrete regit. 303. VI. nimio faſtu gloriatur. 323. IX. in eum deducuntur quærelæ. 342. VIII. & deponitur. ibid. ad Conventum Montis Clericuli ſecedit. 142. XIII. moritur. 354. VII. Ejus epitaphium. ibidem.
Paulus Randatius ſingularis pœnitentiæ, abſtinentiæ, & iuſiguis in pauperes caritatis obit in Domino. 467. XVII. ubi claruit. 435. XII.
Paulus a Soncino Provinciæ Mediolanenſis Cuſtos. 49. XXVI. Vicarius Generalis Ordinis. 105. XXIX. & Gene-

ralis Miniſter. 117. III. Nuncius Pontificius. 130. XX.
Paulus Zomon, ſive Thomorius Archiepiſcopus Colocenſis qualis vir. 178. XLV. Ejus geſta. 232. XX.
Paulus III. creatur Summus Pontifex. 352. II. Obſervantibus ad Capuccinos tranſitum interdicit. 381. LXXVI. 422. XVII. revocat prohibitionem. 397. XXXIV. iterum renovat. 398. XXXV. varia largitur Ordini privilegia. 404. XLVI. 437. XXVI. 457. L. Congregationem Capuccinorum confirmat. 407. XI. & ritum noſtrum apud Iudos baptizandi. 416. VI. Capuccinis jubet ne ad partes ultramontanas ſe extendant. 423. XVIII. reformationem Provinciæ Aquitaniæ confirmat. 434. IX. Miniſtrum Generalem Ordinis ad Cæſarem in Germaniam mittit. 443. XIII. & in Urbem revocat. 466. XVI. Fratribus Montis Pietatis Urbis curam commendat. 444. XV. Sacrario providet ſancti Bernardini Aquilæ. 448. XX. Privilegiorum Conſervatores concedit. 457. L.
Pedemontis Conventus Capuccinorum. 471. XXXI.
Peronenſis Conventus. 436. XV.
Peruſinus ſancti Hieronymi Conventus. 236. XXXI.
Peſciotæ Conventus. 143. XIV.
Petræ Sanctæ Monaſterium. 296. XXXII.
Petrus de Acoltis Epiſcopus Anconitanus, Ordiniſque Protector. 41. XX.
Petrus Altamiranus unus ex Iudicis operariis. 202. IV.
Petrus Carvajalius genere, virtutibuſque illuſtris. 349. XIX.
Petrus Cordubenſis humilitate & oratione inſignis. 192. XXIV.
Petrus Erdeodius Conventum Zagabriæ extruit. 307. XV.
Petrus Fugetius Cherſoneſis Epiſcopus. 247. XVI.
Petrus Galatinus floret. 447. XVII. ſuos libros Bibliothecæ Aracœlitanæ largitur. 447. XVIII.
Petrus de Gant Gandavenſis laicus ad Indias mittitur. 138. VI. Ejus epiſtola de rebus Mexicanis. 270. XV.
Petrus Gomeſius a Civitate Regia Monaſterium Guadalfagiaræ uua cum Conjuge conſtruit. 336. XL.
Petrus de Guardia laicus religioſiſſimus. 281. XXXV.
Petrus Guinardus Provinciæ Turoniæ Miniſter. 71. V.
Petrus Lambertus Epiſcopus Venuſinus primum lapidem in extructione Conventus Antipolis ponit. 30. LV.
Petrus de Limpias Provinciæ Cartaginenſis Miniſter. 188. XVII.
Petrus Mainardus Aſponenſis Epiſcopus. 335. XXXV.
Petrus Melgarius partes Corteſii ſuſtinet. 202. IV. moritur. 139. VII.
Petrus Menquius ubi tumulatus. 66. LIV.
Petrus de Mexia Provinciæ ſanctæ Crucis Indiarum Miniſter. 103. XXIII. 186. XIV.
Petrus de Monte Corvino Provinciæ Terræ laboris Miniſter. 205. XI.
Petrus de Montibus laicus ſanctitate præclarus. 112. LI.
Petrus de Montibus Occæ Commiſſarius Generalis Ultramontanus. 22. XLVII. Nationalis Hiſpaniæ. 118. IV. petit ab officio abſolvi, ſed fruſtra. ibidem. Provinciæ ſancti Jacobi Miniſter. 166. XXIII.
Petrus Norvegus vir religioſiſſimus in Cœnobio Oropeſæ tumulatus. 91. XXVI.
Petrus Pachecbus Epiſcopus Seguntinus Cardinalis Eccleſiam Monaſterii Populæ de Monte Albano extruit. 144. XIX.
Petrus a Padulis Beretranorum Principi a Confeſſionibus. 467. XVIII.
Petrus Peruſinus virtutibus illuſtris. 294. XXI.
Petrus Ranellus Epiſcopus Ebroniſſenſis. 30. LV.
Petrus Saxi Provinciæ ſancti Ludovici Commiſſarius. 30. LV.
Petrus Tudertinus Fulginei moritur. 467. XIX.
Petrus de Valcaçar Miniſter Provinciæ Beticæ. 188. XVI.
Petrus de Valentia. V. *Petrus Melgarius*.
Petrus de Varce de Conventu Coſtæ S. Andreæ valde meritus. 112. LII.
Petrus a Villanova vir pius & orationi addictiſſimus obit in Conventu Segobricæ. 449. XXII.
Petrus de Urrea Epiſcopus Dulciuenſis. 261. XX.
Philippa Geldria Siciliæ Regina Clariſſa. 81. V.
Philippus Caucrelius Abbas de Monaſterio Bethuniæ benemeritus. 68. LXII.
Philippus Lulyer Provinciæ ſancti Bonaventuræ Miniſter. 71. VI.
Pinæ Conventus. 295. XXVI.
De Pinu Conventus. 90. XXV.
Pirani Conventus. 282. XXIX.
Piſcheriæ Conventus. 76. XXIX.
Placentinus Conventus. 91. XXVII. 115. XLVII.

XLVII. 435. XIII. ſanctæ Crucis. 472. XXXIII.
Podii, ſive Collis in Marchia Conventus. 179. XLVII.
Poliſtenæ Conventus. 111. XLV. 427. XXVII.
Politiani Conventus. 335. XXXIII.
Pontanus Conventus. 132. XXIX.
S. Pontiani Martyris Corpus apud Clariſſas Spoleti tumulatum. 132. XXXI.
Pontiſeræ Conventus. 89. XXII.
Pontiſferrati Monaſterium. 198. XLV.
Popayanæ Conventus. 412. XV.
Populæ Conventus Angelorum. 336. XXXIX.
Populæ Montis Albani Monaſterium. 144. XIX.
Portuenſe Monaſterium. 403. XLIV.
Portus Iæti Conventus. 143. XVI.
Portus ſanctæ Mariæ Conventus. 66. LI.
Potentianum Monaſterium. 307. XVIII.
Pozrhaviæ Conventus. 113. LIV.
Prateuſe Monaſterium. 67. LVIII.
Præcedentia Officialium Romanæ Curiæ. 72. XV.
Principis Anhaltini filius moritur. 192. XXVI.
Privilegia relaxativa paupertatis Obſervantes nolunt admittere. 70. II.
Privilegia Fratribus conceſſa. V. *in fine quorumlibet Annorum*.
Procuratoris Generalis munus. 72. XV.
S. Promontorii Conventus. 77. XXXI.
De Puliolis Bononienſe Monaſterium. 180. LII.

Q

QUanhtitlanus Conventus. 283. XLII.
Quinquefrondium Conventus. 279. XXXII.
Quintinus N. Cloanenſis Epiſcopus. 30. LIII.

R

RAndatii Conventus. 435. XII.
Raphael de Alexiis Epiſcopus Sarſinatenſis. 195. XXX.
Raynaldus, ſive Reginaldus a Cotiniola olim Miniſter Generalis totius Ordinis, & Archiepiſcopus Raguſinus moritur. 282. XXXVIII. Ejus epitaphium. ibid.
Ravennæ Monaſterium. 93. XXXIV.
Recineti Conventus. 65. XLVII. & Monaſterium. 296. XXXII.
Recollectorum Regula & vita deſcribitur. 167. XXV.
Rucurſus ad Curiam & ſæculares fit caſus reſervatus. 325. XIII.
Reſadali Conventus. 403. XLII.
Reformationes novæ inhibentur. 47. XXIII. nova ſtatuitur inter Obſervantes. 328. XXI.
Regienſe Monaſterium. 93. XXXV.
Reginæ Clariſſæ Eliſabetha Portugalliæ. 7. VI. Philippa Siciliæ. 81. V.
Regularibus pleraque a Summo Pontifice præſcribuntur. 2. II. Eorum in Eccleſia utilitas. ibid. & cum Epiſcopis concordia. ibidem.
Remigius Picardus in Indiis ſtrenuus operarius. 80. II.
Rendæ Conventus. 351. XXIII.
Reolenſis Conventus. 92. XXX.
Rhodiorum Conventus. 176. XLII. ex hinc Fratres expulſi. ibidem.
Rhodium Turcæ occupant. 176. XLII.
Richardus Gama Epiſcopus Tiberiadis. 306. XIV.
Richardus Longanus Laonenſis Epiſcopus. 455. XLII.
Richardus Risbeus ab Schiſmaticis Anglis occiſus. 419. X.
Rioncii Conventus. 144. XVIII.
Riparoli Conventus. 65. XLIX.
Robertus Stuardus Jacobi V. Scotorum Regis Cognatus, virtutibus, ſpiritu prophetico & miraculis clariſſimus. 306. XIII.
Robineriarum Conventus. 112. LII.
Roccæ Siccæ Conventus. 30. LIV.
Rodericus ab Ocampo Monaſterio Granatenſi dat initia. 437. XXII.
Rogerus Bruletus pietate & doctrina inſignis. 420. XI.
Rogliani Conventus. 112. XLVIII.
Romam Imperiales invadunt. 228. XIII. 242. VI.
Romanengi Conventus. 237. XXXIII.
Romanetus Roffinus Conventum de Romanis extruit. 92. XXXI.
S. Romani Conventus. 76. XXVIII.
De Romanis Conventus. 92. XXXI.
Romanum Conceptionis Monaſterium. 221. XXXVII. Alia duo in Regione Montis. 114. LIX. Aliud S. Eliſabeth de Gregoria. 114. LIX.
Romanus ſancti Bartholomæi Conventus. 411. XIII. Capuccinorum. 279. XXXI. 291. XIV. Sancti Hieronymi. 89. XVII. 195. XXXI.
S. Romuli Conventus. 131. XXVI.
Roſchildenſe Monaſterium. 83. IX.
Ruffini Lupati Patavini elogiū. 139. VIII.
Rupis Conventus. 402. XLI.
S. Ruſtitianus Brixienſis Epiſcopus ubi tumulatus. 66. L.
Ruthenenſe Monaſterium. 144. XX.

S

S Abiniani Conventus. 131. XXVI.
Salmanticenſe Monaſterium. 437. XXI.
B. Salvator ab Horta dat nomen Minoritis. 469. XXIV. ejus in Religione tirocinium & in virtute progreſſus. 469. XXV. aſperrimam aggreditur pœnitentiam, cujus veſtigia adhuc conſpiciuntur in ejus membris. 470. XXVI. Orationi aſſiduus, Dei, beatæ Virginis, & Apoſtoli Pauli ſæpe fruitur colloquio. ibidem. Dæmonibus fit formidabilis, eique irrationabilia parent animalia. ibidem.
Samſon Mediolanenſis in ſacro bello ſtrenuus operarius. 81. IV. ingentem colligit in ſubſidium pecuniam. ibid.
Sanlucari Monaſterium. 93. XXXVII.
Saonenſe Monaſterium. 93. XXXIII.
Sartiani Conventus. 76. XXVII. Monaſterium ſanctæ Claræ. 67. LVIII. Monaſterium ſancti Joannis. ibidem.
Scalabienſe Monaſterium. 351. XXV.
Scalonæ Monaſterium Conceptionis. 249. XXII.
Sebaſtianus Belalcazar Cœnobium ſancti Franeiſci de Quito ædificat. 384. LXXXIV.
Securæ Conventus. 307. XVII.
Seuaciani Conventus. 437. XIX.
Senenſis Conventus Capucciuorum. 472. XXXI.
Seraphinus de Mantua Commiſſarius Generalis. 145. I.
Seraphinus de Rhodio Provinciæ Candiæ Miniſter. 325. XII.
Seraphinus de Rupe Oratorium Conventus Rupis extruit. 402. XLI.
Serpæ Conventus. 112. LI.
Serræ Capreolæ Conventus. 401. XXXVIII.
S. Severinæ Conventus. 335. XXXVI.
S. Severini Monaſterium. 456. XLVII.
Sicli Domus Sororum Tertii Ordinis. 293. XVII.
Sigillum Totius Ordinis Obſervantibus datur. 49. XXV.
Silvenſis Conventus. 77. XXXII.
S. Silvinus Epiſcopus Brixienſis ubi tumulatus. 66. L.
Simon Ardens a doctrina commendatus, ubi tumulatus. 420. XI. ejus epitaphium. ibid.
Simon de Podio Archiepiſcopus Damaſcenus. 335. XXXV.
Socii duo Miniſtro Generali aſſignati. 273. XVIII.
Spoletanum Monaſterium. 132. XXXI.
Squillacenſis Conventus. 196. XXXV.
Stephanus Magnanus Epiſcopus Trajanenſis. 88. XV.
Supini Conventus. 90. XXIII.
Supprouienſis Conventus. 78. XXXVIII.
Synodus prima Mexicana ſub Fr. Martino de Valentia Vicario Apoſtolico. 184. IX.

T

T Abernæ Conventus. 131. XXVII.
Tarpaienſis Conventus. 92. XXXII.
Tarviſinus Conventus. 89. XX.
Telucanus Conventus. 283. XLII.
Tepeacanus Conventus. 283. XLII.
Tereſia Garçia genere, virtutibuſque præclara. 468. XXI.
Terræ novæ Conventus. 279. XXXII.
Terræ Sanctæ Fratribus ſubſidium decernitur. 262. XXIV.
Tertiariorum Regula confirmatur. 127. XIX.
Tetzcucanus Conventus. 283. XLII.
Theodoricus Kever Epiſcopus Tarotamenſis. 65. XLVII.
Thomas a S. Antonio ſanctitate & miraculis in vita & poſt mortem celebris. 63. XLII.
S. Thomæ Apoſtoli reliquiæ inventæ. 175. XXXVII.
Thomas Beringenſis ab hæreticis in puteum ſubmerſus. 472. XXXIV.
Thomas Illyricus pietate floret. 97. IX. ubique pœnitentiam prædicat. 98. X. & mala ventura. 98. XI. Ejus vaticinia adimplentur. 98. XII. libere devios Eccleſiaſticos redarguit. 99. XIII. Duas naves ab evidenti naufragio mirabiliter liberat. 96. XIV. Ædiculam B. Virgini ædificat, eamque diripere volentes Piratæ cœlitus puniuntur. 99. XV. Obit in Domino. ibidem. Plures edidit lucubrationes. ibidem. Ubi ortum duxerit, & cur Illyricus dicatur. ibidem.
Thomas a ſancto Ludovico Provinciæ Angelorum Miniſter. 190. XXI.
Thomas Murnerus contra Lutherum ſcribit. 95. I. & contra Zuinglium. 224. III.
Thomas Volſæus Cardinalis quis? 388. IX. Summum ambit Pontificatum. 388. X. eo fruſtratus Carolo Imperatori iraſcitur. ibid. inſidiatur Catarinæ Reginæ, ejuſque nuptias dicit illicitas. 388. XI. quod confirmatum vult a Joanne Longlando Lincolnienſi Epiſcopo Henrici Regis Confeſſario. ibidem. ſeq.

Thy-

Thyphernas Conventus. 89. XIX. 436. XIX.
Ticinenſis Conventus Capuccinorum. 427. XXVIII.
Tlalmanalci Conventus. 283. XLII.
Tlaxcallenſis Conventus. 283. XLII.
Tlaxcallenſis urbs deſcribitur. 139. VI.
Toletana Domus Sororum Tertii Ordinis S. Annæ. 134. XXXVII.
Toloſanus Conventus. 78. XXXV.
Tomarii Conventus. 262. XXII.
Torella Joanna Aragouia Couventus Peſciotæ fundatrix. 143. XIV.
Toruvia N. eximiæ religionis vir. 112. 2. incredibili ferret pietate erga animas Purgatorii. ibidem.
Trecati Conventus. 110. XLIV. 237. XXXIII.
Tridentinum Monaſterium. 307. XIX.
Tropeanus Conventus. 279. XXXII. 456. XLIII.
Truxilli Indiarum Conventus. 246. XIII.
Tudertinum Monaſterium. 113. LVI.
Tunetl Conventus. 403. XLIII.
Turris ſumorum Mouaſterium. 93. XXXVI.
Turrium Novarum Domus Sororum Tertii Ordinis. 413. XIX.

V

VAlentinianus Conventus. 77. XXXIV.
Valliſoleti Monaſterium Conceptionis. 133. XXXIII.
Valliſoleti Iudiarum Conventus. 247. XIV.
Vallis Viridis Conventus. 472. XXXIV.
Varſaviæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 134. XXXIX.
Ubertinus. V. *Hubertinus*.
Velonienſis Conventus. 104. XXVI.
Venetus Conventus. 336. XXXVII. Monaſterium ſanctæ Claræ de Murano. 137. XXXII. Monaſterium ſanctæ Crucis. ibid. Mouaſterium S. Mariæ de Miraculis. ibid. Monaſterium ſancti Sepulchri. ibidem.
Verba injurioſa & irriſoria vetita. 71. VI.
B. Veridiana. V. *Viridiana* infra.
Veronenſis Capucciuorum Conventus. 401. XXXVIII.
Ugo Meloduneus Princeps in Conventu Bethuniæ tumulatus. 68. LXII.
Vicarienſis Conventus. 89. XVIII.
Vicarius Generalis Obſervantum Ciſmontanus Benedictus Geneſius. 342. VIII.
Vicarii Generales Obſervantum Ultramontani Arnoldus de ſancto Felice. 205. X. Gilbertus Nicolai. 22. XLVII. 49. XXVI. Nicolaus Narbonus. 342. VIII. Petrus de Montibus Occæ. 22. XLVII.
Vicarii Generales totius Ordinis Antonius de Calcena. 243. VIII. Leonardus Publicius. 346. XI. Paulus de Soncino. 105. XXIX.
Vicarii Generales Capuccinorum. Matthæus de Baſſio. 278. XXXI. Ludovicus de Foroſemprnnio. ibidem. Bernardinus Aſtenſis. 402. XXXIX. Bernardinus Ochinus. 435. X.
Victor Trincanellus de Conventu Mandelli valde meritus. 110. XLIII.
Vigilienſe Monaſterium. 296. XXXI.
Villæ Comitis Conventus. 238. XXXVI.
Villæ Franchæ de Campo Conventus. 220. XXXIV.
Villæ Longæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 32. LXI.
Villæ Novæ Infantium, Domus Sororum Tertii Ordinis. 134. XXXVIII.
Villæ Novæ Luſitanæ Conventus. 296. XXVIII.
Villæ Pedrochæ Monaſterium. 385. LXXXV.
Vincentiæ Conventus. 294. XXII.
S. Vincentii Martyris Corpus ubi delituit. 77. XXXI.
Vincentius Lunellus Commiſſarius Romanæ Curiæ. 322. VII. Miniſter Generalis. 395. XXXI. abit in Germaniam. 443. XIII. revocatur a Pontifice in Urbem. 466. XVI.
Vincentius Neapolitanus Magno Magiſtro Regis Galliarum a ſacris Confeſſionibus. 158. XV.
Vincentius Petri Epiſcopus Gandenſis. 88 XV.
B. Viridianę culius conceditur. 347. XIV.
Vincentius Vilhonius Monaſterium Agennenſe extruit. 297. XXXIII.
Ugarellus Patavinus vir pietate & doctrina commendatus moritur. 63. XL. Ejus elogium. ibidem.
Ulmeti Monaſterium. 30. LVIII.
Ultrajecti Conventus. 66. LVI. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 437. XXIII.
Ulyſſiponenſe Monaſterium Spei. 412. XVIII.
Urbanus Lomellinus Conventum Marhici extruit. 249. XXI.
Urbevetanum Monaſterium. 113. LVI.
Urbis ſancti Franciſci Conventus. 384. LXXXV.
Uriel de Grabovo Provinciæ Poloniæ Miniſter. 175. XXXVIII.

S. Urſicinus Epiſcopus Brixienſis ubi tumulatus. 66. L.
Urſulinarum Sororum initium. 425. XXI.
Uſſerii Conventus. 262. XXII.
Waterfordiæ Conventus. 132. XXIX.

Z

ZAcharias Boverius in Obſervantes invehitur. 207. XVI. ejus menda corriguntur. 258. XVI. 334. XXXI. 350. XX. 379. LXXII.
Zacynti Conventus. 471. XXX.
Zagabriæ Conventus. 307. XV.
Zenobius de Florentia Provinciæ Candiæ Miniſter. 70. II.
Ziriczeæ Conventus. 66. LV.
Zuatzit Conventus. 67. LVII.

INDEX BULLARUM

Quæ in hujus Decimiſexti Tomi Regeſto continentur.

Numerus Arabicus indicat paginam, Romanus per ordinem poſitas Bullas.

Accepimus nuper. *Leonis X.* XLIV. 528.
Accepimus quod alias. *Clementis VII.* XXXIX. 620.
Accepimus quod cum alias. *Leonis X.* XXXII. 513.
Accepimus quod cum alias. *Ejuſdem.* XXIX. 511.
Accepimus quod licet. *Clementis VII.* XXXIV. 613.
Accepimus liquidem. *Leonis X.* LXII. 549.
Ad uberes fructus. *Clementis VII* XXII. 593.
Affectui benevolentiæ. *Leonis X.* LXIX. 557.
Alias tuis ſupplicationibus. *Pauli III.* XX. 639.
Animas lucrifacere. *Leonis X.* XVII. 498.
Animas lucrifacere. *Ejuſdem.* LIII. 540.
Cum alias. *Ejuſdem.* XIX. 499.
Cum alias. *Clementis VII.* IV. 567.
Cum Communitas. *Leonis X.* XXVIII. 510.
Cum communitas. *Ejuſdem.* LVI. 544.
Cum Communitas. *Ejuſdem.* LXI. 549.
Cum Communitas. *Clementis VII.* V. 568.
Cum Communitas. *Ejuſdem.* XXXI. 611.
Cum Communitas. *Pauli III.* XVII. 636.
Cum dilecti filii. *Clementis VII.* XXIX. 609.
Cum inter alia. *Leonis X.* XLII. 526.
Cum Miniſter. *Ejuſdem.* LXXII. 560.
Cum non ſine. *Clementis VII.* XXX. 610.
Cum ſancta Regula. *Leonis X.* XLII. 527.
Cum ſæpenumero. *Ejuſdem.* XLV. 529.
Cum ſicut accepimus. *Ejuſdem.* XXXIX. 522.
Cum ſicut accepimus. *Clementis VII.* VI. 568.
Cum ſicut exponi. *Leonis X.* XXXI. 512.
Cum ſicut exponi. *Ejuſdem.* L. 535.
Cum ſicut exponi. *Pauli III.* XVI. 634.
Cum ſicut exponi. *Ejuſdem.* XXX. 652.
Cum ſicut nobis. *Leonis X.* III. 482.
Cum ſicut nobis. *Ejuſdem.* XXX. 512.
Cum ſicut nobis. *Ejuſdem.* XXXIV. 515.
Cum ſicut nobis. *Ejuſdem.* XXXVIII. 521.
Cum ſicut nobis. *Ejuſdem.* XLIX. 534.
Cum ſicut nobis. *Ejuſdem.* LXX. 558.
Cum ſicut nobis. *Clementis VII.* I. 563.
Cum ſicut nobis. *Ejuſdem.* XXIV. 603.
Cum ſicut nobis. *Ejuſdem.* XXXV. 614.
Cum ſicut nobis. *Pauli III.* V. 624.
Cum ſicut nobis. *Ejuſdem.* VII. 626.
Cum ſicut nobis. *Ejuſdem.* VIII. 627.
Cum ſicut nobis. *Ejuſdem.* XII. 630.
Decet ex Romani Pontificis. *Clementis VII.* XVI. 586.
De mandato. *Monumenta varia.* IV. 657.

De ſpeciali. *Monumenta varia*. III. 657.
Devotionis veſtræ. *Pauli III.* II. 621.
Dilecte. *Leonis X.* VII. 487.
Dilecte fili. *Ejuſdem*. XIII. 494.
Dilecte fili. *Ejuſdem*. XX. 500.
Dilectæ in Chriſto filiæ. *Ejuſdem*. VIII. 489.
Dilecti filii. *Ejuſdem*. XI. 492.
Dilecti filii. *Ejuſdem*. XII. 492.
Dilecti filii. *Ejuſdem*. XV. 495.
Dilecti filii. *Ejuſdem*. LVII. 544.
Dudum felicis recordationis. *Ejuſdem*. VI. 486.
Dudum felicis recordationis. *Ejuſdem*. XXXVII. 520.
Dudum felicis recordationis. *Ejuſdem*. LXVIII. 556.
Dudum felicis recordationis. *Clementis VII.* IX. 576.
Dudum felicis recordationis. *Pauli III.* XXVIII. 649.
Dudum per felicis recordationis. *Clementis VII.* III. 566.
Dudum per felicis recordationis. *Ejuſdem*. X. 577.
Dudum per nos accepto. *Leonis X.* XLVI. 530.
Dudum ſiquidem. *Ejuſdem*. XXXV. 517.
Dudum ſiquidem. *Clementis VII.* II. 564.
Dudum ſiquidem. *Ejuſdem*. XVII. 588.
Dum conſideramus. *Ejuſdem*. XVIII. 589.
Dum fructus uberes. *Pauli III.* I. 620.
Dum intra mentis noſtræ. *Clementis VII.* VIII. 574.
Etſi pro injunctæ nobis. *Leonis X.* LX. 547.
Exhibita nobis nuper. *Pauli III.* XXXII. 653.
Exponi nobis. *Leonis X.* V. 484.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. XXV. 506.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. XXVI. 508.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. XLVIII. 532.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. LI. 537.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. LIV. 541.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. LV. 543.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. LVIII. 545.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. LIX. 546.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. LXIII. 550.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. LXIV. 551.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. LXV. 553.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. LXVI. 553.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. LXVII. 555.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. LXXI. 559.
Exponi nobis. *Clementis VII.* XII. 581.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. XIV. 383.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. XXV. 604.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. XXXII. 611.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. XXXVI. 615.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. XXXVIII. 619.
Exponi nobis. *Pauli III.* III. 622.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. IV. 623.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. VI. 625.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. IX. 628.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. X. 629.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. XIV. 632.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. XVIII. 636.

Exponi nobis. *Ejuſdem.* XIX. 638.
Exponi nobis. *Ejuſdem.* XXI. 640.
Exponi nobis. *Ejuſdem.* XXIII. 642.
Exponi nobis. *Ejuſdem.* XXIV. 644.
Exponi nobis. *Ejuſdem.* XXVI. 646.
Exponi nobis. *Ejuſdem.* XXVII. 647.
Exponi nobis. *Ejuſdem.* XXIX. 651.
Exponi nobis. *Ejuſdem.* XXXI. 652.
Expoſitum nobis fuit. *Ejuſdem.* XXV. 645.
Hodie ſanctiſſimus. *Monumenta varia.* V. 658.
Hodie ſanctiſſimus. *Monumenta varia.* VI. 659.
Humilibus ſupplicum votis. *Leonis X.* XVI. 496.
Illius cujus in pace. *Clementis VII.* XV. 585.
In paſtorali ſpecula. *Ejuſdem.* XXVI. 605.
In ſupremæ dignitatis. *Leonis X.* I. 479.
Intelleximus quoſdam. *Ejuſdem.* X. 492.
Juſtis petentium votis. *Ejuſdem.* XLI. 524.
Licet alias. *Ejuſdem.* IX. 490.
Non ſine magna. *Clementis VII.* XIX. 590.
Non ſine mentis. *Leonis X.* XL. 523.
Non ſine noſtræ mentis. *Ejuſdem.* XXVII. 509.
Nuper in ſacro. *Ejuſdem.* XVIII. 499.
Nuper nobis. *Clementis VII.* XX. 591.
Nuper per alias. *Leonis X.* II. 482.
Nuper pro parte. *Adriani VI.* I. 561.
Nuper pro parte. *Clementis VII.* XXI. 591.
Officii noſtri debitum. *Ejuſdem.* XI. 579.
Olim felicis recordationis. *Ejuſdem.* XXIII. 602.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem.* VII. 571.
Poſtquam ad ſummi. *Leonis X.* XXIII. 503.
Poſtquam diſponente Domino. *Ejuſdem.* XXXVI. 519.
Pro parte tua. *Ejuſdem.* IV. 483.
Pro paſtorali. *Ejuſdem.* XXII. 502.
Queſtus eſt nobis. *Clementis VII.* XXXIII. 612.
Quia nuper accepimus. *Leonis X.* XLVII. 532.
Ratio exigit. *Monumenta varia.* I. 655.
Ratio exigit. *Monumenta varia.* II. 656.
Romani Pontificis. *Pauli III.* XXII. 641.
Romanum Pontificem. *Ejuſdem.* XI. 629.
Sacræ Religionis. *Leonis X.* XXIV. 504.
Sacræ Religionis. *Pauli III.* XIII. 631.
Sacri Apoſtolatus. *Ejuſdem.* XV. 633.
Sane pro parte veſtra. *Clementis VII.* XXVIII. 608.
Sedis Apoſtolicæ. *Ejuſdem.* XXXVII. 616.
Significatum eſt nobis. *Leonis X.* XXI. 501.
Sinceræ devotionis. *Clementis VII.* XIII. 582.
Solet Sedis Apoſtolicæ. *Leonis X.* LII. 537.
Sua nobis. *Ejuſdem.* XXXIII. 514.
Superioribus diebus. *Ejuſdem.* XIV. 495.
Vacantibus ſub Religionis. *Clementis VII.* XXVII. 606.

FINIS TOMI DECIMISEXTI.

Menda, quæ in hujus Decimiſexti Tomi impreſſione irrepſerunt, benevole Lector ita corrige.

Pag. 2.	§. II.	*lin.*21.	conjugi	conjungi
67.	§. LIX.	*lin.* 5.	Pallavina	Pallavicina
69.	§. LXIV.	*lin.*11.	aliſque	aliſque
89.	§. XVIII.	*lin.* 6.	nocitti	ocitia
106.	§. XXXII.	*lin.*13.	petioni	petitioni
112.	§. LI.	*lin.* 5.	oppido	oppida
116.	§. XX.	*lin.*29.	overet	foveret
185.	§. XI.	*lin.*14.	Virgini	Virginia
249.	§. XX.	*lin.* 5.	ſucceſſu	ſucceſſu
390.	§. XIV.	*lin.* 9.	invidamque	invidiamque
431.	§. III.	*lin.*12.	illuxiſſe	illuſiſſe
442.	§. X.	*lin.*21.	pœne	pene

Aa1 1471248